
Digitized by Google

FIRPO
600
BIBLIOTECA NAZIONALE
TORINO



chi l'a pi 'd fil farà pi 'd teila

Ex libris

LUIGI FIRPO

4. 3. 2.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

OBERTI GIPHANII PHILOSOPHI
& ICti clariſsimi

Commentarij IN POLITICORVM OPVS ARISTOTELIS: POST SAT BENE LONGAM SVPPRESSIONEM, IAM, BONI publici gratia, primum in lucem editi.

OPVS, ENARRATIONIS SVBTILI PERſpicuitate, perſpicuaque ſubtilitate, ſtyli eleganti puritate, Hiſtoriarum allegatione, variarum magni momenti quæſtionum παρέργως *inſertarum ſolida diſcuſsione quam commendatiſsimum: eoq; omnibus cum Philoſophiæ, tum Iuriſprudentiæ ſtudioſis longe vtiliſsimum.*

CVM INDICE RERVM, VERBORVM ET ſententiarum locupletiſſimo.



Cum gratia & priuilegio Cæſareæ Maieſtatis.

FRANCOFVRTI,
Impenſis LAZARI ZETZNERI Bibliopolæ.

M. DC VIII.

BIBLIOTECA NAZIONALE - TORINO

ILLVSTRIBVS
AC GENEROSIS DO-
minis: D. PAVLO & D. BARTHO-
LOMÆO KHEVENHÜLLERIS AB
AICHELBERG: Liberis Baronibus
in Landscron & VVernberg: Do-
minis Hæreditarijs in Hoheno-
ſtervvitz & Carlsberg: Archidu-
catus Carinthię Stabuli Magiſtris
Hæreditarijs, &c. Dominis
ſuis clementibus
S. P. D.

PRÆCLARVM *ſemper, laudabile, glorioſum Politici nomen habitum: nunquam non Ciuilis commendata Prudentia:*

tributum hoc ei fuit: quod à fera, primum, agreſtique vita ſeparatos, vnum in locum homines congregarit: cõſtitutis ciuitatibus condiderit leges, iura, iudicia: ſit, in iubendi parendiq́; monſtranda ratione, occupata: hoc præſtet, Ciceronis *de ſententia: vt cum florens ac proſpera priuatorum ſalus: beata ciuium vita: tum opibus firma: copijs locuples: gloria ampla: virtute honeſta Reſpublica ſit.*

Verum, uti dubitationis atque hæſitationis extra aleam poſitum hoc forte: ita, quanam potiſſimum via, ſcientiarum Domina illa atq; Regina comparetur, quæſitum non raro: ſuffragijs paucorum interim comprobata ſententia illorum fuit: qui vel naturæ hic, ingenijque ſufficere

ſicere præſtantiam exiſtimant, vel tantum rerum vſui tribuunt atq; experientiæ: vt ab hac inſtructus paratuſque qui fuerit, obire præclare, quæ muneris ſunt huius atq; officij: & cum laudi ſibi, tum commodo emolumẽtoque eſſe alijs queat. Licet enim inficias ire nemo poteſt, eſſe, ad frena Reipublicæ capeſſenda, ingenio, inprimis, ſagaci, vegeto, prompto, ſolerti opus: non ſua, diuturno rerum vſui atque experientiæ, laus adimitur: quod & Medico fides maior habetur, qui inter ægrotos diu eſt verſatus: & ei, qui nauem ſæpe gubernauit, nos noſtraque citius, quam iuueni imperito credimus: & veterano in milite certior, quam in tyrone, victoriæ ſpes eſt repoſita: verum, plu-

 ribus

ribus in rebus, Comici illud depræhenditur:

Nunquam ita quiſquam bene ſubducta ratione ad vitã fuit,
Quin res, ætas, vſus ſemper aliquid adportet noui,
Aliquid moneat: vt illa, quæ te ſcire credas, neſcias,
Et, quæ tibi putaris prima, in experiundo repudies:

non tamen & illud hic infirmandum, præclarum tum demum, elegans, perfectum, ſuisque omnibus abſolutum numeris quid eſſe: cum ad ſubſidia iſthæc doctorum inſuper νουθέτησις *acceſſerit atque informatio: vt quæ excitatos à natura igniculos fouet ac perficit: confirmat in rebus dubijs iudicium: in obſcuris atque difficilibus conſilia neceſſaria*

ria ſuppeditat: commonſtrat quid vere honeſtum, quid iuſtum, quid vtile: commoda ſubminiſtrat alia: quibus deſtituti nihilo felicius vrbes atque Reſpubl. adminiſtrant: atque ſi quis

--- aduerſo in flumine lembũ.
Remigijs ſubigat, ſi brachia forte remittat,
Tum illum, in præceps, prono rapit alueus amne.

Neque itaq; priſcis modo ſeculis illis gubernandi ab eruditis, ars petita atque ſcientia fuit: Rex, apud Perſas, fieri nemo potuit, niſi qui Magorum imbutus diſciplina eſſet: ſed hodierna etiamnum die ad ſolidam virtutis Politicæ aſpirantes cognitionem, cum viuã informantis vocem audire: tum autho-

rum, hoc in genere, optimorũ euoluere monumenta conſueuerunt: in amore inprimis atque delicijs Ariſtotelis de Republica libros habent: quod fontes iidem atque ſcaturigines complectuntur: ex quibus ſulcos poſtmodum, prataque ſua irrigarunt, quotquot deinceps fundi huius Politici colẽdam ſibi partem aliquam, & ad meliorem vberioremque præparandam frugem eſſe exiſtimarunt. Sed, neq; ingratam Ciuilis prudentiæ ſtudioſis operam meam ſumptumque futurum ſpero, quem in parandis imprimendiſque hiſce, in Ariſtotelem, Commẽtarijs impendi: cum quod nouitate ſeſe ſua commendant: tum quod authorem atque parentem eum agnoſcunt: qui doctrinâ partim meritiſ-

ritiſq; in rē literariam egregijs: prudentia partim ſuæ rerumq́; agēdarū dexteritate eam ſibi laudem famamq́; parauit: vt nec meo, nec cuiuſdam alterius præconio indigeat: non certe incōmode, quod de Carthagine ille dixit, ſatius de ea nihil, quam pauca dici, idē de Viro iſthoc celeberrimo affirmari poſſe videatur. Quo minus etiam, vti quidem ſpero, eaque qua par eſt animi ſubmiſſione atque obſeruantia rogo, ægre, Vos, moleſteq́; feretis, Illuſtres ac generoſi Domini Barones: Domini mei clemētes: quod hunc Vobis Authorem conſecrare, frontiq; eius nomina Veſtra Inclyta atque Illuſtria præfigere auſus fui. Eſt magno, apud nos, in pretio Carinthia, Patria Veſtra: quæ, cum non

minus in literis quam armis reque militari informari ſuos cupiat, impenſe Urbem noſtram atq; Academiam diligit: ſubinde ad hanc, ſtudioſorũ gratia, adoleſcentes non genere modo Illuſtres ac claros, verum ingeniis quoq; atque virtutibus exornatos ablegat. Præclarum, nec immerito, habetur, ea Vos ſtirpe atq; familia prognatos, quæ, ab annis inde ſexcentis ſuos, in Faſtis, Auos atque Proauos cõmemorari audit: cuique vel ad gloriam hoc ſatis eſt: quod ſuam à Francis Orientalibus proſapiam ducit: quos iuſtitiæ inprimis atque fortitudinis laude claruiſſe norunt, quibus cum antiquitatis monumentis iuris aliquid atque commercij eſt. Hæret uti illa Familiæ Keuenhüllerianæ

fulcra

fulcra atq; lumina, SIGISMVNDOS, ACHATIOS, REINHARDOS, *VV*ILHELMOS, RODOLPHOS, CHRISTOPHOROS, IOHANNES, GEORGIOS, *plures alios prætercam, hæret, inquam, debita cum reuerentia, in animis hominũ memoria Illuſtrium ac Generoſorum Dominorum: Domini* SIGISMVNDI *& Dn.* FRANCISCI *Keuenhüllerorũ ab Aichelberg: L.L. BB. in Landſcron & VVernberg. Dominorũ Parentum veſtrorum: qui, dum viuerent, ſumma, cum Principum atque Magnatum aliorum, tum ſereniſsimorum inprimis Auſtriæ Arhiducum* CAROLI *&* MAXIMILIANI *gratia, atque clementia floruerũt: propter inſignem in conſiliis prudentiam: iuſtitiam in cognitionibus: fidem in rebus dubiis:*

biis: Heroicā in aduerſis animi magnitudinem: ſunt hiſce nominibus, ad officia ſplendida adhibiti: conſtituti Conſiliarij atque Cubicularij Archiducales ita ſeſe geſſerunt: ut triſte ſui deſiderium apud eos relinquerent: quibus, poſtremis hiſce vereq; conclamatis tēporibus, patriæ curæ ſalus, libertas, tranquillitas, incolumitas eſt. Ut neq; cultū minorem atq; obſeruantiam meretur Illuſtris ac Generoſus Dominus: D. BARTHOLOMÆVS *ab Aichelberg: Comes à Franckenburg: Lib. Baro in Landſcron & VVernberg, Dn. Hæreditarius in Hohēoſtervvitz, & Carlsperg: ſupremus per Carinthiam Stabuli Magiſter & Capitaneus Generalis, &c. Patruelis ac Tutor Veſter, & tuus, Illuſtris ac Gene-*

Generoſe Dn. PAVLE, *nomine quidem Vitricus, re ipſa Parens longe fideliſsimus: qui, vti veteris familiæ decori atq; ornamēto lumē quaſi nouū intulit: aditum mature ſibi ad honores eos, nūc quibus fruitur, patefecit: eſt ob virtutes eximias cedroq; dignas ſereniſsimis Auſtriæ Archiducibus charus: acceptus inclytæ Carinthiæ Proceribus: patriæ vtilis ac ſalutaris: ita nihil agere magis nihilque ardentius videtur: quā vt quæ ad Informationē Veſtram fidam fidelemq; pertinere vidētur, dextre ſeduloq; peragantur.*

Et indole itaque propria, & præclaris hiſce Maiorū, Parentū, Propinquorū exēplis incitati, facitis, Illuſtres ac Generoſi Dn. Barones, quod facitis: & cum ſtudia veſtra,

*tum res atque rationes alias ita in-
ſtituitis: vt hoc Vobis nomine boni
mecū omnes gratulentur: habeat,
quod gaudeat ac lætetur, vir Opti-
mus atq; Doctiſs.* D. TOBIAS EISELIVS, *Præfectus ac Moderator Veſter fi-
deliſsimus: curæ dum ſuæ atq; vigi-
lātiæ ſucceſſus felices & exoptatos,
ſimulque illud experitur, quantum
bonum ſit, ſub diſciplina ſua nō præ-
poſteros nepotes familiæque ſuæ vo-
micas atq; vlcera, verum eos habe-
re, qui ſalutarib. locum monitis at-
que præceptis relinquunt: agunt,
cuius gratia ad Academias ſunt
ablegati: nō vel nihil vel aliud: ſunt
in eo toti: vt laudem partam ſemel,
ſibiq; quaſi per manus traditā con-
ſeruent, exornent, augeant, illu-
ſtrent, ad poſteros propagent.*

Equi-

Equidem hiſce omnibus motus, cum aliud, quod præſtem, non ſuppetat, Autoris huius nuncupatione meam cũ lætitiam, tum animi in Vos, teſtatam facere obſeruantiam conatus ſum: quam vt ſereno hilarique vultu recipiatis, ſubmiſſe officioſeq; rogo: Deum Opt. Max. comprecatus, vt quæ vobis cũ animi, tum ingenii dona idem largitus eſt, creſcere indies, & ad canam, quod aiunt, frugem peruenire patiatur. P.P. Argentinæ 3. Calend. Mart. Anni recuperatæ per Chriſtum ſalutis M. DC. VIII.

ILL. ac GEN. V.V. CL.

Addictiſſimus

LAZARVS ZETZNERVS
Bibliopola Argentoratenſis.

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΑ IN POLITICA ARISTOTELIS,

Autore

HVBERTO GIFANIO Iuriſconſulto.

MONET Plato, eumque ſequitur & probat Cicero, Legumſcriptorem Procemio vti debere. Et nos igitur de legibus explanaturi, quædam præfabimur, primũ de legib. & Rerump. origine & cauſis: deinde de Reipub. cognoſcendæ facultate, de eius inquam dignitate ſeu præſtantia, vtilitate, & voluptate. Rerump. & legum originem tam ex prophanis quam ſacris libris hãc eſſe reperimus. Societatis quidem politicæ primus ortus debetur familiis, ex quibus amplificatis vici & tandem ciuitates ſeu hominum conuenticula extiterint. Conſociationis cauſa ſeu conuentus triplex mihi fuiſſe videtur: natura, indigentia, iniuriæ. De natura copioſe, infra *Ariſtot. lib. 1. cap. 2. & Cic. toto lib. 1. de legibus* De indigentia, nimirum vt quod à ſe quis non haberet, ab alio ſumeret, explicatum ſupra *lib. 5. Eth.* Iniuriæ partim fuerunt domeſticæ, partim externæ. Nam in mutuandis & communicandis rebus non eſt dubium, quin controuerſiæ & ex his iniuriæ ſæpe inter homines eiuſdem vel vici, vel ciuitatis, fuerint ortæ, dum potentior cum imbecilliore & tenuiore recuſat vti eodem & æquabili iure. Externæ iniuriæ à vicinis potentioribus, aut iniuſtis & petulantibus inferũtur. His igi-

[Margin: προοίμιον.]

[Margin: I. *Rerump. legumq́; origo.*]

[Margin: *Cauſæ conſociationis hominum tres: Natura, Indigentia, Iniuria.*]

tur & controuerſiis & iniuriis pellendis opus fuit homine prudente, iuſto & potente. Prudente, qui iuſta & iniuſta cognoſceret. Iuſto, qui æqualiter ea diiudicaret. Potente, qui non obedientes cogeret, & imbecillos à potentiorum vi vel

Reges priſci. domeſtica vel externa tueretur. Itaque talem ſibi primi homines Rectorem delegiſſe videntur: qui non tam Rex eſſet vel Dominus, quam Iudex & Paſtor. Eaq; re & apud Hom. δικασπόλοι ϗ ποιμένες dicuntur, & in ſacris libris primi Hebræorum Duces ſeu Reges, Iudices plærumque vſurpantur. Hi igitur primâ ætate Reges & Principes Rerump. fuerunt veri & iuſti, communi conſenſu & ſuffragiis à pop. delecti.

Tyranni. Erant & iniuſti, qui vel viribus vel diuitiis & opibus freti non delatum ſibi à pop. Imperium vltro ſumerent, quos Gigantes vocant ſacræ literæ; poſteritas Tyrannos. De hac prima imperii forma & genere *Moſes, Homerus, Herodot. lib. 1. Plato in Polit. Ariſtot. lib. 1. 3. Polit. Cic. 2. off. & 3. de legib. & pulcre in Sextiana, Lucret. lib. 5. in fin. Diod. Sicul. lib. 1. Iuſtinus lib. 1.*

Legum origo, & 1. cauſa προκαταρκτική. His temporibus nullæ dum erant leges, quia manu Regiâ (vt ait Pomponius Iuriſconſ.) omnia adminiſtrarentur; Regis nutus & arbitrium eſſet pro legibus, *inquit Dionyſ. lib. 10.* Verum quia hoc imperium nullâ certâ lege eſſet definitum ac terminatum; & in magna poteſtate, eaque immenſa & interminata conſtituti, ægre à tenuioribus & imbecillioribus violandis ſibi temperare poſſent, & à veris & iuſtis anteceſſoribus poſteri plerumque degenerant: iniuriæ rurſus & maleficia non tam ciuium inter ſe, quam principum in ciues, ſunt conſecuta. quibus rebus factum eſt, vt in odium Principes incurrerint, & ex hoc tandem ſint interfecti. Ergo Regibus occiſis

---- Subuerſa iacebat
Priſtina maieſtas ſoliorum & ſceptra ſuperba,

inquit *Lucret.* Alia igitur ratione opus fuit, qua & à controuerſiis mutuis & iniuriis defendi poſſint Ratio prior fuit ab homine petita: eam quia lubricam & periculoſam repererunt, ad leges & Magiſtratus confugerunt. Magiſtratus, inquam, legibus conſtrictos. Nam Magiſtratus nil eſt aliud, quam Lex loquens, vt Lex mutus Magiſtratus, *inquit Cic. 3.*

2. Cauſa legum latarum. *de legib.* Ex quibus perſpicuum eſt, eandem eſſe & Regum & Legum originem ac cauſam, *vt eleganter Cic lib. 2. off.* Eſt tamen & altera legum cauſa & origo apud Moſen. Nam Iethro

thro, Moſis ſocer, cum generum videret innumerabilibus controuerſiis Iudæorum diſceptandis eſſe imparem; conſilium illi dedit, vt adminiſtros quoſdam ſibi aſſumeret, quibus leuiores controuerſias diſceptandas concrederet. Quo conſilio etiam à Deo Opt. Max. comprobato totum Iudaicum populum in certam Reipubl. formam deſcribere conſtituit: eique leges aptas & accommodatas, Deo autore, adiunxit. Quæ quidem Reipublicæ forma ſine controuerſia eſt præſtantiſſima, vtpote Regum legibus terminatum, qua de re infra, *lib 3.* Et hæc quidem de cauſis ſocietatis humanæ, atque de ortu Imperiorum & Legum breuiter dicta ſint ſatis. Nunc de facultate, qua præditus quis optime politicam ſocietatem adminiſtrare poſſit. II. *De facultate politica.*

De hac facultate *initio Ethicorum* copioſe diximus, *& lib. 6 Eth.* vbi & definitionem & partes eius & autores, finem denique & ſcopum explicauimus; etiam de dignitate & vtilitate nonnulla attulimus: quæ tamen duo poſtrema nunc accuratius aliquanto explicemus: præſertim cum illa ad mores potius, quam ad leges & Reſpublicas accommodauerimus. Videamus igitur de facultatis politicæ dignitate, vtilitatibus ſeu vſu, voluptate quoque honeſta, & obſcuritate.

Dignitas & præſtantia huius facultatis ex his tribus potiſſimum rebus ſpectari poteſt: Fine, Rebus, & Nominibus. III. *De dignitate polit.*

Finem huius facultatis conſtat eſſe beatitudinem & *εὐνομίαν* eius politicæ partis, de qua his libris explicatur: quo certe fine nullum (ſacra ſemper excipio) præſtantiorem reperiri poſſe perſpicuum eſt. Cónſueuerunt autem artes & ſcientiæ ſpectari ex fine, vbi de dignitate & præſtantia eſt quæſtio. Res quoque, in quibus facultas politica tanquam in materia verſatur, ſunt grauiſſimæ: hominum * inſtitutio, Rerumpublicarum & ciuitatum temperatio, Magiſtratuum, Legum, & Iuris deſcriptio. Hanc autem facultatem omni tempore viri Principes in ſua poſſeſſione tenuerunt: apud Ebræos Moſes, Abrahamus, Ioſephus, (quem politicum virum deſcribit Philo) Dauid, Daniel, Nehemias, &c. Apud Græcos, Neſtor, Vlyſſes, Solon, Cliſthenes, Pericles, Epaminondas, Plato, Demoſthenes, Iſocrates, &c. Romæ Decemuiri, Fabius Maximus, & Iuriſconſulti veteres, Catones, Scipiones, Lælius, Cicero, &c. Et hac ipſa de cauſa Plato hãc

1. Ex fine.

2. A materia.

* *Fort.* cōſociatio.

Politica facultas regia faculratem Regiam vocare ſolet, vt Regum, Principum, & genere præſtantium virorum propriam artem, Virg. *lib. 6.*

Excudunt alii ſpirantia mollius æra, &c.
Tu regere imperio populos Romane memento.
Hæ tibi erunt artes, &c.

Quo pertinet &, quod paulo ſupra diximus, Reges, vt & Conſules Romæ δικασπόλους & Iudices dictos fuiſſe, quia ipſorum officium & munus in iure reddendo & regiis negociis ſit poſitum. Et certè duæ ferè Principum & nobilium ſunt artes: vna Ciuilis, altera Militaris. hanc hodie ſic ſatis tenent & perſequuntur: illam magno Rerump. incommodo fere deſerunt, eaque re ex auditis & alieno ore (inquit

3. A facultatib. amulatricibus. Poëta) ſapiunt. Hoc quoque ad dignitatem pertinet non mediocriter, quod multæ humiliores & ignobiliores facultates huius naturæ ſpeciem induerint, ſibique vindicarint:
1. Rhetoric. Rhetorica, *teſte Ariſtotele lib. 1. Rhet. Plat in Gorg. Iſoc. in Helena, Cic. in lib. 1. de or. & alibi.*
2. Sophiſt. Sophiſtica, *teſte Platone multis in locis, & Ariſtot lib. 10. Eth cap vlt.*
3. Iuriſprud. Iuriſprudentia deniq; &
4. Theolog. Theologia: quod partim ex prioribus, partim ex hac noſtra ætate eſt perſpicuum.

4. Argum. dignitatis huius ſcientiæ. Ad eandem dignitatem pertinent honores, quibus hac facultate præditi affici ſolent, adeo vt pro Diis ſemper ſint habiti, à quibus in rebus dubiis, tanquam à Deo, petantur Oracula. Ex his perſpicuum eſt, quanta ſit huius facultatis dignitas & præſtantia, vt non immerito Plato & Ariſtoteles eam omnium ſcientiarum Principem & Dominam appellarint: qua de re diximus ſupra *lib. 6. Ethic. & initio lib. 1.*

IV.

De vtilitate Polit. Vtilitas non eſt minor. Nam præterquam quod omnes vitæ humanæ & Reipubl. partes curat, conſtituit, & conſeruat: etiam aliis facultatibus commoda præclara ſubmini-
1. In genere. ſtrat. Theologo ad cognoſcendam politiam Moſis & Da-
2. Particulatim. uidis: Iuriſconſulto ſuppeditat principia ex ea potiſſimum parte, quæ eſt de moribus, eaque re hæc facultas Iuriſpru-
1. Quoad Theolog. dentiæ vtilior, quia politicæ illa ſit pars, ſupra *lib. 6.* Notum eſt autem, magnum poſitum eſſe momentum & vim in toto
2. Quoad Iuriſprud. ad partes cognoſcendas, *exemplo medici ſupr. lib. 1. cap. vlt. Eth. Polyb. initio lib. 1.* Quin olim etiam Iuriſprudentia pene erat politica facultas, *teſte Cic. lib 3. de Orat.* Neque enim de ſtillicidiis & teſtamentis tantum: ſed de omni Reipub. negotio Iuriſconſulti conſulebantur. quod idem etiam hodie plæri-

plærique ſibi arrogant, fortaſſe non arroganter, ſi non tantum libros iuris, in quibus de rebus tantum priuatis potiſſimum agitur, ſed politicos quoque & hiſtoricos cognoſcerent. Oratori quæ ex hac facultate adiumenta ſuppeditentur, explicat copioſe *Cic. lib.1. & 3. de Orat.* Vno verbo, quia præſtãtior artis dicendi pars in iiſdem rebus, id eſt, magiſtratibus, legationibus, in belli pacisque muneribus verſatur.

3. Quo ad Rhetores.

Hiſtorico item politica prodeſt: atque adeo hiſtoria & politica tradũt operas mutuas. Nam hiſtoria affert exempla ſingula, quarum Regulas & Canones generales tradit politica. Quare vt *Ariſtoteles lib.1. Rhet.* politico vtiliſſimam dicit hiſtoriam: ita hiſtorico vtiliſſimam eſſe politicam ſcribit Halicarnaſ. *lib.6. an.7.* Nam vterque Rerumpub. initia, origines, ſtatus & progreſſus, conuerſiones denique & interitus exponit: hiſtorica tamen facta potius (vt loquuntur Iuriſconſulti) politica ius, id eſt, cauſas earum rerum perſequitur.

4. Quo ad Hiſtoricos.

Etiam Poëtis & Grãmaticis ſua ſunt ex politicis adiumenta: exemplo ſint Tragœdię, in quibus fere Principum negotia & caſus tractantur. Epici quoque Poëtæ hoc fere argumentum habent, Homerus, Virg. Lucanus, Silius, &c.

5. Quo ad Poët. & Grammat.

Quin etiam Duci quoque & Imperatori (cuius tamen ars huic noſtræ ex altera parte velut reſpondere & contraria opponi videtur) non minimam vtilitatem affert hæc ſcientia. Nam & ſui Imperatoribus ſunt Conſiliarii, Pręfecti ſeu Magiſtratus, leges & præcepta, ſua denique politia militaris: quam profecto is tantum videatur optime inſtituere ac tueri poſſe, qui ciuilem, vt maxime cognatam, teneat. Si enim ex Pauli Æmilii Summi Imperatoris dicto eiuſdem eſt conuiuium inſtruere & ludos parare, cuius eſt acie & bello vincere: multo certe iuſtius eiuſdem erit, politiam & ciuilem & militarem inſtituere & adminiſtrare.

6. Quo ad στρατηγικήν.

V. *De voluptate, q̃ ex hac ſciẽtia percipitur.*

Neque vero minor huius ſcientiæ eſt voluptas. Quid enim iucundius quam totius orbis terrarum leges & Reſp. percurrere? earum conuerſiones cum veris cauſis cognoſcere? Quid iucundius, quam vnum præter cæteros ſapere, ſapientem & tanquam Deum in ciuitate haberi, coli, obſeruari, omnibus denique honorum gradibus affici? Quid iucundius denique, quam cum omne genus humanum, tum patriam, ſuâ ſapientiâ adminiſtrare & aduerſus hoſtes tueri poſſe, ſummis beneficiis inquam afficere?

VI. *De difficultate pol.* Quare non immerito & hæc ſcientia ciuilis tam præclara, difficilis quoque & àrdua exiſtimari debet, vt omnia præclara rara & difficilia: eaque re ſapienter prudentiſs. Imper. Diocletianus, *teſte Vopiſco*, in ore habere ſolebat, nil eſſe difficilius, quam bene imperare. quod idem pulcerrime docet Xenophon *in Pædia Cyri.* quam tamen difficultatem priores illæ conditiones, vtilitas, dignitas, & voluptas, facile obſcurant & obruunt: præſertim cuius aſſequendæ ſuperſint adiumenta non mediocria.

VII. *De modis & adiumẽtis cõſequẽda huius fac.* Videamus igitur, quod tertium eſt caput, de modis & adiumentis conſequendæ facultatis Politicæ. Ergo cum in omni facultate, tum in hac ciuili aſſequenda tres ſunt modi & adiumenta: Natura ſeu ingenium, Vſus ſeu exercitatio, Ratio ſeu præcepta. De Natura & ingenio nulla eſt controuerſia: de reliquis duobus, vſu & ratione, magna. Nam ſunt, qui exiſtiment hanc facultatem vſu ſolo percipi poſſe, nullam eſſe eius rationem, artem & ſcientiam. *Qua de re extat diſputatio apud Empiricum lib. aduerſus diſciplinas extremo, & libr. 3. Pyrrhoniarum ὑποτυπώσεων, & apud Platonem aliquot in locis. Xenoph. τῶν ἀπομνημονευμάτων lib. 2. Demoſthenes in Erotico λόγῳ, Iſocr. in or. aduerſus Sophiſt. Cic. lib. 1. & 3. de or. vbi tamen de Rhetorica. Ariſtotelem quoq; noſtrum ſupra lib. vlt. cap. vlt.* Quæ diſputatio quia prolixior eſt, nos Ariſtotelem ſecuti atque adeo Plat. Demoſt. Iſoc. Cic. breuiter dicamus, vtraque hæc adiumenta eſſe neceſſaria. nam de vſu eleganter Simonides apud *Plut. in libr. An ſeni gerenda ſit Reſpub.* ἡ πόλις τὸν ἄνδρα διδάσκει, ciuitas docet virum, quaſi dicat, curia & forum eius eſt ſchola. & Plut. eo loco, vt, inquit, non bonus erit gubernator nauis, qui nunquam in mari ipſe fuerit & in tempeſtate, quantumuis multa de naui gubernanda præcepta cognorit: ita nec politicus abſque vſu. Cuius certe tanta vis eſt, vt hoc ſolo multi prudentiſſimi politici extiterint, atque adeo omnes fere veteres, quos Ariſtoteles non ratione ſed vſu Remp. adminiſtrare ait. De doctrina tamen & ratione pulcre Iſocr. ea qui ſint præditi, tanquam ex penu certa depromere poſſe, quæ Reip. ſint vtilia. certe vſus eſt longior, periculoſior & contractior: ratio & doctrina breuior, ſecurior, certior, & diffuſior, quæque latius pateat. ars, inquit Cicero, certior eſt. Arte, inquit Iſocrates, in quæ vſu tanquam errantes incidimus, diſtinctius cogno-

Marginalia: 1. *Natura.* 2. *Ingeniũ.* 3. *Vſus.* 4. *Ratio & doctrina.*

gnoſcimus. latius quoque patet ratio quam vſus. nam ratione præditi alios, etiam poſteros, ſcriptis docere poſſunt: vſu præditi non item, *ſupra lib. vlt. cap. vlt. & Plato in Euthydemo.* Et hac re præter vſum doctores quoque ſibi aſciuerunt magni in Repub. viri: Themiſtocles Neſiphilum, Pericles Anaxagoram, Dio Platonem, Philippus Macedo & Epaminondas Lyſin Tarentinum, Alexander Ariſtotelem, Ptolemæus Demetrium Phalereum, Scipio Polybium & Panætium, Cicero Nigidium, & alii alios: *de quibus Cic. lib. 1. Offi. & 3 de Orat. Demoſth. in Erotico.*

Videamus igitur de politicæ Doctoribus, qui primi fuerint & qui præſtantiſſimi: ſi hoc prioribus adiecero, non minima quoq; conſequendæ facultatis politicæ eſſe adiumenta, quæ tamen prioribus contineantur, hiſtoriarum cognitionem, peregrinationes, quibus hominum mores, inſtituta & leges variæ cognoſcantur, collectio variarum legum & Rerump. *de qua dictum ſupra lib. vlt. cap. vlt.* congreſſus deniq; & conſuetudo Politicorum: qua præterea ratione & viâ multos veterum vſos ſcribit *Plut. in dicto lib. An ſeni gerenda ſit Reſpub.* eaque re vel ſola Plut. docet ſenes perſeuerare debere in Reip. adminiſtratione, vt horum conſuetudine, exemplo & monitis doctorum & præceptorum loco inſtituantur & doceantur adoleſcentes. quem veterum morem attigit & Virg. *lib. 8.* vbi Euand. ad Æneam de filio Pallante.

5. Hiſtoriar. cognitio.
6. Peregrinatio.
7. Variarũ legum collectio.
8. Conſuetudo polit. Qua de re Plut. in præcept.

Hunc tibi ----
Pallanta adiungam: ſub te tolerare magiſtro
Militiam & graue Martis opus, tua cernere facta
Aſſueſcat, primis & te miretur ab annis.

Sic olim Cliſthenem* Ariſtides, hũc Cuno, Chabriam Phocio, Cato Fabium Maximum, Syllam Pompeius, Philopœmenem Polybius, hunc Scipio iunior, tanquam doctores præpoſitos ſibi, ſunt imitati. Et hæc certe vetus fuit ratio diſcendi Politicam, etiam Iuriſprudentiam: ſic Scæuolam ſequutus eſt Rutilius, *inquit Cic. 2. Offic.*

** Cuius mẽtio fit infra lib. 3. cap. 1.*

IIX. *De ſcriptoribus polit.*

Nunc quoq; de Politicæ ſcriptoribus & doctoribus. Scriptores duorum ſunt generum: vel enim in Repub. ſunt verſati, vel non: rurſus, vel de legibus duntaxat ſcripſerunt, vel nouæ quoque à ſe conditæ Reip. leges præterea dederunt, *inquit Ariſtoteles infra lib. 2. cap. 10.* Omnium horum gene-

rum ſcriptores plæroſq; & antiquiſſimos commemorat eo libro Ariſtoteles. Certum eſt hoc tamen, nullum antiquius ſcriptum vel extitiſſe vel extare Moſis Politiâ, ex qua, tanquam coloniæ, temporum progreſſu, reliquæ omnes fere ſunt deductæ. Sit igitur primus hic Politicæ ſcriptor ſeu *νομοθέτης* potius. Cæteros hîc congerere eſſet longius, *de quibus infra lib. 2.* Doctores autem Politicæ qui primi fuerint, modo indicaui, qui tamē non tam ratione quam vſu docuerint. Scholas autem politicas Principes habuiſſe Sophiſtas ſcribunt veteres, *ſupra lib. vlt. cap. vlt.* quorum & ignorantiâ & ambitione demonſtratâ Socrates & Plato hoc quoque munus docendæ Politicæ ſibi ſumpſerunt; quorum diſcipuli Xenocrates, Ariſtoteles, & horum deinceps alii auditores ac diſcipuli, Theophraſtus, Heraclides Ponticus, Demetrius Phalereus, alii ſemper hoc munus tenuerunt, quare & Academici & Peripatetici ob eximiam *(inquit Cic. 3. de or.)* rerum magnarum ſcientiam politici dicebantur. Nam Stoici attigerunt quidem & illi hunc in diſputando ciuilem locum, *inquit Cic. 3. de legib.* ſed præter Panætium ſemiperipateticum multa attulerūt abſurda, & à communi vita abhorrentia, *de quibus Cic. in Mureniana*, etiam flagitioſa & turpia quædam, *de quibus Laertius in vita Chryſip. & Sextus Empir. libr. 3. hypotyp. Pyrrhon.* Epicurus autem ſuos vetat Rempub. adminiſtrare, *Cic. 5. Tuſc.* Itaque veri politici doctores fuerunt & ſemper habiti ſunt Peripatetici & Academici: & in his principes Plato & Ariſtoteles, quorum etiam ſolorum ſcripta hodie extant. Romani veterum more vſu pene ſolo Remp. cognoſcebant. de antiquioribus loquor. nam poſteriores & ipſi in Græciam ſe contulerunt, & domi doctiſſimos aluerunt: præter Ciceronem tamen, qui libros 6. de Rep. & 5. (vt quidam putant) de legibus ſcripſit. qui de Rep. commentarios ediderit, haud facile quenquam reperias. Reliquum eſt de Ariſtotele, & hoc opere, noſtro deniq; munere explicare.

Margin notes: *t. Moſches.* — *Sophiſtæ.* — *Socrat.* *Plato.* *Xenocr.* *Ariſtotel.* — *Peripatetícorum laus.* — *Stoicorum παρεγχία & abſurda ac flagitioſa hac de re præcepta.*

ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ ΠΟΛΙΤΙΚΩΝ ΤΟ Α.

DE Ariſtotelis præſtantia explicare non eſt huius loci: quod huc pertinet, breuiter dicamus; Ariſtotelem & vſu & ratione cognitum Politicam docuiſſe, & ſcriptis quāplurimis complexum eſſe pulcerrime, atq; adeo omniū optime.

me. Nam in Regia Philippi Macedonis VIII. annos eſt verſatus, eoque & conſiliario, & in filio docendo, præceptore Philippus eſt vſus. Idem Ariſtoteles & patriam Stagiram euerſam Philippi ſumptibus inſtaurandam curauit, & legibus nouis atq; inſtitutis Stagiriticam Rempub. deſcripſit. Collegit idem 158. Rerumpub. genera. quæ collectio & collatio non mediocre adiumentum ad hanc ſcientiam illi attuliſſe videtur. Vſus eſt præterea & Platonis & Hippodami & aliorum ſcriptis politicis. Ex quibus perſpicuum eſt, & vſu & præceptis eum cognouiſſe Politicam. ex iiſdem & hoc cognoſci poteſt, de eadem ſcientia eum & pulcerrime ſcripſiſſe. Edidit certe quamplurima ſcripta Politica, *de quibus Laertius*, quorum hoc vnum duntaxat hodie extat opus. Nam eſſe hoc Ariſtotelis omnes veteres interpretes & recentiores Ariſtotelis vno ore fatentur. præterea idem perſpicitur ex eo, quod in his libris ſæpe mentionem facit Ethicorum, quanquam priore loco poſitorum. Nam, *vt ſupra dictum*, Ethicorum & Politicor. tanquam duorum parium & membrorum vnum & idem eſt corpus. De operis igitur autore conſtat: nam de Laertii teſtimonio mox dicetur.

Πολιτικῶν.] Politica inſcribuntur hi libri vt priores Ethica, alii Oeconomica, vt Oppiani ἁλιευτικά, Ouidii & Virgilii Bucolica & Georgica : quibus verbis ſubintelligatur verbum βιβλία, libri, aut παραγγέλματα, præcepta, vel potius abſolute ea, quæ vel ad hanc, vel illam partem pertinent. Sunt qui hunc indicem latine reddant, De optimo Reipub. ſtatu: perperam. Nam tametſi vltimus Ariſtoteli ſit ſcopus de optima Rep. explicare : tamen his libris non de ea tantum, ſed de omnibus Reip. generibus explicatur. Rectius igitur alii, de REPVBLICA, & hi optime. Alii de Ratione bene adminiſtrandæ Reip. Alii Græcum vocabulum retinent, Laertius adducit Ariſtotelis *lib. Politic.* ἀκροάσεως, qui iidem cum iſtis eſſe videntur: etſi Laertio non magnam ſæpe fidem habendam puto, vt qui & perperam multa adducat, & optimos ſæpe veterum libros prætermittat. Numerantur hodieq; octo duntaxat Polit. libri : ſed plures fuiſſe ab Ariſtotele conſcriptos, & hoc opus eſſe μείουρον, eiuſq; extremas partes deſiderari, cum teſtes ſint & vetus interpres, qui eas partes diligenter conquiſitas reperire ſe nō potuiſſe ait, & Petrus Victorius, qui *in lib. Rhetor. 1.* decem Politicorum

De inſcriptione horū lib. πολιτικῶν.

Πολιτικῆς ἀκροάσεως.

Laërtio quātæ fides habenda.

De numero horum lib.

rum libros adducit. & in notis ad hos libros ait horum librorum optimam & perfectiſſimam partem deſiderari; tum quia & Ariſtoteles ipſe, *infra lib.1. cap.vlt.* ait, ſe poſterius de virtute mulierũ, & *lib. 7. cap. 10. in fi.* de ſeruis explicaturum, quæ tamen neutra in hoc opere reperiuntur. Præterea, quod caput eſt & firmiſſimum argumentum, optimæ Reip. inſtitutionem ad adoleſcentes duntaxat perduxit, quam tamen per omnes ætates deducendam monuerat *libr. vlt. cap. vlt. Ethic.* vt ſua cuiq; officia & partes, ſuaq; ſtudia, attribuantur. Et hæc quidem de Inſcriptione ſeu Indice: ex quo perſpicuum eſt, qua de re hoc in opere agat, nimirum de Republica.

Μετάβασις. Nunc videamus de operis argumento, præſtantia & vtilitate, de interpretibus denique & explanatoribus, & noſtro *Argumēta ſingulorum librorum.* munere. Argumenti hæc ſit ſumma. I. quidem lib. explicatur de partibus ciuitatis. II. Aliorum & legum ſcriptorum & philoſophorum leges & Reſp. perpendit. III. Ciuitatis vim & naturam, definitionem, eiuſq; partes explicat: & ex his partibus ſeu ciuitatis generibus duas, Regnum & ſtatum optimatium. *Lib. 4.* quatuor reliqua Rerumpub. genera perſequitur. V. Rerump. omnium & ſalutis & interitus ſeu conuerſionum cauſas, diuinitus explicat. *Lib. 6.* rurſus de duobus Reipub. generibus, quia eâ tempeſtate maxime celebrarentur Democratia & Oligarchia, explicat, vbi & de partibus ſeu membris cuiuſque ciuitatis & de magiſtratu. *Lib. 7. & 8.* tandem ad optimum Reipublicæ ſtatum ſe conuertit, &, *vt ſupra dictum*, ad adoleſcentiam vſq; perducit.

1. Ex hoc argumento vel ſolo æſtimari poteſt, quæ & *Præſtantia & vtilitas horum lib.* quanta horum librorum ſit & præſtantia & vtilitas. Nam præter ea, quæ ei cum aliis Ariſtotelis libris ſunt communia, nempe ordinem, rationem firmam docendi & confirmandi, & elegans orationis genus, hæc præterea in hoc o-

2. pere ſunt ſingularia. prius quidem, quod non vnius generis, ſed omnium Rerumpub. inſtitutio & conſeruatio in hoc opere explicatur. quin etiam tota ſcientia Oeconomica bre-

3. uiter hic libro 1. exponitur: deinde quia in hoc opere ſuperſunt innumerabiles ſcientiæ, quas nuſquam præterea repe-

4. rias. Vtiliſſimum quoq; eſt hoc opus ad libros Platonis in-

5. telligendos, maxime de Repub. & de legibus. Eſt & hoc ſingulare, quod huius operis non tanta ſit difficultas, quanta reli-

reliquorum librorum Ariſtotelis: cum quia res tractat in cotidiano vſu & vita poſitas, tum quia orationis genus hîc non eſt tam contortum, ſed, vt ita dicam, diffuſius & liquidius.

De interpretibus horũ librorum.

De Interpretibus & explanatoribus, illos quidem reperio veterem Argyropylum Aretinum, Perionium, Stobęum, Sepuluedam, Lambinum, hos Thomã, Dionyſium de Burgo in lib. 1. Cęliũ Calcagninũ in lib. 1. Borrhęũ, Sturmium pręceptorẽ noſtrũ & Rectorẽ in lib. 1. Acciaiolũ, Sepuluedã, Perionii obſeruationes, & Iabellii quæſtiones. Ex quibus optima verſio mihi videtur eſſe Sepuluedæ, proxima Lambini: explanationes quoque & eiuſdem Sepuluedæ & Borrhæi, (Sturmium ſemper excipio) optimæ mihi videntur. nulla tamen explanatio extat in hos libros iuſta & perfecta. & certe etiam in ſcholis hi libri vix doceri ſolent. Vtriuſq; rei cauſa videtur eſſe: quia philoſophi & Magiſtri illa de ſchola in rebus Politicis non nimium ſapere videantur. Ego etſi ſcio melius fore vt quemadmodum Romanæ veſtales primâ ætate ſacra diſcere, mediâ facere, extremâ adoleſcentulas docere conſueuerunt, *teſte Plut. in libr. An ſeni Reſpub. gerenda ſit.* vt in Republica diu verſati munus quoque docendi politica ſuſciperent: tamẽ & Dei benignitate & ſuperioribus interpretum & explanatorum laboribus & veterum philoſophorum ſcriptis, maxime Platonis, Plutarchi & Ciceronis, & recentiorum quorundam Politicæ ſcriptorum, quos ſupra prætermiſi, Machiauelli, Mori, Patricii, Ganimberti, Omphalii, Fricii, Roberti Britanni & aliorum, qui de principe ſcripſerunt, Thomæ, Eraſmi, Sebaſtiani Fuchſii, Lorichii, &c. Iuris denique, hiſtoriarum, & antiquitatum cognitione, & qualicunque vſu, & experientiâ inſtructus & adiutus, hos libros & conuertam & emendabo, & quam potero accuratiſſime explanabo.

ARGVMENTVM LIB. I.

CIVITATEM, *vt totum quoddam ex partibus, explicaturus, primum, quæ ciuitatis ſint Partes, inueſtigat, quæque earum ſit & Origo & Finis. vbi & de ciuitatis origine & primi Imperii genere, poſt repertas iam partes ciuitatis, Domum, & Vicos, eas diligenter perſequitur,*

quitur, domum maxime, quod vicus ſit domorum velut Colonia & collectio: atque hac ratione, quia inquam ciuitatis pars prima & vltima ſit Domus: accurate de re domeſtica explicat; adeo quidem, vt liber hic Primus potius Oeconomicus ſit, quam Politicus, vt in quo ars Oeconomica breuiter quidem, ſed exquiſite tamen explicetur. Et primum igitur de Oeconomica ſeu de ratione rei domeſticæ: deinde de ratione rei quærendæ. De re domeſtica tres eius partes, rem Herilem, Vxoriam, & Patriam deinceps explicat. De re quidem Herili copioſe, de reliquis breuiter & multis demum interiectis: de re Herili hæc duo, an repugnet naturæ, an vero naturæ ſit conſentanea? Vbi pulcerrima eſt de Seruitutum origine & diſcrimine diſputatio: deinde an Herilis ratio eadem ſit, quæ politica? & hæc quidem de Herili poteſtate. Reliquæ ſunt Vxoria & Patria, de quibus priuſquam explicet, interijcit longam diſputationem de ratione rei quærendæ, quam Græci vocant χρηματιστικὴν. de qua hæc duo: An ratio rei quærendæ ſit eadem, quæ rei domeſticæ? deinde, ſi non ſit eadem, an ſaltem ſit pars rei domeſticæ, aut certe eius adminiſtra? Quæ duo vt intelligantur, explicat vniuerſam rationem rei quærendæ. Eam igitur facit bimembrem: partim theoreticam, partim practicam. In theoretica docet, quibus in rebus hæc ratio cernatur. qua ex re oſtendit eam eſſe tripartitam; Naturalem, Artificioſam, & his interiectam tertiam partem: quibus late explicatis, tandem duo illa quæſtionum capita diſſoluit: atque ita confectis quæ ad theoriam & cognitionem pertinent, id eſt, definitione & diuiſione, quod reliquum erat membrum practicum ſeu de vſu explicat breuiter. vbi & de Scriptoribus artis rei quærendæ & adiumentis quibuſdam aliis eius conſequendæ. Iam vero explicatâ hac rei parandæ ratione, redit ad rem Domeſticam,

cuius

cuius vnâ parte nempe Herili iam ſupra explicatâ, reliquas duas, Vxoriam & Patriam, breuiter exponit: vbi præter alia hoc maxime perſequitur, quæ virtus ſit harum domus partium, & maxime quæ Seruorum ſit virtus.

CAPVT I.

DVæ ſunt huius cap. partes: quarum priore tanquam proœmio de ciuitatis fine & ſcopo, de ciuilis facultatis differentia & affinitate cum aliis quibuſdam facultatibus & ſcientiis, & de Ariſtotelica politicæ explicandæ methodo. Altera capitis parte ciuitatis partes, Domum & Vicum exquirit, earumque & ſcopum & originem explicat. Vbi & tandem arrepta occaſione de primo Imperii ſeu Reip. genere.

TEXTVS.

Cum omnium ciuitatum communitatẽ quandam videamus eſſe, omnemque communitatem boni cuiuſdam cauſa conſtare (eius enim quod ſpeciem boni habet, gratia, omnes agunt omnia:) perſpicuum eſt cum omnes bonum quoddam appetere, tum eam, quæ & ſit ſumma, & alias omnes complectatur, id quod maxime & ſummum ſit bonum: hæc autem eſt ea, quæ dicitur ciuitas & ciuilis communitas.

COMMENTARII.

Πάντα πράττουσι πάντες,] Elegans apud Græcos dicendi genus, *πάντες πάντα πράττειν*, de quo dictum in Ethicis. *Ἐπειδὴ πᾶσαν πόλιν.*] Exordium hoc Ariſtotelis valde eſt præciſum, quodq; ad ea quæ ſequuntur, nil prorſus pertinere videatur: non alienum tamen ab inſtituto eius. Solet namque Ariſtoteles ſcriptiones & libros ſuos ſæpe ab vniuerſa quadam & communi ſententia exordiri. qua de re dixi *lib 1. Eth.* *Politiarum*
Hoc igitur exordio docet, ciuitatum finem & ſcopum eſſe *finis præſtã-*
præſtantiſſimum his formulis: Omnis, inquit, ſocietas ſeu *tiſſ.*
communitas boni cauſa coitur & conciliatur. At ciuitas eſt ſocietas. Ergo & ipſa boni cauſa conciliatur. Propoſitionis

ratio eſt in his verbis: τοῦ γὰρ εἶναι δοκοῦντος ἀγαθοῦ, &c. quaſi dicat, omnia bonũ expetunt & ad id feruntur: ergo & ſocietas. Nam, vt *initio Ethicorum* diximus, id eſt bonum quod ab omnibus expetatur, ea eſt vis & natura boni ſiue veri ſiue ſpecie tenus, & τοῦ φαινομένου, *teſte Ariſtot. lib. 3, de anima.* Et hoc eſt, quod ait τοῦ γὰρ εἶναι δοκοῦντος. Nimirum quod cuique bonum videtur, id expetit: vir quidem bonus verum, vir improbus falſum & φαινόμενον, *inquit Ariſtoteles lib. 3. Eth. cap.* 5. Societates igitur & ipſæ boni cauſa ineuntur ſiue veri, vt Eccleſia, ciuitas, collegia honeſta Philoſophorum, Muſicorum, Mercatorum, [*alii honeſtatis, * alii vtilitatis, * alii voluptatis * falſæ & honeſtæ;] ſiue falſi, vt improborum, piratarum, latronum: quin etiam hominum ſocietas, ſeu ciuitas, nullo licet fine propoſito, natura ſola duce conciliari videtur: qua de re infra *lib.* 2. Altera formula hæc eſt: Si omnis ſocietas eſt bonitatis cauſa; ergo optima ſocietas eſt optimi cauſa, id eſt, ea quæ eſt præſtantiſſima ſocietas, quæque cæteras omnes tanquam Princeps & Domina contineat, finem ſibi habebit propoſitum præſtantiſſimum, i. beatitudinem. Antecedens notum eſt ex priori formula. Connexi ratio eſt in Top. Ariſtotelis *lib. 3.* de comparatis, vt præſtantiori rei finis tribuatur præſtantior. Itaque concludamus; Ciuitati ſeu humanæ ſocietati, tanquam finem propoſitum eſſe propriũ, vitam beatam, quod *lib. 1. Eth & lib. 7* infra copioſe explicatur. Ex hac concluſione continuo conſequitur, latronum & Tyrannorum ſocietates quantopere diſtent à veris humani generis ſocietatibus: dum, quanta ſit humanæ ſocietatis præſtantia, perſpicitur. Res enim ex finibus cognoſcuntur. Quare & hoc conſequitur, quam grauiter peccent, qui tam præclaram ſocietatem vel euertant, vel labefactent. At dicet aliquis, ciuitatem & politicam ſocietatem non eſſe præſtantiſſimam, quod Eccleſia ciuitati longe antecellat. Sed hac de re dixi *lib. 1 Ethic.* nimirum in humanis ſocietatibus (de quibus & in Ethicis, & in Politicis explicatur) ciuilem eſſe præſtantiſſimam, quæque reliquas omnes in ſe complectatur, iiſque omnibus imperet & ſit architectonica.

** Alia.*
** Vera.*

Vita beata ſummus politicæ finis.
1. Corollarium.
2. Corollarium.
3. Corollarium.
Obiectio.
Solutio remiſſiua.

TEXTVS.

Iam qui exiſtimant, ciuitatis ſeu Reipub. Regni, domus, & ſeruorum regendorum peritum eſſe

eſſe eundem, nō recte dicunt. Multitudine namq; & paucitate putant differre, non ſpecie, hæc inter ſe. vt ſi paucis imperet, dominum: ſin pluribus, patremfamiliâs: ſin etiam pluribus, eſſe Politicum ſeu Regem. quaſi nihil differat magna domus & parua ciuitas: Et de Politico quidem atq; Rege: eſſe quidem Regem, ſi ipſe præſit: politicum vero, ſi partim præſit ſeu imperet, partim pareat pro rationibus huiuſmodi ſcientiæ. Sed hæc vera non ſunt. Quod quidem iam dictum perſpicuum erit contemplantibus via & ratione priore.

COMMENTARII.

Κατὰ τὴν ὑφηγημένην μέθοδον.] Hac phraſi ſæpe vtitur Ariſtoteles, de qua dictum *lib. 2. Eth.* Valet non ſequente modo & ratione, ſed antecedente, id eſt, priore & vſitata methodo, &c. *ὅσοι μὲν οὖν οἴονται.*] Exponit hic breuiter Platonis ſententiam, qui exiſtimarit Regni, Reip. familiæ ſeu domus & ſeruorum regendorum eandem eſſe ſcientiam: nam ſcientias illas non genere aut ſpecie, ſed numero differre, id eſt, multitudine & paucitate, vt ait Ariſtoteles: nimirum, quia magna domus à parua ciuitate non differat: itaque eundem eſſe, qui ciuitatem, & qui Regnum adminiſtret: eundem eſſe, qui ſeruis tantum, & qui toti domui ſeu familiæ imperet. atque hunc rectorem eſſe & dici Regem, ſi ſemper imperet, nunquam pareat: ciuilem vero ſeu Politicum, ſi viciſſim imperet & pareat: eundem eſſe patremfamiliâs, ſi multis; dominum vero, ſi paucis domi imperet, quemadmodum idem dici poteſt, qui paruam & magnam nauim gubernat. Hac ratione fretus Plato exiſtimauit, hos rectores non differre ſpecie, ſed numero duntaxat: eaq; re vnam hanc eandemq; eius rectoris artem & ſcientiam ſeptem nominibus appellare ſolet; Politicam, Regiam, Tyrannicam, Oeconomicam, herilem prudentiam & iuſtitiam, in Eraſtis in fine, & in Politico, Verum Ariſtoteles hanc eius ſententiam falſam hic eſſe ait, *& infra cap. 4.* erudite refellit.

TEX-

TEXTVS.

Quemadmodum .n. in aliis rem compoſitã ad ſimplices vſq; partes diuidere oportet (eæ namq; totius ſunt minimæ) ita & ciuitatem, ex quibus componatur, videntes conſiderabimus, atque adeo de his magis quid inter ſe differant, & ſi qua ratione & via ſingula, de quibus dictum eſt, tractari poſſint. Itaque ſi ab initio res orientes quis conſideret: vt in aliis, ita & in his optime is conſiderarit.

COMMENTARII.

Methodus politicæ explicandæ.

Ὥσπερ γὰρ ἐν τοῖς ἄλλοις.] Hic de methodo ſeu via & ratione explicandæ Politicæ. Methodum igitur & viam eius docendæ docet eſſe conſtructionem, & à minimis partibus ad totum conſtituendum progreſſionem. Quod methodi genus σύνθεσις ſeu conſtructio dici ſolet: quo quidem genere Ariſtoteles plærunque vtitur, vt in phyſicis ex primis partibus & cauſis, forma & materia, corpus naturale efficit, exemplo cæterorum opificum, qui ex minimis & indiuiſis partibus, alias deinceps partes componunt, & ex his tandem totum exædificant. Ciuitatis igitur, quæ & ipſa totũ quoddam eſt, explicandæ & cognoſcendæ ratio hæc erit optima, ſcilicet vt à minimis eius partibus & indiuiſis initium capiatur. Has ciuitatis partes docet eſſe maritum & vxorem, Dominum & ſeruum; vltimas & primas humani generis ſocietates, eas minimas & indiuiſas, ſimplices & incompoſitas. Poteſt quidem maritus, vt homo, amplius diuidi, vt maritus non item, ſeu ratione coniunctionis vxoriæ. Τεχνικόν.] Obſeruetur elegans phraſis τεχνικόν τι λαβεῖν, quod valet, via & ratione ſeu arte, vt interdum loquitur Cicero: Arte aliquid explicare.

TEXTVS.

Neceſſe igitur primum coniungi eos, quorum alter ſine altero eſſe nequeat, vt fœminam quidem & marem procreandi cauſa, idq; non conſilio ſeu voluntate, ſed vt in aliis animantibus & ſtirpi-

ſtirpibus naturale eſt; cupere ſui ſimile alterum relinquere; quod imperat vero & quod paret natura ſalutis cauſa. Nam quod mente prouidere poteſt, natura imperat & dominatur natura; quod poteſt autem corpore hæc facere, paret & natura eſt ſeruum. Quare Domino & ſeruo idem conducit.

COMMENTARII.

Ἀνάγκη.] Hic demum accedit ad explicandam politicam: cuius partes hic primum inueſtigat. Ait igitur, primas coniunctiones & ſocietates eſſe has duas, vxoriam & herilem, hac ratione: quia harum ſocietatum principes, illius quidẽ maritus & vxor, huius Dominus & ſeruus, alter abſq; altero eſſe nequeat. Nam de vxoria quidem, non poſſe conſiſtere humanum genus abſq; hac ſocietate perſpicuum eſt, vt quæ ſit fundamentum & principium generis humani. De herili; & abſque hac quoque ſocietatem humanam nullam eſſe poſſe, perſpicuum eſt ex eo: quod nati ſint alendi & conſeruandi: quam ad rem herilis ſocietas conducit. Nam vt vxoria eſt procreandi cauſa: ita hæc tuendi. Formula ſit iſta: Qui, alter ſine altero, eſſe nequeunt, eorũ primæ ſunt coniunctiones, primæ ſocietates. At mas abque fœmina, Dominus abſque ſeruo & contra eſſe nequeunt. Ergo horum primæ ſunt coniunctiones, primæ ſocietates. Propoſitionis ratio: Quia quæ neceſſaria, ea fere ſolent eſſe prima: quæ ad ornatum ſeu *ἐκ περιουσίας*, poſtea accedunt. Sic cibus & veſtis ſtatim ſunt quæſita, delitiæ & ornamenta poſterius. Sic Magiſtratus ciuitatum neceſſarii prius, ad ornatum vero pertinentes poſterius creantur, inquit Ariſtot. *infra lib. 6. ca. vlt.* Aſſumptionis bimembris ratio iam dicta eſt: de mare quidem & fœmina procreatio: de Domino & ſeruo tuitio & vſus. Hæc igitur eſt ratio cur hæ duæ coniunctiones ſint primæ. De mare & fœmina, cur horum ſocietas ſit prior, quam Ciuium, altera quoque redditur ratio ab Ariſtotele *lib. 8. Ethic.* quia homo ad rem vxoriam natura ſit procliuior & citius decurrat, quam ad ciuitatem, eſt *συνδυαστικὸν μᾶλλον ἢ πολιτικόν*. Hoc igitur primum, duas has ſocietates eſſe primas.

Vxoriã & Herilem ſocietatẽ primas eſſe.

Quod & Cicero *lib.1. Offic.* vbi de ſocietatum gradibus viri & vxoris primam ſocietatem, proximam ait eſſe liberorum. Alterum, eaſdem natura coiri & conſtare. de maris quidem & fœminæ docet duabus rationibus. Altera exemplo cæterarum animantium atq; adeo ſtirpium. Nam vt eleganter *Cic. lib.1. Offic. & 4. de fin.* commune omnium animantium eſt procreationis appetitus. Stirpes quoque & arbores etſi vere in his mas & fœmina nõ reperitur, niſi ſimilitudine quadam: ineſt tamen deſiderium procreationis & propagationis. Itaque ſi hæc ſocietas etiam à beluis expetitur; ergo eſt naturalis; ergo non conſilio aut pacto, ſed natura coaleſcit & conſtat. Altera ratio ſubindicatur his verbis, οἷον αὐτὸ, τοιοῦτον, &c. quia procreatio vtilis eſt ad ſui conſeruationem & quaſi immortalitatem. Quid ita? Nam qui filium, ſui tanquam imaginem & alterum ipſum, relinquit; ipſe quaſi ſupereſſe ſemper videtur. Quare ſi procreatio ſeruit ad ſe quaſi conſeruandum immortalem, merito dicenda eſt natura expeti, vt quæ natura ſui maxime ſit conſeruatrix. Domini vero & ſerui coniunctio cur ſit natura, hæc eſt ratio; quia & hæc ad ipſorum ſalutem & conſeruationem pertinet, dum alter alteri opitulatur iis adiumẽtis quibus à natura eſt præditus; Dominus ingenio & ſolertia, ſeruus viribus corporis. Nam Dominum natura imperare, quia ingenio & conſilio præſtet; ſeruum parere, quia corpore tantum, & hic commemoratur & infra explicabitur late *cap 3. & 4* Tertium eſt de fine & ſcopo harum coniunctionũ: & maris quidem & fœminæ eſſe procreationem. Sunt & alii fines matrimonii, ſed hic maxime eſt naturalis, vt beluis cõmunis, maxime neceſſarius & primus. Domini vero & ſerui finem eſſe ait ſalutem. Nam Dominus mente quidem & ingenio excellẽs, ſed corpore infirmior eget adminiſtro, vt contra ſeruus ingenio tardus & imprudens, quia per ſe ſibi conſulere nequeat, Domino velut conſiliario opus habet. atq; ita mutuo adiumento hi duo ſe ſuamq; vitam tuentur & eodem ſpectant, nimirum ad conſeruationem & ſalutem. Et hoc eſt, quod ait, Domino & ſeruo idem expedire quod & infra iteratur, *lib. 3. cap. 4.* id eſt: vtrumque ſua naturæ dona ad ſalutem vtriuſque conferre.

Has duas ſocietates à natura eſſe.

1. Ratio.

2. Ratio.

Finis & ſcopus matrimonii.

Poteſtatis Herilis.

TEX-

TEXTVS.

Atque natura diſtincta ſunt fœmina & ſeruus. Nil enim natura efficit tale, quale fabri ferrarii Delphicum gladium ex inopia, ſed vnũ ad vnum. Sic enim optime perficiantur ſingula organa; nõ pluribus operib. ſed vni deſeruientia. In barbaris autem fœmina & ſeruus eodem eſt loco: cauſa, quia quod natura imperet, non habeant, ſed ſit eorum ſocietas ancillæ & ſerui. Quare aiunt poetæ barbaris Græcos imperare par eſſe, tanquam idem ſit natura barbarum & ſeruum.

COMMENTARII.

Vxoriã & Herilem poteſtatem diuerſas eſſe.

Φύσει μὲν οὖν.] Comparat hoc loco duas priores ſocietates inter ſe, eáſque natura diſtinctas eſſe docet, ſiue, vt ipſe loquitur, fœminam à ſeruo natura eſſe diſtinctã; eaque propter barbaros naturæ aduerſari, apud quos eodem in loco & ordine cenſeantur fœmina & ſeruus. Docet igitur hos natura diſtinctos hac ratione; quia natura vnum cuique opus & munus tribuit, vnaquaque re ad vnum duntaxat vſum non ad multos vtitur.

Ratio.

Formula: Si natura rebus ad vnum duntaxat vſum vtitur, ad plures abutitur. Ergo & fœminæ vnus erit vſus, non duo; alter muliebris, alter ſeruilis. Dictum autem ſupra fœminæ munus eſſe procreationem: ſerui, miniſterium. Antecedens explicatur hic diſſimili quodam à fabris ferrariis ſumpto. Nam hos propter ferri inopiam efficere quædam ferramenta ſeu organa multis vſibus accommodata: cuius generis erat gladius delphicus, de quo *Eraſmus in prouerbiis*: & obeliſcolychnium, de quo infr. *lib. 4 & lib. 4. c. 6 de part. animant.* Sic hodie eius generis multa confici ſolent, vt vnum idemq; organum ſit, & cultellus & ſtylus. Alia eſt naturæ ratio, quæ, vt hoc loco *& eo libr. 4. de part. animant.* ſingulis organis vnos tantũ vſus & officia attribuit: propterea quod quæ ad vnum tantum vſum deſtinentur, melius munere ſuo funguntur, quam quæ ad multos. At naturæ proprium eſt, omnia quam perfectiſſime agere. Ratio connexi per ſe eſt perſpicua. Natura igitur fœ-

Gladius delphicus.

mina à ſeruo diſtinguitur: nam aliud eſt fœminæ munus, aliud ſerui.

Barbarorũ reprehenſio. Ἐν δὲ τοῖς βαρβάροις.] Nunc barbaros reprehendit, qui naturæ repugnantes fœminam & ſeruum eodem loco habeant, vxoribus ancillarum loco vtantur ad ſeruilia miniſteria: adeo vt eorum ſocietas vxoria ſeu matrimonium non tam ſit matrimonium quam contubernium, vt loquuntur Iuriſconſulti, id eſt, ſerui & ancillæ coniunctio: nam barbaros etiam omnes natura eſſe ſeruos videri: atq; ita non tantum vxor ancillæ loco habita, ſed maritus quoq; natura ſit ſeruus, vtpote barbarus: nam barbarum & ſeruum idem valere: cuius rei rationes infra afferet *cap.3.* hic tantũ confirmat authoritate Eurip. ex Iphigen. in Aulid. extrema, vbi Iphigenia pro curſu nauium felice breui mactanda, matri Clytemneſtræ, βαρβάρων δ' ἕλληνας, &c. Barbaris imperare Graios par, inquit, mater, non Barbaros Graiis: illi namque ſerui, hi liberi. Quo pertinet Ariſtotelis conſilium, quod Alexandro eum dediſſe ſcribit Plutar. in libello de Alexandri fortuna priore, vt Græcis tanquam princeps, Barbaris tanquam Dominus imperaret. Obſeruandus igitur hic locus vt aureus de vxorum numero & officio, & de mariti in vxorem imperio. de quo tamen imperio infra potius *cap.vlt.* & iam dictum copioſe *ſupr.lib.8.Ethic.cap.10.*

TEXTVS.

Ex his igitur duabus ſocietatibus domus primo: & recte Heſiodus ait:

Sit domus inprimis, vxorque, & taurus arator.

Bos namque tenuibus ſerui eſt loco. Societas igitur illa quidem quæ omnium dierum eſt natura conſtituta, eſt domus. quos Charondas quidem vocat homoſipyos ſeu pœnus ſocios; Epimenides vero Cres, homocapnos ſeu fumi ſocios.

COMMENTARII.

Ἐκ μὲν οὖν τούτων.] Quæ adhuc de partibus prioribus & ſocietatibus vxoria & herili: ea nunc propius ad rem accommodat. Adhuc de duabus ſimplicibus primis ſocietatibus eſt explicatum: nunc de tribus iunctis, quarum prima eſt domus,

1. Societas iuncta, domus.

mus, altera vicinitas, tertia ciuitas. primam igitur iunctam ſocietatem ex duabus prioribus conflatam eſſe domum cõfirmat authoritate Heſiodi, *qui libr. 2.* ἔργων, &c. οἶκον μὲν πρώτιστα, primum parandam eſſe domum, monet, quæ domus habeat & mulierem & bouem loco ſerui. Heſiodus quidem eo loco monet, parandam eſſe domum, mulierem & bouem, non tantum matrimonio iunctam mulierem, ſed precio coemptam, quæ bouis curam gerat, & * etiam agat. Nam poſt hunc verſum ſequitur continuo: κτητὴν οὐ γαμετήν, ἥτις καὶ βουσὶν ἕποιτο. quare verbum γυναῖκα non de vxore, vt fecit Ariſtoteles, ſed de ancilla accipi debet. Proclus certe interpres Heſiodi affert ex Timæo, Ariſtotelem huius Heſiodi verſus autoritate adductum non ex iuſta vxore, ſed ex pellice ſeu concubina Eriſipyle filium Telemachum procreaſſe: quaſi Ariſtoteles hunc verſum acceperit neque de ancilla, neq; de vxore, ſed media quadam muliere, id eſt, pellice, quę & vxoris & ancillæ munus gerat. Verum ſimplicior Heſiod. verſus explanatio eſt ea quam attuli, parandam primum domum habitandi cauſa (& hoc domus verbum Ariſtotel. non recte accepit pro familia, cum intelligendum ſit ædificium) mulierem & bouem. *** eum.*

Ἡ μὲν οὖν εἰς πᾶσαν.] Definitio eſt familiæ ſeu domus. Nã domus eſt in omnes vitę dies natura conſtituta ſocietas. Cur in omnes vitæ dies adiungat, hæc eſt ratio; quod & vicinitas & ciuitas ſocietates ſint natura conſtitutæ, non tamen ad vſum vitæ cotidianum, vt domus. Nam à vicino aut ciue non cotidie & ſingulis horis, ſed cum opus eſt, demum petimus aliquid. Hac igtur clauſula domus à vicinitate differt: differt & ab aliis rebus; nam domus eſt pars vicinitatis & ciuitatis. *Definitio domus.*

Οὓς χαρώνδας.] Videtur confirmare clauſulam priorem autoritate Charondæ legum ſcriptoris, de quo *lib. 2.* & Epimenidis quo Solon Athenienſis in legibus ſcribendis adminiſtro vſus dicitur. Nam Charondas iuncto vocabulo ὁμοσιπύους, quaſi eadem arca panaria, quam Græci σιπύην vocant, *teſte Polluce*, vtentes, vocat domeſticos, quaſi conuictores; & Epimenides ὁμοκάπνους, quaſi eodem foco & igne vtentes. Sic enim hic ſcribendum, teſtibus libris veteribus: nam quidã libri formis excuſi habent ὁμοκάπους. quod ipſum quoq; bonum videtur. quaſi ὁμοκήπους Dorice, i. eiuſdẽ hor- *Ὁμοσίπυοι* *Ὁμόκαπνοι* *Ὁμόκαποι.*

 ti &

ti & ſepti participes. Breuiter vterque ille his verbis domeſticos ſemper vna viuere ſignificauit, quod ad priorem illam clauſulam pertinet.

2. Societas iuncta, vicinitas.

Ἡ δ᾽ ἐκ πλειόνων.] Adhuc de domo: nunc de vicinitate: cuius definitionem affert primum hanc, eſſe eam primam ex domibus conflatam ſocietatem, non cotidiani vſus cauſa: de poſteriore definitionis clauſula ſupra dictum. Priore diſtinguitur à ciuitate, quæ & ipſa ex domibus conſtat, non tamen prima.

T E X T V S.

Quæ autem ex pluribus domibus ſocietas prima, vſus non cotidiani cauſa, vicinitas. Maxime autem natura videtur vicinitas, colonia domus eſſe. quos vocant quidam collactaneos, liberoſq; & liberorum liberos.

C O M M E N T A R I I.

Vicinitas natura eſt.

Μάλιστα δὲ κατὰ φύσιν.] Alterum de vicinitate: eam eſſe natura docet hac ratione: quia domus ſit velut colonia & ex domibus velut procreata. Formula: Si domus eſt natura, ergo & vicinitas. Ratio connexi: quia domus colonia & conflatio eſt vicinitas: totum namque ſequitur naturam partium, iunctum ſimplicium: qua eadem ratione paulo infra docet, ciuitatem talem eſſe natura, quia ſit & ipſa ex domib. conflata ſocietas ſeu domuũ colonia. quam elegantem tralationem & Cic. ex hoc loco imitatus videtur *lib. 1. Offi.* nam cũ ſit hoc natura commune omniũ animantium, vt habeant libidinẽ procreandi: prima ſocietas in ipſo coniugio eſt, proxima in liberis, deinde vna domus, cũmunia omnia. Id a. eſt principium vrbis & quaſi ſeminarium Reip. ſequuntur coniunctiones; poſt conſobrinorum ſobrinorumque: qui cum vna domo capi iam non poſſunt, in alias domos tanquam colonias exeunt. Sequuntur connubia & affinitates, ex quibus etiam plures propinqui: quæ propagatio & ſoboles eſt origo Rerump. Euripides tamen primus hac tralatione vſus videtur in Oreſte, vbi filias quæ nuptum collocantur dicit ἀποικίζεσθ, quaſi ex paterna domo matrimonio ſeparentur, & in alteram tranſeant, tanquam in coloniam.

Οὓς

Οὓς καὶ λοδοί τινες.] Videtur & hoc pertinere ad docendam vicinitatis cum domo cognationem, & ex domo velut coloniam. Nam homines eiuſdem vicinitatis partim vocari collactaneos, partim liberos & liberorum liberos. Prius vocabulum cuius ſit, nondũ reperi: poſterius eſt *Hom. Odyſ.* ψ. vbi de Æneæ poſteritate, de qua *Virg.* imitatus Hom. *lib.* 2.

Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis.

Cicero reddidit conſobrinorum ſobrinorumque & fratrum coniunctiones.

TEXTVS.

Quare & primum in Regum imperio erant ciuitates, & nunc etiam gentes: Ex iis namque qui in Regum imperio eſſent, conueniebant. Omnis enim domus Regio imperio adminiſtratur ab eo qui ætate antecellit: quare & coloniæ propter cognationem. Et hoc eſt quod ait Hom. Natis dat & coniugibus leges quiſque. Sic enim & olim diſperſi habitabant. Atque Deos propterea omnes aiunt in Regio imperio eſſe, quia ſint & ipſi partim etiam nunc, partim vero olim. vt autem ſpecies ſibi accommodant homines: ita & vitas Deorum.

COMMENTARII.

Διὸ καὶ] Occurrit ſæpe hæc *ἀντίθεσις* ciuitatum & gentiũ. Sic & Iuriſconſulti Ius ciuile & gentium diſtinguunt. Vna erat Græcorum gens, innumerabiles ciuitates. Ait igitur ciuitates olim ſub Regio Imperio fuiſſe, quæ Ariſtotelis ætate fere erant ſub imperio vel populi vel paucorum: Gentes. a. ſua quoq; ętate multas etiam tunc ſub Regio imperio fuiſſe, vt Scythas, Perſas, &c. Primũ igitur Imperii genus Regnum fuiſſe docet duabus potiſſimum rationibus & argumentis. Prius eſt: quia imperia ſeu ciuiles ſocietates ex domeſticis ſint ortæ: iam domeſticę Regio velut imperio tenentur. Paterfamilias namque velut Rex eſt familiæ; & ſæpe ſolet domeſticum imperium regno comparari, ſupra *lib.* 8. *cap.* 10. Probabile eſt igitur, homines qui in familia vni paruiſſent, *Primũ genus imperij Regnum.* *1. Ratio.*

etiam in maiore ſocietate ciuili facile vnius imperio ſe ſubieciſſe. Formula: Si domeſticum imperium eſt vnius; ergo & ciuile primum, vtpote domeſtici colonia & cognatum, fuit vnius, id eſt, Regnum.

Καὶ τοῦτ' ἐστὶν, ὃ λέγει.] *Homeri ex Odyſ η.* de Cyclopibus; quos ait nulla inter ſe communitate aut ciuitate vti, ſed ſuis quemque liberis & vxoribus imperare, diſperſos, inquam, & ſine ciuitate. Eius igitur hic verſiculus eo pertinere videtur, vt doceat Ariſtoteles, domeſticum imperium eſſe velut Regium.

Epicurus id fortuito factum dixit teſte Lucre. lib. 5.

2. Ratio.

Σποραδικοὶ γάρ.] Cyclopum more veteres mortales habitaſſe ait, quos politicus, *teſte Scæuola Iuriſconſulto, & Cic. pro Sextio*, Orator, vt vult *Cic.* Poëta, vt vult *Horat. in arte Poët.* in ciuilem ſocietatem ſeu ciuitatem adduxerit.

Καὶ τοὺς θεούς.] Alterum videtur argumentum à Deorum vita ſumptum, id eſt, à ſimili, vt prius à partibus ad totum. Dii igitur quia ſub imperio ſunt Regum; ergo & homines partim etiam nunc, partim antiquitus fuerunt. Ratio connexi hæc eſt; quia vt ſpecie & figura: ita & vita ſeu vitæ genere ſimiles ſe Diis eſſe putant homines. Quod de figura, putant homines ſibi cum Diis eſſe eandem, & *Cic.* commemorat, *lib. 1. de Nat. Deorum:* quid igitur mirum, ſi hoc eodem modo homini præſcripſit natura, vt nil pulcrius quam hominem putaret, eamque eſſe cauſam, cur Deos hominum ſimiles putaremus. De vita & actione: hac quoq; in re Deos hominibus ſimiles putari dictum eſt & ſupra *lib. 10. Ethic. ca. pen.* Hac igitur ratione, quia inquam ſub Regio Imperio homines ſe antiquitus fuiſſe cenſeant, etiam Diis id imperii genus tribuunt. Et contra quia Deorum antiquiſſima eſt & vita & imperium Regium: merito & hoc colligitur, antiquiſſimum hominum imperium fuiſſe Regium.

CAPVT II.

HIc de ciuitate, eam ex prioribus partibus conſtitui, eam, vt & hominem eſſe natura politicum: ciuitatem non pacto aut inſtituto, ſed natura coaleſcere: Eſſe eam ſingulis hominibus & domo priorem: eius conſtitutionem eſſe rem præclariſſimam: Iuſtitiam denique eſſe virtutem politicam.

TEX-

TEXTVS.

Quæ autem ex pluribus vicinitatibus communitas aut ſocietas perfecta, ciuitas: quæ iam ſummum omnis fere eius quod ſatis habeat: quæ fiat quidem viuendi cauſa; ſit autem bene viuendi. *3. Societas iuncta, ciuitas.*

COMMENTARII.

Ἡ δ' ἐκ πλειόνων.] Poſtquam expoſuit ciuitatis partes: hic tandem de ipſa ciuitate. Primum velut eam definiens, eſſe ait perfectam multarum vicinitatum communitatẽ, in qua omne id quod ſatis, perfectiſſime inſit, quæ oriatur quidem & conſtituatur viuendi cauſa, conſtituta permaneat bene viuendi cauſa. Quarum trium partium prima ſignificantur partes, ex quibus conſtet ciuitas, nimirum vicinitates. Merito autem eam vocat perfectam ſocietatem, quod priorum omnium ſocietatum ſit finis, vt mox dicetur. Altera definitionis pars, *de eo quod ſatis* (Græci αὐτάρκειαν vocant) explicabitur infra *lib. 7.* vbi docet Ariſtoteles ad ciuitatum conſtitutionem mediocrem rerum omnium ad vitam neceſſariarum copiam ſuppeditare debere. Neque enim multarum vicinitatum coniunctio continuo eſt ciuitas. Nam id quod ſatis inprimis eſt neceſſarium. Tertia particula hoc vult, ciuitatum quidem primum ortum eſſe ex indigentia: nam ad vſus vitæ neceſſarios, vt habeat, quod ab altero quis petat, conueniunt in ciuitatem homines: qua de re *in Prolegomenis & lib. 5. Eth. & Plato lib. 2. Polit. ibi:* Γίγνεται τοίνυν πόλις, ὡς ἐγ' ᾧμαι, ἐπειδὴ τυγχάνει ἡμῶν ἕκαστος οὐκ αὐτάρκης, ἀλλὰ πολλῶν ἐνδεής, &c. Ortus igitur primus eſt indigentia. Sed ſcopus & finis ciuitatis non eſt, vt viuatur duntaxat, ſed etiam vt bene & liberaliter, ſeu vt bene beateque viuatur: finis, inquam, omnium ciuitatum eſt beatitudo, *infra lib. 7. & ſupra lib. 1. Ethic.* ὡς ἔπος μὲν εἰπεῖν.] phraſis eſt veteribus, Polybio, Plutarcho, maxime Platoni, vſitata tanquam prouerbialis, de qua, quemadmodum latine dicatur, & quid valeat, non prorſus conſtat. Græci Scholiaſtæ & Grammatici idem valere aiunt quod Latine dicimus, *vt vno verbo dicam.* Hoc obſeruauimus, veteres hac phraſi vti de vniuerſo genere ſiue quid aientes ſiue negãtes: vt omnes homines, ὡς ἔπος εἰπεῖν, vel contra nulli homines ad ciuilẽ ſocietatem ſunt propenſi.

Ciuitatis definitio.

αὐτάρκεια.

Ὡς ἔπος εἰπεῖν.

[library stamp]

*Humanũ. Nihil, ὡς ἔπος εἰπεῖν, * manu factum eſt æternum. Seruit igitur hæc phraſis vniuerſis vel affirmationibus vel negationibus, cui latine reſpondere videtur fere vel propemodum; nimirum cum vniuerſe quid affirmamus vel negamus, non tamen plane certe & definite, ſed populariter. Eaque re & apud Platonem interdum hæc phraſis, ſeu τὸ ὡς ἔπος εἰπεῖν, tanquam contrarium, opponitur τῷ ἀκριβεῖ. Alii vero reddunt, *vt ita dicam:* melius, *vt ſummatim dicam, vt vno verbo dicam, vno verbo.*

Γινομένη ὄν.] Obſeruanda eſt hic & vſitata ἀντίθεσις verborum γίνεσθαι & εἶναι: facile, inquit *Plato*, eſt eſſe virum bonum, fieri difficilimum. Sic & ciuitas fit ad neceſſitatem vitæ, eſt beatæ vitæ cauſa.

TEXTVS.

Itaq; ciuitas omnis natura eſt: ſiquidem & primæ ſocietates. Finis namque hæc illarum, natura autem eſt finis. Quale enim quidque eſt ortu perfecto, talem dicimus naturam eſſe cuiuſque, vt hominis, equi, domus. Præterea id, cuius cauſa & finis, optimum. Id quod ſatis autem, finis & optimum.

COMMENTARII.

De origine ciuitatis. Διὸ πᾶσα πόλις.] Nunc de ciuitatis cauſa & origine. Monuit paulo ante, & explicauimus *ſupra lib 5 Ethic.* ciuitatis cauſam eſſe indigentiam: homines namq; in ciuitatem conueniſſe, vt ad vſus vitæ neceſſarios quod per ſe quiſque habere non poſſet, à ſocio & ciui peteret & ſumeret. Verum hic ciuitatum ortus, quod Cicero de amicitia dixit in Lælio, minime generoſus videtur. Quare vt ibi Cicero de amicitia, ita & hic Ariſtoteles de ciuitate, eius ortum eſſe à natura, hoc eſt, non tam explendæ indigentię aut inopię cauſa (quam tñ adiuuantem dicere poſſumus) quam natura duce ſeu diuina prouidentia homines in ciuitates conueniſſe. Quæ Ariſtotelis diſputatio bifariam ſecari poteſt: nam prius de tota Ciuitate, poſtea de ſingulis ciuitatis partibus, id eſt, homine: illam quidem natura conſtare: hunc animal quoq; eſſe natura ciuile. De ciuitate, cur in rebus, quarum ortus eſt natura, ſit nume-

numeranda, docet duabus rationibus, quarum prior *ſupra cap. 1. in fine* allata, & hic tantum ſubindicatur his verbis; εἴπερ καὶ αἱ πρῶται, iſta: quia ſocietates primæ ex quibus tanquam partibus ciuitas conſtat, ſint natura: Ciuitas eſt velut colonia familiarum & vicinitatum. propter hanc igitur affinitatem & cognationem merito omniũ ſocietatum eadem cenſeri debet origo. Altera ratio nõ vt prior etiam cęterarum ſocietatum communis, ſed propria ciuitatis, hæc eſt; τέλος γὰρ αὕτη ἐκείνων. Quia ciuitas ſeu ciuilis ſocietas primarum ſocietatum, domus & vicinitatis, eſt finis atque perfectio. Formula: Si ciuitas eſt finis: igitur eſt natura. Connexi ratio explicatur ab Ariſtotele his verbis: ἡ δὲ φύσις τέλος ἐστί. ratio, inquam, phyſica plane: quæ vt intelligatur: ſciendum eſt, in rebus phyſicis finem ſeu perfectionem, τέλος, formam & naturam prorſus idem valere. Nam res oriẽtes cum creſcere deſierint, ortus inquam deſierit, merito perfectæ ſunt & habentur, ante non item. perfecto igitur ortu & deſinente, res demum ſunt perfectæ, & ſuam formam adeptæ, atque adeo natura quoq; earum tum demum perfecta videtur: vt homo quamdiu creſcit, puer (verbi gratia) quia ortus nondum eſt perfectus, nondum deſiit: propterea puer non perfectus, ſed inchoatus homo dici ſolet: vir demum factus quia creſcere deſiit, iam perfectus eſt homo. & hæc perfectio vera eſt hominis natura & forma. Eadem eſt & aliarum rerum phyſicarum, animantium, herbarum, & manufactarum rerum, vt domus, nauis, &c. ratio, nimirum eas, dum * etiam conficiuntur, necdum ſunt perfectæ, nondum naturam ſuam aut formam habere. Nam, vt eleganter *Ariſtoteles in libello de ingreſſu animantium*, vt quidque optime ſe habet, ita maxime ſe habet ſecundum naturam. Natura igitur eſt proprie rerum perfectarum optimeq; ſe habentium, ſuaque forma perfecta iam præditarum, quarumque ortus ad finem & exitum ſit perductus: nõ vero earum rerum quæ adhuc augeſcunt, neque formam ſuam habent. Itaq; natura, forma, & finis ortus concurrunt. Merito igitur Ariſtoteles naturam ait eſſe finem & perfectionem. Nos vero conuerſa ratione finem dicimus naturam. Atque ita vera eſt connexi ratio: quia finis eſt natura: ſeu conuerſe, quia natura eſt finis. Antecedens, quo dicimus, ciuitatem eſſe finem, & perfectionem reliquarum ſocietatum, eſt in his verbis; ἔτι τὸ οὗ

ἕνεκα

1. Ratio.

2. Ratio.

* *Etiamnũ.*

ἕνεκα. Neq; enim noua hic affertur ratio, vt quidam putant; ſed prioris rationis confirmatio, hæc: quia in ciuitate eſt id, quod ſatis, ſeu αὐτάρκεια. Formula: Si ciuitas eſt finis: ergo eſt optimum quiddam. nam hoc finis eſt proprium, *ſupra lib.1.Ethic* At verum hoc: Ergo & illud, Conſequens, i. ciuitatem eſſe optimum quiddam, confirmatur his verbis; ἡ δὲ αὐτάρκεια, hac ratione; quia in ciuitate eſt id quod ſatis, id eſt, quia ciuitas eſt ſocietas omnibus rebus ad bene beateq; viuendum neceſſariis optime inſtructa. Nam *ſupra initio huius cap.* monuit, id quod ſatis neceſſarium eſſe ciuitati. Iam vero id quod ſatis, ſeu rerum ad vitæ vſus neceſſariarum copiam liberalem eſſe optimum quiddam & perfectum tanquam finem, omnibus eſt perſpicuum. hoc enim aiunt omnes.

TEXTVS.

Ex his igitur perſpicuum, ciuitatem eſſe natura, hominemq; eſſe animal natura ciuile. Atque à ciuitate alienus natura & non fortuna, aut improbus eſt, aut maior homine. vt & ab Homero notatus, tribus, legum & domus expers. nam natura talis ſimul & belli cupidus tanquam iugi expers, vt in auibus.

COMMENTARII.

Homo natura ad ciuilem ſocietatem propenſus eſt.

Ἐκ τούτων.] Expoſito de ciuitate, eſſe eam ex earum numero ſocietatum, quæ natura conſiſtunt, non vtilitate tantum vel inſtituto aut pacto: nunc hoc amplius, ſingulos homines natura propenſos ad ciuilem ſocietatem eſſe docet duabus rationibus; altera ex repugnantibus, altera ex proprietate hominis ſumpta. Quæ diſputatio de homine ad priorem de ciuitate accommodari quoq; poteſt, ita vt hinc tertia ratio peti poſſit, cur ciuitas natura conſiſtat: nimirum quia homo animal eſt natura ciuile; à partibus ad totum. De hac re & diſputatione exſtant & præclari loci apud *Cic. lib.1. Offic. extremo. & in Lælio*, vbi de Timone.

1. Ratio.

Καὶ ὁ ἄπολις διὰ φύσιν.] Prior hæc eſt ratio à repugnantibus, cur homo animal ſit ciuile natura: nam inciuilis, vt ita dicam, ſeu à ciuili & hominum ſocietate abhorrens natura,

tura, is vel eſt improbus, id eſt, non re ſed nomine homo, i. vel infra hominem, vt belua potius, vel ſupra, vt heros vel Deus. Ait natura, διὰ φύσιν. nam ſunt ciuitatis quidam expertes nō natura, ſed fortuna, de quibus non agitur, vt relegati, deportati in inſulam pœna aut ſupplicio, aut caſu in inſulam vel ſolitudinem forte delati, & ab hominum congreſſu remoti. Hunc igitur natura ciuitatis expertem ait eſſe vel Deum vel beluam. Deum quidem, vt philoſophi quidam commemorantur, qui vni contemplationi dediti non magnopere opus habent hominum aliorum conſuetudine & paucis rebus ad vitam neceſſariis. Quanquam Cicero neminem eſſe ait, qui, etiam cui abunde omnia ſuppeditent, tanquam virgula diuina, in ſolitudine tamen viuere velit. In alterum immani natura & feritate præditum confert Ariſtoteles Homeri ſeu Neſtoris *lib. 9. Iliad.* conuitia in belli ciuilis amantem: propterea quod non poſſit non eſſe turbulentus & bellorum cupidus, qui ea ſit feritate, vt ab hominum cœtu abhorreat, vt qui plane omnis iugi ſit impatiens, nulli ſubiectus vel obediens eſſe poſſit, nulla communitate contineri, tanquā feræ aues nonnullæ caueæ impatientes. Si igitur ciuitatis expertem eſſe abhorret à natura hominis: ergo homo eſt natura ad ciuitatem factus, natura congregabilis.

Cuiac. Nouel. 6. tales eſſe ait quos veteres Anachoretas, Heſychitas, & Eremitas nominarint.

Ὥσπερ καὶ ὁ ὑφ'.] Homeri hunc locum expreſſiſſe videtur mihi *Cic. lib. 3. Philip. 13.* Nam nec priuatos focos, nec publicas leges, nec libertatis iura cara habere, quem diſcordiæ, quem cædes ciuium, quem bellum ciuile delectat, eumque ex numero hominum eiiciendum, ex finib. humanæ naturæ exterminandum puto.

Ἅτεπερ αὐδου ζύγυς.] Variant libri: meliores tamen habent, ἅτεπερ αὐδου ζύγυς, ὥσπερ ἐν πετεινοῖς.

TEXTVS.

Cur autem ciuile ſit animal homo magis, quam omnis apis & omne animal congregabile, perſpicuum. Nihil enim, vt dicitur, fruſtra facit natura. Sermonem autem vnus ex animalibus habet homo. Itaque vox quidem moleſti & iucundi eſt argumen-

gumentum. Quare & aliis animantibus ineſt: hactenus enim earum natura progreſſa eſt, vt moleſtum & iucundum ſentiant, & hæc inter ſe ſignificent. Sermo autem ad ſignificandum vtile & inutile: ideoque & iuſtum & iniuſtum. Nam præ cæteris animantibus hoc proprium eſt hominibus, vt ſoli boni & mali, iuſti & iniuſti, & aliorum ſenſum habeant. horũ autem communitas domum & ciuitatem conſtituit.

COMMENTARII.

Διότι πολιτ.] Altera & directa ratio, cur homo ſit natura ciuilis, hic affertur, atq; adeo magis ciuilis, quam vel apes, vel vlla animalia congregabilia. Animalia omnia, inquit *Ariſt initio lib. 1. hiſtor. animal* partim ſunt congregabilia, ἀγελαῖα, partim ſolitaria, μοναδικά. & ex congregabilibus partim ſunt ciuilia, politica, quæ nempe in commune conſulunt, vt apes, formicæ, grues, columbæ, &c. partim ſunt errantia σποραδικά. Ex politicis eſt & homo: quem quidem Ariſtoteles hoc loco docet cæteris omnibus hac in re antecellere: idque hac ratione à proprietate ſumta: quia homo ſermonis ſeu orationis eſt particeps: quia ex omnibus animantibus vnus homo ſermone vtitur. Iam ſermonis nullus eſt vſus præterquam in communitate. Itaq; hanc formulam concipiamus: Si homo nõ eſt ciuile animal; ergo fruſtra datus eſt ei ſermo. At falſum conſequens. Quid ita? quia etiam prouerbio notum (Græci eleganter dicunt ὥς φαμὲν) naturam nil fruſtra facere. nil molitur natura, niſi certo propoſito fine. Connexi ratio: quia ſermonis nullus, niſi in communitate, eſt vſus, vt iam dictum. Quam rationem Ariſtoteles collatione vocis & ſermonis beluæ & hominis pulcre explicat. Vocem igitur ait eſſe ſignum & notam, qua cognoſcatur iucundum & moleſtum: cui rei argumento eſſe ait, quod etiam beluis vox ſit communis, quarum naturam hactenus tantum progredi conſtet, vt iucundi & moleſti notitiam habeant, eaq; inter ſe voce vel blandiendo vel eiulando ſignificent, vt eleganter *Lucret. lib. 5.* vbi de ſermonis origine:

2. Ratio.

Infra ca. 5. ea diſtribuit protinus in ἀγελαῖα καὶ σποραδικά.

Cum pecudes mutæ, cum deniq; ſecla ferarum

Diſſi-

Diſſimiles ſoleant voces variaſq; ciere,
Cum metus aut dolor eſt, aut cum iam gaudia gliſcunt.

Hunc igitur vocis eſſe vſum, vt rerum iucundarum & contrariarum ſit nota, argumento naturæ beluarum, quibus illa finibus definiatur, oſtendit. Eadem rurſus ratione & de ſermone eiuſque vſu oſtendit eum eſſe notam rerum vtilium & inutilium, damni & lucri (& proinde rerum quoq; iuſtarum & iniuſtarum) hac ratione: quia hominis natura non tam anguſtis finibus continetur, quam beluarum. Nam has rerum tantum iucundarum & moleſtarum ſenſum habere: hominem vero hoc amplius, etiam rerum vtilium & contrariarum, iuſtarum & iniuſtarum, turpium & honeſtarum. Formula: Si beluæ rerum tantum iucundarum & moleſtarum ſenſum habent: ergo vox harum duntaxat rerum eſt nota. Et contra ex eo quod vox harum tantum rerum eſt nota, doceri quoq; poteſt, beluarum naturam non longius progredi. Antecedens, quo dicimus, beluas tantum rerum iucundarum, & moleſtarum, non autem turpium aut honeſtarum, vtilium vel inutilium ſenſum vel notitiam habere, perſpicuum eſt: eaq; propter olim Epicurus ad confirmandam ſuam de voluptate ſententiam beluarum argumento maxime vſus eſt, vt eſt apud *Cic. lib. 1 de Fin.* quia voluptatum & moleſtiarum beluæ quoque guſtum habeant. Nam quod beluæ quædam etiam interdum temperantes, fortes & iuſtæ dicuntur: fit improprie, aut ſaltem comparate, non directe. Sunt enim ſimulacra duntaxat in beluis, non virtutes, quæ ſine ratione eſſe nequeunt, vt explicatum *ſupra lib. 2. & 6. Ethic.* Rerum quoq; vtilium & inutilium diſcrimen ignorant beluæ. Nam tametſi & nidos conſtruant, & cibos alios appetunt, alios aſpernantur: non tamen propterea vtilitatis notitiam habent: ſed ea faciunt potius partim incolumitatis cauſa, partim quia id vel iucundum vel ſit moleſtum. Si namq; & vtilitatis notitiam haberent beluæ, conſequeretur eas quoq; rerum iuſtarum & iniuſtarum diſcrimen noſſe, & proinde rationis eſſe participes. Quid ita? quia ius & iniuria in lucro & damno verſatur, vt ſupra explicatum *libr. 5. Ethic.* Deinde perſpicuum quoq; eſt attendenti, res vtiles ab inutilibus ſine quadam ratiocinatione & diſputatione atq; conſideratione vix poſſe diſtingui. Huc pertinet, quod ſenſus duos, tactum & guſtum, quia his res iucundę & moleſtę diſcer-

diſcernantur & cognoſcantur, beluinos vocent philoſophi *ſupra lib.3. Ethic. in fi.* Rerum igitur tantum moleſtarum & iucundarum ſenſum & notitiam habent beluę. Ergo & vox, cuius & beluæ ſunt participes, harum duntaxat eſt nota. Nunc de ſermone hæc ſit formula : Si homo rerum quoque vtilium & inutilium , iuſtarum & iniuſtarum , &c. ſenſum & notitiam habet : ergo ſermo non iniucundarum tantum rerum, ſed vtilium quoque, & iuſtarum eſt nota. Antecedens eſt perſpicuum. Nam, vt eleganter Ariſtoteles, hoc præ cæteris animantibus homini eſt præcipuum & proprium, harum rerum notitiam & ſenſum habere. Connexi autem ratio eſt eadem, quæ prioris de voce. Nam vt vox cum beluis eſt communis : ita ſermo hominis eſt proprius. quare diſtinctus quoque vocis & ſermonis vſus eſſe debet, cum earũ animantium, in quibus inſunt, natura quoque ſit diſſimilis, & aliæ animantes aliis longius progrediantur.

Ratio igitur connexi eſt in diſſimilitudine beluarum & hominis. Ex his iam tandem perſpicitur ratio ſummi argumenti, de quo agitur : cur, inquam, homo ſit animal natura ciuile : quia ſolus ſermonis vſum habeat. Nam ex prioribus efficitur, ſermonis vſum eſſe in rebus ad ciuitatem pertinentibus, nimirum vtilibus & inutilibus, iuſtis & iniuſtis. quarum rerum communicatione conſtituitur ciuitas. Præterea diligenter notandum, quod ait Ariſtoteles ſermonis vſum, quia cernatur in rebus vtilibus & inutilibus; ergo & in rebus iuſtis & iniuſtis cerni. cuius conſequentiæ rationem iam diximus : quia ius & iniuria in lucro & in damno verſetur: obſeruandum igitur hoc diligenter. Nam hinc ratio ſumi poteſt inſignis , cur in beluis nullum ſit ius vel iniuria. qua de re acriter diſputant Iuriſconſulti & Philoſophi , an in beluas cadat ius vel iniuria. In eas igitur hæc non cadere ratio hic ſuppeditatur iſta : quia nullum lucri vel damni , nullum rerum vtilium vel inutilium ſenſum habeant. Eſt & altera ratio: quia in beluas nulla cadat ratio, qua ſine nulla eſt iuſtitia: ergo nec ius, de qua ratione dictum ſupra *lib.5. Eth. & Cicero lib.1. de legib.* Obſeruandum & hoc, ciuitatis copulam eſſe vtilitatem, id eſt, vt ſupra, indigentiam ſeu rerum vtilium inter ſe communicationem. quare & *Horatius* eleganter iuſti & iniuſti matrem vocat vtilitatem : & multa apud Iuriſconſultos

In beluis nullum eſſe ius vel iniuriam.
1. Ratio.
2. Ratio.

Vtilitas copula ciuitatis.
Vide D. Gi.

ſultos mentio eſt vtilitatis; propter vtilitatem, inquiunt, publicam hoc vel illud eſt receptum: & ius, inquiunt, publicum eſt, quod ad vtilitatem rei Romanæ pertinet: priuatum, quod ad vtilitatem rei priuatæ ſpectat. Apud *Ciceronem* quoque eſt multa méntio vtilitatis communis, atque populum ipſum ita definiit, cœtum multitudinis, iuris conſenſu & vtilitatis communione ſociatum, *lib.4.de Rep.teſte Auguſtino.* *ſanium in lib.1.Cic.de legib.*

TEXTVS.

Atque prior eſt natura ciuitas, quam vel domus vel quiſque noſtrum. totum enim parte prius eſſe neceſſe eſt. Nam ſublato toto non eſt pes neque manus: niſi ὁμωνύμως, vt ſi quis dicat lapideam. hæc enim interiit. Omnia autem opere definiuntur & facultate. quare non amplius talia, nõ dicenda eadem eſſe, ſed ὁμώνυμα.

COMMENTARII.

Civitas natura prior eſt quã domus & ſinguli homines.

Καὶ πρότερόν δὴ τῇ.] Expoſito, ciuitatem eſſe natura & hominem animal eſſe natura politicum, id eſt, natura duce, & eius inſtinctu homines in ciuitatem conuenire: iam oſtendit, ciuitatem domo & ſingulis hominibus eſſe priorem natura: quæ diſputatio priori de generibus ſocietatum primarum repugnare videtur: vbi docuimus, omnium ſocietatum primam eſſe domeſticam, coniunctarum; ſecundam vicinalem, vt ita dicam: tertiam demum politicam. Verum hæc cõtrarietas diſtinctione facile tollitur. Ratio igitur, cur ciuitas domo & ſingulis ſit prior natura, hæc eſt: quia totum partibus natura eſt prius. Formula: Omne totum ſuis partibus natura eſt prius. Ciuitas eſt totum, cuius partes ſinguli & domus. Ergo ciuitas domo & ſingulis, tanquam totum ſuis partibus, eſt prior. Propoſitionis ratio eſt in his verbis ἀναιρουμένου γὰρ τοῦ ὅλου, &c. Ratio, inquam, iſta: quia id natura dicitur prius, cuius interitu alterũ continuo interit, vel vt in categoriis, à quo non fit conuerſio, vt ſi eſt homo, ergo animal: non cõtra, ſi animal, ergo homo. Animal igitur homine eſt prius: quia ab animali ad hominem non fit conuerſio: & vniuerſe, Omne genus natura ſuis formis eſt prius: quia neque fit con-

uerſio, & quia ſublato genere, continuo tolluntur omnes ſpecies. Quę generis & formarum, eadem & totius partiumque eſt ratio. Nam ſublata vna parte non continuo totum interiit, ſed hoc perempto & partes perierũt: adeo vt ne partium quidem nomen vere corruptis partibus ſit reliquum: propterea quod natura partis ſit extincta propter totius interitum. Itaque perempto toto deſinunt partes: niſi forte *ὁμωνύμως*: abſciſſa, verbi gratia, manus vere iam deſiit eſſe manus: nomen tamen retinere poteſt, non ſecus atque manus lapidea vel picta: quas inter manus ſola nominis, nulla rei & naturæ, eſt communio. Ciuitas igitur & ipſa ſuis partibus natura eſt prior, domo & ſingulis: adeo quidem vt ciuitatis expertes ſinguli, inſtar aliarum partium iam non ſint homines ſinguli, ſed vel beluæ vel dii. Quod igitur ſupra *lib. 8. cap. 12. & initio lib. 1 Oeconom.* & hîc primo capite dicitur, domum ciuitate eſſe priorem, vt partem toto, id de ortu ſeu origine, non de natura accipi debet. Nam vt eleganter *Ariſtoteles lib. 8. φυσ. ἀκρο. & lib. 1. μεταφυσ.* Quod ortu eſt prius, id natura, id eſt, perfectione eſt poſterius. Natura, vt & ſupra diximus ex *lib. de ingreſſu animantium*, eſt rerum optima affectio. Et vt bonus opifex ſemper etiam ab initio totius operis finem & perfectionem animo complectitur: ita & natura non in partibus, ſed in totius perfectione conſideratur. Præclare igitur & Hippodamus apud Stobæum idem quod hîc Ariſtoteles, ciuitatem priorem eſſe domo exemplo mũdi & hominis docet. Nam ſi non, inquit, mundus erit, non erit ſtella, non ſol: vt neque oculus, neque pes, ſi animal interiit.

Πάντα δὲ τῷ ἔργῳ ὥρισται.] His verbis continetur ratio, cur partes à toto ſeparatæ non re, ſed nomine duntaxat partes ſint & dicantur: nimirum quia, inquit, omnia opere & facultate definiantur (quod idem ait *Ariſtoteles lib. 4. μετεωρολογικῶν*) id eſt, rerum omnium & corporum partiumque vis & natura officio ſeu actione, ſeu opere & munere: *ἔργῳ* ſeu *ἐνεργείᾳ* & poteſtate, id eſt, quia opus & munus ſuũ res quæque facere poſſit, cernitur: hoc eſt, vno verbo, rerum natura in *ἐνεργείᾳ* & officio earum eſt poſita, vt vis oculi in cernendo, manus in contrectando, pedis in ambulando: qua *ἐνεργείᾳ* aut poteſtate ſaltem partes hæ orbatæ, iam non ſunt amplius partes.

TEX-

TEXTVS.

Itaque ciuitas quidem & natura, & quam quiſque, priorem eſſe, perſpicuum. Nam ſi quiſque non ſatis inſtructus ſit ſeparatus, ſimiliter habebit aliis partibus ad totum: qui vero communicare nequeat, aut quia non opus illi ſit, propter id quod ſatis, nulla eſt ciuitatis pars. quare vel belua, vel Deus.

COMMENTARII.

Ὅτι μὲν οὖν ἡ πόλις.] Hæc ſupra iam ſunt explicata: quibus docuimus eandem eſſe rationem ſingulorum hominum ad ciuitatem, quam aliarum partium ad totum: hanc nimirum, vt, quemadmodum partes aliæ à toto ſeparatæ, partes reuera eſſe deſinunt: ita & ſinguli homines, qui per ſe non ſatis ſint inſtructi rebus ad vitam neceſſariis: ſeparati à ſocietate ciuili conſiſtere nequeant. Quod ſi qui reperiantur homines, qui abſque tamen hac politica ſocietate viuere poſſint: vel propter immanitatem fugientes hominum conſuetudinem, vel quia omnia large illis ſuppeditent abſque aliorũ auxilio hominum: hi iam vel ſunt beluæ, vt Timon, de quo *Cic. in Lælio*, vel Dii, vt aliquandiu Elias & Ioannes Baptiſta, & antiqui Monachi quidam, & Philoſophi; non homines exiſtimari debent, quia hominem exuerint, inquit Cicero.

TEXTVS.

Natura igitur appetitio quidem ad talem ſocietatem eſt in omnibus: qui autem primus conſtituit, magnorum bonorum author. Vt enim ex animantibus homo & perfectus eſt optimus: ita lege & iudicio remotus omnium deterrimus. Nam iniuſtitia armis inſtructa maxime eſt malefica: homo autem cum armis na-

ſcitur, prudentia & virtute: quibus in contrariam partem vti maxime licet. Quare impuriſſimus & immaniſſimus eſt abſque virtute, & in Venere ciboque nequiſſimus. Iuſtitia autem ciuilis. nam iudicium ciuilis ſocietatis deſcriptio eſt: Iudicium autem iuris diiudicatio.

COMMENTARII.

Ὁ δὲ πρῶτος συστήσας.] His verbis perobſcuris multa pręclara continentur de autore ſocietatis humanæ ſeu ciuitatis. De vtilitatibus ſeu vſu conſtitutionis ciuitatum. De homine: eum ex omnibus animantibus, ſi ſit improbus, vnum omnium eſſe deterrimum. De virtutibus; poſſe quem iis in contrarias res vti. De iuſtitia denique; eſſe eam virtutem politicam. De primo ciuitatum autore nil Ariſtoteles, præter quod ſupra diſputauit, natura ad ciuitates propenſos eſſe homines. Oratores, vt ſupra diximus, hanc ſibi laudem arrogarunt, & primum autorem ciuitatis dictitant oratorem. *Cic. lib. 1. de Orat. & in Sextiana.* Iuriſconſulti & Politici ſe autores dicunt, *Cic. iis locis*, & Poëtæ id ſibi arrogant, *teſte Horat. in arte Poëtica, in fin.* vbi id tribuit Orpheo. Melius *Cic. lib. 3. Offic.* Deo hanc laudem tribuit. Quam autem ciuitatum conſtitutio humano generi ſit fructuoſa: hîc docet Ariſtoteles à repugnantibus, & ab hominis natura à ciuitate remoti: cuius argumenti hæc ſit formula: Ciuitatis expers homo animal eſt vnum omnium deterrimum. Ergo ciuitatum conſtitutio res eſt optima & hominibus ſeu humanæ ſocietati fructuoſiſſima. Quaſi diceret: ſi ciuitatum interitus & euerſio, &, vt quidam iuris interpretes loquuntur, nullitas eſt pernicioſiſſima: ergo earum ſtatus eſt maxime ſalutaris. Ratio connexi ex repugnantibus eſt perſpicua. Omnis igitur labor Ariſtoteli eſt in explicando antecedente: quo diximus hominem ciuitatis expertem & exlegem animal eſſe vnum omnium pernicioſiſſimum. Qui locus pulcerrimus ſupra quoque à nobis eſt explicatus, *lib. 7. Eth. c. 6. in fin.* hominem improbum à iure & iuſtitia remotum omnibus beluis etiam nocentiſſimis peſte & pernicie antecellere. Rationem eo loco attulit Ariſtoteles hanc: quia in homine inſit nocendi

I. Auctor.

Pauſan. Corinth. Phoroneo.

II. Vtilitas.

III. Homo improbus omnium animantium deterrimus.

nocendi principium, id eſt, ratio, in beluis non item. Arma ait eſſe prudentiam & virtutem, ſiue, vt *in Eth.* ait, rationem & ingenii ſolertiam. Nam prudentia & virtute in contrarias partes, id eſt, tam in bonam, quam in malam vti poſſumus: quod tamen in controuerſiam vocari poteſt, an, inquam, virtute male quis vti poſſit; quod hîc ait Ariſtoteles, negat *lib. 1. Rhet. in princ. & lib. 2. Mag. Moral.* vbi, vt & *initio lib. 4. Eth.* ait poſſe nos male vti bonis corporis & fortunæ, diuitiis, forma, robore, opibus, virtute non item: adeo quidem, vti Stoici, *teſte Plut. in lib. de contrarietat. Stoicorum*, hac maxime ratione adducti exiſtimarint, bona corporis & fortunæ non eſſe in bonorum numero habenda: quia bono male nemo vti poſſit. *Cic.* quoque *in partit.* idem ait de virtute. Reſpondendum eſt, virtutis & prudentiæ nomen dupliciter accipi, proprie & improprie, quod explicatur ſupra *lib. 2. & 6. Ethic. in fin.* Proprie virtus ſeu vera virtus eſt, cum ratione & longo vſu comparatur. Impropria virtus eſt naturalis quædam propenſio, qua alii ad hanc vel illam virtutem dicuntur nati, quas naturales virtutes vocamus, ſupra *lib. 6. Eth. in fin.* Sic & prudentia alia eſt vera; alia eſt imitatrix aut initium natura inſitum, vt ingenii ſolertia & calliditas. Iam his imperfectis, prudentia & virtute, perſpicuum eſt male nos vti; neque mirum, trahentibus huc illuc perturbationibus, veris & perfectis virtutibus locum eſſe non poſſe: quippe quæ, compreſſis iam longo vſu & ratione perturbationibus, demum eſfloreſcũt. Eſt & apud *Plut. in Cic.* vbi de Triumuiris idem, quod hic docetur, hominem ex animantibus vnum omnium eſſe deterrimum iuris & ciuitatis expertem.

IV. *Vtrum virtute poſſimus abuti.*

Obiectio.

Solutio.

Ἡ δὲ δικαιοσύνη] Quoniam dixerat, legum & iudiciorum iuriſque expertem animal eſſe pernicioſiſſimum, & iniuſtitiam armis inſtructam rem eſſe pernicioſiſſimam: nunc contra de iuſtitia adiungit, eam eſſe virtutem ad hominum ciuiles ſocietates accommodatiſſimam: Iuſtitiam, inquam, eſſe virtutem ciuilem, id eſt, cuius vſus & partes maxime in ciuitate cernantur, & in ea continẽda & conſtituenda. Quare & infra *lib. 3. cap. 8.* Iuſtitiam vocat κοινωνικὴν, vt cuius vſus maxime ſit in ſocietate. Nam tametſi omnes virtutes quodammodo ſunt politicæ (de practicis loquor:) tamen iuſtitia maxime eſt politica, cum aliæ potius ad eos pertineant, qui ipſis ſint præditi: Iuſtitia vero prorſus ad alios ſpectet,

V. *Iuſtitia, virtus politica: qua de re Proclus ſuper Plat. Polit.*

ctet, non ad ipſum iuſtitia præditum. Eaque re veteres iuſtitiam vocarunt bonum alienum, teſte *Ariſtotele lib. 5. Ethic.* Iuſtitia, inquit *Cic. in lib. de Repub.* maxime foras ſpectat: & *Plato* quoque multis in locis in omnibus duas maxime politicas eſſe ait, Temperantiam & Iuſtitiam: quas duas & *Iſoc.*
Ratio. cæteris anteponit *in lib. 1. ad Nic.* Cur autem Iuſtitia ſit politica, rationem hîc reddit Ariſtoteles, cuius hæc ſit formula: Δίκη eſt politicum. At δίκη eſt δικαίου. Ergo & δίκαιον eſt po-
Δίκαιον. liticum. Si δίκαιον, ergo & δικαιοσύνη. Nam δίκαιον, id eſt, ius nil eſt aliud, quam iuſtitiæ actio ſeu factum. Iuſtitiæ eſt iuſte & iuſta facere. Propoſitionis, qua diximus δίκην eſſe politicum quiddam, ratio Ariſtotelis hæc eſt: quia δίκη politicæ ſocietatis eſt deſcriptio, id eſt, iudiciis continetur ordo & deſcriptio vniuerſæ Reipub. quibus perturbatis vel labefactatis, quia nulla legum & iuris vis erit vel executio: merito tota ciuitas, extinctis legibus iudiciorum interitu, corruat, neceſſe eſt. Qua de re extant multi inſignes loci apud Cic. de iudiciorum vſu. Recte igitur Ariſtoteles iudiciis inſtitutionem & ordinem ciuitatum contineri ait. Iudicia igitur ſunt politica, id eſt, ad ciuitatem pertinentia. Altera enunciatio, qua diximus δίκην eſſe δικαίου, hanc habet ſententiam; iudiciis contineri diſceptationem ſeu diiudicationem iuris, id eſt, quid ſit iuſtum, quid iniuſtum, ex iudiciis cognoſci; Iudicia iuris & iniuriæ eſſe tanquam normam & arbitrium. Et
Δίκη. hoc eſt, quod ait; Eſt autem δίκη, id eſt, iudicium iuris diſceptatio ſeu diiudicatio: quod breue dictum perobſcure & peſſime ab interpretibus acceptum: & ſupra *lib. 5. Ethicorum, cap. 6.* iterauit; δίκη, inquit, eſt τοῦ δικαίου καὶ ἀδίκου κρίσις. atque ita hæc loca alter alterius ope & coniunctione optime explicari poteſt. Ex quibus perſpicuum eſt, verbum δίκης, non vt interpretes fere reddunt, exceptis Aretino & Strebeo, iuſtitiam, ſed iudicium valere: & certe vix vnquam aliter, quam ad iudicia, verbum hoc Græcum referri ſolet. Ad ſummam: quia ciuilis ſeu politica ſocietas iudiciis deſcribitur & continetur, merito & iure optimo iuſtitia dicitur virtus politica.

C A-

CAPVT III.

TRes ſunt huius capitis partes: quarum 1. ſit methodica, id eſt, breuiter commemoretur, de quibus, cur poſthac ſit explicandum. Altera explicatur vis & definitio ſerui. Tertia inſtituitur quæſtio, & partim explicatur, an aliqui natura ſint ſerui, quam quæſtionem etiam proximo capite perſequitur.

TEXTVS.

Quoniam perſpicuum, quibus ex partibus ciuitas conſtituatur: neceſſe eſt prius de rei domeſticæ ratione exponere. Omnis enim ciuitas ex domibus conſtituitur: domus autem partes, ex quibus ſtatim domus conſtituitur: domus autem perfecta ex ſeruis & liberis. Iam quia in minimis quidque quærendum: minimæ autem & primæ domus partes, dominus & ſeruus, maritus & vxor, & pater & liberi: de his tribus videndum, quid & quale quidque eſſe oporteat. hæc autem ſunt, ratio herilis & nuptialis, & tertia liberorũ efficiens ratio: nam & hæc ſuo nomine non appellatur. Sint autem hæ tres, quas diximus.

COMMENTARII.

Ἐπεὶ δὲ φανερὸν.] Prima huius capitis parte diximus contineri methodica, hoc eſt, proponit, quibus de rebus, cur, quomodo ſit explicandum, prius quam de ciuitate propius & enucleatius explicetur. Ait igitur, prius explicandum eſſe de arte domeſtica. Rationem & ſupra attulit, & nunc iterat: quia ciuitas ex domibus conſtet: quæ ratio duobus prioribus capitibus adhuc eſt explicata. Quia igitur partium cognitio toti cognoſcendo eſt vtiliſſima, recte & ordine Ariſtoteles de partibus ciuitatis, id eſt, de arte domeſtica, & ei cognata arte rei quærendæ diſputat prius, quam de ipſa ciuitate. Itaque vt & initio dixi, totus fere hic liber primus eſt œconomicus. Neque tamen ars tota domeſtica hic explicatur: Sed qua parte maxime cum arte politica eſt coniuncta,

Cur de ſeruitute hoc lib. tractetur. & etiam Reipub. vtilitatem affert: vt, an ſeruitus naturæ repugnet, & propterea ſit iniuſta, neq; in Repub. tolleranda: an ars herilis eadem ſit, quę politica. De arte rei quærendæ propterea hic diſputatur, quod ea non tantum patrifamiliâs, ſed ciuitatum rectoribus ſit neceſſaria, vt monet Ariſtoteles *infra cap 5 in fi. & lib 2. Oeconom. in princ.* argumento ſit tractatio ærarii, & fiſci grauiſſima. *De arte rei quærendæ cur hic agatur.*

Οἰκίας δὲ μέρη.] Hæc verba vere dixerim ſpuria & inducenda. Non n. ſolum non ſunt neceſſaria: ſed orationis contextum & ſeriem perturbant inculcató articulo δὲ, vt οἰκίας δὲ μέρη. & οἰκία δὲ τέλειος. Elegantius oratio ſibi inter ſe conſtaret & cohæreret his verbis inductis: nimirum vt hæc ſit periodus. Omnis enim ciuitas ex domibus conſtituitur: domus autem perfecta ex ſeruis & liberis. nihil tamen temere mutandum. Expoſito igitur, ciuitatem ex partibus cognoſcendam, id eſt, ex domibus: continuo de domo & arte domeſtica adiungit, quæ eius ſint partes. Ait igitur domus partes partim eſſe liberos, partim ſeruos: Liberos quidem, maritum, vxorem & liberos. Seruos autem alios. Verũ quia hæc diſtinctio ſeu partitio ſit generalior & confuſior, adiungit alteram explicatiorem & enucleatiorem, qua monet, domus partes principes eſſe tres. primas inquam, vltimas ſeu minimas, maximeq; ſimplices; Dominum & ſeruum, patremfamiliâs ſeu matremfamiliâs, ſeu maritum & vxorem, patrem deniq; & liberos. De his igitur partibus deinceps & ſigillatim explicandum ait ad cognoſcendam penitus artem domeſticam. Rationem adiungit: quia rerum omnium vis & natura ex primis & minimis partibus cognoſcatur. Formula: Res omnes ex vltimis & ſimpliciſſimis ſui partibus cognoſcuntur. Domus autem ſimpliciſſimæ partes ſunt tres illæ: ergo domus & ars domeſtica ex his eſt cognoſcenda. De propoſitione dictũ eſt & ſupra *cap. 1.* qua dicitur res omnes concretas ex minimis & ſimpliciſſimis partibus cognoſcendas & ab his ducendum cognitionis exordium, vt in Grammaticis à literis ad ſyllabas, ab his ad verba, & tandem ad Orationem eſſe progrediendum; in Dialecticis à genere, ſpecie ſeu vocibus & categoriis ad propoſitiones, hinc ad concluſiones ſeu argumentationes. Sic apud Euclidem in elementis primum de lineis, deinde de extremitatibus, poſtremo de corporibus, iiſq; primum ſimplicioribus, poſtea duplicatis

Familiæ partes minimæ.

Ratio, cur de his explicandum.

plicatis & tandem multiplicatis. Quæ docendi methodus & ratio, vt & ſupra monui, Græce σύνθεσις, Latine conſtructio, cui contraria ἀνάλυσις, partitio dici ſolet. quam in arte domeſtica ſeruandam & in Politica monet Ariſtoteles *cap. 1.* & hîc. *& libr. 1. cap. 2. Oeconom.* Vera eſt igitur eius formulæ propoſitio. Aſſumtio, qua diximus, domus partes primas & ſimpliciſſimas eſſe dominum & ſeruum explicata eſt ſuprà. Nam de duabus quidem partibus, quibus domus conſtituitur, domino & ſeruo, marito & vxore, copioſe ibidem eſt explicatum. de reliqua parte, patre & liberis, hæc eſt ratio: quia ſocietatis coniugalis hic ſit finis & ſcopus, liberorum procreatio. Vnde continuo pars domus alia ſeu tertia oritur. propoſitio eſt; ἐπεὶ δ' ἐν τοῖς ἐλαχίστοις, &c. Aſſumtio; πρῶτα δὲ καὶ ἐλάχιστα, &c. Complexio περὶ τριῶν αὖ τούτων. De hac autem phraſi, τί καὶ ποῖον, dictum in Eth.

Ταῦτα δ' ἐστὶ δεσποτική.] Hîc de partium artis domeſticæ nominibus Græcis. Nam Ariſtoteles vni tantum parti ſuum apud Græcos nomen eſſe ait, cæteris ipſe noua nomina imponit: quod idem *& in Ethic.* illum feciſſe in virtutum & vitiorum nominibus oſtēdimus, *ſup. lib. 2. in fi. & 4. etiam in fi. Eth.* Artem igitur regendi ſeruos ſuum habere nomen, vxorē autem & liberos non item. Nam artem ſeruos regendi etiam vulgo dici δεσποτικὴν & δεσποτείαν. quo vocabulo & Plato ſæpe ſic vtitur. Ariſtoteles igitur docendi cauſa artem regendæ vxoris & adminiſtrandi patrimonii vocat γαμικήν. liberorum autem interdum παιδοποιητικήν, interdum πατρικήν. quod non ita accipi debet quaſi hæc verba ſint barbara, cum ſint vſitatiſſima: Sed quod in hac re ſeu in partibus artis domeſticæ inuſitata. Latine reddamus: herilem, vxoriam ſeu coniugialem, & patriam artem ſeu rationem. pro eo autem, quod vulgo σύζευξις, id eſt, coniugium, in libris ſcriptis quibuſdam eſt, σύντευξις, quaſi conſuetudo & congreſſus.

TEXTVS.

Eſt autem pars quædam, quæ aliis quidem videtur ars domeſtica: aliis vero pars eius maxima. vt autem ſit, videndum: loquor de ea, quæ dicitur ars rei familiaris quærendæ.

COMMENTARII.

Ἔστι δέ τι μέρος.] Poſtquam monuit, explicaturum ſe de tribus vltimis & ſimpliciſſimis artis domeſticæ partibus: adiungit eſſe & aliam quandam partem artis domeſticę: de qua quia diſſentiētes ſunt opiniones (nam aliis, vt Platoni, eadē hæc eſſe videtur, quæ ars ipſa domeſtica: aliis pars eius tantum, ſed maxima) de ea igitur explicandum quoque monet, vt ars ipſa domeſtica & politica melius cognoſcatur. Eam autem partem Græci vocant χρηματιστικὴν & κτητικὴν: Cicero autem, rei parandæ & rei quærendæ: nos κτῆσιν, rem familiarem, κτητικὴν, rei familiaris quærendæ artem: quam & χρηματιστικὴν vocant Græci: κτῆμα deniq; membrum ſeu partem rei familiaris dicamus: cur, infra explicabimus *cap. 5. initio.*

TEXTVS.

Primum autem de Domino & ſeruo dicamus: cum, vt, quæ ad neceſſarium vſum pertinent, videamus, tum ad ſcientiam, ſi quid de iis melius, quam nunc exiſtimatur, reperire poſſimus. Nam aliis quidem eadem videtur ſcientia & herilis & ipſa domeſtica, atque eadem herilis, politica, & regia, vt initio diximus: aliis vero contra naturam eſſe herile imperiū. nam inſtituto quidem alium eſſe ſeruum, alium liberum: natura vero nihil differre; eaque re neque iuſtum eſſe: quia vi factum.

COMMENTARII.

Πρῶτον δέ.] Expoſitis breui artis domeſticæ partibus, hîc tandem eas explicare orditur. de quibus hoc rurſus monet explicaturum ſe bifariam: nimirum & quæ ad contemplationem ſeu cognitionem, quæ Græci θεωρητικὰ vocant: & quæ ad vſum & agendum pertinent, quæ πρακτικὰ dicunt. prudenter ſane & inſtituto conuenienter. Nam artis ciuilis ſcopus non tam in contemplando, quam agendo cernitur. quod explicatum copioſe ſupra *lib. 2. Ethic. cap. 2. & alibi.*

In aliis

In aliis artibus ſatis eſt explicaſſe ea præcepta, quæ ad ſcientiam & cognitionem pertineant: in his ciuilibus & œconomicis ſcientiis vtrumq; præſtari debet. quanquam Ariſtot. practica præcepta leuiter tantum deguſtat: quia minus liberalia & honeſta. qua de re infra latius *cap. 7.* & hoc eſt quod ait, vſum neceſſarium, ad vitam nimirum degendam. vſus, inquā, ſeu πρᾶξις eſt neceſſaria, cognitio eſt liberalis & honeſta, infra *cap. 7.* Modeſte & hoc adiicit Ariſtoteles, daturū ſe operam, vt de hac arte domeſtica quædam afferat meliora, quam quæ vulgo ea ætate eſſent recepta: quibus verbis vtilitatem huius diſputationis, modeſtiſſime tamen, ſubindicat.

Τοῖς μὲν γὰρ δοκεῖ.] Nūc adiungit receptas ea ætate opiniones de re herili: nā de hac primo loco explicaturū ſe monet. Duas autem opiniones affert: quarū altera eſt Platonis, exiſtimantis poteſtatē herilem & domeſticam artem eſſe eandem: deinde hoc amplius, herilem, ciuilem, regiam, domeſticam; has omnes, inquam, eſſe eaſdem. Altera opinio eſt eorum, qui herile imperiū putarint naturæ aduerſari. neminem namq; natura eſſe ſeruum, ſed inſtituto hominū. Ergo nec dominium, nec herile imperium eſſe natura, ſed inſtituto: omnes nimirum homines natura eſſe liberos: hominum autem inuētis & inſtitutis factos partim liberos, partim ſeruos, quod & Iuriſcōſulti aiunt. de quibus infra. Sic igitur illi cōcludebant. Si nemo natura ſeruus: ergo neque Dominus. Ergo Domini imperium, & ars herilis non eſt natura, ſed naturæ repugnat. quo poſito & confirmato hoc amplius adiungebant, nullum debere in Republica admitti aut ſeruum aut Dominum, nullum, inquam, in Republica tolerandum herile imperium. Quid ita? quia ſit iniuſtum. Quid ita? quia naturæ contrarium & vi factum. Formula: Nulla res magis, inquiunt Iuriſconſulti, iuri & iuſtitiæ repugnat, quam vis. At herile imperium eſt βίαιον: Ergo eſt iniuſtum & iuri contrarium. Aſſumtionis ratio, cur, inquam, herile imperium ſit βίαιον, hæc eſt: quia naturæ contrarium. omnia naturæ contraria ſunt βίαια. nam hoc apud Ariſtotelem creberrime reperitur, ea quæ ſunt natura & βίαια, inter ſe tanquam contraria opponi. Sic ſupra *lib. 1. Eth. cap. 5. in fi.* vitam quæſtuoſam vocat βίαιον vt naturæ contrariam. quod ipſum hoc libro infra perſpicue confirmabit.

1. Opinio Platonis.

2. Opinio.

Νόμῳ

Νόμῳ γὰρ.] Ἀντίθεσις hæc, qua alia dicitur eſſe νόμῳ, alia φύσει, eſt veteribus vſitatiſſima. Sic infra *cap. 5. & ſupra libr. 5 Ethic.* docet nummum non eſſe φύσει, ſed νόμῳ & ſupra *lib 1. Ethic. cap 3.* vbi oſtendimus Ciceronem Latine hæc reddere, inſtituto, interdum tamen, ſed raro, Lege & natura.

TEXTVS.

Quandoquidem igitur res familiaris pars domus eſt: & ars rei familiaris pars erit artis domeſticæ. Siquidem abſque rebus neceſſariis nefas & viuere, & bene viuere. Quemadmodum autem in artibus definitis neceſſe eſt eſſe ſua organa, ſi opus ſit perficiendum: ita & rei domeſticæ peritorum.

COMMENTARII.

Ἐπεὶ οὖν.] Priuſquam duas illas controuerſias, an herile imperium naturæ repugnet, & an idem ſit quod politicum, explicet: de ſeruorum natura & officio & munere exquirit. Initio igitur monet, rem familiarem domeſticæ eſſe partem, & ad vitæ vſus neceſſariam. qua de re, etſi quam copioſe eſt explicaturus: tamen hîc monendum putauit: quia ſeruus, cuius definitionem exquiret, & ipſe rei familiaris ſit membrum. Sic igitur argumentatur: Si res familiaris pars eſt domus: ergo & ars rei familiaris pars eſt artis domeſticæ. Antecedens confirmat hac ratione: quia neque viuere, neque bene beateque viuere abſque re familiari poſſumus, ſiue, vt ait, abſque neceſſariis: quaſi diceret, res familiaris ad vſus vitæ eſt neceſſaria: ergo eſt pars domus: & proinde (ex coniugatorum natura) ars rei familiaris eſt pars rei domeſticæ. Sic & *in Oeconom. libr. 1. cap. 2.* duæ, inquit, ſunt domus partes: homo, & res. Verum hæc infra, vbi omnia enucleatius & exquiſitius perpenduntur, vix admittit, artem rei familiaris eſſe partem rei domeſticæ. Hoc igitur ſumamus ex his verbis: Rem familiarem ad vitæ vſus eſſe neceſſariam.

Argumentum.

Ὥσπερ δ' ἐν ταῖς.] Nunc propius ad ſerui naturam exquirendam accedit, quam, vt dixi, ex eius opere & officio inueſtigat: recte. Nam in rebus politicis & œconomicis rerum naturæ ex actionibus & officiis ſunt cognoſcendæ: in quibus

bus nulla fere eſt quæſtio de forma aut materia. Docet igitur, in arte domeſtica eſſe quædã organa. Prima quæſtio eſſe ſemp. ſolet, an ſit. Sic igitur demonſtraturus ſeruum eſſe organum domeſticum, prius inquirit, an vlla artis domeſticæ ſint organa. Et quidem artis domeſticę ſua eſſe organa docet Ariſtotel. exemplo cęterarum artium definitarum. Formula ſit iſta: Omnium artium definitarum ſunt organa. Ars autem domeſtica eſt finita: ergo & eius ſua ſunt organa. Artes definitas vocat, quib. certum opus & finis certus eſt ꝓpoſitus, vt Medicinæ ſanitas, Politicæ beatitudo ciuitatis, Oeconomicæ domus beatitudo, arti militari victoria. Harum igitur artium ſua & propria quædam eſſe organa oſtendit hac ratione: quod alioqui opus quæq; ſuum perficere nequeat: quod tamen ad opus, tanquam ad finem, modis omnibus contendit. Notum eſt autem, rerum efficiendarum cauſas partim eſſe principales, partim adiuuantes, vt organa: quæ propterea Plato in politico vocat συναίτια. Perſpicuum eſſe igitur, arti domeſticæ eſſe & ſua quædam organa.

Artis domeſticæ eſſe organa.

Artes definitæ.

Definitas artes neceſſario habere organa.

TEXTVS.

Organa autem alia quidem inanima, alia vero ſunt animata: vt gubernatori clauus quidem inanimum, proreta vero animatum. Miniſter enim organi ſpecies eſt artibus. Sic & rei familiaris membrum ad vitam eſt organum, & res familiaris multitudo eſt organorum. & ſeruus, rei familiaris membrum eſt quoddam animatum, & tanquam organum, præter organa alia eſt omnis miniſter. Nam ſi quidque organum poſſet iuſſum vel præſentiens ſuum perficere opus, vt Dædali opera aiunt, vel Vulcani tripodas, quos ait Poeta ſua ſpõte ad ſacrum certamen venire: Sic ſi pectines texerent ipſi, & plectra pulſarent: nihil opus ſint, neque architectis miniſtri, neque dominis ſerui.

COMMENTARII.

Τῶν δ' ὀργάνων.] Expoſito, arti domeſticæ ſua quoque eſſe organa: nunc, diuiſione adhibita, docet, quæ & qualia hæc ſint organa. Affert igitur organi diuiſiones, ex quibus tandem doceat, quale organum ſit ſeruus. Organa igitur alia ait eſſe animata, alia inanimata, quam diuiſionem confirmat exemplo organorum naualium. nam naui ſeu gubernatori clauum organum eſſe inanimum; proretam, vel alium quemuis nautam, ſociumque naualem, organum eſſe animatum. De clauo res eſt perſpicua. De nautis res poteſt in controuerſiam vocari, an hi ſint in organorum numero. nam vulgo inanima tantum dici ſolent organa, animata nō item. Huic igitur quæſtioni tacitæ occurrens Ariſtoteles reſpondet, miniſtros omnes in artibus eſſe organorum loco, & in ſpecie, vt ait, organorum, id eſt, alteram organi ſpeciem, animati nimirum. Nam vt organis inanimis, puta ferramentis: ita & animatis, puta miniſtris, ad eandem rem vtimur, ad opus, inquam, aliquod vel faciendum, vel agendum. Hanc partitionem mox accommodat inſtituto, eiuſque partes in arte domeſtica inueſtigat. Ait igitur: vt in arte gubernandi expoſuerat, ita & domeſticæ quædam organa eſſe inanima, quædam animata. Sed prius monet, quæ artis domeſticæ ſint organa: nimirum membra rei familiaris, vt armenta, pecudes, agros, nummos, ſeruos, &c. Cur autem hæc rei familiaris membra ſint artis domeſticæ organa, ex prioribus eſt perſpicuum, id eſt, ex organi definitione, qua diximus, organo opus perfici. Si igitur artis domeſticæ opus, id eſt, bona domus conſtitutio & beatitudo membris & partibus rei familiaris perficitur. (nam, vt initio dictum, abſque rebus neceſſariis neque viui, neque liberaliter viui poteſt.) Membra igitur rei familiaris ſunt organa & res ipſa familiaris ſeu vniuerſum patrimonium, & organorum velut vniuerſitas, multitudo & coaceruatio. Vt igitur ſeruus eſt organum: ita organorum, vt dixi, vniuerſitas eſt res familiaris. Quod idem iteratur & infra *cap. 5. in fin* πλῆθος, inquit, id eſt, res familiaris, eſt πλῆθος, vniuerſitas organorū tam ciuilium, quam domeſticorum: quin etiam ſeruum non tantum eſſe organum, ſed præſtantiſſimum quoddam organum. Omnem namque miniſtrum & operam ex omnibus organis vnum eſſe

Inſtrumēta alia animata, alia inanimata.

Miniſtri in artib. ſunt organa.

eſſe præſtantiſſimum, quod Græci eleganter & breuiter organum pro ὀργάνων dicunt, δοῦλον πρὸ δούλου, δεσπότην πρὸ δεσπότου. *Inf. cap. 4.*

Εἰ γὰρ ἠδύνατο.] Doçet, organa animata eſſe neceſſaria, hac ratione: quia organa inanima ſuapte ſponte, id eſt, citra alterius operam & regimen, nil valeant efficere: quod ſi poſſent, non opus eſſet animatis; quemadmodum Vulcani tripodes ſua ſponte, non ab alio deportati, currebant ipſi ad ſacra certamina, *teſte Hom. lib. Iliad. 6.* vbi de Clypeo Achillis. quo in loco, quod Homerus ait, Vulcanum ad opera fabrilia euntem ſubſequi famulas, interpretes accipiunt organa fabrilia. Eius generis ſigna & ſigilla Dædalum feciſſe narrant veteres, vt Venerem ſeu ſtatuam Veneris, cuius meminit Ariſtoteles *lib. 1. de anima:* quæ tanquam animata ſeſe ipſam mouerit. Horum Dædali operum mentionem facit & Plato in Menone & in Euthyphrone: vbi eleganter rationes inſtabiles his Dædali operibus ſua ſponte mobilibus comparat. Vnde & Eraſmus prouerbium fecit; Dædali opera, cuius generis opera fictores & fabri vocant αὐτόματα aut αὐτοκίνητα. Huius igitur generis & naturæ ſi eſſent opera inanima: ſi radii & pectines per ſe texerent, dolabræ & ſecures ſecarent, plectra cythara canerent, &c. nullis opus ſit operis aut miniſtris, nullis quoque ſeruis. At inanima non ſunt eius ingenii, id eſt, per ſe nil poſſunt: ergo opus eſt animatis organis.

Organa animata eſſe neceſſaria.

Eiuſdem generis columbam ab Archyta fabre factā ſcribit Agel. noct. Attic. lib. 10 c. 12. De quibus Heron peculiares libr. ſcripſit. περὶ αὐτοματοποιητικῆς.

Αὐτομάτους θεῖον δύεσθαι ἀγῶνα] Hæc ſunt Homeri verba perperam à pleriſque reddita: quaſi tripodes in certamen proceſſerint aut deſcenderint, certamen inierint, id eſt, quaſi ipſi tripodes certarint: quod abſurdum. Nam tripodes certantium erant præmia. Hoc igitur ait & vult Homerus, tripodes à nemine deportatos ſua ſponte ad certamina veniſſe.

TEXTVS.

Itaque quæ quidem dicuntur organa, ſunt organa efficientia: membrum autem rei familiaris eſt agens. Nam ab radio quidē aliud quid fit præter eius vſum: à veſte vero & lectulo vſus tantummodo. præterea quia effectio & actio ſpecie differunt,

Lege Scheg. ad prædicamētum Relationis in ſecundis annotat. pag. 454.

runt, vtraque autem organis opus habent: neceſſe eſt horum eandem eſſe differentiam: vita autem actio, non eſt effectio. Quare & ſeruus eorum, quæ ad actionem miniſter,

COMMENTARII.

Organa efficientia & agentia.

Τὰ μὲν οὖν.] Altera organorum diuiſio, qua doceat, ſeruum organum eſſe non efficiens, ſed agens. Organa igitur quæ dicuntur, id eſt, quæ vulgo proprie organa ſolent appellari, vt radii, mallei, dolabra, &c. (nam & ſupra monui, hæc proprie vocari organa, vt & apud *Plat. in Politic.*) hæc igitur ſunt efficientia; alia agentia, vt membra rei familiaris, menſæ, equi, agri, pecunia, ſerui, &c. Duo autem hic ſunt confirmanda: vnum, diuiſionem hanc eſſe bonam: alterum, membra rei familiaris, & in his maxime ſeruum eſſe organum practicum ſeu agens. Prius docet hac ratione; docet, inquam, organa efficientia ab agentibus eſſe ſeparanda, vt

1. Ratio.

ſpecie differentia: quia actio ab effectione ſpecie differat: propterea quod alius effectionis, quam actionis ſit finis: illius quidem opus, huius vſus duntaxat & actio: qua de re dictum ſupra *in Ethic. lib. 6. cap. 2. & 3.* Si igitur actio & effectio ſpecie differunt: ergo & organa, in quibus hæc differentia finium reperitur, & ipſa ſpecie differant, neceſſe eſt, & quidem eodem modo, id eſt, vt alia ſint efficientia, alia agentia. Conſequens huius formulæ oſtendit Ariſtoteles exemplo ſingulorum organorum; oſtendit, inquam, in organis eam differẽtiam reperiri. Nam radii quidem ſeu pectinis præter vſum, id eſt, textum, etiam tela, opus nimirum, quæritur: eadem eſt & mallei & dolabræ, aliorumque fabrilium organorum ratio. Alia autem ſunt organa, quorum præter vſum nullum expectetur opus, vt ſellæ, lectuli, menſæ, &c. atque adeo omnia rei familiaris membra. Ex quibus perſpicuum eſt, non tantum prius, ſed & poſterius, nimirum rei familiaris membra, eſſe organa practica: quia eorum nullum ſit opus. Eſt & altera ratio: quia vita, cui degendæ hæc rei familiaris membra deſeruiunt, vita, inquam, non ſit effectio, ſed actio. Clarum eſt igitur, ſeruum quoque, cuius vſus eſt ad vitam, eſſe organum non efficiens, ſed practicum.

2. Ratio.

TEX-

TEXTVS.

Membrum autem rei familiaris dicitur, vt & pars. Pars namque non alterius eſt tantum pars, ſed etiam plane alterius: item & membrum rei familiaris. Quare dominus quidem ſerui tantum dominus, illius non eſt: ſeruus vero non tantum domini eſt ſeruus, ſed & plane illius. Quæ igitur ſerui natura eiuſque vis, ex his perſpicuum. Nam qui natura non ſuus, ſed alterius eſt, cum ſit homo, hic natura eſt ſeruus: alterius eſt autem homo is, qui rei familiaris eſt membrum, cum ſit homo: membrum autem rei familiaris organum eſt agens & ſeparatum.

COMMENTARII.

Τὸ δὲ κτῆμα λέγεται.] Explicatur hoc loco vera ſerui nota, qua dicitur ſeruus non eſſe ſui iuris & mancipii, ſed alieni: qua nota & Iuriſconſulti in ſeruitute definienda ſunt vſi. Eſt, inquiunt, Iuris gentium conſtitutio, qua contra naturam quis alieno dominio ſubiicitur. & *Cic. in Parad.* Seruitus, inquit, eſt animi fracti affectio arbitrio carentis ſuo. Et notum eſt, ea quæ ſunt in categoria collationis, alterum ex altero definiri; ſeruum ex domino, & dominum ex ſeruo. Hac igitur comparatione ſerui & domini hoc loco Ariſt. explicanda vtitur ſimilitudine partium cum toto, & membrorum rei familiaris, vt ſerui cum domino. Hoc igitur agit Ariſt. vt oſtendat, ſeruum non eſſe ſui iuris, ſed alieni, & eſſe plane domini. Ratio hæc eſt, cur, inquam, ſeruus plane ſit domini: quia ſit κτῆμα, i. membrũ rei familiaris. Formula: Si ſeruus eſt membrum rei familiaris: ergo prorſus eſt domini. Antecedens eſt notum ex prioribus. Connexi ratio hæc eſt: quia eadem eſt membrorum rei familiaris ratio, quæ partium. Quid ita? quia vt partes totum: ita & membra rei familiaris rem familiarem ſeu patrimonium, tanquam totum & vniuerſitatem, τὸ πλῆθος cõſtituunt. Partium autem hæc eſt ratio, vt non tantum ſint totius: ſed prorſus totius, id eſt, partes non tantum comparatione ſeu ratione totius

D dicun-

dicuntur, ſed hoc amplius, totius naturam conſtituunt, & abſque toto eſſe nequeunt. Partes igitur totius ſunt non ratione categoriç, ſed proprietate & natura. Sic & Plato in Parmenide, pars, inquit, totius eſt pars: etſi hæc definitio ratione categoriæ accipi poteſt. Ad eundem modum & membra rei familiaris & ſeruus domini eſt, non tantum comparatione, ſeu ratione categoriæ: Sed proprietate & poſſeſſione, totus inquam, eſt domini. At dominus eſt ſerui comparatione duntaxat, nimirum is qui ſeruos habeat, non vero proprietate. Sic igitur dicuntur eſſe alicuius: & eſſe prorſus alicuius: quorum altero comparatio tantum & Categoria, altero etiam proprietas & natura ſignificatur. Omnia igitur membra rei familiaris domini ſunt vſu & fructu, mancipio & nexu: ergo & ſeruus. Ex his iam perſpicuum eſt, ſeruum prorſus eſſe alterius, eſſe alieni iuris, non ſui: qui ſi natura talis reperiatur, vt plane ſit alterius, neque ſuo ſe imperio regere poſſit: is natura vt ſit ſeruus, neceſſe eſt: qua de re mox latius. His explicatis adiungit Ariſtoteles duas præterea notas, ſed ſatis perſpicuas: quarum altera ſeruum dicit eſſe hominem, quo diſtinguatur à reliquis membris rei familiaris & maxime à beluis. Nam tametſi ſupra attulimus *ex Heſiodo*, bouem tenuioribus eſſe loco ſerui, tamen ſerui nomen ad beluas accommodari non ſolet. Altera nota dicit, ſeruum eſſe organum ſeparatum, quod & paulo infra iterat: nimirum qui ſine adminiculo aliarum partium vel totius ſuo munere per ſe fungi poſſit. Pedes, manus, &c. partes quidem ſunt illæ animatæ, ſed coniunctæ toti. Seruus eſt & ille organum animatum, ſed à toto, id eſt, domino ſeparatum. Ad ſummam, ſeruus organum eſt animatum, agens, & ſeparatum, non ſui, ſed alieni iuris. quæ vera eſt ſerui definitio. *Animati* verbo diſtinguitur ab inanimis, radio, malleo, &c. *Agentis*, ab iiſdem inanimis. *Separati*, à partibus corporum organicis, pedibus, &c. Hoc denique, *Non ſui iuris*, quam veram diximus eſſe notam diſtinguitur à mercenariis & aliis operariis. Cur autem organi verbo hactenus ſim vſus, non inſtrumenti; hæc eſt ratio: quia inſtrumenti verbum tam late non pateat, quam organi, neq; idem prorſus valeat. Nam inſtrumenti verbo Cicero & Iuriſconſulti veteres complectuntur ea, quæ inſtruunt & ornant rem aliquam. Sic inſtrumenta nauis ſunt, malus, antemnæ, ipſi nautæ: domus, menſæ, ſellæ, le-

Seruus eſt homo.

Seruus eſt organũ ſeparatum.

Definitio ſerui.

Organum. Inſtrumentum.

læ, lectuli, &c. Medicorum collyria, emplaſtra, &c. fundi, aratra, corbes, ruſtici, &c. omnia denique ferramenta ruſtica, falces, ligones, &c. Sic igitur inſtrumenti verbum apud veteres reperitur. Namque ſimpliciter & abſolute pro eo quod Græce ὄργανον dicitur, vt fabri eſt ſecuris, ruſtici ſeu agricolæ ligo, fabri ferrarii malleus (quæ Cicero & veteres ferramenta vocare ſolent) præterea pes, manus, &c. Græcis dicuntur ὄργανα: Latini nunquam dixerunt inſtrumenta. Argumento ſit locus *Cic. in Timæo*, vbi Plato ſtellas, lunam, ſolem, cœli vocat ὄργανα, manus & oculos hominis. Cicero vero Latine eum librum interpretatus, quia latinum nomen non haberet, organi verbum reddidit. Idem tamen *Cic. libr. 2. de legib.* vbi *Plato lib. 10. de legib.* dixerat, æs & aurum eſſe belli ὄργανα, non fani, Cicero, inquam, reddidit inſtrumenta. Sed & hic inſtrumenti verbum commode accipi poteſt, vt ante diximus: nimirum quo inſtruatur & ornetur bellum, non fanum. Sic enim & ligones fundi inſtrumenta, qui tamen ſunt ferramenta, id eſt, ὄργανα, à Iuriſconſultis dicuntur apud *Paulum lib. 3. Sent. tit. 6.*

Ὁ γὰρ μὴ αὐτοῦ φύσει.] Ex vera ſerui nota, ſumta occaſione, interiicit Ariſtoteles quod infra latius explicabit, quis natura ſit ſeruus: nimirum qui natura non ſit ſuus, ſed alterius. Obſeruanda autem phraſis, eſſe αὐτοῦ, & eſſe ἄλλου. Sic & *lib. 1. Metaph.* vbi de Metaphyſicæ dignitate, quæque nulli alii ſciẽtiæ pareat, omnib. imperet. Quemadmodũ, inquit, liberum dicimus hominem, qui ſit αὐτοῦ. & in Ethic. de magnanimo, nullius ad arbitrium illum viuere, quod vocat κατ' ἄλλον ζῆν. Latine dicimus ſui eſſe iuris & mancipii, & contra alieni, & ad alterius nutum viuere.

TEXTVS.

Sit autem natura quis talis nec ne: atq; meliusne & iuſtius ſit alicui ſeruire, nec ne, ſed omnis ſeruitus ſit contra naturam, poſthac explicandum. Non difficile autem & ratione exquirere, & ex rebus ipſis cognoſcere. Imperare namq; & parere non ex rebus neceſſariis tantum, ſed & vtilibus eſt. atque ſtatim vt orta quædam diſtant; par-

tim ad imperandum, partim ad parẽdum. & multa ſunt genera & imperantium & parentium: & ſemper eſt melius imperium meliorum, parentium, vt hominis quam beluæ. Quod enim opus perficitur à melioribus, eſt melius: vbi autem aliud quidem imperat, aliud vero paret, horum quoddam eſt opus.

COMMENTARII.

Πότερον δ᾽ ἐστὶ] Expoſita ſerui natura: nunc accedit ad diſputationem controuerſam, an ſeruus vllus ſit natura, & an dominatus naturæ ſit conſentaneus & iuſtus: an contra ſeruitus omnis & dominatus & naturæ repugnet, & ſit iniuſtus. Nam alterum ex altero aptum eſt. Confirmato namque, ſeruitutem eſſe natura: conſequitur, eam & iuſtam eſſe.

Οὐ χαλεπὸν δὲ.] Breuiter indicat rationem & modum, quo ſit vſurus in explicanda quæſtione, bipartitum. Nam & ratione & vſu vitæ quæſtionem hanc explicari poſſe ait: prudenter profecto. Nam in rebus ciuilibus rationes ſi à communi vita abhorreant; vt vanæ, contemni ſolent. qua de re ſupra dictum.

Rationes politicæ nõ debent abhorrere à vita communi.

Τὸ γὰρ ἄρχειν καὶ ἄρχεσθαι.] Affert hîc quaſdã ſententias diſputationi vtiles futuras quaſi præmunitionis loco, priuſquam ipſam diſputationem aggrediatur: quarũ prima ait, imperare & parere eſſe ex numero rerum & neceſſariarum & vtilium. Nam diſtinctio officiorum imperandi & parendi plane neceſſaria eſt ad humanam & politicam ſocietatem. Notum namque eſt, ἀναρχία nullam capitaliorem peſtem eſſe humano generi. Eadem quoq; diſtinctio vtilis eſt illis ipſis, id eſt, imperantibus & parentibus: quia ad vtriuſq; ſalutẽ & incolumitatẽ pertineat, vt dominus ſeruo neceſſaria cibaria prouidet: ſeruus dominum opera & labore iuuat. Eadẽ eſt & magiſtratuum & priuatorum ratio in Repub. Sed hac de re infra latius. Altera ſententia: quædam ait à primo ſtatim ortu ita eſſe diſtincta, vt alia ad imperandum, alia ad parendum videantur nata: qua ſententia continetur fere omnis diſputatio, & mox explicatur accuratiſſime. Tertio imperiorum & parientiæ genera ait eſſe compluria. Nam imperium

1. Hypotheſis.

2. Hypotheſis.

3. Hypotheſis.

rium aliud alio eſſe præſtantius, vel deterius: quod vltimum poteſt eſſe quartum: nimirum imperia alia aliis eſſe præſtantiora. De tertio, quod diximus varia eſſe imperantium & parentium genera: exemplo ſint imperium Populare, Regium, Ciuile, Domeſticum: quæ omnia docebit infra nō numero tantum, ſed ſpecie & natura differre. De quarto rationem adiungit Ariſtot. cur, inquam, imperia alia aliis ſint præſtantiora, & quidē pro differentia parentium, id eſt, eo præſtantius fore imperium, quo parentes ſint præſtantiores. Ratio igitur hæc eſt: quia opera, quo à melioribus opificibus fiant, eo ſint meliora: quæ propoſitio per ſe eſt perſpicua. At inter parentes & imperantes eſt opus aliquod, nempe quod alter imperat, alter in eo faciendo paret: Ergo vt in aliis rebus, ita & in imperiis pro rerū ſubiectarum differentia imperia alia aliis erunt vel meliora vel deteriora: vt ciuile imperium pręſtantius eſt domeſtico, quia ciuitas domo longe antecellat, *ſupra lib. 1. Ethic. cap. 2. in fi.* Sic omne in hominem imperium præſtantius eſt omni in beluas imperio. Itaq; patrisfamiliâs, præceptoris, &c. imperia ſunt nobiliora & meliora, quam paſtorum, ſubulcorum, &c.

4. Hypotheſis.

Ratio.

TEXTVS.

Nam quæ ex pluribus conſtant, & vnum ſit commune: ſiue ex coniunctis, ſiue ex diſiunctis; in omnibus apparet & quod imperat & quod paret. & hoc ex omni natura ineſt in animatis. Etenim in iis, quæ vita ſunt orbata, eſt imperiū quoddam, tanquam concentus. Sed hæc quidem alienæ fortaſſis ſunt diſputationis. Animal autem primo conſtat ex anima & corpore: quorum alterum quidem natura imperat, alterum vero paret.

COMMENTARII.

Ὅσα γὰρ ἐκ πλειόνων.] His tribus iam præmunitis, id eſt, qua de re ſit explicandū, quomodo & quibus velut elementis: hîc tandem orditur diſputationem: quæ quidem tota eſt bimembris. Priore namque loco ſuam exponit ſententiam:

poſterius aliorũ dicta & ſententias partim reprehendit, partim ſuæ accommodat, adhibita diſtinctione capite proximo.

Serui qdã, quidam domini ſunt natura.

Seruos igitur natura quoſdam eſſe, quoſdam natura dominos, docet partim ratione, partim vſu vitæ. Ratio namq; rebus ipſis & vitæ vſu confirmatur. Concludatur igitur ratio hunc in modum:

1. Cõfirmatio.

Ratio.

** deiunctis.*

Quæ ex partibus pluribus conſtant ſiue coniunctis ſiue * deiunctis: in his omnibus cernitur & ꝙ imperat, & quod paret. Atque ciuitas ſeu hominum inter ſe ſocietas ex partibus deiunctis conſtat. Ergo & inter homines & in humana ſocietate erunt & qui imperent & qui pareant.

Corporum partes.

1. Coniuncta.

2. Diiũcta.

Sciendum corpora partim ex coniunctis conſtare partibus, partim ex deiunctis: prioris generis ſunt animalia: homo, equus, &c. alterius generis ſunt legio ſeu turma, grex, populus, ciuitas. Hominis namque partes ſunt cohærentes & coniunctæ, corpus & anima. Gregis, verbi gratia, partes, ſingulæ quaſi oues ſunt ſeparatæ, vt ciuitatis ciues ſinguli.

Iuriſconſultorum diſtinctio.

Iuriſconſulti ſubtilius tria corporum genera faciunt: coniunctum vnum, vt eſt homo, equus, menſa, lignũ, lapis, &c. quod plane vno ſpiritu, vt loquuntur Stoicorum more, continetur, eaque re vocant εἱρόμενον quaſi coniunctum. alterum vocant συνημμένον, quaſi coaptatum; non ita prorſus coniunctum, vt prius: vt eſt nauis, armamẽtarium, domus: quæ duo genera Ariſtoteles vno eſt complexus. Tertium eſt diiunctum: vt grex, &c. *in lege de rerum mixtura ff. de vſurpatione & vſucap.*

Omnia quæ ex partibus conſtãt, habẽt & quod paret & ꝙ imperat.

Cõfirmatio.

In rebus inanimis.

Propoſitionem igitur, qua diximus, omnia ſiue ex coniunctis, ſiue ex diiunctis partibus conſtantia habere & quod imperet, & quod pareat, docet inductione bimembri, id eſt, tam ex rebus inanimis, quam animatis. Nam & in rebus inanimis cernere licet imperium quoddam & principatum tanquam harmoniæ ſeu concentus. nimirum cum partes eleganter inter ſe conſentiunt: qui partium conſenſus eſt velut harmonia in ſonis. Hanc partium temperationem & harmoniam cernere licet in tabulis pictis, ædificiis, veſtibus, &c. in quibus forma tanquam dominatur, paret materia; ita, vt altera alteri reſpondeat, partibus eleganter ex arte conſentientibus. Verum hęc diſputatio de rebus inanimis, vt à propoſito alienior (agitur enim de hominum ſocietate) perſtringitur tantum ſeu attingitur ab Ariſtotele.

Ἁρμονία.

Οἷον ἁρμονίας.] Vulgo accipiunt, quaſi afferatur exemplum à ſonis & cantu. Nam in ſonis acutum velut dominari: non

ri: non recte. Nam tametſi de ſonis, quod aiunt, verum eſt: tamen Ariſtoteles harmoniæ vocabulum poſuit & accommodauit ad verbum ἀρχὴν, vt indicet, rerum inanimarum imperium ſeu principatum eſſe tanquam harmoniam, poſitum videlicet in partium conſenſu, & velut concentu formæ & materiæ.

Καὶ τοῦτο ἐκ τῆς.] Hæc verba vſque ad καὶ γὰρ ἐν τοῖς, valde mihi ſunt ſuſpecta: minime certe ſunt neceſſaria. Sententia tamen eorũ hæc videtur eſſe: in animatis, etiam ſi totam rerum naturam percurras, reperiri partim qui imperent, partim qui pareant. quibus continuo adiungit de inanimis. Sed his, vt dixi, breui omiſſis redit ad animata, τὸ δὲ ζῷον πρῶτον.

Τὸ δὲ ζῷον.] Alteram inductionis partem de animatis nunc explicat. Docet igitur trifariam in animantibus reperiri principatum ſeu imperium & contra patientiam: primo ex partibus: ſecundo ex ipſis animantibus inter ſe: tertio ex ſexu. Inter animantis igitur partes, quas conſtat eſſe animam & corpus, perſpicue cernere licet hanc diſtinctionem: nimirum animam imperare, corpus parere natura duce. qua de re infra paulo latius. *In animatis trifariam.* *1. In partibus.*

TEXTVS.

Quod autem natura magis ex iis ſpectari debet, quæ ſecundum naturam ſunt effecta, & non ex deprauatis. quare & in optime affectum & corpore & animo hominem eſt intuendum, in quo hoc liquet. Nam in vitioſis aut vitioſe affectis ſæpe videatur corpus imperare animæ: propterea quod male & contra naturam ſint affecti.

COMMENTARII.

Δεῖ δὲ σκοπεῖν.] Occurrit Ariſtot. contradictioni, qua dicere quis poterat & negare, verũ eſſe ꝙ dixerat Ariſt. animũ natura imperare corpori; negare, inquam, poterat hac ratione; quia ſæpe contrariũ vſu venire videamus, vt corpus imperet animæ. Reſpondet Ariſt. verum id quidem eſſe, & ſæpe id vſu venire; ex hoc tamen argumẽtum capi non oportere. Nam id in vitioſis & deprauatis accidere, non vero in integris & incorruptis, beneq; affectis. Iã vero pulcerrimã affert *Ἀπάντησις.*

Regulam, qua cognoſcamus, ecquid ſit natura nec ne: nimirum huius rei normam eſſe non vitioſe, ſed optime ſecundum naturam affectos: quemadmodum ſæpenumero dictum *in Eth. lib. 1. cap. 8. lib. 2. cap. 4. lib. 10.* An aliquid ſit rectum an vitioſum, vere iucundum vel moleſtum, non quærendum ex improbis & luxurioſis: ſed ex viris bonis & bene affectis. Ad eundem modum cum quæritur, an animo à natura ſit tributum imperium, an corpori: ſpectandi ſunt non vitioſe affecti, vbi hæc harmonia plane diſcrepat & eſt perturbata: ſed bene affecti, & viri boni, naturæque congruentes.

TEXTVS.

Anima corpori impat Herili imperio, mens. a. cupiditati, ciuili & regali.

Primum igitur in animante, vt diximus, cernere licet & Herile imperium & ciuile: anima namque corpori imperat Herili imperio; mens autem cupiditati, ciuili & regali.

COMMENTARII.

Ἔστι δ᾽ οὖν] Quod paulo ſupra dixerat generaliter, in animantibus eſſe & quod imperet & quod pareat: id iam diſtinctius explicat in homine. Nam hominem primo conſtare anima & corpore: animæ duas eſſe partes, mentem & cupiditatem, atque in his eſſe id quod imperet, & quod pareat: Nam animam imperare, corpus parere & ſeruire: & rurſus animæ partem, rationem ſeu mentem, imperare; cupiditatem ſeruire & parere: ſed diſſimiliter. Nam animæ in corpus imperium eſſe herile, mentis in cupiditatem Regium & ciuile. Animo igitur à natura tributum, vt imperet; corpori, vt pareat animo tanquam duci, per ſe eſt notum & perſpicuum, & elegãter *Plato in Phædone*: ὁρᾷν δεῖ, &c. cerni, inquam, poſſe perſpicue, à natura tributum corpori, vt ſeruiat & pareat; eaque re eſſe mortale & caducum: animo vero vt dominetur & imperet, & hac re Deo eſſe ſimilem: quod idem & ſupra Ariſtoteles *in Ethic. lib. 5. extremo.* Rurſus ex animi partibus dominari rationem & imperare aliis animi partibus, libidini & iracundiæ ſeu perturbationibus, mentem, inquam, & rationem præ appetitu eſſe velut Reginam à natura conſtitutam, item eſt notum. Verum hoc non peræque notum eſt, aliter imperare animam corpori, aliter rationem cupiditati, impe-

imperia, inquam, hæc eſſe diſſimilia. Nam imperium animæ in corpus eſſe velut herile, rationis in perturbationem, in πάθος eſſe imperium ciuile vel Regium. Cicero certe in alia fuit ſententia. Nam animam corpori vult imperare, vt ciuibus Regem, aut patrem liberis: rationem vero perturbationi, vt ſeruis dominum. Eius hæc ſunt verba pulcerrima ex *lib. 3. de Rep.* Sed & imperandi & ſeruiendi diſſimilitudines ſunt cognoſcendæ. Nam animus corpori dicitur imperare, dicitur etiam libidini: ſed corpori, vt Rex ciuibus ſuis, aut parens liberis: libidini autem, vt ſeruis Dominus: quod eam coercet & frangit. Sic Regum, ſic Imperatorum, ſic Magiſtratuum, ſic patrum, ſic populorum imperia ciuibus ſociiſque ſunt, vt corporibus animus: Domini autem ſeruos ita fatigant, vt optima pars animi, id eſt, ſapientia, eiuſdem animi vitioſas imbecillaſque partes, vt libidines, vt iracundias, & perturbationes cæteras. Idem Cicero, ſed paulo confuſius *lib. 2. Tuſcul.* Sed præſto eſt domina omnium regina ratio: quæ connixa per ſe & progreſſa longius, fit perfecta virtus: hæc vt imperet illi parti animi, quæ obedire debet, id videndum eſt viro. quonam modo, inquies? velut Dominus ſeruo, velut Imperator militi, velut parens filio. Diſtinctius certe *lib. de Rep. 3.* vbi patrium imperium ab herili diſtinguit: etſi apud Romanos vix vlla erat diſtinctio, *l. in ſuis. ff. de liberis & poſthum.* Cicero igitur Ariſtoteli prorſus aduerſatur: mihi tamen omnium optime exiſtimare videtur Ariſtoteles, vt, inquam, animæ in corpus imperium ſit herile, rationis in cupiditatem ciuile ſeu regale. Nam corpus ſeruo optime comparari poteſt: quod, vt corpus per ſe nil agit, ita nec ſeruus: & vtrumque, corpus anima, ſeruus Domino vtitur tanquam duce, vtrumque, inquam, peræque eſt hebes. In animi autem partibus non eſt hæc diſſimilitudo, nimirum vt vna videat ſola, altera plane cæcutiat & torpeſcat. Nam cupiditates rationi conſentientes non plane torpent, ſed rationem tanquam ducem iuuant & incitant, corpus tanquam truncus trahitur: cupiditas ipſa quoque currit ſuapte natura: bene quidem, ſi rationem ſequatur; male, ſi eam contemnat. Sic & in Repub. & Regno Rex & Magiſtratus eſt tanquam Dux, ita tamen, vt ciues non plane ſint tanquam ſtipites, ſed & ipſi Magiſtratum bene monentem ſequentes Rempublicam vna iuuent atque procurent: Magi-

Ciceronis ſententia contraria Ariſtotelis.

Ἐπίχειρσις *qua Ariſtotelis ſententia confirmatur.*

ſtratu orbati, vel improbum ſequentes, perdant. Recte igitur Ariſtoteles imperium animi & corporis vocat herile: partium vero animi vocat ciuile ſeu Regium. Nam tametſi inter ciuile & Regium imperium magna eſt differentia: tamen ad hanc rem, de qua agitur, nil intereſt: nimirum quia hoc vult Ariſtoteles; In imperio animi & corporis, corpus plane nil agere: in partibus animi autem vtramque agere. quod in ciuili & regio imperio eſt perſpicuum. In vtroque enim ciues non plane torpent, vt iam dictum. Ciceronis ſententia Stoicorum rationi eſt conſentanea, qui perturbationes omnes aiebant eſſe vitioſas, & proinde ſeruis ſimiles.

Ciceronis ſententia Stoicis conſentiens.

TEXTVS.

In quibus liquet ſecundum naturam eſſe & expedire corpori, vt imperetur ei ab anima; & parti perturbationibus obnoxiæ, vt à mente & parte ratione prædita. Inutiſe autem omnibus ex æquo, vel contra.

COMMENTARII.

Ἐν οἷς φανερόν ἐστι.] Eſt hæc velut concluſio primi totius inductionis membri de imperio corporis & animæ, & huius partium inter ſe: qua concluſione monet hæc duo: Imperium hoc perſpicue eſſe ſecundum naturam, & idem illis vtile. Secundum naturam quidem: quia non hominum inſtituto, ſed naturæ inſtinctu ſeu diſtinctione & deſcriptione ortum. Vtile vero eſſe corpori, vt pareat; animæ, vt imperet; atque ex animę partibus expedire cupiditatibus, vt pareant, & tanquam ducem ſequantur rationem: inutile & pernicioſum his omnibus fore, vt vel eodem omnia eſſent iure, nullum alteri vel imperaret, vel pareret: aut omnia eſſent alia, id eſt, imperaret corpus vel cupiditas, pareret autem anima vel mens; hæc, inquam, ita ſe habere inquit eſſe perſpicuum. Quid ita? quia corpus, vt cæcum, ſua commoda & ſalutem procurare non poſſit. Eadem eſt & perturbationum ſeu cupiditatum ratio, quæ & ipſæ cæco impetu ferantur & ruant: niſi à ratione & mente ducantur, totum denique hominem perdant, vt in impotentibus & luxurioſis videre eſt. qua de re dictum ſupra *lib. 7. Eth.* Verum eſt igitur, quod ſupra

Hoc imperium ſecũdum naturam eſt. Vtriuq; vtile.

pra monuit; Imperium & patientiam eſſe non tantum ex rebus neceſſariis, ſed etiam ex vtilibus illis ipſis, inter quos imperium & patientia ſint. Ad eundem modum & de animantibus inter ſe mox adiungit, expedire beluis, vt pareant homini, tanquam Duci & paſtori ſalutis & incolumitatis cauſa: quia beluæ, quæ ſibi ſint neceſſaria & vtilia, ſuo Marte ſæpe comparare, & aduerſus frigora, vim aliarum beluarum, vt oues aduerſus lupos, ſe tueri nequeant. Itaque & beluis expedit, vt pareant, imperet iis & dominetur homo.

TEXTVS.

Rurſus in homine & aliis animantibus ſimiliter. Nam cicures quidem feris ſunt natura meliores: his vero omnibus melius eſt, illis imperari ab homine. Sic enim ſalutem conſequentur.

COMMENTARII.

Πάλιν ἐν ἀνθρώπῳ.] Alterum inductionis membrum de animantib. inter ſe. Nam ex his manſuetæ & cicures, vt homo, cum cęteris immanibus & feris natura antecellunt; tum naturæ eſt conſentaneum, vt imperent cicures, pareant immanes, exemplo mentis & perturbationis: quarum hæc eſt velut fera, illa manſueta & ſedata: Itaque naturæ conſentaneum eſt hominis in beluas imperium, vt melioris in deteriores & poſteriores. Nam vniuerſe hoc afferri poteſt: Naturam tribuere omnibus præſtantioribus in deteriores imperium & dominatum. Imperium autem hominis in beluas non tantum naturæ eſt conſentaneum: ſed ipſis quoque beluis vtile & fructuoſum. quod modo eſt explicatum.

TEXTVS.

Præterea mas ad fœminam natura ille quidem præſtantior, hæc vero deterior: ille quidem imperans, hæc vero parens.

COMMENTARII.

Ἔτι δὲ τὸ ἄῤῥεν.] Poſtquam docuit Ariſtoteles reperiri ſemper & qui pareat & qui imperet tam in partibus quam in formis & generibus animantium: tertio nunc idem confirmat de ſexu. Nam & in hoc reperiri vtrumque; marē namque

que tum præſtantiorem eſſe, tum ei vt præſtantiori imperium eſſe attributum ab natura: fœminam, vt inferiorem & deteriorem tam anima quam corpore iuſſam, parere. Deteriorem mare eſſe fœminam cum ex corpore, liquet etiam in beluis: tum maxime ex animo & ingenii ſolertia in hominibus. Ex hoc igitur loco obſeruandum diligenter: Imperia muliebria ſiue domeſtica ſiue politica, naturæ eſſe contraria: cui naturæ & rationi notum eſt conſentire & libros ſacros, quibus mulier viro, vt capiti & Regi ſuo, parere iubetur.

TEXTVS.

Eandem oportet eſſe rationem & in omnibus hominibus. Itaque qui tantum quidem diſtant, quantum anima corpore, & homo belua: eodem modo ſunt affecti. quorum vero opus eſt corporis vſus, hocque ab iis optimum: hi natura ſunt ſerui: quibus melius eſt agere ſub hoc imperio, ſiquidem & prioribus.

COMMENTARII.

Accommodatio inductionis.

Τὸν αὐτὸν.] Hîc tandem inductionem ad rem accommodat: cuius hæc iam breuior ſit formula; Si in omnibus animantibus earumque partibus & ſexu eſt quod imperet & quod pareat: par eſt & æquum, vt in omnibus hominibus eadem ſit diſtinctio, hominibus, inquam, inter ſe, viris puta inter ſe, non tantum viris ad fœminas.

Quorum ſit imperare, quorũ parere.

Ὅσοι μὲν οὖν τοσοῦτον.] Poſito, inter homines hanc reperiri diſtinctionem: adiungit, qui igitur ſint ex hominibus, quorum ſit imperare, & quorum ſit parere. quos inueſtigat ab exemplis prioribus. Nam ſi, inquit, ſint homines quorum alii ita diſtent ab aliis vt anima à corpore, ab homine beluæ: in his profecto ea diſtinctio ſit neceſſe eſt. Nam ſi illa fuerunt diſtincta: cur non & homines ita inter ſe diſtincti & diſtantes ſimiliter diſtinguuntur. Formula: Si homines ita diſtantes reperiuntur, vt anima & corpus: ergo, vt & illa, affecti ſint neceſſe eſt, id eſt, alii ſint qui imperent, alii qui pareant. De aſſumtione omnis eſt quæſtio, quinam ſint ita inter ſe diſtantes: hos eſſe ait Ariſtoteles, quorum alii animo & ratione

ratione antecellant, alii corpore duntaxat. Nam ſi qui ſint, inquit, à quibus nil præter corporis vſum exſpectes, & in quibus optimum ſit corporis miniſterium: hi, inquit, ſunt natura ſerui. Quid ita? quia exemplo priorum hi aliis animo excellentibus ſunt deteriores. Reperiri autem id genus homines, à quibus nulla vtilitas præter corporis miniſterium capiatur, perſpicuum eſt. Græci certe alios omnes mortales, quos illi barbaros vocãt, huius generis eſſe aiunt: & *Cic. in oratione de prouinciis conſularibus*, Iudæos, inquit, & Syros omnes ſeruituti natos.

TEXTVS.

Nam natura eſt ſeruus, qui alterius eſſe poteſt. quare & eſt alterius. & qui rationem eatenus participat, quatenus ſentiat, non vero habeat. Aliæ namque animantes rationem non ſentiunt, ſed ſeruiunt perturbationibus.

COMMEMTARII.

Ἔστι γὰρ φύσει δοῦλος.] Deſcribit natura ſeruum ex nota ſupra explicata, quam diximus ſeruitutis notam eſſe veriſſimam: non eſſe ſui iuris & mancipii, ſed alieni. Hic igitur, inquit, natura eſt ſeruus, qui æquo animo alterius poteſtati ſubiicere ſe poteſt, & alterius imperium ferre Nam ita affectus, merito non eſt ſuus, ſed alterius, & proinde ſeruus, is, inquam, qui ita fracti eſt animi, & ad ſeruiendum nati, vt alteri facile & æquo animo pareat. Poſſe igitur alterius ferre imperium, notam ait eſſe ſerui natura & ingenii ſeruilis. Adiungit & alteram notam, participem eſſe rationis, non vt habeat, ſed vt ſentiat: qua nota explicanda Ariſtoteles comparat ſeruos cum beluis. & ſane Iuriſconſulti ſeruos inter pecudes numerare ſolent, *l. 2. ff. ad l. Aquil.* Priore igitur loco exponit, qua in re ſerui à beluis diſcrepent; poſterius, qua in re conueniant. Diſſimilitudo hæc eſt, quod ſerui non habent illi quidem rationem (quo pertinet, quod poeta ait; ſeruis ab Ioue dimidium mentis ademtum) ſerui igitur non valent prorſus ingenio & ſolertia: ſed tamen rationem ſentiunt, id eſt, domini præcepta iuſta aut recta intelligunt aut ſequuntur. Beluæ vero neq; habent ipſæ rationem, neque ſen-

1. Nota ſeruilis ingenij

2. Nota.

ſentiunt aut ſequuntur, ſed perturbationibus, inquit, ſeruiunt, id eſt, impetus ſuos ſequuntur & appetitus, id eſt, ὁρμαῖς. Neque enim canis leporem inſequitur, quia rectum & iuſtum eſſe intelligat, vt lepus capiatur in hominis vſum: ſed quia vel natura vel conſuetudine leporem vel odit, vel ipſe edere geſtiat, & eius vel odore delectetur. Serui contra bene monentem dominum intelligunt & ſequũtur, quamuis ipſi ſua ſponte quæ recta ſint non intelligant: quemadmodum ſupra *lib. 1. cap. vlt. Ethic.* dictum eſt de animi partibus, quarum vna ſit mens, altera perturbatio: ex quibus illa ſit rationis, hæc non quidem plane ſit rationis expers, ſed eam ſequatur virtutibus domita & aſſuefacta.

TEXTVS.

Atque vſus mutat parum. Nam ad neceſſaria corpore commoditas exiſtit ab vtriſque, & à ſeruis & à cicuribus animantibus.

COMMENTARII.

Καὶ ἡ χρεία.] Similitudinem ſeruorum & beluarum in vſu conſiſtere docet, vt diſſimilitudinem in ratione & ſenſu. Nam vt beluis cicuribus, (bobus ad arandum, equis ad vehendum, canibus ad cuſtodiendum & venandum, &c.) ad vſus vitæ neceſſarios vtimur, nobiſque illæ ſeruiunt ſolo corpore, nulluſque earum eſt vſus in rebus quæ ſolertiam ingenii poſtulant: ita & ſeruorum, præter corporis, nullus eſt vſus, vt quos iam conſtet per ſe nil ſapere, ſed omnia alterius nutu & ductu facere.

TEXTVS.

Iam vult quidem natura & corpora liberorum & ſeruorum facere diſſimilia: hæc quidem valentia ad vſus neceſſarios: illa vero erecta & inepta ad eiuſmodi munera, ſed vtilia ad vitam ciuilem (hęc autem & tributa eſt in vſum belli & pacis.) Sæpe vero & contra accidit: vt hi quidem liberorum habeant corpora, illi vero animos.

COM-

COMMENTARII.

Βέλτιστα μὲν ὖν.] Ex prioribus perſpicuum eſt, liberos à ſeruis hac in re maxime differre, quod liberi natura ſint ingenio ſolerte & ratione præditi, ſerui ſint hebetes & tardi ingenio. Differunt igitur liberi & ſerui animo. hoc loco adiungit eos & corporibus differre. Nam ſeruorum corpora eſſe robuſtiora: vtpote ad vſus corporis & operas ſeruiles accommodata, ad fodiendum, portandum, moliendum, &c. Liberorum vero corpora ad hos vſus eſſe inepta & infirma: vtpote accommodata ad ſuos quoque vſus, nimirum ad vitam politicam, id eſt, actiones tam belli quam pacis: in quibus adminiſtrandis ſæpe non tam viribus, quam conſilio & ſolertia eſt opus. Sic igitur natura diſtingui corpora liberorum & ſeruorum ait, naturam hoc agere & velle: nimirum quia partium conuenientiam & harmoniam amet natura, neque quicquam fruſtra faciat. Verum hoc naturæ conſilium & προαίρεσιν ait ſæpe impediri, vt in rebus naturalibus interdum monſtra oriuntur contra naturæ conſilium. Itaque ſæpe videre licet, ſeruos animo & ingenio eſſe exiguo, vel imbecillo corpore: & liberos, id eſt, animo & iudicio præditos & excellentes, corpus tamen habere ſeruile, robuſtum, & validum: cuius generis Plato fuiſſe dicitur, ſolertiſſimo ingenio, & corpore vaſto, vnde habebat nomen παρὰ πλάτυς, à craſſo & vaſto corpore. vult igitur natura ſemper rebus accommodata efficere organa: ſed ſæpe contra accidit vel propter materiæ incommoditatem & difficultatem, vel propter alia externa impedimenta. Ex his iam perſpicuum eſt, liberos à ſeruis differre animo & corpore: (de natura & ſeruis & liberis agimus, non de iis qui lege & inſtituto: de quibus proximo cap.) & de his eſt & quod *Seneca* ait *lib.3. de benefic.* Corpus itaque eſt, quod domino fortuna tradit, hoc emit, hoc vendit: interior illa pars mancipio dari non poteſt: ab hac quicquid venit, liberum eſt: non aut nos omnia iubere poſſumus, aut in omnia parere coguntur: contra Rempublicam imperata non facient: nulli ſceleri manus commodabunt.

TEXTVS.

Quandoquidem hoc perſpicuum, ſi vel corpore tantum ſolo differant, quantum Deorum ſimula-

mulacra: cæteros dicant omnes his ſeruire debere. Quod ſi in corpore hoc verum: multo iuſtius hoc in animo ſtatui: Sed non ſimiliter facile videre & animi pulcritudinem, & corporis.

COMMENTARII.

Ἐπὶ τοῦτό γε φανερὸν.] Locus hic eſt pulcerrimus de forma corporis & animi. Perſpicuum eſt ex prioribus; præſtantioribus iure naturæ imperium & principatum deberi: argumento ſint anima ad corpus, mens ad perturbationem, homo ad cæteras animantes, mas ad fœminam, liberi denique & ſolerte ingenio præditi ad ſeruos & hebetes. Quam naturæ legem Ariſtoteles hoc loco confirmat etiam a communi hominum ſenſu & iudicio, imperio dignos exiſtimantium qui vel ſolo corpore antecellant cæteris. Formula igitur Ariſtotelis hæc eſt à minori: Si corpore præſtantes & excellentes imperio ſunt digniores: Ergo multo iuſtius, qui animo & ſapientia antecellunt. Antecedens poſitum eſt in hominum iudicio. Semper enim imperio & principatu digni ſunt habiti, qui formæ quadam dignitate & corporis maieſtate aliis præſtarent. Quare ſolent plerunque viris principibus & poetæ & pictores formæ dignitatem affingere. *Hom.* θεοεικέλους vocat & aliis nominib. vt θεοειδεῖς, ἀντιθέους, δίους. *Virg.* Os humeroſq; Deo ſimilis, de Ænea: quin etiam *Iſocr.* Euagoram propter formæ dignitatem præter cæteros ad regnum perductum eſſe ait: quo pertinet & Euripidis verſiculus celeberrimus, de quo *Stobæus 63. & Athenæus lib. 13.* πρῶτον μὲν εἶδος ἄξιος τυραννίδος. primum, inquit, imperio dignos propter formam vel ex forma. Nota ſunt & quæ veteres ſcribunt de Pompeio Magno, & Auguſti Octauiani oculis.

Ὅσον αἱ τῶν θεῶν.] Deorum ſimulacra olim profani ingenti magnitudine fingere & facere ſolent: quia vt aliis in rebus: ita & in corpore reliquis omnibus nos antecellere exiſtimarent: quod & hoc loco indicat Ariſtoteles. *Liuius* de Romulo iam Deo facto ſeu Quirino narrat, viſum eum Senatori ſpecie humana maiorem. Et *Virg.* de Creuſa *lib. 2. Æneid. in fi.* vbi ſimulacrum & imaginem Creuſæ maiorem Æneæ apparuiſſe ait: etſi hoc de Creuſa accipi poteſt, non

tam

tam quia Dea eſſet Creuſa, quam quod magno corpore ſolet eſſe maior.

Ἀλλ' οὐχ' ὁμοίως.] Præclara eſt ſententia; Non tam facile animi pulcritudinem cerni, quam corporis: quam adiungit tanquam rationem, cur vulgo corpore potius præſtantibus, & rebus externis florentibus tribuatur principatus, quam ſapientia & aliis virtutibus præditis: nimirum quia animi dotes non ita ſunt vulgo perſpicuæ, vt corporis vel externæ: alioqui cum animi & virtutis pulcritudo ſit ſumma, ſi oculis cerni poſſet, cum incredibiles ſui excitaret amores, tum ab omnibus principatu digna ſola iudicaretur. vt præclare *Plato in Sympoſio in fi.* quem Platonis locum imitatus eſt hîc Ariſtoteles; & apertius expreſſit *Cic. lib. 1. Offic. initio.* Formam quidem honeſti vides: quæ ſi oculis cerneretur, mirabiles amores, vt ait Plato, excitaret ſapientiæ. *& lib. 2. & 5. de fin.*

Cur vulgò corporis externaque bona maioris fiant, quam animi.

CAPVT IV.

TEXTVS.

PERSPICVVM eſt igitur eſſe quidem natura alios quidem liberos, alios vero ſeruos: quibus & vtile ſit ſeruire & iuſtum: eos vero qui contra aſſerunt, quodammodo & recte dicere, non eſt difficile videre,

COMMENTARII.

Ὅτι μὲν τοίνυν.] Concludit breui, quoſdam eſſe natura liberos, alios natura ſeruos: quibus ipſis & expediat ſeruire & ſit iuſtum: quæ tria ſupra ſunt explicata. Expoſita igitur ſua ſententia, nunc aliorum ſententiam perpendit, & quorundam controuerſias ita dirimit adhibita diſtinctione ſeruitutis & iuris, vt reuera & ipſe & alii vere & ſenſerint & dixerint. Docet igitur hoc capite, perperam à priore diſcerpto, quoſdam eſſe inſtituto ſeruos, & artem domeſticam non eſſe eandem cum politica.

TEXTVS.

Bifariam enim dicitur ſeruire & ſeruus. Eſt enim quidam inſtituto ſeruus & ſeruiens. Lex

E enim

enim pactum quoddam eſt, quo bello victa victorum eſſe aiunt.

COMMENTARII.

Διχῶς γὰρ λέγεται.] Dixi in Ethicis, hunc eſſe Ariſt. morem, vt poſtquam ſuam ab aliis diſſentientem ſententiam attulerit, & alios repræhenderit: poſtea tñ inuidiæ vitandæ cauſa etiam alios excuſet, & ſecum velut conciliet. Ad eundem modum & hic oſtendit, qua ratione commode accipi poſſit eorum ſententia, qui diſſerunt ſeruos non eſſe natura, ſed lege & inſtituto: nimirum quia loquerētur de ſeruis bello captis, quos & ipſe Ariſtoteles aſſentitur, non eſſe natura, ſed lege & inſtituto. Sed hoc amplius docet, peccare tamen eos, qui hanc ſeruitutem belli tanquam iniuſtam criminarentur. Duo igitur in hac re ſunt perpendenda: prius, eſſe ſeruos quoſdam lege & inſtituto: deinde, an hæc lex ſit iuſta, & an huiuſmodi ſeruitus in Repub. ſit probanda. Prius confirmatur diuiſione ſeruitutis. Nam ſeruos partim eſſe natura, partim lege & inſtituto: de natura conſtat ex prioribus: de lege confirmat ex communi hominum iudicio & conſenſu, id eſt, iure gentium, vt loquuntur Iuriſconſulti. cuius iuris hæc vna eſt lex & præceptum; vt bello capta ſint victorum ſeu capientium. de qua lege Iuriſconſulti *in l 1. ff. de acquir. rer. dom. & §. item ea quæ in bello ab hoſtibus. Inſtit. de rer. diuiſ.* quam legem Cyrus apud *Xenophontem lib 3.* vocat ἀΐδιον, æternam, & probant Legati Athenienſium apud *Thucydidem lib 5 & Dionyſ. Halicarnaſ. lib. 1.* vocat legem communem κοινὴν omnium mortalium naturæ, φύσεως. Cur autem de ſeruitute agens belli & Iuris belli mentionem faciat: hæc eſt ratio: quod ſeruitutis prima origo ſit ex bellis, *teſte Dione Chryſoſtomo in oratione 15. de Seruitute, & Auguſtino lib. 19. de Ciuit. Dei* adeo quidem, vt veteres ſeruis bello tantum captis, non vero emtis, multi ſint vſi. vt eſt apud *Athenæum lib. 6.*

Ὁ γὰρ νόμος.] Legem eleganter vocat pactionem ſeu conſenſum, vt & Cicero legem naturæ vocat omnium gentium conſenſum, *libr. Tuſcul ſic & ſupr. Ethic.* legem vocat συνθήκην *& Demoſth. in Ariſtogit. Papinianus* vertit ſponſionem, *l. 1. & 2. ff. de legib.*

TEX-

TEXTVS.

Ius autem hoc multi Iuriſconſulti accuſant, tanquam oratorem iniuſtæ legis: quaſi graue ſit, ſi eius quod vim facere potuerit, & quod vi ſit potius, ſeruum ſit & pareat id cui vis facta.

COMMENTARII.

Τοῦτο δὲ τὸ δίκαιον.] Expoſito breui vtroque ſeruitutis genere, de ſeruitutis naturalis Iure ſupra explicauit: nunc de alterius Iure & ratione diligenter diſſerit in vtramque partem. Ait igitur fuiſſe qui ſeruitutem hanc, vt iniquam, grauiter accuſarent. Vtitur autem verbis ciuilibus & forenſibus in Græcia vſitatis, maxime Athenis: vbi oratores, Tribuni plebis, quos Demagogos vocabant, vt Æſchines, Hyperides, Demoſthenes, Lycurgus, &c. quibus ius erat rogandarum legum, ſi legem rogaſſent, iniquam, vel Reipublicæ pernicioſam, accuſare ſolent: quod crimen ſeu accuſationem vocabant παρὰ νόμων γραφὴν. Sic Cteſiphonta accuſauit Æſchines contra Demoſthenem. Eleganter igitur Ariſtoteles, multi, inquit, legum & Iuris periti hanc de ſeruis bello captis legem iniuſtam & iniquam eſſe aiunt, & accuſant, tanquam oratorem, &c. Ratio, cur hæc lex iniqua videatur, hæc eſt: quia graue & indignum ſit, vt propter ſolam potentiam alter dominetur, propter imbecillitatem ſeruiat alter: quod in bello vſuuenire. Nam imperia non potentia, ſed virtute præſtantibus deberi.

Argumentũ quo ſeruitus ea quæ iuris gentiũ eſt impugnatur.

TEXTVS.

Et his quidem ſic videtur: illis vero ita: & quidem de ſapientibus. Huius autem controuerſiæ cauſa, & quod verba permutare faciat, eſt: quia & virtus quodammodo iuncta maxime vim facere poteſt: atque quod ſuperat ſemper eſt in præſtantia boni alicuius: ita vt videatur vis eſſe non abſque virtute, ſed eſſe controuerſiam tantum de Iure. Nam propterea his quidem ius beneuolentiæ

eſſe videtur: illis vero hoc ipſum Ius, potiorem imperare.

COMMENTARII.

Καὶ τοῖς μὲν οὕτω.] Expoſita ratione dicentium, hanc ex bello ſeruitutem eſſe iniuſtam: nunc aliorum affert rationes, quibus contra hi eam rationi conſentaneam eſſe niterentur: quos quidem etiam ex philoſophorum numero fuiſſe ait. Horum igitur rationes ſunt duæ: quarum prior eſt, quod & virtus opibus inſtructa maxime vim facere poſſit. quo pertinet, quod eſt apud *Plut. initio Dionis*: Tum demum res maximas geri, cum virtus ſeu ſapientia cum viribus & opibus fuerit coniuncta. Exemplo, inquit Plutarch. ſint Dio & Brutus, ambo & ſapientiſſimi & potentiſſimi. Si igitur virtus opibus inſtructa maxime vim afferre poteſt, alioſque ſub poteſtatem ſuam ſubiicere, vel inuitos: videtur & virtuti cum vi etiam quædam eſſe cognatio, atq; ita vi bellicæ ſua quoque virtus adiuncta eſſe. Altera ratio melior: quia id omne, quod ſuperat bono quodam excellere videatur; ſiue bono animi, ſiue fortunæ, ſiue corporis denique, vt vel virtute, vel genere, vel diuitiis, vel corporis viribus. Si igitur qui alium ſuperant, aliquo bono præſtare videntur omnes: Ergo & bello victores. At boni præſtantia nil aliud eſt, quam virtus, *vt ſupra lib.2. Ethic.* Ex quibus perſpicuum eſt, victores in bello victis non tantum vi, ſed virtute quoque eſſe ſuperiores. Si virtute; ergo iure & merito victis imperant. Siquidem conſtet inter omnes, virtuti imperium deberi.

Seruitutis bello captorũ aſſertio.

1. Ratio.

2. Ratio.

Ὥστε δοκεῖν.] Exponit Ariſtoteles, non poſſe iam adferri contra ſeruitutem ex bello, tanquam ſit ex vi, non ex virtute, poſtquam docuit, vim belli non eſſe abſque virtute, maxime fortitudine: de hac, inquam, re controuerſia eſſe nequit: ſed de hoc potius, an iuri ſit conſentanea, de ipſo, inquam, iure, non de virtute: quæ duæ controuerſiæ capita diligenter ſunt notanda, vt ea quæ ſequuntur obſcuriſſima intelligantur. De iure igitur controuerſia hæc eſt, quod aliis ius abſque beneuolentia nullum eſſe videatur: cuius opinionis ratio hæc eſſe videtur: quod antiquitus homines, quos viderent ſapientia & iuſtitia antecellere, ſub eorũ, tanquam tutorum & parentum, imperium ſua ſeipſi ſponte ſubiecerint: alii quoq; cum tarditate ingenii & ſtultitia res vitæ neceſſa-

De vero ſtatu huius controuerſia.

1. Opinio, nullum ius abſq; beneuolentia eſſe exiſtimantium.

ceſſarias parare ſibi non poſſent; vltro dominis ſapientioribus ſe dediderint, quemadmodum *Poſſidonius hiſtoricus apud Athenæum lib.6.* de ſeruorum ortu commemorat. Beneuolentia igitur & bona exiſtimatio magiſtratus & Dominos & proinde ius quoq; peperiſſe videtur. quod ſi verum eſt: efficitur ſeruitutem ex bello eſſe iniuſtam, vt quæ vi potius & neceſſitate, quam voluntate & beneuolentia conſtet. Contra ius alii hoc eſſe definiunt, vt præſtantior & potior imperet. Priores ius beneuolentia: hi potentia & præſtantia definiunt. Et ſane horum quoque definitio ſuam quoque habet rationem, hanc nimirũ, ex naturali ratione petitam, & communi hominum ſenſu, nimirum vt præſtantiores imperent, inferiores pareant: quo pertinet definitio iuris apud *Platonem prima politia, & aliis in locis*, quam & *Cic. in libr. de Repub.* expreſſit, qua ius eſſe dicitur id, quod ei qui plus poteſt, eſt vtile. Si igitur ius eſt, meliorem & potiorem imperare: Ergo & bello victorem: & proinde ex bello ſeruitus erit iuri conſentanea, ſiquidem dominatus.

2. Opinio eorum qui ſtatuunt, id iuris eſſe, vt potior imperet. Ratio.

TEXTVS.

Quando diſiunctis his rationibus nihil alteræ rationes firmi habebunt, neque probabile: quaſi oporteat, quod virtute eſt melius, imperare & dominari.

COMMENTARII.

Ἐπεὶ διαςάντων.] Tandem Ariſtoteles controuerſiam dirimit, docetq; eos, qui hanc ex bello ſeruitutem iuſtam eſſe pertinaciter defendant, ex parte quidem verum dicere, non tamen vniuerſe, atque adeo tandem eo delabi, vt veram ſeruitutem non ex bello, ſed ex ingenii tarditate & ſtultitia definire & metiri oporteat. Obſcurior autem ſententia horum verborum eſt: quæ mihi hæc eſſe videtur. Duæ ſunt rationes, quibus docerent non debere eſſe ſeruos, qui bello capiuntur. Prior eſt: quia dominatus debeatur virtuti, non vi aut neceſſitati. Altera; quia ſit iniuſta hæc ſeruitus. Quid ita? quia nullum ius eſſe poſſit, vbi non eſt beneuolentia, ſed neceſſitas. Has igitur rationes ait Ariſtoteles non debere diſiungi: nam alioqui abſurdum ſequi, nimirum vt iniuſtum cenſeatur, virtute præſtantem imperare; quod conſtat eſſe

abſurdum Oppugnantes igitur ſeruitutem ex bello, ſi priorem rationem dimittant, fateanturque in victoribus ſuam quoque ineſſe virtutem: ſed confugiant poſtea ad alteram, nimirum vt ſit, inquiunt, in iis virtus, tamen nullum eſt ius: quia neceſſitas non beneuolentia; ſequitur, inquam, vt in quo ſit virtus, in eo tamen non ſit ius, ſequitur, inquam, vt qui propter virtutem imperare debeat, tamen iniuſte imperet. Inde ſequitur, iniuſtum eſſe, vt virtute præſtans imperet: recte igitur Ariſtoteles ait, rationes eas non eſſe diſiungendas, id eſt, euerſa vna non eſſe ad alteram confugiendum: imperite igitur faciunt, qui ad hunc modum ſeruitutem ex bello oppugnant. aliter Ariſtoteles adhibita diſtinctione eius quod ex parte, & eius quod vniuerſe, quod mox explicabit.

TEXTVS.

Prorſus autem nitentes quidam, vt arbitrantur, iure quodam (Lex enim ius quoddam eſt) ex bello ſeruitutem iuſtam ponunt: vniuerſe autem non aiunt. Nam & contingere poteſt, vt bellorum principium ſit iniuſtum: & indignũ qui ſeruiat, nemo ſeruum eſſe dixerit: alioqui accidet, vt qui habentur nobiliſſimi, ſint ſerui, & ex ſeruis, ſi contingat, vt capti vendantur: quare eos nolunt ſeruos dicere, ſed barbaros.

COMMENTARII.

Argumentum eorũ, qui hanc ſeruitutem iuſtã oſtendere conantur.

Ὅλως δ᾽ ἀντεχόμενοι.] Priuſquam Ariſt. ſeruitutis ex bello patronos refellat, etiam alterum illorum de iure argumentum commemorat, nimirum iuſtam eſſe hanc ſeruitutem: quia ſit legitima ſeu legi conſentanea. Formula: Si eſt legitima, ergo eſt iuſta. Ratio connexi: quia lex ius quoddam eſt; puta, ius ſcriptum. Nam omne ius vel eſt ſcriptum, vel non ſcriptum. qua de re dictum ſupra *lib. 5. Eth.* Legitimã autem eſſe, oſtenſum eſt, ſupra vbi de lege ſeu iure gentium, quo bello capta tribuuntur victoribus. Ad ſummam, patroni ſeruitutis ex bello aduerſus oppugnatores duabus rationibus nixos, de quibus modo dictum, & ipſi contra docebant, & eſſe virtutem in victoribus & ius. Ius quidem duabus de

bus de cauſis: quia ius ſit potiores imperare deterioribus, & quia lex ſit hæc omnium gentium.

Ἅμα δ' οὐ φασί.] Scribendum, ὅλως δ' οὐ, &c. Sic enim & habent meliores libri, & poſtulat ſententia. Quæ vt intelligantur, ſciẽdum eſt, vt omnia, ita & virtutem & ius aliud eſſe ex parte quadam, aliud ſimpliciter & abſolute ſeu omnino, ὅλως, ἁπλῶς. Virtutem ἁπλῶς Græci vocant τελείαν, perfectam virtutem & vno verbo καλοκαγαθίαν, nimirũ omnium virtutum complexum. Virtutem ex parte vocant ſingulas virtutes, fortitudinem, &c. Ius autem ἁπλῶς vocant ius naturale, & rationi totiq; virtuti conſentaneum. Ius ex parte, quod propter aliquam vtilitatẽ certa quadam lege ſit conſtitutum. Hac iuris adhibita diſtinctione, Ariſtoteles eos qui ſeruitutem ex bello iuſtam aſſerant, recte quidem ait dicere, non tamen omnino ſeu vniuerſe, id eſt, iuſtam quidem eſſe, ratione iuris ex parte, non vero ratione iuris vniuerſi. Sic & infra *lib.3.cap.6* cum alii Democratiam probantes, iuſtum eſſe dicerent vt æqualitas conſeruetur: alii paucorum potentiam probantes, iuſtum eſſe dicerent, vt genere vel diuitiis præſtantes imperent: Reſpondet ibi Ariſtoteles, iuſtum quidem eſſe ratione iuris ex parte, ſed iniuſtum ratione iuris vniuerſi, quod virtuti eſt conſentaneum, & virtute præſtantibus, non genere vel diuitiis, vel paribus tribuit imperium. Ad eundem modum & ſeruitutem ex bello Ariſtoteles iuſtam eſſe fatetur ex parte: quia lege & iure gentium conſtituta, poſtulante id vtilitate generis humani. Vniuerſe tamen iniuſtam eam eſſe docet bifariam: primum, quia contingere poteſt, vt belli, quo ſeruitus hæc vel illa cœpit, cauſa & principium ſit iniuſtum. Formula: Si belli cauſa eſt iniuſta: ergo & omnia bello perpetrata ſunt iniuſta, oppugnata, expugnata, capta, acquiſita. Quare nõ continuo ſequitur, ſeruitutem ex bello omnem eſſe iuſtam, nimirum ex bello iniuſto. Altera etiam in bello iuſto locum habet: nimirum non dicendum eſſe ſeruum eum, qui vt ſeruiat, ſit indignus: cuius generis ſunt ſolertia ingenii, aut animi magnitudine præſtantes, quos profecto nemo ſeruos dixerit, etſi bello captos. alioqui, inquit Ariſtoteles, ſequeretur, vt etiam nobiliſſimis parentibus nati & generoſiſſimi ſint ſerui, ſi capiantur & vendantur. Formula: Si abſurdum eſt, ex nobiliſſimis parentibus ortos dicere ſeruos & quaſi ex ſeruis natos, quia

Virtus alia ἁπλῶς, alia ex parte.

Ius aliud ἁπλῶς, aliud ex parte.

Seruitus hæc iuſta ex parte.

Leg. quia lege iure gẽtium conſtituta & poſtulante, &c.

1. Ratio, cur ſimpliciter iniuſta.

2. Ratio.

captos: Ergo non omnes capti continuo dicendi ſunt ſerui, nimirum indigni qui ſeruiant. Antecedens probant & ipſi aduerſarii, hi, inquam, qui ſeruitutem ex bello iuſtam eſſe dicunt. Nam aduerſarii fatentur tales captos non eſſe ſeruos, ſed ſolos barbaros atq; ita vi veritatis victi eo recidunt, vt hi vere tantum ſint ſerui, de quibus ante explicauimus, ingenio tardi & ſtulti. Tales namque ſolent eſſe barbari, quos vnos illi ſeruos eſſe volunt.

TEXTVS.

Atque hoc cum dicunt, nihil quærunt aliud quam quod natura eſt ſeruum: de quo principio diximus. Oportet namque fateri, quoſdam eſſe, ex quibus alii quidem vbique ſint ſerui, alii minime, vel nuſquam, quomodo & de nobilitate. Nam illos quidem nõ tantum apud ſuos, ſed vbique nobiles eſſe exiſtimant: barbaros vero domi tantum, quaſi ſit quod ſimpliciter quidem ſit nobile & liberale, quoddam vero non ſimpliciter. Quemadmodũ & Theodectis Helena ait: vtrinque vero è ſtirpe Diuorum ſatam quis iure appellare ſeruam poſſit. Cũ autem hoc dicant; nulla re, præterquam virtute & vitio, definiunt ſeruum & liberum, nobiles & ignobiles. Nam vt ex homine hominem, & ex beluis beluam, ita ex bonis bonum naſci volunt. Natura autem vult illa quidem hoc facere ſæpenumero, ſed non poteſt.

COMMENTARII.

Καί τοι ὅταν.] Hæc modo ſunt explicata, ex quibus tandem effici hoc ait Ariſtoteles, fatendum eſſe, reperiri quoſdam qui plane & vbique ſint ſerui, alios, qui nuſquam, ſed vbique ſint liberi, id eſt, eſſe ſeruitutem quandam & libertatem natura. Quod quidẽ Ariſtoteles erudite explicat comparatione nobilitatis & ignobilitatis etiam aduerſariorum iudicio. Nam & hos ita ait exiſtimare, vt nobiles ſint duorum generum: alii vbiq; nobiles, alii domi duntaxat, & apud ſuos:

ſuos: id eſt, nobilitatem aliam eſſe ſimpliciter & vere, aliam ex parte & opinione: quæ nobilitatis diſtinctio inſignis & rara diligenter eſt obſeruanda, quo modo & *Cicero* ſæpe loqui ſolet, vt *lib. 7. in Verr.* Alter parens ex altera parte Erbidenſis Eubulita, homo domi ſuæ clarus & nobilis, & infra: dicit etiã cauſam Heraclius Segeſtan. homo domi ſuæ ſummo loco natus, *& lib. 5.* Soſitenus eſt Entellinus homo cum primis ciuitatis prudens & domi nobilis: *& pro Flacco*; vbi erant illi Pithodorus, & Lepiſon, cæteri, homines apud nos noti, inter ſuos nobiles. Et hanc nobilitatis diuiſionem diligenter obſeruauit Oſorius Luſitanus & explicat *lib. 1.* de nobilitate. *Nobilis alius ſimpliciter, alius domi.*

Ὥσπερ καὶ ἡ θεοδέκτου.] Theodectes, qui orator fuit & Poëta inſignis, & Iſocratis, *teſte Hermippo apud Athenæum lib 10.* diſcipulus, cuius meminit & Ariſtoteles *lib 2 Rhetoric.* Eius igitur auctoritate confirmat priorem de ſeruitute diſputationem: nimirum non continuo ſeruos eſſe, qui ab hoſte capiantur. Nam alioqui, vt ſupra dictum, conſequeretur, etiam nobiliſſimis parentibus ortos eſſe ſeruos: at hoc indignum, inquit Helena, vt qui vtroque parente, aut ſtirpe diuina ſit natus, vt hic ſeruus dicatur. *Theodectes*

Ὅταν δὲ τοῦτο λέγωσιν.] Ex hac comparatione & argumẽtatione aduerſarios ipſos ait Ariſtoteles tandem ſibi aſſentiri, nimirum libertatem & ſeruitutem, nobilitatem & ignobilitatem virtute & vitio eſſe metiendam, non fortuna aut bello.

Ἀξιοῦσι γὰρ ὥσπερ ἐξ ἀνθρώπων.] Hoc adiungit propter Helenæ exemplum, de qua dictum, etſi inter alieniſſimos tanquam ancilla verſaretur, magnifice tamen de ſe prædicare non eſſe veritam; non eſſe ſe ancillam, vtpote diuina ſtirpe progenitam. Ex quo exemplo Ariſtoteles elicit & colligit, aduerſarios virtuti tribuere & libertatem & nobilitatem. Nam Helenam non eſſe ancillam, ſed liberam & ingenuam, quia ex ingenuis parentibus ortam. Ex quo & hoc perſpicitur, aduerſarios ita exiſtimare, vt boni naſcantur ex bonis, fortes creentur fortibus; nimirum vt quemadmodum ex homine homo, ex belua naſcitur belua, ex equo non naſcitur bos, ſed ex ſuo quodque animali genere, (vt eleganter *Varro lib. 8. de ling. Lat.* & ſupra diximus *lib. 10. Ethic. ex Ariſtotele, & Lucret. lib. 5.*) ita & boni ex bonis naſcantur, fortes ex for-

 tibus,

tibus, improbi contra ex improbis, &c. Quam horum ſententiam Ariſtoteles adiungit naturæ eſſe conſentaneam. Nam id agere naturam, vt parentum corpora & propter ſummam corporis animique neceſſitudinem & συμπάθειαν animum quoque & ingenium reddant & imitentur. Etſi hũc naturæ curſum ſæpe interrumpi videmus tam in corporibus quam in animis, vel propter materiæ mutationem, vel propter deprauatam inſtitutionem & educationem; quo pertinet prouerbium: Heroum filii noxæ. Sed de hac re infra *lib.* 3. & *Plato* eleganter *in Epitaphio.* Ex his iam perſpicuum eſt, nobiles alios eſſe abſolute & ſimpliciter, alios non abſolute, ſed domi & inter ſuos: eandem quoque ſeruorum eſſe rationem & liberorum; quod adiungit Ariſtoteles.

TEXTVS.

Perſpicuum eſt igitur, controuerſiam ratione quadam niti, & non eſſe quidem hos natura ſeruos, illos vero liberos, & in quibuſdam hoc eſſe definitum, quibus partim quidem expediat ſeruire, partim vero dominari, & iuſtum ſit & oporteat hoc quidem parere, illud vero imperare, eo imperio ad quod natura ſunt apti, quare & dominari: perperam autem vtriſque eſſe inutile. Idem namque expedit & parti & toti, & corpori & animæ: ſeruus autem pars quædam domini, vt animatum quiddam corporis, ſeiuncta tamen pars: quare & vtilitas quædam & amicitia eſt ſeruo domino que inter ſe natura ad hæc aptis: iis autem qui non ad eundem modum ſint affecti, ſed lege, & vi, contra.

COMMENTARII.

Ὅτι μὲν οὖν ἔχει.] Concluſio eſt prioris diſputationis, & qua hæc duo perſpicua eſſe ait: prius, quoſdam eſſe, qui natura neque plane ſint liberi, neque ſerui: alterum, eſſe alios, quorum quidam natura ſint ſerui, quidam liberi. Nam Ariſtoteles homines in duo genera tribuere videtur: alios namque

que mediocriter eſſe ſapientes & intelligentes, alios vero ſumme ſapientes vel ſumme ſtultos: medios illos neque plane ſeruos eſſe neque liberos, & hoc eſt quod ait; οὐκ εἰσὶν οἱ μὲν φυσει. Sic enim habent meliores libri: nam in aliis abeſt negatio. Sic & ſupra ὡς ὄντι τὸ μὲν ἁπλῶς, nobiles quoq; partiri videtur, vt alii plane & vere ſint nobiles & vbique: alii non omnino neque ſimpliciter, ſed domi tantum. Alterum hominum genus complectitur vel inſigniter ſapientes, vel ſtultos; & in his ait definitum eſſe qui natura ſint liberi, qui ſerui: de quibus adiungit Ariſtoteles, quod & ſupra eſſe hanc diſtinctionem & iuſtam & vtilem, & vtrique denique caram. Cur iuſta ſit, ratio eſt, quia naturæ conſentanea, ſupra explicata. Cur vtilis, docet exemplo partium & totius. Nam vt partibus & toti idem plane expedit, ita & ſeruo ac domino expedit hæc diſtinctio, id eſt, vt dominus imperet, pareat ſeruus. Quid ita? Quia & ſeruus domini eſt tanquam pars, ſed ſeiuncta: quod ſupra explicauimus. Cara denique eſt hæc diſtinctio vtrique & efficit, vt dominus & ſeruus inter ſe ament, cum ſeruus abſque domino ſe tueri non poſſit, dominus ſerui opus habeat miniſterio. Amoris igitur inter dominum & ſeruum cauſa eſt vtilitas communis, & naturæ deſcriptio ſeu diſtinctio. Quod confirmat ex repugnantibus. Nam qui non natura, ſed lege, vi, fortuna, & bello ita ſint diſtincti, non natura, hos inter ſe perpetuo odiſſe: vnde prouerbium vetus; Quot ſerui, tot hoſtes, de quo *Feſtus & Eraſmus*. Ex his & hoc eſt perſpicuum, Ariſtotelis de ſeruitute ſententiam Iuriſconſultorum ſcriptis eſſe conſentaneam, qui volunt, ſeruitutem naturæ repugnare, homines natura liberos eſſe: præter quod Ariſtoteles non omnes natura liberos eſſe ait, ſed eos duntaxat, qui cæteris ſint prudentiores & ſolertiores; quod idem & præclare *Philo toto libro* docet, virum bonum vere & ſolum eſſe liberum; & *altero libro*, qui hodie non exſtat, ſolos improbos eſſe ſeruos: quę & Stoicorum fuit opinio, de qua *Cic. in Paradoxis.* Sed hæc philoſophica & naturalis eſt libertas & ſeruitus: alia eſt ciuilis, de qua agunt Iuriſconſulti, quæ quidem ciuilis eo melior erit, quo naturali fuerit propior & accommodatior: vt omnia ciuilia eo ſunt meliora, quo naturali rationi cognatiora. Quæri autem poteſt, An apud Chriſtianos vlla ſit ſeruitus, vel eſſe debeat. Quæ quidem quæſtio grauiſſima ita breui explicanda mihi

Sapientes aut ſtulti, alii mediocriter, alii ſumme.

An apud Chriſtianos ſeruitus permittenda?

da mihi videtur. Sunt quidem qui exiſtiment, nullam ſeruitutem eſſe debere apud Chriſtianos: propterea quod apud Chriſtum, vt ait *Paulus ad Galatas*, nullus ſit neque Græcus, neque Barbarus, vel Iudæus, nullus liber aut ſeruus: & quia Chriſtiani omnes ſint tanquam fratres, & pari iure; quibus rationibus adducti videntur Imperatores veteres Chriſtiani, vt ſeruitutem veterem non quidem totam ſuſtulerint, ſed tamen valde infregerint; adeo vt parum à libertate differre videretur, & tandem eam prorſus aboleuerint. Quod quidem quo tempore in Occidente acciderit, non facile reperias. Videor tamen obſeruaſſe, ſeruitutem in orbe Chriſtiano etiam imperante Friderico Secũdo in vſu fuiſſe. Nam & in legibus eius Neapolitanis, & in iure pontificio ea ætate compoſito ſæpe ſeruitutis fit mentio: hac tamen ætate noſtra, præterquam in Hiſpania Turcæ & Afri, nulli fere ſunt ſerui. Nam qui in Burgundia, in Bauaria, in Weſtphalia & aliis quibuſdam regionibus, Coloni ſunt potius quam veri ſerui, quorum tamen ſpeciem gerunt. Cuius generis Colonos & Veteres Romani habuerunt, de quibus *lib. 12. Codicis Imperatores.* Quid ergo dicendum? Exiſtimo, ſeruitutem neque Euangelio repugnare, aut Religioni noſtræ, aut pietati Chriſtianæ: deinde Reipublicæ eſſe vtiliſſimam, loquor de ſeruitute non quidem antiqua Romanorum nimis graui & crudeli, ſed de moderata, qualem veteres Germanos habuiſſe ſcribit *Tacitus*, & *Moſes* Ebræis conſtituiſſe videtur. Cur igitur moderata ſeruitus pietati Chriſtianæ non repugnet, hæ ſunt cauſæ. I. eſt: quia *Moſes* eam probauit, cuius inſtituta, tanquam à Deo ipſo profecta, non temere ſunt reprehẽdenda aut deſerenda, etiam politica. II. cauſa, quia *Paulus Apoſtolus in Epiſtolis ad Epheſ. Coloſſ. aliisq; in locis* hanc dominorum & ſeruorum diſtinctionem non improbare videtur, qui ſeruos iubet dominis ſuis parere, & grauiter quoſdam accuſat, qui ſpecie miniſterii Eccleſiaſtici Oneſimum ſeruum domini ſui poteſtate ſubtrahere vellent. Præterea veteres Chriſtiani ſemper hac diſtinctione ſunt vſi ad illa vſque tempora, de quibus dixi; adeo quidem vt & Synodis hæc diſtinctio cõfirmetur. Poſtremo, quia pietas Chriſtiana Reſpublicas & earum inſtituta tueatur potius, quam conuellat. At notum eſt, Chriſtiana pietate exoriente & maxime poſtea florente, hanc hominum diſtinctionem in vſu fuiſſe, & qui-

Auctoris ſententia. *1. Ratio.* *2. Ratio.* *3. Ratio.* *4. Ratio.*

quidem Reipublicæ admodum fructuoſam; qua de re mox. Aliorum rationi ita facile occurrendum eſt, adhibita diſtinctione. Nam cœleſti conditione homines omnes eſſe liberos, humana non item. Ideoque loca, in quibus de libertate communi agatur, accipienda de cœleſti & ſpiritus libertate, non de humana & ciuili: qua quidem ciuili non impediri cœleſtem, & ea eſſe vtendum quamdiu Republica: nam & cœleſti conditione neque magiſtratu neque legibus ſit opus. Seruitus igitur ciuilis cœleſti libertati non repugnat: quin potius ei conſentit: propterea quod ſeruitus ciuilis ſit pœnæ & ſupplicii genus, vt verbera, mors, &c. inquit *Auguſtinus*. Quare vt alia ſupplicia delictis & peccatis debita non repugnant libertati Chriſtianæ, ita nec ſeruitus. Reipublicæ autem vtilem & fructuoſam eſſe multis argumentis doceri poteſt. Primum quia ſit ſupplicii quoddam genus, quo vel maxime reprimi & coherceri poſſit quorundam improbitas, quos iniuſtum ſit ſtatim morte afficere. Præterea exemplo ſint omnes fere Reſpublicæ optime inſtitutæ, etiam Moſaica, quas hoc ſupplicii genere eſſe vſas conſtat. Præterea non paruum in ſeruitute adiumentum eſſe videtur ad bella & ſeditiones reprimendas. Nam non tam facile ad bellum ruerent, ſi captis vel eſſet ſeruiendum vel eſſet moriendum, vt veteri more, cum hodie omnes ſine diſcrimine pecunia dimittantur. Ad ſeditiones autem & turbas reprimendas vtiliſſima eſt ſeruitus: quarum ſeditionum parens plærumque inopia eſſe ſoleat, qua de re lib. 5. & æs alienum; optimum videretur eſſe conſilium Moſis, vt qui inopia laborarent, vel ære alieno premerentur; ne res nouas moliantur, creditoribus vel ſeruiendo ſatisfaciant ad tempus, vel in perpetuum pro debiti magnitudine. Non igitur temere ſunt audiendi, qui hanc hominum diſtributionem tot ſeculis etiam apud Iudæos & veteres Chriſtianos receptam & Reipub. fructuoſam, ne dicam neceſſariam, improbandam & tollendam ſentiant. Nam res ipſa, vt docuimus, pietati Chriſtianæ non repugnat. Quod autem Caritati, vt loquuntur Theologi, id eſt, amori & officiis Chriſtianis non repugnet, quod quidam afferunt: in modo eſt poſitum, id eſt, grauis & dura ſit ſeruitus, an lenis & facilis. Qui modus pro temporibus ſeu attributis nationum (nam Aſiatici ad duriorem nati dicuntur ſeruitutem quam vel Græci, vel maxime Germani, qua de re infra)

Contrarii argumenti ſolutio.

Seruitus Reip. vtilis.

1. Ratio.

2. Ratio.

3. Ratio.

Alterius argumẽti cõtrarij refutatio.

infra) temporum, locorum, Principum, &c. temperari & cõſtitui debet, certe definiri non poteſt. Quamuis hoc certo teneri poteſt, non ita ſeruitutem eſſe intendendam, vt herilis poteſtas plane fiat tyrannica, vt apud Romanos veteres; neque ita relaxanda, vt apud Athenienſes, tanquam nulla ſit inter ſeruos & liberos differentia. Neque vero Reipublicæ tãtum vtilis eſt hæc perſonarum diſtinctio, ſed ſingulis quoque hominibus, maxime natura ſeruis & dominis, vt ſupra explicauimus.

Singulis quoq; hominibus ſeruitus eſt vtilis.

TEXTVS.

Ex his autem perſpicuum quoque eſt, herile imperium & politicum non eſſe idem, neque omnia inter ſe imperia, vt quidam aiunt. Nam hoc quidem natura liberorum, illud vero eſt ſeruorũ: atque ratio domeſtica quidem eſt vnius imperium. Domus namque omnis ab vno adminiſtratur. Ciuilis vero, imperium eſt liberorum & parium.

COMMENTARII.

Imperium herile, politicum, &c. non eſſe ſpecie eadem.

Φανερὸν δ' ἐκ τούτων.] Explicata priori quæſtione, an ſerui ſint natura, tandem hic de altera breui explicat, an imperium herile & domeſticum idem ſit quod ciuile, quin etiam an hæc tria, vel potius an omnia imperia ſint eadem; Herile, Domeſticum, Regale, Populare, Optimatum, & Tyrannicum: de qua quæſtione & *ſupra initio cap.* 1. promiſit, ſe hic latius explicaturum, vbi monuimus, *Platonem* in hac fuiſſe ſententia, vt hæc omnia imperia exiſtimarit ſpecie & reuera eſſe eadem, ſolo numero & nominibus diſcrepantia. Nam *Plato in Eraſtis, aliisq; in locis, & maxime in Politico* omnia hæc imperia tam publica quam priuata confundit, cuius rationem ſupra attulimus. Ariſtoteles hanc eius ſententiam hîc falſam eſſe docet tribus rationibus: quarum prima eſt de differentia imperii herilis & politici, vbi hoc monendum eſt, politicum imperium ſeu rationem non eſſe intelligendam generatim de omni publico imperio, vt Regum, Populi, Optimatum, ſed nominatim & ſpeciatim de imperio eius Reipublicæ, quæ ſpeciatim Politia dicitur: etſi eadem eſt & aliarum

1. Argumẽtum.

liarum Rerumpublicarum ratio: hanc igitur politicam poteſtatem ab herili differre docet hac ratione, à materia ſeu parentibus ſumpta: quod parentes Reipublicæ ſint liberi: parentes domino ſint ſerui. Iam vero perſpicuum eſt, ſeruos à liberis differre tota natura & ſpecie. Altera ratio accommodatur ab Ariſtot. ad imperium domeſticum & ciuile. Nam hæc differre docet hac ratione à cauſa efficiente, id eſt, ab imperantibus ſumpta, & eorum diſcrimine; quod Domeſticùm imperium ſit vnius, & velut Regnum (quod ſupra dictum eſt *cap.2.*) in impares, id eſt, patrisfamilias in vxorem, liberos & ſeruos. Ciuile autem imperium non vnius, ſed eſt multorum & quidem pari iure & conditione viuentium. Multorum quidem, quia in eo Reipublicæ genere, quod politia dicitur, multi ſunt imperantes, nimirum magiſtratus varii. In eodem quoque Reipublicæ genere ciues omnes ſunt pares, omnes liberi, inter quos imperandi & parendi eſt viciſſitudo, vt inter pares. Quare iure *Cicero* Cæſarem grauiter repræhendit, qui in Repub. inter pares æquo tamen iure cum cæteris ciuibus viuere non poſſet, *lib.1 & 2. off. & alibi.* Tertia ratio primo nulla videtur afferri, tamen diligentius attendenti hæc mihi videtur eſſe, qua ars politica differat ab vtraque tam domeſtica quam herili poteſtate: quia Politicæ ſua eſt ars atque ſcientia, herilis minime. Politicæ ſuam eſſe artem eſt notum: herilem nullam eſſe artem, aut certe perexiguam, vt nec ſeruilem, mox adiungit.

2. Argumentum.

3. Argumentum.

TEXTVS.

Itaque dominus quidem non dicitur ex ſcientia, ſed ex eo quod ſit talis, item & ſeruus & liber: Scientia vero ſit herilis & ſeruilis: ſeruilis quidem, cuiuſmodi Syracuſis docuit: ibi namque mercede quis accepta pueros docebat cotidiana miniſteria: ſit autẽ & amplius talium diſciplina, vt obſonandi & alia id genus miniſteria: alia namque ab aliis differunt. Nam alia quidem munera ſunt honeſtiora, alia vero magis neceſſaria: atque ex prouerbio; Heroque Herus, Seruoque Seruus eſt prior. Atq; hæc qui-

hæ quidem ſcientiæ ſunt omnes ſeruiles. Herilis autem ſcientia eſt ars vtendi ſeruis. Dominus enim non poſſidendo ſeruos, ſed iis vtendo æſtimatur: ſed hæc ſcientia nihil habet magni aut præclari. Quæ enim ſeruum ſcire facienda oportet, hæc illum ſcire oportet imperare. Quare quibus non vacat ſibi ipſis hanc moleſtiam afferre, curator hunc honorem accipit, illi vero vel capeſſunt Rempublicam, vel philoſophantur. Cæterum ars rei parandæ ab vtraque hac differt, vt iuſta belli gerendi ratio aut venandi. Sed de ſeruo & domino hunc in modum ſit explicatum.

COMMENTARII.

Ὁ μὲν οὖν δεσπότης.] Elegans eſt & breuis clauſula de ſcientiis herili & ſeruili, & de ſeruorum miniſteriis atque officiis. Primo negat, dominum, ſeruum, aut liberum ex ſcientia ſpectandum, ſed ex eo, quod ſit talis, id eſt, dominum non dici aut ſeruum, quia hic ſeruire, ille ſciat dominari, non ex eo, ſed quia tales ſint natura, id eſt, alter natura ad dominandum factus; alter ad ſeruiendum; vt ſupra explicatum. Quare in re Herili & Seruili non quærenda eſt ſcientia, ſed naturæ affectio, id eſt, vel ſapientia & ingenii ſolertia, vel tarditas & ſtultitia.

Ἐπιστήμη δὲ.] Quadam velut correctione mitigat id, quod modo dixerat, ſeruos aut dominos ſcientia non æſtimari, ſed qualitate ſeu conditione naturæ. Ex quibus verbis colligere quis poterat nullam eſſe artem vel dominandi vel ſeruiendi. Hic igitur Ariſtoteles docet, & ſeruiendi eſſe artem & dominandi. Seruorum autem artem eſſe confirmat exemplo doctoris cuiuſdam Syracuſani, qui Syracuſis pueros pretio miniſteria domus cotidiana & vulgaria docere conſuerit. Miniſteria & operæ ſeruiles ſunt verrere, vngere, coquere, obſonare, agrum colere, &c. Quas omnes ſeruiles operas Ariſtoteles in duo partitur genera. Nam alias eſſe honeſtiores, alias magis neceſſarias & viliores; quam diuiſionẽ confirmat prouerbio, quo dicuntur ſerui alius alii præſtare, & do-

Seruiendi artem eſſe.

Seruiles operæ alia honeſtiores, aliæ viliores.

& domini alius alii: de quo *Eraſmus in prouerb.* Seruus ſeruo præſtat. Obſeruandum autem, quod ait, ex artibus & operis ſeruilib. alias eſſe honeſtiores, alias magis neceſſarias. Nam plæraque quo magis ſunt neceſſaria, eo ſunt viliora, quo minus neceſſaria, eo honeſtiora, lautiora & ornatiora. Quo principio ſeu axiomate & Ariſtoteles nixus Theologiam ſeu primam philoſophiam omnium ſcientiarum docet eſſe ornatiſſimam & præſtantiſſimam, *lib. 1. Metaphyſ. cap. 2. in fin.* vt quæ Philoſophia ſit orta non tam ob vſus vitæ neceſſarios, quam ob veritatis contemplationem. Operæ igitur ſeruiles partim ſunt lautiores & honeſtiores, partim viliores. Quemadmodum & *Cic.* diuiſit *paradoxo penult.* Sic & Iuriſconſulti ſeruos faciunt partim ordinarios, partim vicarios: honeſtiores ſerui ſunt Atrienſes, actores, diſpenſatores, cubicularii, notarii, medici, nomenclatores: viliores ſunt obſonatores, coci, vnctores, oſtiarii, mediaſtini, ſcoparii. Quo in loco Ciceronis valde mendoſo, ita legendum, alias docuimus; Atque vt in magna familia ſeruorum ſunt alii lautiores (vt ſibi videntur) ſerui, ſed tamen ſerui, vt atrienſes: pari ſtultitia ſunt, quos ſigna, tabulæ delectant, &c. *Serui alii honeſtiores, alii viliores*

Τὰ ἐγκύκλια διακονήματα.] Græci ἐγκύκλια vocant ea, quæ ad vſum cotidianum ſunt neceſſaria, ſeu officia cotidiana, vt ſternere lectos, ſtruere menſam, focum, haurire aquam, collocare ſupellectilia, purgare. Sic & infra vocat Ariſtoteles *lib. 2. cap. 7.* vbi de mulieribus Spartanis, & *Iſocr. in oratione ad Nicoc.* Latine reddamus, vſus cotidianos, negocia, munera, miniſteria. Hæc igitur ſunt artes ſeruorum, de quibus eſt tractatus Iuriſconſultorum, *De operis ſeruorum.* Herilis autem ſeu Domini ſcientia & ars nihil aliud eſt, inquit Ariſtoteles, quam ratio vtendi ſeruis; quemadmodum ars domeſtica ſeu Oeconomica nihil aliud eſt, quam ratio vtendi domo ſeu domus partibus, vxore, liberis & ſeruis & bonis ſeu re familiari. Nam vt his omnibus vtendi eſt ars domeſtica; ita ſeruis tantum vtendi ratio eſt ars Herilis. Sed enim dicet aliquis; in hoc eſſe artem Herilem, vt ſciat; quemadmodum, qui, quales parentur ſerui, & poſſideantur ſeu habeantur. Reſpondet Ariſtoteles, dominum non habitu ſed vſu ſeruorum æſtimari. Nam ratio domeſtica & ciuilis maxime ex vſu ſpectari debet, id eſt, vt vti ſciat; ex hoc vel Politicus vel Oeconomicus dici ſolet. Quare eos qui vel maximum *Ἐγκύκλια* *Ars Herilis.*

ximum pecuniæ aceruum, vel maximam familiam ſibi parauerint, neque tamen vti ſciant, hos profectò iure quis negarit eſſe vel patresfamilias, vel dominos veros. Vſus autem ſeu ratio vtendi ſeruis in eo eſt, vt imperare ſcias ſeruis, & exigere operas, quæ res, quia facilis eſt neque nimis honeſta: ait Ariſtoteles, honeſtiores hanc vtendi ſeruis artem tradere curatoribus ſeu actoribus & lautioribus ſeruis, ipſos vero vel Rempublicam capeſſere vel philoſophari. Nam hæc veterum Græcorum duo erant ſolemnia ſtudia honeſtiora, Reipub. adminiſtratio, & philoſophia: Tertium mercaturæ erat ignobiliorum: de quibus tribus vitæ generibus dictum eſt & ſupra *lib.1.Eth.cap.5.etiam ex Ethicis ad Eudemum lib.1.*

Veterũ Græcorum ſolemnia honeſtioraq; ſtudia.

H' δὲ κτητικὴ.] Interponit hic de arte rei quærendæ, de qua mox copioſe, hanc differre ab vtraque illarum, id eſt, à ſeruili & herili: cuius gratia ait eſſe artes belli iuſti gerendi, & venandi vt & infra latius capite proximo. Interpoſuit autem hanc clauſulam eo, ni fallor, conſilio, vt moneret artem rei parandæ non eſſe ſcientiam vel ſeruorum vel dominorum propriam, ſed ab vtraque diſtinctam, & illas aliis in rebus cerni, vt iam diximus.

Ars rei quærendæ.

CAPVT V.

DVo fere ſunt ſumma capita & membra artis domeſticæ: alterum de perſonis, alterum de rebus: quod ſupra monuimus. Et quidem de perſonis explicatio propria eſt artis domeſticæ. Perſonas oſtendimus eſſe trium generum, vxorem, liberos, & ſeruos. Quare explicato de ſeruorum cõditione, reliquum erat de vxore & liberis explicare. Verum Ariſtoteles, quia & de rebus iam explicare inſtituerat (nam ſeruos in rerum numero haberi oſtendimus) hac igitur de cauſa Ariſtoteles & occaſione, quia, inquam, partem attigerat, de tota ratione ſeu arte rei parandæ explicat. Et quidem hoc capite primo controuerſias de hac arte exponit: deinde eam diuidit; & vnum membrum item multipliciter diuiſum hic explicat, vbi & præclara quædam de variis vitæ humanæ generibus & inſtitutis: & omnia hominum cauſa creata & generata eſſe. Græci hanc rationem ſeu artem vocant κτητικὴν & χρηματιστικὴν: etſi magis proprie κτητικὴ eſt generis vocabulum, χρηματιστικὴ ſpeciei. Nam totius rei familiaris parandæ ratio κτητικὴ dici ſolet, & interdum χρηματιστικὴ: partis

partis autem rei familiaris eius, quæ ex rebus contrahendis paratur, ars & ratio proprie χρηματιστικὴ dicitur. Κτητικὴ quidem à κτῆσις, quod eſt totum patrimonium, ſeu facultates vniuerſæ: χρηματιστικὴ vero à χρῆμα, quod interdum cõmunius eſt, & omnem rem familiarem complectitur, ſupra *lib. 4. Ethic. cap. 1.* interdum eſt anguſtius, & pecuniam numeratam ſignificat. Latine κτῆσις à quibuſdam redditur, opes: non recte. Nam opes Latine idem, quod potentia: Cicero ſolet dicere interdum rem, interdum rem familiarem. χρῆμα quoque vt Græce bifariam accipitur, ſic & latine pecunia, interdum de tota re familiari, interdum de numis, *l. pecuniæ verbum, & l. 222. ff de verb. ſign.* Itaque κτητικὴ à *Cicerone lib. 2. Offic.* dicitur ratio rei quærendæ & rei parandæ: ſic χρηματιστικὴ dicatur ratio ſeu ars pecuniæ parandæ ſeu quærendæ. Sunt qui vertunt, rationem quæſtuariam & pecuniariam: perperam & illi, qui κτῆσιν vertunt, poſſeſſionem. Nam poſſeſſio eſt pars vniuerſæ ſubſtantiæ, vt prædia, prata, vineæ, & maxime prædia ſeu villæ: quanquam κτήσεως vocabulum, vt & χρήματος, interdum eſt latius, complectens omnem rem familiarem, interdum anguſtius de prædio, & hac anguſtiore ſignificatione κτῆσις recte verti poteſt, poſſeſſio. Sic prædium late diffuſum, id eſt, villam, vna cum agris vocant σύγκτησιν & συγκτήσεις, quæ latine latifundia & poſſeſſiones vocant, *l. 34. §. 1. de leg. 2. & l. 30. §. Titia, de adimend. legatis.* Κτῆμα autem poſſeſſionem quoque vocant: item perperam. Nam κτῆμα eſt quælibet κτήσεως, id eſt, vniuerſitatis pars: nos igitur κτῆμα reddamus membrum ſeu partem rei familiaris, vt *Cic. paradoxo 1.* In quo equidem continentiſſimorum hominum maiorum noſtrorum ſæpe requiro prudentiam: qui hæc imbecilla & commutabilia pecuniæ membra ſolo verbo bona putauerunt appellanda, cũ re ac factis longe aliter iudicauiſſent. De rei autem & rei familiaris vocabulo multa ſunt loca apud Ciceronem & apud Iuriſconſultos, *in l. rei appellatio latior eſt, quam pecunia,* &c. *ff. de verb. ſign.*

TEXTVS.

Videamus autem vniuerſe de vniuerſa re familiari & pecuniæ quærendæ ratione, priore ratione

& via: ſiquidem & ſeruus rei familiaris pars quædam eſt. Quærat igitur quis primo, ars rei quærendæ ſit ne eadem quæ domeſtica, an pars aliqua, an adminiſtra: & ſi adminiſtra, an vt ars radiorum efficiendorum eſt arti texendi, an vero vt fabrica æraria eſt arti faciendorum ſignorum: neque enim eodem modo miniſtrant: ſed hæc quidem ferramenta præbet, illa vero materiam; materiam dico ſtratum, ex quo opus aliquod abſoluitur, vt textori quidem lanæ, ſtatuarum vero fictori æs.

COMMEMTARII.

Ὅλως δὲ περὶ πάσης.] Duo hic afferuntur: vnum, cur de vniuerſa rei familiaris quærendæ ratione ſit explicandum, & quemadmodum: alterum, quid, id eſt, quæ quæſtiones. Ratio igitur, cur de re familiari vniuerſa ſit explicandum, hæc eſt: quia eius eſt vtilitas & ad artē domeſticā & ad politicā inſignis, vt inf. indicat Ariſt. in fine cap. Præterea vt melius intelligatur prior de ſeruis & dominis diſputatio: nā partes melius cognoſcuntur explicato toto. Methodus autem ſeu ratio & via explicandi de arte rei familiaris, eadem erit, inquit, quæ prior explicandi de arte ciuili & de arte domeſtica. Et hoc eſt, quod ait; κατὰ τὸν ὑφηγημένον τρόπον, nimirum συνθετικὴ ſeu conſtructio, qua partibus articulatim explicatis, tandem cognoſcatur totum. Quare poſtquam de ſeruo, qui pars eſt rei familiaris, iam explicauit; reliquum erat ad alias porro rei familiaris partes progredi, vt vniuerſum corpus & tota rei familiaris ratio cognoſcatur.

Cur de vniuerſa re familiari explicandum.

2. Ratio.

Methodus.

1. Quæſtio. Πρῶτον μὲν οὖν ἀπορήσειεν.] Triplex exponitur controuerſia: an ars rei quærendæ eadem ſit quæ domeſtica:
2. ſi non eadem; an eius, tanquam totius, ſit pars quædam: ſi ne pars
3. quidem, an ſaltem ſit adminiſtra & adiutrix: quæ quidem poſtrema quæſtio rurſus ſecatur: propterea quod artes miniſtræ duorum ſunt generum. Nam al æ ferramenta & organa, aliæ materiam ſuppeditant & ſubminiſtrant. Summa autem diſputationis, docet Ariſtoteles, neque eandem eſſe neque partem, ſed adminiſtram: etſi impropriе & populariter ars hæc rei quærendæ maxime ſpecies eius quæ naturalis dicitur,

Ariſtotelis ſententia.

dicitur, dici ſolet, & poteſt eſſe pars quædam artis domeſticæ: Verum proprie & exquiſitæ ars hæc plane eſt alia ab arte domeſtica.

Καὶ εἰ ὑπηρετικὴ, πότερον.] Obſeruanda eſt artium diuiſio qua Ariſtoteles alias facit Architectonicas, latine Principes, alias ὑπηρετικὰς, latine adminiſtras & adiuuantes, de qua diuiſione dictum eſt & ſupra nonnihil, *lib.1. Ethic. cap.1. Plato in Politico* aliis verbis artes facit partim αἰτίας, partim συναιτίους, adiuuantes. Quæ ſint Principes, ex adminiſtris cognoſci poterit. Adminiſtræ igitur ſeu adiuuantes ſunt duplices. Vel enim præbent & adminiſtrant vel ſuppeditant organa & inſtrumenta, vel materiam. in illo genere χαλινοποιητικὴ, & ὁπλιτικὴ, frænorum & armorum telorumque faciendorum artes, & ſellarum equeſtrium; quæ omnes ſunt adminiſtræ artis equeſtris & militaris, vt & mechanica & tormentorum bellicorum opifex. Dialectica quoque cæteris ſcientiis & artibus eſt adminiſtra organica. Sic radiorum confectrix ars adminiſtra eſt artis texendi. In hoc genere eſt fabrica æraria artis faciendorum ſignorum (quæ ex ære plæraque fieri ſolebant olim) adminiſtra, & ſuppeditat materiam. Sic lanarum carminator textori, & hic fulloni, & hic ſartori materiam ſuppeditant: Coriarius ſutori: materiarius fabro lignario & nauali. Nunc quæritur, vtro in genere ſit ars rei familiaris quærendæ: qua de re infra *cap.7.*

Artes aliæ ſunt Architectonicæ ſeu Principes, aliæ adminiſtræ: & hæ præbent vel organa vel materiam.

TEXTVS.

Et quidem artem domeſticam non eſſe eandem, quam artem rei quærendæ, perſpicuum eſt. Nam huius quidem eſt quærere, illius vero vti. Quæ enim præter domeſticam erit, quæ rebus ad domum pertinentibus ſit vſura: verum vtrum eius pars ſit quædam, an alia ſpecies, eſt controuerſia.

COMMENTARII.

Ὅτι μὲν οὖν οὐκ] De tribus modo propoſitis quæſtionibus primam ait eſſe facilem. Nam omnibus eſſe perſpicuum artem rei quærendæ non eſſe eandem, quam artem domeſticam. Quid ita? Quia alius artis rei parandæ, alius artis domeſticæ

Ars rei quærendæ nō eſt eadem quæ & œconom.

meſticæ eſt finis ſeu potius officium. Formula: Quarum artium diſſimilia ſunt officia & fines, hæ inter ſe differunt. At artis rei quærendæ officium eſt quærere & parare rem familiarem, domeſticæ eſt quæſitis vti. Ergo inter ſe differunt. Propoſitio nota eſt. Nam officiis & finibus plærumque diſtingui ſolent artes & ſcientiæ, vt & materia. Aſſumptionis duo ſunt membra, prius de arte quærendi, cuius finis cur ſit quærere, non explicat Ariſtoteles: quia per ſe notum ex ipſo nomine. Artis domeſticæ finis cur ſit quæſitis vti, rationem adiungit à diuiſione & partibus ſumptam, hanc: quia nulla alia ars proferri poſſit, quæ re familiari vtatur, præter domeſticam. Hoc igitur perſpicuum & clarum eſt, has artes inter ſe differre. Verum hoc non peræque eſt clarum, quemadmodum differant, an vt pars à toto, aut vt ſpecies à ſpecie, ſeu genus à genere, id eſt, an ars rei quærendæ ſit pars artis domeſticæ, an vero prorſus ab ea ſit diſiuncta, & alia plane artis ſpecies. Quam quæſtionem Ariſtoteles diuidenda arte rei quærendæ explicat. Nam duas facit Principes artis rei quærendæ partes ſeu ſpecies, naturalem & artificioſam: quarum illa artis domeſticæ pars quædam dici poſſit, hæc minime, atque adeo exquiſite nulla. Sic enim hæc vertenda & coniungenda; Ὅτι μὲν οὖν, & πότερον δὲ.

Diſcrimen inter vtrãque.

TEXTVS.

Nam ſi eſt eius qui artem rei quærendæ tenet, noſſe vnde pecunia & res paretur: res autem & diuitiæ multas partes complectuntur: certe primum agricultura vtrum pars quædam rei quærendæ an aliud quoddam genus, & vniuerſe victus procuratio, & quæſtio Cteſis.

COMMENTARII.

Εἰ γὰρ ἐστι τοῦ.] Diſtinctius affert controuerſias & quæſtiones ex differentia partium rei familiaris. Nam cum rei familiaris multæ ſint partes & membra, de ſingulis quæri poteſt, an earum quærendarum ratio & ars ſit pars artis dome-

domeſticæ, verbi gratia de agricultura, de arte pecuniaria, de venatione, de mercatura: & ad ſummam, ὅλως, vniuerſe & omnino de omni victus genere ſiue ex terra, ſiue ex pecoribus, ſiue ex venatu comparetur; an ſit, inquam, ratio ſeu ars quærendi victus ſit pars artis domeſticæ. Cur autem ex differentia partium rei familiaris hæ quæſtiones ſumantur, hæc eſt ratio, quod hæc ars in re familiari quærenda ſit occupata.

TEXTVS.

Atqui ſunt multa victus genera: quare & vitæ multæ tam animantium ſunt quam hominum: nam abſque victu viuere nefas. Quare victus differentiæ vitas animantium diſſimiles faciunt. Nam animantes partim quidem ſunt congregatæ, partim ſoliuagæ, prout illis ad victum conducit; eo quod aliæ quidem animantibus veſcantur, aliæ vero fructibus, aliæ omnibus rebus. Quare pro opportunitatibus & delectu earum natura vitas earum diſtinxit. Quia autem non idem ſingulis natura eſt iucundum, ſed alia aliis: & ipſarum, quæ animantibus & quæ fructibus verſcuntur, vitæ inter ſe differunt.

COMMENTARII.

Ἀλλὰ μὴν εἴδη.] Ariſtoteles hoc loco orditur diſtinctionem artis rei quærendæ, quam (vt modo dixi) facit bipartitam; naturalem & artificioſam: quam diſtinctionem ſumit ex ipſis rei familiaris partibus, quas vel natura ſuppeditat, vel ars & commercia. De priore igitur parte primum, quam facit tripartitam, Cuius diuiſionis ratio ex vitæ generibus & ſtudiis ſumitur: vitæ autem genera ex alimentorum & victus diſſimilitudine. Nam pro victus diſſimilitudine vitæ quoque ſtudia & genera variare. Quid ita? Quia, inquit, abſque victu & cibo nulla eſt vita. Ex victus igitur

Χρηματιστικὴ duplex, naturalis & artificioſa.

Naturalis ὑποδιαίρεσις.

differentia varia & diſſimilia ſunt vitę genera & ſtudia, ex victu, inquam, ſumenda. Quod idem Ariſtoteles monet *initio libr. 8. de conſideratione hiſtoriæ animantium*. Et prius quidem de beluis, poſterius de homine. Beluæ igitur partim ſunt gregales, & congregabiles, partim ſoliuagæ, id eſt, vita quarundam eſt ſocialis, quarundam ſolitaria: propterea quod ita poſtulet victus & alimenti ratio, nimirum quia quædam veſcantur animantibus, aliæ fructibus, aliæ omnibus. Animantibus veſcuntur leones, lupi. Et hæ fere ſunt ſoliuagæ. Fructibus veſcuntur cicures fere; & hæ fere ſunt congregabiles. Quin etiam ipſæ vel ſoliuagæ vel gregabiles inter ſe differunt, vt aliæ magis ſint vel ſoliuagæ vel congregabiles, aliæ minus, prout victus ratio & voluptas varia poſtulat. Quare ex gregalibus quædam ſunt ciuiles, & tanquam ciuitatem amantes, vt apes, grues: aliæ non item, vt piſces, boues. Tertio denique ex politicis quædam habent & imperantes & parentes, vt apes, grues; aliæ non item, vt formicæ. Quæ omnes animantium differentiæ ex victu & eius petendi ratione naſcuntur, vt & hîc & eo loco Ariſtoteles.

Beluarum diſtinctio ſecundũ varia vitæ genera.

TEXTVS.

Eadem eſt & hominum ratio. Nam horum vitæ multifariam differunt. Et pigerrimi quidem ſunt pecuarii. Victus enim ex animantibus cicuribus ſine labore ceſſantibus obuenit. Cum autem propter paſcua neceſſe ſit pecudes locum mutare, & ipſi conſequi coguntur, quaſi viuæ agriculturæ operam dantes. Alii vero ex captura viuunt, & captura alii alia. Vt hi quidem ex latrocinio: illi vero ex piſcatu, qui lacus, aut paludes, aut flumina, aut mare tale accolunt: illi vero ex auibus aut animantibus feris; maxima autem pars hominum ex terra viuit, & mitibus fructibus.

COMMENTARII.

Ὁμοίως δὲ τό.] Nunc de hominibus, id eſt, de eorum victus

ctus & vitæ generibus tribus ſummis. Primum victus genus *1. Vita ho-*
ait eſſe hominum deſidioſorum, ex paſtu pecorum: quos *minum ge-*
Græci vocant νομάδας, *Varro* & alii veteres pecuarios, inter- *nus.*
dum paſtores: quibus deſidentibus & ceſſantibus victum & alimenta afferunt pecudes & armenta; excepto, quod interdum ab vno loco in alium pecudes & armenta agere cogantur, depaſto hoc vel illo prato. Hos Ariſtoteles eleganter ait colere agriculturam viuam. Nam vt agricolæ ex terra, ita hi ex armentis & pecoribus fructum & victum capiunt. Quod autem ait, hanc victus petendi rationem eſſe hominum deſidioſorum, rem, inquam, pecuariam, & *Varro* quoque ait, & grauiſſime conqueritur *Thomas Morus in Vtopia* de Anglis.

Οἱ δ' ἀπὸ θήρας.] Alterum genus vitæ eſt captura ſeu θήρα.
Nam vt prius eſt cicurum, ita hoc τῶν θηρίων ἀγρίων, id eſt, *2. Vita ho-*
ferarum eſt animantium. Capturæ autem tria facit genera, *minum ge-*
& paulo infra adiicit quartum: Latrocinium, piſcatum, au- *nus.*
cupium, & bellum ſeu prædam belli. Quomodo & Iuriſconſulti fere differentes de naturalibus modis rerum quærendarum ſeu acquirēdi dominii genera eorum partiuntur ſub *tit. de acquirendo rer. dom. in Pand. & ſub tit. de rer. diuiſ. Inſtit.* quo pertinet vetus, vt vocat *Cic. lib. 1. Offic.* occupatio. De his autem capturæ generibus videatur *Columella*, *Varro & Plin* præter quod non agunt de latrocinio, vtpote barba-
ro & iniuſto modo: quo tamen multæ gentes olim ſunt vſæ, *Latroci-*
hodieque vtuntur: quia ſit ſpecies belli. Hoc quærendi per *nium.*
latrocinium genere vſos veteres Græcos cōmemorat *Thucyd. initio libr. 1.* adducto & poetarum teſtimonio. Nam & *Hom. odyſ. γ.* & *ι.* eius generis meminit *Strabo lib. 3.* Luſitanos maxime hoc genere vſos eſſe ait. *Tacitus* quoque Germanis notum fuiſſe. Et Francorum, Alemannorum, & Saxonum latrocinia commemorantur *in Panegyricis Maximiniano & Conſtantino Impp. inſcriptis* Omnium notiſſimi & maxime infames celebrantur Iſauri & Cilices, de quibus *l vlt. C. de feriis. & Dio lib 55. Ammianus lib. 14. & Cic. multis in locis*, vbi de bello piratico *in oratione Maniliana.* Hodie eo genere vtuntur in Syria & Ægypto Arabes, & in Scythia Tartari. Cæterum ſub tertio capturæ genere Ariſtot. complectitur aucupes & venatores. Et hoc eſt quod ait; ἀπ' ὀρνίθων ἢ θηρίων ἀγρίων, &c. Venandi alioqui vocabu-

 lum

lum etiam generale eſt, vt & Græcum, quo contineantur omnia capturæ genera: proprie tamen de quadrupedibus poni ſolet.

3. Vita hominum genus. Τὸ δὲ πλεῖστον γένος.] Tertium vitæ genus eſt agricolarum, quo pleroſque mortales vti ait, victum petentes ex terræ frugibus & arborum fructibus, quos vocat mites. Nam & arbores quędam ſunt feræ. Recte autem agriculturam à re pecuaria diſtinguit, vt & *Varro* monet, & ſequitur *Columella*: etſi *Xenophon* pene confundit: Nimirum, quia res pecuaria ſit quædam viua agricultura, quam faciunt & bipartitam, alteram proprie pecuariam, vt boum, equorum, &c. alteram villaticam, vt anſerum, columbarum, &c.

TEXTVS.

Tot igitur fere ſunt vitæ, quarum naturalis eſt actio, & quæ non permutando, aut cauponando victum reperiunt, pecuariorum, agricolarum, latronum, piſcatorum, venatorum. Alii vero & miſcentes ex his iucunde viuunt, ſupplentes inopem vitam qua parte eget, vt ſatis ei ſit, vt hi quidem pecuariorum ſimul & latronum, illi vero agricolarum & venatorum, quo modo & in aliis, prout vſus cogat, hoc modo agant.

COMMENTARII.

Οἱ μὲν οὖν.] Breuis eſt concluſio de vitæ generibus, & apertior diſtinctio. Nam perſpicue vitæ genera hîc duo facit, quorum alterum naturæ inſtinctu agat & actionem habeat naturalem, alterum in rebus contrahendis & permutationibus ſit poſitum. Naturale autem vitæ genus item facit bipartitum; ſimplex vnum, alterum mixtum. Simplicis quinque partes commemorat: pecuariorum, agricolarum, latronum, piſcatorum & venatorum: ſub quibus & aucupes & milites, de quibus infra. Quæ quinque genera ad tria reuocari poſſunt; pecuariorum, agricolarum, venatorum ſeu capientium & occupantium. Ratio autem huius diuiſionis trimembris hæc eſt: quia res ipſæ, ex quibus victus petitur (quot autem victus genera, tot eſſe & vitæ, ſupra oſtendimus)

mus) tres tantum ſunt, aut potius duæ ſummæ, ſentiens vna, altera non ſentiens: huius eſt terra, & eius fruges, fructuſque arborum, &c. illius etiam animantes quæ partim ſunt cicures, in quibus eſt ars pecuaria, partim feræ & immanes, quarum propria eſt occupatio & venatio, tertium vitæ genus. Mixta vitæ genera vtilitatis & inopiæ ſupplendæ cauſa, nimirum cum ex vno ſimplici genere tueri ſe quis nequit. Sic multi ſunt ſimul pecuarii & latrones; multi, agricolæ & venatores; plerique, agricolæ & pecuarii.

TEXTVS.

Talis igitur res ab ipſa natura omnibus dari videtur, vt ſtatim à primo ortu, ita & perfectis. Nam cum à primo ſtatim ortu quædam animantes tantum alimenti vna efferunt, vt ſatis ſit, dum quod eſt natum ſibi ipſum reperire poſſit, vt quæ vermes aut oua pariunt: quæ autem animalia in ſeipſis cibum habent ex ſe natis aliquouſque lactis quod dicitur naturam.

COMMENTARII.

Ἡ μὲν οὖν τοιαύτη.] Expoſitis naturalis victus vitæque generibus, adiungit Ariſtoteles tria præclara: primum differentiam qua natura victum hunc animantibus ſuppeditat, aliis quidem à primo ſtatim ortu, aliis perfectis demum: alterum, terræ fruges & arborum fructus, cætera denique animalia noſtri cauſa eſſe fabricata: poſtremo has naturæ diuitias, eſſe laudabiles præ cæteris & terminatas, earumque artem dici poſſe partem artis domeſticæ: de primo hîc agit. Ait igitur naturam animalibus ſuppeditare alimenta diſſimili modo, ratione, & tempore. Nam aliis quidem etiam inchoatis & nec dum perfectis, id eſt, ſtatim atque formari cœperint & articulari: cuius generis ait eſſe animalia, quæ vel vermes vel oua pariunt. Nam vermium ortus hic eſt, vt primo ſuperior pars vermis formetur, quæ formata alitur ab inferiore etiam informata, quæ poſterius paulatim articulatur, *teſte Ariſtotele lib. 3. de animantium ortu, in fine.* Eadẽ eſt & ouorum ratio. Nam ex ſuperiore oui parte pullus aut pulli pars

prima

prima incipit, id eſt, ex albumine, & dum paulatim articulatur alimentum ſugit ex luteo, *teſte Ariſtot. lib. 2. de ortu, cap. 1. & lib. 6. de hiſtoria animal. cap. 3.*

Ὅσα δὲ ζωοτοκεῖ.] Hîc de altero genere, id eſt, de perfectis iam animantibus, nimirum de horum alimentis. Nam perperam Perionius alterum hoc genus reiicit & etiam Sepulueda. *ὥστε ὁμοίως.* Animalia partim ſunt *γιγνόμενα*, partim *γενόμενα*. hæc paulo ſupra vocauit *τελεσθέντα*, perfecta iam & abſoluta. De inchoatis; quæ ſunt *γινόμενα*, id eſt, naſcentia, iam dictum. Nunc de perfectis, quæ ſunt *γενόμενα*: & hæc *γενόμενα* partim ſunt edita, partim non, partim in vtero: & ex editis partim ſunt tenera & recentia, partim adultiora, omnia tamen perfecta & *γενόμενα*. De horum igitur omnium alimentis hîc agitur. Et quidem eorum quæ ſunt in vtero, & & recens editorum alimentum ait eſſe lac, in pleriſque: nam alia etiam continuo ſibi cibum petere norunt: hoc igitur lacte ad tempus aluntur: poſtea ſibi ipſa cibum petunt ex fructibus & frugibus. Nam terra nata, ſunt animalium cauſa, & eorum cibus.

TEXTVS.

Vt & ſtirpes animantium ſint cauſa & cæteræ animantes hominum cauſa: cicures quidem & propter vſum, & propter alimentum. Ex feris autem ſi non omnes, certe pleræque victus & aliarum cõmoditatum cauſa, vt & veſtis & alia omnia ex iis fiant. Si igitur natura nihil neque imperfectum facit, neque fruſtra; neceſſe eſt, hominum cauſa hæc omnia feciſſe naturam.

COMMENTARII.

Ὥστε ὁμοίως δῆλον.] Hæc verba vt inter ſe ſint apta & Latine reddenda, difficile eſt explicatu. Certe interpretes mire variant: puto legendum *ὥστε τὰ δὲ φυτὰ*, &c. vt & reddidi Latine, omiſſis his *ὁμοίως δῆλον, ὅτι καὶ γενομένοις οἰητέον*, quæ ſunt ſpuria & ſententiam perturbantia: etſi verbum *οἰητέον* retineri poteſt, non tamen neceſſarium. Nam particula, *ὥστε*, iungi poteſt infinitiuo *εἶναι*, vt plerunque ſolet, eleganter. Hæc autem ex prioribus ita ſunt apta. Dixerat de victu animan-

mantium tam inchoatarum quam perfectarum: nunc adiungit, animantium victum perfectarum eſſe in rebus quæ ex terra oriuntur. Græci φυτὰ vocant. *Cicero*, quæ ex terra oriuntur & gignuntur, *lib. 2. de Nat. Deor.* Veteres breuiter vocant terrâ nata, *apud Gell. vbi de ll. ſumptuariis.* Vocat tamen *Cicero* interdum ſtirpes, *lib 2. de Nat. Deor. in fi. & lib. 3. de fin. Saluſt.* vocat gignentia. Hac occaſione nunc Ariſtoteles adiungit, vt ſtirpes ſunt animantium cauſa, ita animantes & omnia denique hominum cauſa à natura eſſe facta. Rationem affert hanc: quia natura nihil neque imperfectum, neque fruſtra faciat, ſed ſemper ad finem & perfectionem ſpectet, vt eſt *in Metaphyſ. lib. 10.* Formula: Si natura nihil facit fruſtra: Ergo & ſtirpes & animantes reliquæ ſunt hominum cauſa. Ratio connexi hæc eſt: quia neceſſe ſit beluas eſſe vel Deorum vel hominum cauſa: ſi aliquorũ, quod poſtulat antecedens. At non Deorum, qui animantibus neque ad vſum opus habeant. Ergo hominum. Sunt igitur animantes hominum cauſa. Verum quia animantes partim ſunt cicures, partim feræ; vtilitates quidem cicurum ait eſſe duas, alimentum & vſum. Nam & bobus veſcimur, & ad arandum vtimur. Canibus ad cuſtodiam tantum vtimur, vt equis ad vehendum. Ferarum quoque, non omnium tamen, ſed multarum, duas affert vtilitates; victum & alia adiumenta ad vitam neceſſaria. Sic ceruis & leporibus veſcimur. Ex cornibus vrorum & aliarum quarundam animantium pocula efficiuntur. Sic vnicorni ad medicamenta vtimur. Caprarum & ouium lana ad veſtes, & pellibus ad calceos, &c. De hoc autem inſigni loco copioſiſſime *Cicero libr. 2. de Natura Deor. in fi. Reſtat, vt doceam*, &c. Et *Plin. lib. 7. initio.* Sed pulcerrime *Dauid in Pſal. 8.* vbi docet per inductionem, hominum cauſa omnia eſſe facta.

Omnia hominũ cauſa eſſe.

TEXTVS.

Quare & ars bellica quodammodo ratio natura erit rei quærendæ. Nam venandi ars pars eius eſt. qua vti oportet & ad beluas & in homines, qui ad parendum nati nolunt, tanquam natura iuſtum hoc ſit bellum.

COM-

COMMENTARII.

Διὸ καὶ ἡ πολεμικὴ.] Explicatis partibus rei quærendæ, adiungit hîc de arte bellica ſeu militari, & hanc eſſe quandam velut artis rei quærendæ naturalis partem. Quid ita? Quia, inquit, ars venandi eius eſt pars. Eius, bellicæ, an rei quærendæ, dubitari poteſt. Nam ars venandi perſpicue pars eſt rei quærendæ, vt ſupra dictum, vbi θηρευτικὴν oſtendimus eſſe trimembrem: partim artis rei quærendæ: videtur tamen, eius, pertinere ad bellicam artem. Sit igitur hæc formula: ſi ars venandi, quæ pars eſt bellicæ, ſi, inquam, eſt natura: Ergo & bellica, id eſt, ſi pars eſt natura: Ergo & totum. Nam artem bellicam hîc facit bimembrem, alteram in beluas, quæ eſt ars venandi, alteram in homines natura ſeruos, quæ proprie eſt bellica. Atque ita θηρευτικὴ alias communius, vt etiam bellicam ſub ſe complectatur; alias anguſtius, vt ipſa ſub bellica comprehendatur: ars quoque bellica alias communius, vt etiam artem venandi complectatur. alias anguſtius, & proprie accipitur. Obſeruandum autem quod ait bellum natura iuſtum eſſe aduerſus homines natura ſeruos. Nam & ſupra docuit, natura liberos, bello licet captos, iniuſte tamen ſeruire. An autem nulla alia ſint bella natura & ratione naturali iuſta, explicare non eſt huius loci. Videatur *Cic. lib. 1 Offic.*

θηρευτικῆς καὶ πολεμικῆς ὁμωνυμία.

Bellũ quodnam natura iuſtum.

TEXTVS.

Vna igitur ſpecies artis rei quærendæ naturalis pars eſt artis domeſticæ, quam vel adeſſe oportet, vel efficere eam, vt adſit ad res vitæ neceſſarias parandas, & vtiles ad ſocietatem ciuitatis vel domus. Atque videntur veræ diuitię ex his conſtare. Nam talis rei familiaris copia, quæ ſatis ſit ad bene viuendum, non eſt infinita, vt Solo ait in poemate: *Nulla homini finis defixa eſt diuitiarum.* Nam poſita eſt, vt & aliis artibus. Nullius enim artis organa ſunt infinita aut multitudine, aut magnitudine. Res autem familiaris organorum eſt multitudo domeſticorum & ciuilium. Quare perſpicuum eſt, &

eſt, & eſſe quandam rei quærendæ artem naturalem patribusfamilias, & politicis, & quam ob cauſam.

COMMENTARII.

Ἓν μὲν οὖν εἶδος.] Concludit tandem diſputationem de arte rei quærendæ naturali: de qua primum hoc, eam eſſe artis domeſticæ partem, ſed improprie, vt infra *cap. 7.* Deinde de huius artis vſu & neceſſitate; nimirum patrifamilias & Reipub. gubernatori eam eſſe neceſſariam, vt vel ipſi eam norint, aut certe alios habeant, tanquam vicarios, qui eam norint. Quid ita? Quia ſine rebus ad bene viuendum neceſſariis neque domus neque ciuitas conſtare poteſt. Formula: Si rebus ad vitam neceſſariis opus eſt familiæ & ciuitati: Ergo & arte earum parandarum eſt opus. Antecedens eſt certum: in quo obſeruandum, quod ait ad bene viuendum. Nam ad viuendum tantum non ſatis ſint facultates quædam. Ciuitatibus & domo honeſta & liberalior vita ſeu beatitudo eſt propoſita. Cui non ſatis ſint bona, ex quibus tantum victites miſere, non viuas honeſte. Opus eſt igitur hîc arte rei quærendæ, nimirum vt vel ipſi eam ſciant, vel ab aliis ſcientibus rem tamen & neceſſaria capiant: quemadmodum textori opus quidem eſt lana, non tamen quam ipſe conficiat, ſed aliunde accipiat, inquit *infra Ariſtot. cap. 7.* vbi docet clarius, hanc artem illis plane eſſe neceſſariam, non tanquam partem, ſed adminiſtram, vt vel ipſi eam cum arte vel domeſtica, vel politica coniunctam teneant, vel vicaria aliorum opera vtantur.

De vſu & neceſſitate τῆς χρηματιστικῆς.

Plato lib. 2. Polit. pag. 306. lib. 17. cum ortum ciuitatum τὴν ἡμετέραν χρείαν eſſe dixiſſet, ſubiungit: ἀλλὰ μὴν πρώτη γε καὶ μεγίστη τῶν χρειῶν, ἡ τῆς τροφῆς παρασκευὴ τοῦ εἶναί τε καὶ ζῆν ἕνεκα.

Καὶ ἔοικεν ὅ γε ἀληθινός.] De vſu huius artis modo dictum: nunc de eius laude: quæ duplex eſſe poteſt: prior, quia hæc ars naturali rationi ſit conſentanea, de qua ſupra dictum: altera, quia in rebus optimis verſetur, nimirum in diuitiis veris, quæ parantur ex pecoribus, & terræ frugibus, & arborũ fructibus. In his autem veras diuitias eſſe ſitas docẽt & rerum ruſticarum ſcriptores: *Xenophon in œconom. & Cicero de ſeneƈt.* & Ariſtoteles hoc loco, hac ratione: quia in his reperiatur id quod ſatis ad viuendum: præterea, quia hæ diuitiæ non ſint infinitæ, ſed finitæ & terminatæ, contra atque putauit Solo, qui in Elegiis ait, hominibus nullum eſſe modum &

Laus artis rei quærendæ.

Vera diuitia in naturali arte rei quærendæ.

dum &

dum & finem diuitiarum; diuitias, inquam, rem eſſe infinitam: quem Solonis tamen verſiculum laudat *Plut. in libr. de cupid. & amore diuitiarum.* Verum res ita explicari poteſt, ſi dicamus, duo eſſe diuitiarum genera: nimirum alterũ quod ex pecoribus & terra paretur, alterum ex commerciis & rerum permutationibus: quorum hoc quidem infinitum eſſe docet & ipſe Ariſtoteles infra latius *cap. 7.* Sed illud eſſe finitum docet hîc hac ratione: quia artis domeſticæ ſit organum. Formula: Nulla artium organa ſunt infinita ſiue magnitudine ſiue multitudine. Nam ita infinita diuidi ſolent, vt & quantitas. At diuitiæ veræ ſunt artis domeſticæ organum, ſeu, vt & hîc & ſupra, res familiaris non tantum eſt organum, ſed multitudo & vniuerſitas organorum. Ergo res familiaris, ſeu veræ diuitiæ, res eſt non infinita. Maior propoſitio per ſe liquet. Minor explicata eſt ſupra *cap. 3.*

CAPVT VI.

ARGVMENTVM huius capitis diximus ſupra. Nam cum duo ſint genera artis rei quærendæ, vnum natura, alterum arte: expoſito priore; hic alterum perſequitur, vbi & multa de commerciorum origine & nummorum vſu.

TEXTVS.

Eſt autem aliud artis rei quærẽdæ genus, quam maxime vocant, & par eſt eam vocare artem rei quærendæ: qua nullus videatur eſſe modus diuitiarum & rei familiaris, quam vt vnam & eandem quam ſupra expoſitam multi putant propter vicinitatem. Eſt autem neque eadem quæ ſupra expoſita, neque longe ab ea abeſt. Eſt autem altera quidem ex iis natura; altera vero non natura, ſed vſu quodam fit, & magis arte.

COMMENTARII.

Ἔστι δὲ γένος ἄλλο.] Prius quam de altero hoc rei quærendæ genere explicare ordiatur, tria commemorat: Primo de nomine, hanc meritiſſimo & iuſtiſſime vulgo dici χρηματιστικήν. Nam tametſi hoc nomen eſt commune, tamen huic ſpeciei verius tribuitur, quod ſupra explicauimus *cap. 5. in princ.*

1. De nomine.

princ. Alterum, hanc efficere, vt diuitiarum nullus videatur modus aut terminus. Hæc enim id agit vt ſine fine modoq; diuitiæ coaceruentur & accumulentur. Id enim huius eſt munus & officium: qua de re infra Tertium, de quorundam 2. 3.
errore, qui propter cognationem & affinitatem, duo hæc artis quærendi genera confunderent. Affinitas in eo eſt, quod vtroque genere parentur diuitiæ. Diſſimilitudo in eo, quod alterum eſt natura in rebus terra natis, & eſt finitum: alterum arte in commerciis, infinitum.

TEXTVS.

Hinc aũt exordium de ea capiamus. Nam ex re familiari cuiuſque membri duplex eſt vſus: vterq; per ſe quidem, ſed non ſimiliter per ſe: ſed vnus quidem ſuus, alter vero non ſuus, rei, vt calcei inductio in pedes, & permutatio. Vterq; enim calcei eſt vſus. Nam qui cum eo qui calceo opus habet, permutat pro pecunia, vel cibo, vtitur calceo qua calceus eſt, ſed non ſuo vſu. Neque enim permutationis cauſa factus eſt. Eodem autem modo res ſe habet, & in aliis rei familiaris partibus.

COMMENTARII.

Λάβωμεν δὲ περὶ.] Explicaturus Ariſtoteles de arte quærendi artificioſa, quia hæc in commerciis & rerum permutationibus maxime cernatur, propterea de permutationum cauſa & vſu erudite diſſerit. Ait igitur, rerum omnium, quæ quidem rei familiaris ſint partes, earum, inquam, ſingularum duos eſſe vſus, eoſque per ſe. Nam earundem rerum vſus & ex euentu poſſunt eſſe varii, vt menſæ vſus ex euentu eſſe poteſt in foco, vt materia ſuppeditetur igni, vt baculus inde conficiatur. Sic calcei vſus ex euentu, vt ſeruiat ad verberandum, ad aliquid condendum in ocrea. Verum harum rerum vſus per ſe eſt duplex; ſuus & proprius vnus, alter nõ ſuus. Suus vſus is eſt, cuius gratia res quæque facta eſt vt calcei ad inducendum, domus ad habitandum, medicinæ ad valetudinem curandam. Vſus autem non ſuus, & tamen per ſe, eſt permutatio. Nam calceus vendi ſolet qua calceus,

Vſus rerũ ex euentu.

Vſus per ſe duplex, ſuus, & non ſuus.

non qua corium. Nam ſæpe qui corium ipſe habet, calceum petit & quærit, Itaque quia calceus, qua calceus, venditur: Ergo venditio eſt per ſe, non ex euentu, quia ſpectat ad calceum ipſum.

TEXTVS.

Nam permutatio eſt in omnibus rebus cepta quidem primo ex eo quod ſecundum naturam: quod homines alia quidem plura, alia vero pauciora quam ſatis ſit habeant.

COMMENTARII.

Ἔστι γάρ.] Hoc eo pertinet, quod dixerat modo, καὶ περὶ τῶν ἄλλων κτημάτων.

Permutationis natura & proprietas. Ἀρξαμένη τὸ μὲν πρῶτον.] Expoſita permutationis vi & quaſi natura, qua docuit eam eſſe rei vſum per ſe non ſuum: nunc de eius cauſa & origine & de eius differentiis ſeu generibus. *Permutationis cauſa ſeu origo.* Cauſam ait eſſe indigentiam & abundantiam, nimirũ dum alii plus habeant eo quod ſit ſatis, alii minus: atq; adeo dum interdum accidit, vt vnus idemque de vna re nimium habeat, de altera parum aut nihil. Hanc autem permutationum humanarum ſeu commerciorum & rerum contrahendarum cauſam, indigentiam, etiam ciuitatum, docet & Plato *lib. 2. de polit. ll. & Ariſtoteles ſupra lib. 5. Ethic. cap. 5. & hic ſupra cap. 2. & infra lib. 6. & Cic. lib. 1. Offic.* Contra igitur, vbi nulla indigentia, vt in cœleſti cœtu, nullæ ſunt permutationes, nullæ lites & iudicia.

TEXTVS.

Quo & intelligitur, mercaturam non eſſe partem artis rei quęrendæ naturalis. Nam quoad eius ſatis eſſet, deberent permutationem facere. Et quidem in prima ſocietate (hæc autem eſt domus) perſpicuum eſt, nullum eius eſſe vſum, ſed amplificatæ iam ſocietatis. Nam illis quidem omnia erant communia: his vero ſeparatis, multa rurſus & alia erant quæ pro neceſſitatibus communicari oporteat, vt etiamnum multæ faciunt

& barbaræ nationes permutando. Ipſas namque res vtiles ipſis permutant, nihil vero præterea. vt vinum pro vino dantes & accipientes, & alia eius generis ſingula.

COMMENTARII.

Ἦ καὶ δῆλον.] Mercaturam ſeu artem pecuniæ quærendæ, quam proprie χρηματιστικὴν vocant, non eſſe natura monet Ariſtoteles perſpicuum eſſe ex eo, quod dixerat de cauſa permutationis. *Mercatura non eſt à natura.* Nam naturalis ratio & ars rei quærendæ ſeruit tantum ad vſus vitæ neceſſarios, vt & vera permutatio. Mercatura vero non contenta his finibus, id eſt, rebus iis tantum, quas natura & vſus vitæ poſtulat, magis magiſq; accumulandis diuitiis deſeruit. Formula: Natura tantum quærit neceſſaria. Mercatura quærit infinita. Ergo mercatura non eſt naturalis. vel, quod eodem recidit, in hunc modum: Si mercatura eſſet ratio quærendi naturalis, ſi natura eius eſſet parens; certe nihil vltra vſus vitæ neceſſarios quæreret. Nihil enim amplius quærit natura: eaq; re naturæ diuitias philoſophi vocant parabiles & finitas. At mercatura amplius quærit. Ergo naturæ non eſt conſentanea. de aſſumtione dicetur infra.

Ἐν μὲν οὖν τῇ πρώτῃ.] Docet nunc Ariſtoteles de vſu mercaturæ, ex quo intelligatur, quatenus naturæ congruat, & quatenus diſſentiat. *De vſu mercaturæ.* Et primo quidem, nullum eius eſſe vſum in prima ſocietate, id eſt, domo, oſtendit hac ratione: *1. In prima copulata ſeu iuncta hominum ſocietate.* In hac ſunt omnia communia. & hoc eſt quod ait, οἱ μὲν γὰρ τῶν αὐτῶν. vbi communio, ibi nulla proprietas diſtincta, & proinde nulla commercia aut mercatura. In altera ſocietate ſeu communitate, vt in vicinitate & ciuitate, mercaturam eſſe neceſſariam docet hac ratione: *2. In reliquis duabus.* quia rerum dominia ſint diſtincta; qua re fieri, vt ſæpe hic habeat, quo alter egeat, & contra. Itaque ad communicationem, mutuam permutandi rationem ſeu mercaturam eſſe neceſſariam: *Ratio.* de qua permutationum cauſa, indigentia, & modo diximus. Qua de re, id eſt, de hac permutationum origine, exſtat elegantiſſimus locus *in Panegyr. Iſocr.* ἔτι δὲ τὴν χώραν οὐκ αὐτάρκη, &c.

Καθάπερ ἔτι πολλὰ ποιεῖ.] Affert Ariſtoteles duo permutationum genera: vnum antiquius, ſimplicius, & naturæ

congruentius. Alterum recentius, callidius, & magis artificioſum & à natura magis remotum: prius Græci vocant μεταβλητικὴν, & ἀλλαγὴν, & ὑπάλλαγμα, Latini fere permutationem: Cum nimirum res ad vſus vitæ neceſſariæ (χρήματα vocant Græci) non numis, ſed ipſæ inter ſe permutantur, vinum pro frumento, lignum pro carne, &c. Quod genus antiquiſſimum eſſe ex eo intelligi poteſt: quia naturæ maxime congruat, & maxime ſit neceſſarium: naturalia & neceſſaria cæteris (artificioſis illis & ſolerte cura expolitis) ſunt antiquiora. Cui & hoc eſt argumento, quod multæ barbaræ nationes, quæ plerunque maiorum mores pertinaciſſime tueri ſolent, etiam Ariſtotelis ætate hoc permutationis genere vterentur; quod de Scythis nominatim ait *Strabo lib. 7. de antiquis Græcis. Hom. Odyſ. o. & Iliad. 7.* de Romanis veteribus *Plin. libr. 33. cap. 1. & Iurisconſulti l. 1. de contrahen. emt.* De Germanis veteribus *Tacitus*; Interiores, inquit, ſimplicius & antiquius permutatione mercium vtuntur. Idem genus proxime ad naturalem rei quærendæ artem accedere docet Ariſtoteles hac ratione; quia tantum hoc agat, vt quæ ad vitæ vſus ſint neceſſaria, permutando ſuppleantur: naturę igitur eſt adiutrix & velut ſupplementum, vt modo oſtendimus. Quare merito Ariſtoteles permutationem negat eſſe mercaturæ ſpeciem ſeu artis pecuniæ quærendæ, quæ naturæ vſibus non eſt contenta. Et hoc eſt quod ait, οὐ τῆς χρηματιστικῆς, &c. Poſtremo, hoc permutationis genus eſſe ſimpliciſſimum, vbi nullæ ſint impoſturæ, artes & fraudes, monet quidem infra Ariſtoteles; ſed, vt perſpicuum, non confirmat.

1. Genus τῆς μεταβλητικῆς.
Hoc genus antiquiſſ.
1. Ratio.
2. Ratio.
Permutationis hoc genus proxime ad naturalem rei quærendæ artem accedit.

TEXTVS.

Itaque talis permutandi ratio neq; naturæ eſt contraria, neque ſpecies eſt vlla artis quærendæ pecuniæ. Eſt enim ad expletionem eius, quod natura ſatis.

COMMENTARII.

Ἡ μὲν οὖν τοιαύτη.] De hac concluſione ſeu clauſula prioris permutandi generis iam dictum.

TEXTVS.

Cæterum ex hac recte illa exiſtit. Nam ſubſidio longin-

longinquiore facto importandis quibus egerent, & exportandis quibus abundarent, neceſſario numi repertus eſt vſus. Nam res ſingulæ ad naturam neceſſariæ non facile huc illuc comportari poſſunt. Quare ad permutationes tale quid inter ſe pacti ſunt dare & accipere, quod ipſum ex rerum vitæ vtilium numero vſum ad vitam habeat facilem & commodum. Vt eſt ferrum & argentum, & ſi quod aliud eius generis. Primo quidem ſimpliciter magnitudine & pondere definitum, tandem vero & nota impreſſa à permutantibus, vt eos liberaret à dependendo. nota enim impoſita fuit ponderis index. Numo igitur iam reperto ex neceſſaria permutatione, alterum exſtitit artis quærendæ pecuniæ genus, mercatura: quæ primo quidem ſimplex fortaſſe fuit: poſt denique vſu iam artificioſior, vnde & quomodo permutando plurimum afferat lucri.

COMMENTARII.

Ἐκ μὲν τοι ταύτης.] Hic de altero permutationis genere, quæ Græcis proprie χρηματιστικὴ & καπηλικὴ dicitur: de verbo χρηματιστικῆς dictum ſupra. Verbum καπηλικῆς bifariam ſumitur, communius & anguſtius: communius quidem de omni mercandi ratione atque genere. Nam mercaturæ tria ſunt genera, *teſte Plat. in Sophiſt.* αὐτοπωλικὸν, ἐμπορικὸν, & καπηλικὸν. Primum eſt eorũ, qui ſuas ipſi res & fructus vendunt, vt ruſtici & opifices. Alterũ eſt eorũ, qui merces vel exportant vel importãt, quaſi peregrinantes. Tertiũ eſt eorum, qui domi ſuas merces vẽditant. Hęc omnia genera, aut certe duo poſteriora, vt magis vſitata mercandi nomine, Ariſt. hîc καπηλικοῦ verbo complectitur. Perperam igitur, qui hìc reddunt anguſtius de tertio genere. Latine duo fere ſunt nomina mercatorũ & propalarum. Nam veteres Latini propalas dicunt, non, vt vulgo perperam, propolas, *Cicero in Piſonem*; panis & vinum à propala & de cupa, &c. Sic habent libri ve-

De 2. genere permutationis.

1. Communior τῆς καπηλικῆς ſignificatio.

Mercatura triplex:

1 αὐτοπωλικὴ.

2. ἐμπορικὴ.

3. καπηλικὴ.

bri veteres. *Lucilius lib.5.apud Non. Marcell.* Sicuti cum primos ficus propala recentes protulit, & pretio ingenti dat primitus paucos. Sic hæc duo loca reſtituit doctiſſimus *Adrianus Turnebus. Iuſtinus libr.35.initio :* Subornant propalam quendam ſortis extremæ iuuenem. Sic enim ſcriptum eſt in quatuor libris manuſcriptis. De his duobus generibus *Cic. in Offic. lib.1.* Iam de artificibus & quæſtibus, &c. ſordidi ſunt putandi, qui mercantur à mercatoribus, quod ſtatim vendant. Nihil enim proficiunt, niſi admodum mentiantur, &c. Mercatura autem ſi tenuis eſt, ſordida putanda eſt, &c. vbi, etiam veteribus libris repugnantibus legendum puto, vt medicina, vt architectura his, &c. Inductis verbis, *vt doctrina rerum honeſtarum.* Neque enim ibi de ſcientiis liberalibus ſeu de bonis artibus, ſed de opificiis, quorum in numero ſint medicina & architectura, & ars pingendi, & fingendi, &c. quæ ſunt honeſtiora opificia: quem locum Ciceronis de mercaturæ generibus repræhendit Cælius Chalcagninus, & laudat hunc Ariſtotelis. Neque enim mercaturæ genera ex mercium copia eſſe diſtinguenda, ſed ex vſu vitæ neceſſario, quod facit Ariſtoteles. Ciceronis tamen ſententiam confirmat & *Plut. in Solon.* & vita communis. Et certe etiam Ariſtotelis ætate propalæ, quos & ἀγοραίους plerunque vocabant & apud Romanos, vt eſt *ſub tit. de nupt in ff.* viliores ſemper & pene infames ſunt habiti, nos vocamus * Kræmeros iſtos propalas. Ad ſummã, tota hæc ratio rei quærendæ vt ab Ariſtotele dicitur Καπηλικὴ, ita Latine dicatur mercatura, non, vt quidam reddunt, *Cauponaria,* vel *Cauponatrix,* ad verbum, ſed inuſitate & non ſatis Latine; etſi *Poetæ Ennio* licuit dicere: Non cauponantes bellum, &c. καπηλεύοντες πόλεμον, &c. Nunc ad rem. Mercaturæ igitur cauſam & originem deducit Ariſtoteles ex permutatione, id eſt, priore commerciorum genere. Nam cum ad vitæ vſus commercia ſint neceſſaria, res autem cõmode deportari ſemper nequeant; optima ratione factum, vt organon quoddam excogitaretur, quo huic rerum comportandarum difficultati occurreretur. Itaque numus repertus eſt, vt organum huic rei aptiſſimum. Breui vt præcidam, Commercia ſunt neceſſaria: ad hæc ſeu horum facilitatem propter longinquas exportationes & importationes neceſſarius eſt numus, qui tandem mercaturæ eſt parens & auctor, numus,

* *Imo Fürkeufferos, magis generali vocabulo.*

Mercaturæ origo.

numus, inquam, hoc rei quærendæ genus conſtituit. Nam, de quo mox, mercatura maxime in numis verſatur, in his, inquam, quærendis & accumulandis, adeo vt mercatura nihil ſit aliud, quam ratio rei quærendæ numaria, ſeu ars quærendorum numorum, ars quærendi eſt genus, numus eſt differentia. *Mercaturæ definitio.*

Κατὰ λόγον.] Quidam vertit, *per rationem*, quaſi mercaturæ cauſa ſit ratio ſeu ſolertia, ingenium, & calliditas: non recte. Nam etſi in hoc genere multum eſt artis & ſolertiæ, qua de re mox: tamen hoc non agit hic Ariſtoteles. Nam hoc vult, optima ratione illam, id eſt, καπηλικὴν, ex hac rerum inter ſe permutatione natam. Ratio iam à nobis explicata, ξενικωτέρας γὰρ, &c. propter difficultatem rerum deportandarum peregre.

Οὐ γὰρ εὐβάστακτον.] Mox vocat εὐμεταχείριστον, illo vſus eſt & Ariſtoteles *lib.1. Rhetoric.*

Διὸ πρὸς τὰς ἀλλαγάς.] Elegans eſt hic locus de numorum origine & vſu: qua de re eſt & locus *in Ethic. lib.5. cap.5. & lib.9. in princ.* ex quibus duas repeтio numorum cauſas: vnam hoc loco propter facilitatem & commoditatem mercium deportandarum adiuuandam. Altera *in Ethic. libr.5. cap 5.* eſt, ad æſtimandas merces. Nam ibi oſtendimus, ne quidē merces deportabiles tamen permutari poſſe ſine numo propter rerum inæqualitatem. Non recte igitur, qui numorum tollunt vſum, quod pene fecit Lycurgus: quia tollunt organum ad vſus vitæ maxime neceſſarium. *De numorum origine & vſu.* *1.* *2.*

Οἷον ὁ σίδηρος.] De numorum materia, eam eſſe ex rebus vtilibus, ſeu iis, quarum eſt vſus in vita, vt ex ferro, ære, argento, auro: quarum rerum vſus eſt non tantum in re numaria, ſed ferri ad arandum, æris ad bellum, & ad ſigna & ſtatuas, argenti & auri ad pocula.

Τὸ μὲν ἁπλῶς] Duo affert numorum genera, graue, & ſignatum: quorum illud ait eſſe antiquius, hoc inuentum poſterius, vt appendendi moleſtia liberarentur. *Plin. quoq; libr. 33 cap.3.* Romanos primum graui ære vſos eſſe oſtendit, & Ebræos ipſos, & *Borraus in Scholiis in Polit. Ariſtotelis.* Obſeruandum autem, quod ait ſignum & characterem eſſe notam & indicium ponderis, quantitatis, magnitudinis, σταθμοῦ, ποσοῦ, καὶ μεγέθους, id eſt, æſtimationis ſeu pretii. *Numi alii graues, alii ſignati.*

Τὸ μὲν πρότερον ἁπλῶς.] Mercaturæ duos facit gradus. Nam

primam & antiquiorem mercaturam fuiſſe ſimpliciorem; poſteriorem factam artificioſiorem & callidiorem, docente vſu, multis fraudibus & impoſturis implicatam, quemadmodum & aliæ omnes artes principio rudiores, poſterius expoliuntur, vt eleganter *Lucret. lib. 5. extremo.*

TEXTVS.

Quare videtur ars rei quærendæ maxime in numo eſſe, & officium eius poſſe videre, vnde ſuppetat copia pecuniæ: efficiens enim eſſe diuitiarum & pecuniæ. Etenim diuitias ſæpenumero faciunt numorum multitudinem: quia in hac ſit ars rei quærendæ & mercatura.

COMMENTARII.

Διὸ δοκεῖ ἡ χρηματιστική.] Hi verſus mihi perobſcuri videntur: qui ſi non ſunt mendoſi, duo ſeu tria potius iis contineri videntur: primum διὸ δοκεῖ, &c. Artem rei quærendæ in numis ſitam videri: quod idem & infra iterat; καὶ δοκεῖ περὶ τὸ νόμισμα, &c. Rationem ibi adiungit hanc; τὸ γὰρ νόμισμα: quia, inquit, numus elementum ſeu principium & finis ſit permutationum: principium quidem, vtpote organum, quo permutationes carere nequeant, vt iam explicatum: finis, quia ars rei quærendæ mercatura non alias quærit diuitias, quam numarias; numus & numorum copia, tanquam finis, mercaturæ eſt propoſita. Videtur & hîc altera reddi ratio, cur hæc ars rei quærendæ in numis maxime verſetur: καὶ γὰρ τὸν πλοῦτον πολλάκις, &c. quia plerique præter numos nullas diuitias norunt, numorum copiam, diuitias eſſe putant, Ariſtoteles vocat πλῆθος νομίσματος, vt & *lib. 1. ῥητορικῶν.* in veteribus libris *teſte Victorio*, vbi de diuitiarum partibus, numis, agris, armentis. Quia igitur diuitias ſola pecunia numerata ſeu numis plerique metiuntur: diuitiarum autem ſeu rei quærendæ ars eſt mercatura, vt mox dicetur, merito hæc in numis verſari dicitur. Alterum, καὶ ἔργον αὐτῆς τὸ δύνασθαι, &c. de officio mercaturæ, quod ait eſſe, poſſe diſpicere & videre, ex quibus rebus & quibus rationibus copia pecuniæ paretur. Cur autem eius hoc ſit officium, rationem adiungit hanc, κτητικὴ γὰρ εἶναι, &c. quia mercatura eſt ars rei quæ-

Ars rei quærēdæ in numis verſatur.

1. Ratio.

2. Ratio.

Mercatura officium.

Ratio.

rei quærendæ; quam rem multi diuitijs ſeu numis æſtimant, vt iam dictum. Tertium, cur diuitias plærique ex numis æſtiment; quia in numis mercatura diuitiarum effectrix ſit poſita. Et hoc eſt quod ait, διὰ τὸ περὶ τοῦτο εἶναι. Malim ego verbum χρημάτων, ibi πλῆθος χρημάτων induci, & intelligi νομίσματος: & particulam γὰρ, ibi καὶ γὰρ τὸν πλοῦτον, vt tria quidem illa hic dicantur, ſed duo tantum poſteriora cōfirmentur. Nam primum ex prioribus, vbi de cauſa numorum, dilucidum erat, & paulo infra explicandum καὶ περί τι τὸ νόμισμα, vt primi vna hæc ſit ratio, τὸ γὰρ νόμισμα στοιχεῖον, ſupra vbi de numorum origine clarius explicata. & hoc eſt quod ait, διὸ δοκεῖ ἡ χρηματιστικὴ, &c.

Cur quidā in numis diuitias poſitas exiſtiment.

TEXTVS.

Interdum vero contra nugæ eſſe videtur numus, & lege omnino, natura minime: quia mutata vtentium voluntate ſit nihili, neque vtilis ad vllam rem neceſſariam; & numo abundans ſæpe victu neceſſario egeat. Atqui abſurdum, tales eſſe diuitias, quibus affluens fame conficiatur: quemadmodum & de Mida illo fabulantur propter inexplebile votum, cum omnia illi apponenda fierent aurea.

COMMENTARII.

Ὁ δὲ δὴ πάλιν.] Quia dixerat modo, numos vulgo tanti plærumque fieri, vt nullas pene alias diuitias norint: Ariſtot. eorum errorem & deprauatum iudicium hic reprehendens, docet, numos ſeu pecuniam nihil eſſe, neque in ea veras diuitias eſſe collocandas: atque has ex numis diuitias non eſſe natura, ſed lege & inſtituto. Numum igitur eſſe lege, non natura, docet hac ratione: quia vtentium arbitrio mutetur. Nam quanti volunt homines vt valeat numus, tanti valet: qui iidem ſi volunt, plane tollitur. Eſt igitur νόμῳ: vnde & nomiſmatis vocabulum ait eſſe Ariſtoteles *lib. 5. Ethic. cap. 5.* Atque ita hominum arbitrio numus etiam plane inutilis reddi poteſt. Ex quo conſequitur, numorum diuitias non eſſe veras, quarum vſus eſt & finis, ad vitam recte degendam

Diuitiæ veræ non ſunt in numis.

 eſſe

eſſe vtiles ad vitæ vſus neceſſarios. Formula: Veræ diuitiæ ſunt ad vſus vitæ: nam quo mihi fortuna, inquit Horatius, ſi non conceditur vti? At numi arbitrio hominum ſæpe ſunt inutiles: quin etiam manente eorum precio, quia res aliæ nõ ſuppeditent numis comparandæ. Quod exemplo Midæ Regis Phrygiæ, de quo apud *Ouid in Metamorph.* confirmat: vbi obſeruandum Ariſtotelis dictum præclarum: etiam pecunia affluenti tamen fame ſæpe pereundum eſſe. Numi igitur ſunt inſtituto, & in numis non ſunt veræ diuitiæ.

TEXTVS.

Quare alias quærunt diuitias ſeu rem, & quærendæ rei artem, recte quærentes. Eſt enim alia ars rei quærendæ & diuitiæ, quæ natura. Et hæc quidem ad artem domeſticam pertinet. Mercatura vero rerum eſt efficiens, non omnifariam, ſed rebus permutandis. Et videtur hæc eſſe in numo. Nam numus elementum & terminus eſt permutationis.

COMMENTARII.

Διὸ ζητοῦσι.] Ait multos, cognito, non eſſe in numis veras diuitias, alias quærere. Nam eſſe & alias diuitias, vt agros, vineas, armenta, pecudes, &c. & aliam quærendæ rei rationem, nimirum agriculturam, pecuariam, &c. quas diuitias naturæ, vt & rationem earum quærendarum, eſſe ait, hoc loco, & ſupra latius.

Καὶ αὕτη μὲν οἰκονομική.] Totus hic locus præclariſſimus eſt contentio ſeu comparatio duorum, & diuitiarum ſeu rei, & artium eius quærendæ generum. Vtriuſque natura iam prius explicata: de diuitiis ſeu re ipſa iam dictum, alteras eſſe naturales, alteras inſtituto & lege conſtare; illas quidem veras, has non item, Hic de arte vtraque. Nam verarum eſſe œconomicam, id eſt, artem domeſticæ, & tuendæ domui deſeruire; hoc eſſe eius officium & finem. Alteram vero, mercaturam, eſſe quidem & illam rei quærendæ artem, ſed alia ratione, non ex fructibus agrorum, aut pecorum, ſed ex rerum inter ſe permutationibus & commerciis. Differunt igitur via & ratione quærendi. Nam mercaturæ ratio eſt permutatio;

Cõparatio χρηματιστικῆς καὶ οἰκονομικῆς.

alte-

alterius eſt agricultura, paſtio, &c. Differunt & materia: quia hæc naturalis in fructibus, mercatura in numis verſatur. Et hoc eſt quod ait, τὸ περὶ τὸ νόμισμα, &c. quæ verba ſupra explicauimus.

TEXTVS.

Atque hæ diuitiæ, quæ ex hac rei quærendæ arte, infinitæ. Vt enim ars medendi ad ſanandum infinite fertur, vt ars quæque ad finem infinite (hūc enim quam maxime efficere volūt) ea autem quę ad finem, nō infinite petunt (omnibus enim finis eſt terminus.) Finis autem tales diuitiæ & rerum quæſtio. Artis autem domeſticę, non artis rei quęrendæ, eſt terminus. Nam artis domeſticæ non eſt hoc officium.

COMMENTARII.

Καὶ ἄπειρος δὲ.] Sic legendum videtur, non δή, vt ſæpe alias in Ethicis dictum. Nam nouæ diſputationis hic eſt principium, ſeu potius nouæ comparationis. Nam etiam hic pergit explicare diſſimilitudines duarum & diuitiarum & artium harum: etſi de arte domeſtica potius nunc agere videtur. Eſt autem hic locus inſignis de modo & fine diuitiarum: quem locum & ſupra attigit, vbi de veris diuitiis, quas finitas & terminatas eſſe ibi docuit: hic de alijs diuitijs, id eſt, de numis. Harum igitur diuitiarum nullum eſſe modum & finem oſtendit erudite. Alij quidem ſcriptores & idem aiunt, vt *Solo*, cuius verſiculum ſupra attulit, & *Cic.* late *in paradox.* contra Craſſum. *Horat. lib. 1. Ep. 2.*

Semper auarus eget; certum voto pete finem.

Et Ariſtoph. eleganter πάντων πλησμονή, ἡ πλούτου, (alias, πολλὴ πλούτου) nulla diuitiarum ſatietas. Diuitiæ igitur quia ſunt duorum generum, & quia earum quærendarum ratio item eſt bipartita; veras quidem diuitias eſſe terminatas, alteras interminatas hic oſtendit, argumento à fine, & ijs quæ ad finem, ſumpto. Diuitias igitur mercaturæ ſeu artificioſas eſſe interminatas docet hac ratione: quia diuitiæ ſint mercaturæ finis. Formula: omnium artium fines ſunt interminati *Diuitiæ mercaturæ interminata.*

& in-

& infiniti. At mercatorum finis ſunt diuitiæ. Ergo ſunt interminatæ. Propoſitionem confirmat ſeu explanat exemplo artis medendi. Rationem autem propoſitionis adiungit hãc, ὅτι μάλιστα γὰρ ἐκεῖνο βούλονται ποιεῖν: quia hoc agunt artes, vt finem ſibi propoſitum aſſequantur. Quid ita? quia finis eſt bonum per ſe & ſuapte natura expetendum. Medicus igitur omnes neruos ad ſanitatem efficiendam contendit, infinite, id eſt, non ante quieſcens, quam eam efficiat: vt orator perſuaſionem & fidem: Iuriſconſult. æquitatem: politicus εὐνομίαν & beatam vitam. Aſſumptio explicata eſt ſupra, videlicet mercaturæ finem eſſe diuitias. Hæ igitur diuitiæ ſunt interminatæ, adeo vt nullus earum neque ſit modus neque finis. Naturales autem diuitias terminatas eſſe docet hac ratione: quia hæ artis œconomicæ rei quærendæ non ſint finis, ſed ea quæ ad finem. Formula: Ea quæ ad finem, id eſt, ὄργανα & adiumenta finis aſſequendi, ſunt terminata. At naturales diuitiæ arti rei quærendæ œconomicæ ſunt ea, quæ ad finem. Ergo ſunt terminatæ. Propoſitionis ratio, πέρας γὰρ τὸ τέλος πάσαις, quia, inquit, finis artium eſt earum meta & terminus, id eſt, artes ſuum quæq; finem aſſecutæ conquieſcunt, etiam vno organo: vt Medicus, ſi vel vno medicamento ſanitatem effecerit, acquieſcit. Sed de propoſitione dictum eſt & ſupra, vbi de organis diximus, nulla eſſe vel magnitudine vel multitudine interminata. Iam de aſſumptione dictum eſt ſupra arti domeſticæ diuitias non eſſe propoſitas, tanquam finem, ſed tanquam organa ad tuendam familiam. Ex quibus intelligitur, quid cauſæ ſit, cur alij diuitias perſequantur ſine fine modoque, alij bono modo, vt dicunt Iuriſconſulti. Intelligitur & hoc, quæ diuitiæ ſint finitæ, quæ infinitæ.

Diuitiæ naturales terminatæ.

Ratio.

Οὐ γὰρ τοῦτο τῆς οἰκονομικῆς.] Artis domeſticæ eſſe terminum, non vero artis rei quærendæ, docet hac ratione: quia aliud huius quam illius ſit officium: huius parare diuitias, illius partis vti; vſui certus & definitus eſt finis; niſi forte ſit ſtulti vſus. Etſi hæc ex prioribus ſunt planiora, vbi de diſcrimine finis & eorum quæ ad finem.

TEXTVS.

Quare hactenus quidem videtur, omnium diuitiarum

uitiarum oportere eſſe terminum: Verum in vita ſeu factis contrarium accidere videmus. Omnes namq; infinite rebus quærendis dediti pecuniam augent; in cauſa eſt earum vicinitas. Mutat enim vſus eiuſdem rei vtriuſque artis rei quærendæ. (Nam eiuſdem vſus eſt quæſtio) ſed non eodem modo; Sed huius quidem alius eſt finis; illius vero amplificatio. Itaque videtur quibuſdam hoc eſſe artis domeſticæ opus & munus: atque perſtant, rati ſic faciundum, vel in conſeruandis vel in augendis numis infinite. Huius autem effectionis cauſa; quia ſtudeant, vt viuant, ſed non vt bene viuant. Ea igitur cupiditas quia eſt infinita, & efficientia infinita cupiunt.

COMMENTARII.

Cur vulgo inexplebilis ſit diuitiarum cupiditas.

Διότι μὲν φαίνεται ἀναγκαῖον.] Etiam nunc perſequitur cauſas inexplebilis cupiditatis diuitiarum ſeu pecuniarum. Ait autem, multos quidem arbitrari & ſic ſentire, omnium diuitiarum modum & finem quendam eſſe debere, ſed contra tamen facere, vident ſcilicet meliora, ſed non ſequuntur. Cur autem contra ſenſus & conſcientiam plerique infinite diuitias accumulent, cum tamen ipſi modum quendam earum eſſe debere fateantur; trifariam explicat. Multi *1. Cauſa.* igitur quia vident boni patrisfamilias diuitias non eſſe interminatas, exiſtimant omnes diuitias tales eſſe debere, contra tamen faciunt. Quid ita? quia diuitiarum quærendarum artes duæ maxime ſint cognatæ: vicinitas harum artium eſt in cauſa, cur contra atque ipſi exiſtiment infinitas diuitias perſequantur. Vicinitas earum in hoc eſt, quod vtraque ſit eiuſdem rei, id eſt, diuitiarum: qua vicinitate inducti putant, plane eſſe eaſdem, atque ita vtriuſque idem eſſe officium & finem, vnius fine in alteram translato. Atque ita patrisfamilias officium putant infinite diuitias congerere, vt mercatores; ſed errant. Nam ſunt quidem hæ artes eiuſdem rei, ſed alio atque alio modo. Nam mercatoris eſt parare & augere diuitias, patrisfamilias vti. Atque hunc in modum puto explican-

plicandum hunc locum difficilimum. Quare legendum ἑκατέρας, vt habent libri emendatiores, non ἑκατέρα. & inducenda ſunt hæc verba, τῆς γὰρ αὐτῆς ἐστι χρήσεως. Nam eleganter hæc velut per ἀντίθεσιν inter ſe reſpondent, ἡ χρῆσις τοῦ αὐτοῦ, ἀλλ' οὐ κατὰ ταυτόν. Et κτῆσις χρήσεως abſurda eſt phraſis. Perionius & Sepulueda valde laborant, ſed fruſtra: nullum reperiunt ſenſum.

2. *Cauſa.* Αἴτιον δὲ ταύτης διαθέσεως.] Altera eſt cauſa inexplebilis diuitiarum augendarum cupiditatis, hæc; Quia plæriſque curæ potius eſt, vt viuant, quam vt bene viuant. Formula: Vitæ cupiditas eſt interminata. Nam natura quam diutiſſime ſeipſam tueri ſtudet, ſui eſt conſeruatrix. At plærique diuitias quærunt viuendi cauſa. Ergo ſunt infinitæ, vt ipſa vitæ cupiditas. De aſſumptione certum eſt, plæroſque diuitias tanquam vitæ viatica neceſſaria quærere; hoc agentes, ne quid vnquam vitæ tuendæ deſit; minime ſolicitos, vt recte & liberaliter viuant. Quo pertinet *Ciceronis dictum in Catone Maiore* mirantis & reprehendentis ſenum auaritiam, qui de viatico tantopere laborent, quibus parum viæ ſit reliquum. Recte igitur Ariſtoteles, quia vitæ cupiditas, inquit, eſt infinita, diuitias vitæ conſeruatrices infinite expetunt. Obſeruanda autem eſt elegans contentio τοῦ ζῆν καὶ τοῦ εὖ ζῆν. Latini dicunt, viuere & bene viuere, interdum liberaliter.

T E X T V S.

Qui autem & bene viuere contendunt, quod ad corporis voluptates, quærunt. Itaq; quia & hoc in re familiari videtur eſſe, & omne ſtudium in quærenda re eſſe: eaq; propter aliud artis rei quærendæ genus exſtitit. Nam cum nullus ſit voluptatis modus, effectricem immoderatæ voluptatis quærunt: & ſi per artem rei quærendæ nequeunt reperire, alia id aggrediuntur via, ſingulis facultatibus vtentes non ſecundum naturam. Fortitudinis namque non eſt pecuniam conficere, ſed animos; neque artis militaris, & medendi, ſed illius quidem victoriam, huius vero ſanitatem. At hi

At hi omnes faciunt rei quærendæ artes quaſi hic ſit finis, ad finem autem omnia oporteat conferre.

COMMENTARII.

Ὅσοι δὲ καὶ τοῦ εὖ ζῆν.] Quia modo dictum de comparatione viuentium ſeu vitæ, & liberalis vitæ: expoſito de iíſ, qui vitæ cauſa diuitias quærunt, nunc & de liberaliter viuentibus adiungit. Ait igitur, & liberaliter ſeu potius luxurioſe viuentes, item diuitias quærere ſine modo, vt priores. Rationem affert hanc; Quia voluptates, quarum cauſa hi diuitias quærunt, ſint interminatæ. Nam corporis voluptatum in his hominibus nullus eſt modus, nullus finis; eſt, inquit, ὑπερβολή. Formula: Si voluptatum non eſt modus: Ergo nec diuitiarum. Connexi ratio, quia diuitias tanquam organum voluptatum quærunt, eaſque ad voluptatem, tanquam ad finem, referunt. quod idem & *Cic. lib.*1 *Offic.* Ab alijs, ait, quæri diuitias ad vſus vitæ neceſſarios, ab aliis ad perfruendas corporis voluptates, ab aliis ad ambitionem & opes. Idem & *lib. 2. de Fin.* Magni enim æſtimabat pecuniam non modo non contra leges, ſed etiam legibus partam: quæ quidem vel cum periculo eſt quærenda nobis: eſt enim effectrix multarum & magnarum voluptatum. Et Princeps *Plato in Phædone: τὰ δὲ χρήματα ἀναγκαζόμεθα κτᾶσθαι διὰ τὸ σῶμα,* &c. De antecedente, id eſt, an voluptates ſint infinitę, dictum eſt, *lib.*10. *Eth. cap.*3. Nam voluptates veræ non ſunt infinitæ, contra atque putauit *Plato in Philebo*: ſed inanium, inquit *Cic. lib.1. de Fin.* nullus eſt modus neque finis. Præclare igitur Ariſtoteles hominum luxurioſorum & elegantium omnem διατριβὴν, ſtudium & curam ait eſſe in diuitijs ſeu pecunia conquirenda; quia voluptates, quas infinite ſectantur, efficiant. de voluptatibus corporis agit: nam animi voluptates non efficiuntur pecunia, ſed ſtudijs honeſtis, vt quæ ex liberalibus artibus capiuntur. *3. Cauſa.*

Καὶ τὸ ἕτερον εἶδος.] Adhuc duo artis quærendi rem genera, naturalem & artificioſam, explicauit: hic ex horum vita luxurioſorum tertium genus exſtitiſſe ſeu ortum eſſe ait, à prioribus duobus diſtinctum fine & modo ſeu via quærendi. Nam primi generis finis eſt tuitio familiæ, ſecundi ipſæ *Triũ horũ vita generũ diſtinctio à fine & modo.*

diui-

diuitiæ, ſeu earum cumulus, tertij voluptatum perfruitio. Via autem & ratio quærendi, primi quidem eſt multiplex, vt agricultura, pecuaria; ſecundi mercatura; tertij facultatum abuſio. De fine notum negocium: de facultatum abuſione ita intelligendum: hos homines omnem mouere lapidem ſeu omnes quærendarum pecuniarum rationes anquirere, & naturalem & mercaturam, & fænerandi, & ſi quæ ſunt aliæ: his vſitatis quærendi rationibus deſtituti, aliam ipſi quęrunt turpiſſimam, nimirum facultatum abuſionem. Facultates vocat artes & virtutes, quas hi faciunt mercenarias & quæſtuarias, contra ipſarum naturam, hac ſola de cauſa vt voluptatum ęffectricem, pecuniam, quolibet modo conſequantur. Eſt autem præclarus hic & memorabilis locus de artium vſu & abuſu. Nam medendi artis vſum eſſe effectionem ſanitatis; Iuriſconſulti, inter ciues æquitatis; Ducis ſeu Imperatoris, victoriæ: ſed multi his præclaris artibus ad quæſtum abutuntur, alij voluptatum cauſa, alij opum, alij auaritiæ.

TEXTVS.

De ratione igitur rei quærendæ & ea quæ non eſt neceſſaria, & quæ ſit, & quam ob cauſam ea opus habeamus, dictum eſt: & de neceſſaria, hanc ab illa quidem eſſe aliam, domeſticam vero ſecundum naturam, quæ in victu, non vt illam interminatam, ſed quæ terminum habeat.

COMMENTARII.

Περὶ μὲν οὖν.] Concluſio eſt primæ diſputationis de vtroq; artis rei quærendæ genere.

CAPVT VII.

QVATVOR fere hoc cap. continentur. Nam primo quæſtiones ſupra propoſitæ diſſoluuntur: deinde artes rei quærendæ inter ſe comparat & hic, vt & priore cap. vbi de arte fœnerandi: tertio de praxi ſeu vſu artium rei quærendæ, vbi ad πράξεως explicationem artes rei quærendæ diuidit, & quidem ſubtilius: poſtremo de ſcriptoribus artis rei quæ-

quærendæ, vbi de callido Thaletis conſilio ad rem parandam.

TEXTVS.

Quod autem initio in quæſtionem vocatum intelligitur vtrum patrisfamiliæ & ciuilis ſit ars rei quærendæ, nec ne, ſed oporteat hoc quidem adeſſe. Nam vt homines non efficit ars ciuilis, ſed à natura ſumptis iis vtitur: ita & victum naturam oportet ſuppeditare terram aut mare aut quid aliud: ex his autem quemadmodum oportet diſpēſare debet paterfamilias: Nam artis texendi non eſt lanas conficere, ſed iis vti, & noſſe qualis ſit, bona & apta, vel mala & inepta. Nam dubitauerit quis, cur ars quidem rei quærendæ pars ſit rei domeſticæ, ars vero medendi non ſit pars. Atqui eos, qui in domo, oportet valere, vt viuere, aut aliud quippiam ex numero rerum neceſſariarum. Quia autem eſt aliquo modo patrisfamilias & præfecti, videre quoque de ſanitate: aliquo vero modo nō, ſed Medici: ſic de re familiari, eſt quidem qua patrisfamilias: eſt vero qua non, ſed adminiſtræ.

COMMENTARII.

Δῆλον δὲ καὶ τὸ ἀπορούμενον.] Quæſtio ſupra initio capitis quinti propoſita, an ars rei quærendæ eadem ſit, quæ domeſtica; & ſi non eadem, an ſaltem domeſticæ ſit pars, an vero adminiſtra tantum. Omnis, inquit, hæc quæſtio ex his quæ ſupra ſunt explicata, intelligi poteſt. Et primum quidem nō eſſe eandem, ex eo eſt perſpicuum, quod ne quidem ſit eius pars, ſed adminiſtra. Id quod elegante ſimili illuſtrat: quo ſimili docet, artem quidem rei quærendæ & domeſticæ ſeu patrifamilias, & politicæ ſeu politico eſſe neceſſariam, ſeu rem potius familiarem: eas tamen facultates ſeu artes eſſe alias & inter ſe diſiunctas, ita vt altera alterius ſit tanquam ancilla & adminiſtra. Simile hoc eſt, quod quemadmodum *Artem œconomicā & rei quærēdæ nō eſſe eandem.* *1. Simile.*

ad ciuitatem conſtituendam neceſſarij ſunt homines arti politicæ, quæ tamen homines ipſa non efficiat, ſed natura, à qua acceptis hominibus ea vtatur, id eſt, deſcribat partes Reipub. eodem plane modo res familiaris ſeu victus arti domeſticæ eſt neceſſarius, non quem ipſa, ſed natura potius efficiat, partim ex terræ frugibus, &c. à qua natura effecto victu ſeu rebus ad viuendū neceſſarijs ipſa vtatur. Nam vt politicæ eſt ciuib. vti, id eſt, corū ordines deſcribere, alios milites, alios magiſtratus, alios opifices: ita & artis domeſticæ eſt, videre quemadmodum noſtræ diuitiæ & res familiaris

2. Simile. bene diſpenſetur. Eſt & alterum ſimile ab arte texendi: cui quidem lana eſt opus, ſed ipſa tamen eam non conficit, verum confecta vtitur, vſum nouit, quæ ad telam bona ſit & accommodata, quæ non, quæ mala, craſſa, tenuis, dura, mollis.

Obiectio. Καὶ γὰρ ἀπορήσειεν.] Etiamnum docet, artem rei quærendæ non eſſe partem artis domeſticæ, occurrens tacitæ quæſtioni. Nam ex eo quod res familiaris arti domeſticæ ſit neceſſaria, multi pertinaciter volebant effici rei familiaris artem

Solutio. eſſe artis domeſticæ partem. Quod etſi duobus ſimilibus iam refellit, hic tertio diſtinctius explicat. Nam ſi ex eo, quia victus familiæ eſt neceſſarius, efficeretur, victus rationem artis domeſticæ ſeu familiaris eſſe partem: efficeretur, inquit, & hoc, eiuſdem artis domeſticæ partem etiam eſſe medicinam, artem ſutorum, ſartorum, &c. & qualemcunque tandem artem rerum ad vitæ vſus neceſſariarum effectricem. Quid ita? quia non minus domui & familiæ eſt neceſſaria ſanitas, veſtis, calcei, &c. quam victus.

Cognatio vtriuſque artis. Ἐπεὶ δ᾽ ἐστὶ μὲν ὡς οἰκονόμου.] Nunc propius docet, coniūctionem artis rei quærendæ & artis domeſticæ, eodem de ſanitate ſimili. Nam quemadmodum de ſanitate domus ſeu familiæ partim debet laborare & eſſe ſolicitus, eamque procurare, partim non, ſed Medicus potius: (nam patrisfamilias eſt cura tantum & ſolicitudo, vt ſana ſit familia, in victu præbendo, & medico quoque vocando: ſed Medicus ſanitatem ipſam efficit, atque ita patriſfamilias quaſi deſeruit Medicus) ad eundem modum patrifamilias operam dare debet, vt omnia ad vſus vitæ neceſſaria, victus, cultus, &c. ſuppeditent; non quo ipſe hæc comparet, ſed operam tantum det, vt aſſint. Itaque ars rei quærendæ aliqua parte eſt pars artis do-

meſticæ,

meſticæ, aliqua non eſt, ſed adminiſtra tantum. Hactenus, inquam, eſt pars, ſi ita quis vocare volet, quia cura incumbit patrifamilias, vt res ſuppetat: pars vero non eſt, ſed adminiſtra potius, quatenus ars rei quærendæ victum familiæ, tanquam ancilla, efficit & procurat. Ad ſummam, perſpicuũ eſt, artem rei quærendæ non tam partem eſſe, quam adminiſtram & velut ancillam artis domeſticæ: non eſt igitur eadem, quod initio in quæſtionem vocatum fuit. Cæterum primum ſimile imitatus eſt & *Cic. lib. 4. de Fin.* vt Phidias, inquit, poteſt à principio inſtituere ſignum, idque perficere, poteſt ab alio incoatum accipere & abſoluere: huic eſt ſapientia ſimilis. non enim ipſa genuit hominem, ſed accepit à natura incoatum: hanc intuens, debet inſtitutum illud quaſi ſignum abſoluere.

TEXTVS.

Maxime autem, vt ante dictum eſt, natura oportet hoc adeſſe: nam naturæ eſt opus & munus, victum genito præbere. Omni enim ex quo gignitur, reliquum eſt victus.

COMMENTARII.

Μάλιστα δὲ, καθάπερ εἴρηται.] Hæc clauſula ad priora accommodari debet, nam hac nihil aliud, quam dicitur, non patrisfamilias, ſed naturæ eſſe officium, victum & omnia ad vſus vitæ neceſſaria ſuppeditare & præbere. Nam, inquit, ex quo quid naſcitur aut gignitur, eius reliquum eſt genito cibus & victus, id eſt, natura partim res producit, partim eas alit & auget, ſeu ex aliqua ſui parte generat, & reliqua eas alit & fouet: Breuiter, natura rerum eſt & parens & altrix.

TEXTVS.

Quare naturæ conſentanea eſt omnibus ea ars rei quærendæ, quę eſt ex frugibus & animantibus. Cum autem ea ſit duplex, vt diximus, & hæc quidem mercatura, illa vero domeſtica: & hæc quidem neceſſaria & laudabilis, illa vero in permutando poſita, iure vituperabilis. neque enim ex

natura, ſed hominibus inter ſe eſt: meritiſſimo odio habetur ars fœnerandi: quia ſit quæſtus ex ipſo nummo, non ex eo cuius gratia eſt repertus; permutationis namque gratia exſtitit, fœnus autem ipſum auget. Vnde & nomen hoc accepit: genita enim ſimilia ſunt gignentibus ipſa: fœnus autem fit nummus nummi. Quare & maxime contra naturam eſt hic quæſtus.

COMMENTARII.

Comparatio diuerſorum rei parandæ generum.

Διὸ κατὰ φύσιν ἐστί.] Inſignis eſt hic locus, quo quæſtus ſeu rationes rei quærendæ inter ſe comparantur, & maxime de arte fœnerandi. Et primum quidem ex prioribus notum eſt, duo eſſe artis rei quærendæ genera, vnam naturalem, Oeconomicam, neceſſariam; alteram artificioſam in permutando poſitam, non neceſſariam. Ex his igitur illam, vt naturæ cõſentaneam, ait iure eſſe laudabilem. Et certe hanc rei quærendæ rationem omnes veteres laudatiſſimam ſemper eſſe duxerunt. Qua de re videatur *Xenophon in Oeconom & Cic. lib. 1. Off.* vbi de generibus quæſtuum, & in *Catone Maiore:* Verum elegantiſſime *M. Cato, lib. de agricult.* imitatus, ni fallor, hunc Ariſtotelis locum. Nam vt hîc Ariſtoteles ex tribus quæſtuum generibus agriculturam laudatiſſimam, fœnus odioſiſſimum, mercaturam inter hæc duo velut mediam facit: ita & Cato Mercaturam quidem & fœnus agricultura fere eſſe quæſtuoſiora, ſed mercaturam eſſe periculoſam, fœnus ſemper habitum turpiſſimum, agriculturam & honeſtam & minus periculoſam. Cur autem agricultura maxime laudabilis ſit, hæc ratio reddi poteſt ex ſuperioribus ſumpta; Quia & in naturæ diuitijs verſetur, & his ſit contenta. Mercatura itaque iure vituperatur, eoq; magis, quo longius à naturæ finibus diſcedit. Nam, vt ſupra dictum, mercaturæ duo ſunt genera, altera naturæ adiutrix, altera prorſus aliena. Et hoc eſt quod ait, οὐ γὰρ κατὰ φύσιν, id eſt, cur mercatura iure vituperetur, hæc eſt ratio: quia quæſtum facit non ex natura, id eſt, ex terræ fructibus & animalibus, ſed ex hominum laboribus. Nam mercatores inter ſe res contrahunt, & alter ab altero capit, nulla cum natura ſeu terra, vt ait *Cic in Cato-*

Agricultura quæſtus honeſtiſſimus.

Ratio.

Mercatura quæſtus nõ æque laudabilis.

Ratio.

Catone, habita ratione ſeu contractu. Cicero tamen aliter hac de re diſtinguit *lib. 1. Off.* quem etſi reprehendit *Chalcagninus*, vt ſupra dixi, tamen probat vita communis. Huius tamen differentiæ Ariſtotelicæ confirmatio peti poteſt etiam ex iure ciuili & moribus totius fere Europæ, & maxime Germaniæ; nam & ius ciuile vetat Senatores exercere mercaturam, & olim vetitum ſemper fuit; Omnis, inquit *Cic. extremo paradox.* quæſtus Senatori eſt turpis: & hodie nobilitas hoc quæſtu contaminari, atque adeo amitti exiſtimatur: quod maiores noſtri tam accurate ſeruarunt, vt ad ludos equeſtres non admitterentur, vt neque latrones, qui mercaturam exercuiſſent.

Εὐλογώτατα μισεῖται.] Nunc de vſura ſeu potius fœnore: cuius artem Græci vocant ὀβολοστατικὴν, quod nomen Græcum Heſychius ab ἱστάναι deducit, quod interdum valet appendere: nam, vt ſupra, olim graui ære vtebantur. Oboli autem ſummus erat vſus & primus, quique in nummis velut familiam deduceret, vt As Romæ, *Demoſthen. quoque contra Aphobum & Neæram* de fœnore agens obolos nominat. Cæterum vulgo quidem ὀβολοστάτης eſt ipſe fœnerator ſeu creditor, qui & δανειστής. Sed *Polluci lib. 3* ὀβολοστάτης videtur eſſe Daniſtæ ſeu fœneratoris ſeruus, quos latine vocant Coactores, qualis fuit Horatij pater. Artem igitur fœnerandi meritiſſimo eſſe odioſiſſimam, docet hac ratione; quia à natura ſit remotiſſima. Nam fœneratio eſt ars rei quærendæ non ex naturæ diuitijs, ſed ex nummo, re prorſus ſuapte natura ſterili. Et eleganter Ariſtoteles, fœnus, inquit, eſt nummus nummi, id eſt, per fœnus nummus fit è nummo, &, vt paulo ante, fœnus nummum auget. Quid ita? Nam quemadmodum res naſcentes & editæ parentibus, & ijs, vnde naſcuntur, ſunt ſimiles & eiuſdem generis, vt homo ex hominibus, &c. ita & nummus ex nummo tanquam naſcitur per fœnus. Quare & eleganter Græci fœnus τόκον vocant, tanquam nummi partum, vt & latine fœnus tanquam fœtum ſeu fœturam pecuniæ parientis, inquit *Varro apud Gell.* Hæc igitur vna eſt ratio, cur fœnus odio haberi debeat. Eſt & altera, καὶ οὐκ ἐφ' ὅπερ, &c. quia vſus nummi verus inuertatur. ſupra namque oſtendimus nummum commerciorum cauſa eſſe repertum, vt ſit eorum velut organum & ſponſor: at fœnore nummus fit res ipſa quædam permutabilis, ſeu ex natu-

De fœneratoribus.

Ratio cur ars fœnerãdi ſit odioſiſſima.

Τόκος.

2. Ratio.

natura rerum permutabilium. Nam, tanquam equus vel veſtis, fœnore locatur nummus. Fœnus namque nihil fere eſt aliud, quam nummorum locatio. Quare & Horatius conductos nummos vocat. Has igitur duas affert rationes, cur merito odio haberi debeant fœneratores. Priorem confirmant & Iuriſconſulti, qui negant, pecuniæ, olei, vini, rerumque, quæ vſu conſumuntur, fructum conſtitui poſſe, neque poſſe pecuniæ vſum & proprietatem ſeparari, *l. ſi vini. ff. de vſufruct.* quod tamen fit & in fœnore. Sunt & aliæ odij aduerſus fœneratores cauſæ, de quibus *Molinæus in commentario de vſuris in fine. Et Hotoman. de vſur. lib. 2. cap. 1. Ariſtot. certe ſupra lib. 4. Eth.* An autem fœnus vt Chriſtianæ doctrinæ & amori inimicum, & Reipub. pernicioſum, in Republ. tamen ſit admittendum, quod facit *Plato lib. 5. de legib. in fin.* videantur hi, quos ſupra adduxi.

Rationes reliquæ.

Vtrũ fœnus in Rep. præſertim Chriſtiana ſit tollerandũ.

Καὶ οὐκ ἐφ' ὅπερ.] Id eſt, non ex eo, cuius gratia eſt repertus nummus, id eſt, ars fœnerandi eſt quærẽdi ratio ex nummo ipſo, & non ex commercijs, quorum cauſa eſt repertus.

TEXTVS.

Quia autem ea, quæ ad cognitionem ſatis explicauimus, percurrere oportet ea, quæ ad vſum. Hæc autem omnia cognitionem quidem habent liberalem, exercitationem vero neceſſariam. Sunt autem artis rei quærendæ partes vtiles; peritũ eſſe, in membris rei familiaris quæ ſint fructuoſiſſima, & vbi, & quomodo, vt equorum paratio qualis, aut boum, aut ouium, item & reliquorum animãtium. peritum namque eſſe oportet, quæ ex his inter ſe ſint fructuoſiſſima, & quæ quibus in locis. Nam alia aliis in regionibus florent. Præterea de agricultura, eaque & nuda & conſita, atque de mellificio, de aliis quoque animantibus tam natantibus quam volantibus, ex quibus adiumentum liceat capere.

COM-

COMMENTARII.

Ἐπεὶ δὲ.] Sæpe iteratum eſt in Ethicis, politicæ ſcientiæ finem nō tam eſſe ſcientiam & cognitionē, quā vſum. Quare & hic Ariſtoteles explicatis de arte rei quærendæ ijs quæ ad cognitionem pertinent, vt ars rei quærendæ quid ſit, quæ eius partes & harum inter ſe comparatio, quænam accommodatior, quæ laudabilior & contra, vtrum hæc ars ſit pars artis domeſticæ, &c. His igitur explicatis adiungit breuiter & ea, quæ ad vſum pertinent. Nam tametſi prior pars, id eſt, cognitio, ſit liberalior: tamen hæc de vſu ad vitæ vſus maxime eſt neceſſaria. Primum igitur artem rei quærendæ facit tripartitam, quarum ſingularum partium quæ ſint officia in vſu, exponit. Et primum quidem de arte rei quærendæ naturali, cuius partes & officia eſſe ait primum in re pecuaria, videre vtrum ſit vtilius, boues paſcere, an equos, an oues, & videre, quibus in locis hi reperiantur optimi. Nam oues Tarentinæ olim cæteris erant meliores, vt equi Theſſalici. Sic & de agricultura; cuius multæ ſunt partes, ſed ſummæ duæ: nuda vna, vt agrorum frumentariorum, & paſcuariorum; altera conſita, vt vinearum & hortorum pomariorum. *Cic. 2. Agrar.* nepotes vocat; qui ſyluas potius venderent, quam vineas. *In off. quoq; lib. 2. extremo* hæc πρᾶξις attingitur, vbi monet vrbana prædia præ ruſticis eſſe fructuoſiora. *Varro* prata ait eſſe omnium fructuoſiſſima, *initio lib. 1. de re ruſt.* Eadem quæſtio eſſe ſolet de animalibus, equis, bubus, columbis, piſcibus, viuarijs, &c. vtra ſint fructuoſiora auiaria an viuaria ſeu piſcinæ, an mellificia. Et hæ quidem, pecuaria, agricultura, & captura, quæ quibus præſtent fructu & vtilitate, primæ ſunt & ſummæ partes artis quærendę vel veriſſimæ ſeu propriæ partes. τοῖς ἰδιωτάτοις. Obſeruandum autem, quod agriculturam facit bipartitam. Nam aliam eſſe ψιλὴν, aliam πεφυτευμένην: illam latine vocare licebit nudam ſeu puram, hanc conſitam ſeu veſtitam arboribus, vitibus, &c. ψιλὴ eſt frumentaria.

1. Generis χρηματιστικῆς naturalis officia; quo ad vſum.

Agricultura, 1. ψιλ. 2. πεφυτευμένη.

TEXTVS.

Artis igitur rei quęrendę maxime quidem propriæ hæ ſunt partes & primæ, in permutando vero poſitæ, nimirum χρηματιστικῆς pars maxima

quidem mercatura (& huius tres partes, Nauigátio, vectura, inſtitoria. Hæ autem aliæ ab aliis dicuntur: eoque hæ quidem ſint tutiores, illæ vero maiorem afferant fructum) altera vero fœneratio, tertia vero operarum locatio: cuius hæc quidem eſt ſordidarum artium, illa vero artis expertium, & corpore ſolo vtilium.

COMMENTARII.

1. Generis artis quærẽdæ rei vſus. *Mercaturæ diuiſio.*

Τῆς δὲ μεταβλητικῆς.] Nũc de πράξει alterius artis rei quęrendæ, quæ permutationibus & commerciis continetur, cuius hic tres facit partes: maximam, mercaturam; alteram, fœnerationem; tertiã, operarum locationem. Mercaturę autem rurſus tres facit partes, quarum vna nauibus merces importet & exportet; altera plauſtris & iumentis; tertia nihil quidem importet vel exportet, ſed domi merces in foro venditet. Cuius diuiſionis ratio hęc eſt: quia vel importantur vel exportantur merces, vel non: & illæ vel mari vel terra. hinc exſiſtunt tria mercaturæ genera: aliter *Plato*, de quo ſupra. Tertium autem mercaturæ genus ab Ariſtotele dicitur παράστασις, quaſi ſtataria mercatura, inquit *Budæus*, nimirum hominum in foro deſidentium aut conſiſtentium, quos Latini propalas vocant & Inſtitores, fortaſſis item ab inſiſtendo ſiue ſtando, non ab Inſtando, vt putat *Vlp. Iuriſc. in l. 3 de Inſtit. act.* Sed hæc diuiſio ad theoriam pertinet.

Comparatio horum trium generum.

Πρᾶξις eſt in his verbis, διαφέρει δὲ τούτων, &c. Quia vna pars fructuoſior eſt altera, vt eius quæ nauibus vtitur, & rurſus altera pars, quam altera, eſt periculoſior; & hæc ipſa maritima, vt eſt apud *Catonem initio lib. de re ruſt.* Artis igitur rei quærendæ ex permutationibus maxima & ſumma pars eſt mercatura,

2. Fœneratio.

& prope vna. Fœneratio tamen & ipſa in permutationibus verſatur, non tam rerum inter ſe vel nummorum, ſed nummorum inter ſe.

ὑποδιαίρεσις.

Tertia huius artis in permutationibus pars eſt operarum locatio. Nam opera eſt velut merx: & hæc pars operaria eſt duplex, poſita partim in artibus opificum, partim in operis artis expertibus, quæ ſolo corpore pręſtentur, id eſt, in quibus ſolius corporis eſt vſus, nullus vel artis vel ingenii, vt baiulariorum, ſcopariorum, tabellariorum,

lignatorum, meſſorum, &c. Sed de hac tertia parte paulo infra diſtinctius.

TEXTVS.

Tertia autem artis rei quærendæ ſpecies inter hanc & primam. Nam & eius, quæ ſecundum naturam, partem quandam habent, & eius, quæ in permutationibus, quæ ex terra, & iis quæ ex terra naſcuntur, infructuoſa quidem, ſed vtilia, vt & materiæ confectio & omnis ars metallica. Hæc autem multas iam cõplectitur ſpecies. Multæ namq; ſpecies eorum ſunt, quæ ex terra effodiuntur.

COMMENTARII.

Τρίτον δ᾽ εἶδος.] Sic legendum, non (vt vulgo perperam) τέταρτον, teſtibus lib. vet. Nam expoſitis duobus artis quærendæ generibus, naturali & eo quod in permutationibus, de quibus & ſupra copioſe; hic nunc ſubtilius adiũgit tertium, quod metallicum dici poteſt, propterea quod rerum ſit quæ ex terra effodiuntur, quas Græci vocant metalla: quod tertium artis quærendi genus inter primum & ſecundum velut medium & interiectum eſſe ait, vtriuſque naturam participans, id eſt, aliquid habens & naturæ & artis ſeu permutationis. Nam metalla quidem natura ſuppeditat, ſed niſi arte conformentur vel in pocula, vel in gladios, vel in ſuppellectilia; & rurſus niſi permutationibus in vſum vocentur ad cibum ac nos alendos ac tuendos, prorſus ſunt inutilia. Eleganter ait hæc eſſe quidem ἄκαρπα: neque enim fructum ferunt, vt alia è terra edita frumenta, arbores, ſegetes, ſed tamen ad vitam vtilia. Huius autem metallici generis multas ait eſſe ſpecies, vt multæ ſunt metallorum, auri & argenti, æris, ferri, plumbi, ſtanni, ſulphuris, aluminis, cretæ, &c. lapides, marmor, magnes, &c. vitrum, poſtremo gemmæ & lapilli, *teſte Plinio.* Altera pars, quæ velut materia huic tertio artis rei quærendæ generi ſubiicitur, eſt ὑλοτομία, id eſt, ſyluæ ſeu materiæ exciſio, ex qua ligna ſuppeditentur ad varios vſus. *3. Generis chrematiſticæ vſus.*

TEXTVS.

De ſingulis autem his vniuerſe quidem expoſitum eſt & nunc, particulatim autem enucleare, vtile quidem ad operas, ſordidum vero immorari. Sunt autem ex operis artificioſiſſimæ, vbi minimum fortunæ: Sordidiſſimæ vero, in quibus corpora maxime fœdantur; maxime vero ſeruiles, vbi corporis plurimus vſus: maxime autem ignobiles, vbi minime virtute eſt opus.

COMMENTARII.

Concluſio.

Περὶ ἑκάστου δὲ τούτων.] Concluſio eſt diſputationis de vſu, de quo ſummatim ſeu vniuerſe allatis ſummis capitibus & membris ſe explicaſſe ait. Nam enucleate & ſubtiliter ſingula explicare, eſſe quidem hoc vtile ad operas, ſed negotium eſſe ſordidum & odioſum. Nam ad agendum & miniſteria diſtinguenda & partienda vtile eſt, noſſe agrorum, pecorum, mercium, artium, &c. diſcrimina ſingularum, ſed eam diſputationem ſeu tractationem eſſe paulo illiberaliorem & quaſi operariam, vt quæ ſint agrorum genera, quæ boum, quæ piperis. Satis eſt Politico velut per indicem ſumma capita attingere: præſertim cum exſtent ſcripta multorum, qui ea ſubtilius & ſigillatim ſunt perſecuti: ex quibus, cui ea curæ erunt, cognoſci poterunt. Duos affert hic ſcriptores rerum ruſticarum Ariſtoteles; *Charetem Parium, & Apollodorum Lemnium*, cuius & *Varro lib. 1. initio de re ruſtic. & Plin. libr 14. 15. 16. 17. 18.* meminerunt: plures commemorat Varro eo loco: hodie reliqui ſunt, *Varro, Columella, Plinius, Palladius, Conſtantinus.* Et hoc eſt, quod ait, ἐπεὶ δ᾽ ἐστίν.

Rerum ruſticarum ſcriptores.

Operæ 1. artificioſiſſimæ.

Εἰσὶ δὲ τεχνικώταται.] Operarum eſt quadrimembris partitio: quarum aliæ ſunt maxime artificioſæ; illæ nimirum, in quibus nihil aut parum fortunæ & caſui eſt locus. Nam fortuna arti velut repugnat; Quia ars eſt cum ratione, fortuna non item: huius generis ſunt artes pictorum, fictorum, architectorum & multorum opificum. Contrariæ ſunt piſcatorum, aucupum, aleatorum. Aliæ ſunt ſordidiſſimæ, nimirum hæ, quibus corpora maxime fœdantur & inquinantur. Græci vocant βαναυσοτέρας; etſi plerunque omnes

2. Sordidiſſimæ.

opiſicum artes, vtpote ſordidas pleraſque, hoc nomine vocare ſolent. Huius generis ſunt, coqui, fabri ferrarii, fornacarii, coriarii, infectores, ſutores, nautæ, &c. Aliæ ſunt maxime ſeruiles, nimirum in quibus plurimus eſt corporis vſus, nullus vel perexiguus animi vel ingenii; quod ſeruorum eſſe proprium ſupra oſtendimus. Huius generis ſunt, foſſores, lignatores, tabularii, baiuli, curſores, ſcripturarii etiam. Aliæ denique ſunt maxime ignobiles viliſſimæ & abiectiſſimæ, vbi nullus eſt vſus virtutis ſiue animi ſiue corporis. Quid ita? Quia virtus ſola nobilitat. Nobilitas, *inquit Cic. in Epiſt. ad Hirtium*, nihil aliud eſt, quam cognita virtus, &c. Vbi igitur nulla virtus, ibi nulla nobilitas. Abiectiſſimæ igitur ſunt operæ, vbi nulla neque corporis, neque ingenii eſt virtus: huius generis videntur eſſe ſcoparii, vnctores, mediaſtini, ianitores, fornacarii.

3 Maxime ſeruiles.

4. Maxime ignobiles.

Iuuenal. ſatyr.

TEXTVS.

Quia autem à quibuſdam ſcripta ſunt de his, vt Charete Pario & Apollodoro Lemnio de agricultura & pura & conſita, item & ab aliis de aliis: hæc quidem ex his cognoſcantur, cui curæ eſt. Præterea & quæ ſparſim dicuntur, per quæ quidam quæſtui dediti, rem bene geſſerunt, colligenda ſunt. Omnia namque hæc artem rei quærendæ colentibus ſunt vtilia.

COMMENTARII.

Ἐπεὶ δ' ἐστιν.] Ariſtoteles quia de vſu ipſe accuratius explicare non vult, quia non ſatis ſit honeſtum Politico; monet igitur, vnde hæc peti poſſint: & affert duo ſcripta, de quibus iam dictum, & ſapientum politicorum & aliorum, qui diuitias ſibi pararint, documenta quædam ſeu exempla & acuta inuenta ſeu ſtratagemata ad pecuniam conficiendam. Nam & hæc rei quærendæ non minus eſſe vtilia, quam ipſa ſcripta. Cuius generis ſtrategemata *in Oeconomicis libr. 2.* quod aliis faciendum monet, ipſe collegit innumerabilia, hîc affert duo duntaxat, eaq; priuata, illa vero publica.

TEX-

TEXTVS.

Vt & hoc Thaletis Mileſii: nam & hoc inuentum quoddam ad rem quærẽdam aptum, illi quidem propter ſapientiam attributum, commune tamen. Nam exprobrantibus ei propter paupertatem, quaſi inutilis ſit philoſophia, aiunt eum perſpecto ex Aſtrologia futuram oliuarum vbertatem, & cum hyems eſſet, nactum paruulos numos arrhis datis olearias officinas, & quæ Mileti & quæ Chii, omnes paruo conduxiſſe, vt nemine contra licente. Tempus autem cum venit, multis ſimul & ſubito quærentibus elocatis, quemadmodum vellet, multis coactis pecuniis oſtendiſſe, facile eſſe philoſophis diteſcere, ſi velint. Sed non hoc eſt, in quo eorum eſt ſtudium,

COMMENTARII.

Οἷον καὶ τό.] De hoc Thaletis callido pecuniæ conficiendæ conſilio & *Cic. lib. 1. de Diuinat.* Quos, inquit, prudentes poſſumus dicere, id eſt, præuidentes, diuinos nullo modo poſſumus, non plus quam Mileſium Thaletem. Differt tamen ab Ariſtot. Cicero, quod ille ait Thaletem conduxiſſe *ἐλαιουργεῖα*, id eſt, officinas olearias, nimirum trapeta, torcularia, prela, & molas, &c. loca cum ſuis organis. Id enim valet *ἐλαιουργεῖον* vt *χαλκουργεῖον, ἁλουργεῖον, λιθουργεῖον*. Perperam igitur quidam hic vertunt oleum ipſum & oleas. Hic vero Cicero ait Thaletem coemiſſe omnem oleam. Quod certe difficilius fuit Thaleti; quia maiori opus ſit vi pecuniæ. Ariſtot. aſſentitur eius diſcipulus Hieronym. Rhodius philoſophus, *teſte Laertio in vita Thaletis*, Ciceroni *Plin. lib. 18. cap. 28.* præter quod Plinius Democrito hoc ſtratagema tribuit, quem ait præuiſa, non vbertate, (vt Cicero & Ariſtoteles) ſed inopia, & caritate, oleum omne coemiſſe.

Ἔτι χειμῶνος ὄντος.] Eo nimirum tempore, quo nondum florentibus oleis de prouentu olei vulgus iudicare nõ poſſet.

Φορὰν ἐσομένην.] Elegans eſt vocabulum proprie hic poſitum, à Demoſthene ſæpe tranſlate, vt cum ait *περὶ τῶν φορὰν*:

φορὰν: Sic & *Cic. in Bruto* vocat fœtum oratorum, & *Plin. in Epiſt* prouentum Poetarum.

Οὐδενὸς ἐπιβάλλοντος.] Budæus ἐπιβάλλειν ait hic valere. ἐπιβάλλειν, liceri; quomodo & nos reddidimus, & cæteri. Videtur tamen potius reddendum, vt nemine cupiente, vel attendente animũ. Nam id plerunq; valet ἐπιβάλλειν, nunquam, quod ſciam, liceri. & vix puto hæc trapeta ſolita locari auctione.

Ἐπιδεῖξαι ὅτι ῥᾴδιον.] Etſi Thaletis hoc conſilium commemoratur ab Ariſtotele, tanquam documentum ſeu via parandæ pecuniæ: tamen παρέργως ex eo & hæc ſunt obſeruanda; vſus Aſtrologiæ, vtilitates philoſophiæ, & eius ſcopus. Nam philoſophi ſcopum eſſe contemplationem, non actionem, & proinde eum non eſſe quærendæ pecuniæ deditum, quæ vitæ agendæ eſt organum.

TEXTVS.

Itaque Thales quidem dicitur hoc modo ſpecimen ſapientiæ edidiſſe. Sed eſt, vt diximus, hoc ad parandam pecuniam aptum, commune, ſi quis ſibi μονοπώλιον reperire poſſit. Quare & ciuitates quædam, cum pecunia indigent, hac via parandi vtuntur. Rerum namque venalium monopolium faciunt.

COMMENTARII.

Θάλης μὲν οὖν λέγεται.] Quod pauſo ſupra τοῦτο γάρ ἐστι κατὰ νόημα, hic iterum monet, conſilium hoc ſeu rationem rei & pecuniæ quærendæ Thaleti quidem attributam videri quaſi ſingularem, ſed eſſe tamen communem, quam viam Græci μονοπωλίαν fere, Hyperides tamen, *teſte Polluce lib. 7. cap. 2.* μονοπώλιον, vt & Romani, quia ſuum non habent, *teſte Suet. in Tiberio*, vocant. Hac pecuniæ conficiendæ via ac ratione ait Ariſtoteles multas vti ciuitates, vt de Heracleotis commemorat *lib. 2. Oeconom.* publica monopolia ſunt iuſta, priuata iniuſta & vetita, de quibus exſtat *tit. C. de monopoliis.* Duo hic afferuntur monopolia; vnum olei vel oleariorum trapetorum, alterum ferri, de quo mox. Eſt & aliud fermenti apud *Procopium lib. 2. de Bell. Perſ.*

TEX-

TEXTVS.

In Sicilia autem quidam depoſita apud ſe pecũnia omne ferrum ex ferrariis coemit: poſt deinde ex mercatibus ſeu emporiis, domum reuerſis mercatoribus, ſolus vendebat, nõ nimium aucto pretio, ſed tamen 50. talentis 100. adiecit. Huncigitur Dionyſius re cognita pecuniam quidem iuſſit exportare, non tamen amplius commorari Syracuſis, vt qui vias reperit ſuis rebus inutiles.

COMMENTARII.

Ἐκ τῶν σιδηρείων.] Interpretes reddunt officinas ferrarias: quo verbo videntur intelligi officinæ fabrorũ ferrariorum. At fabri plerunq; non habent ferrum venale, ſed ferramenta. Quare videndum, an non rectius σιδηρεῖα verti poſſint ferrariæ vel fodinæ, vel potius tabernæ. Nam & argentifodinas Græci vocant ἀργυρεῖα.

Ὡς ἀφίκοντο.] Id eſt, poſtquam mercatores ex emporiis domum Syracuſas redirent inanes, quia hic vbique omne ferrum ſolus coemerat.

Ὁ Διονύσιος.] Dionyſius, vt puto, ſenior quia aſtutior, permiſit quidem, inquit Ariſtoteles, pecuniam hunc ſibi retinere; ſed iuſſit excedere Sicilia; quia rationes oſtendiſſet quibus pecunia confici poſſit, id eſt, belli neruus ad opprimendum tyrannum.

TEXTVS.

Thalis igitur præuiſio huic eſt gemina: nam vterque ſibi monopolium eſt machinatus. hæc autem noſſe vtile eſt ciuilibus viris. Multis namque ciuitatibus opus eſt quæſtu & talibus rationibus, vt domui atque adeo magis. Quare & ex iis, qui in Republica verſantur, quidam hæc duntaxat curant.

COM-

COMMENTARII.

Χρήσιμον δὲ γνωρίζειν.] Monet Ariſtoteles, hæc ſtratagemata quæſtuaria non tantum patribusfamiliâs, ſed rectoribus quoque Rerumpublicarum eſſe cognoſcenda, hac ratione; Quia vt domui, ita & ciuitatibus opus ſit pecunia & quæſito; imo multo magis ciuitati quam domui. Vtraque, inquam, artibus rei quærendę vtitur, ſed ciuitas magis; Quia ciuitas pluribus indigeat quam domus, vt quæ eſt domorum velut multitudo. Cui rei argumento & hoc eſſe ait, quod in quibuſdam ciuitatibus magiſtratus quidam nominatim huic tantum rei attribuuntur, vt Quæſtores. Quare & Ariſtot. *in Oeconom lib.* 2. has quærendi rationes innumerabiles & ciuitatum & Regum commemorat in vectigalibus nouis excogitandis, aut conquirenda & conficienda pecunia.

Hæc ſtratagemata Reipublicæ quoq; vtilia ſunt.

CAPVT VIII.

DVÆ ſummæ huius capitis ſunt partes: quarum priore exponitur, quod imperium ſit viri in vxorem, & patris in liberos: altera de virtutibus ſeruorum & opificum, atque adeo de virtutibus omnium & parentium & imperantium: ſintne eædem, an ſpecie differant.

TEXTVS.

Quia autem tres erant artis domeſticæ partes: vna quidem herilis, de qua antea dictum: vna vero patria: tertia vero coniugalis. Nam & vxori imperat & liberis, vt liberis quidem vtriſque, non eodem vero imperii modo, ſed vxori quidem ciuiliter, liberis vero regaliter. Mas namque, quam fœmina, ad imperandum natura eſt aptior (niſi ſicubi eſt contra naturam) atque ætate ſuperans, & perfectum, quam id quod ætate ſuperatur, & imperfectum.

COMMENTARII.

Ἐπεὶ δὲ τρία μέρη.] Abſoluta diſputatione de arte rei quærendæ, quam interiectam fuiſſe diximus: nunc redit ad propoſitum,

poſitum, id eſt, ad artem domeſticam: cuius vna parte, quæ eſt de Imperio Dominorum in ſeruos, ſupra *cap. 3.* explicata, reliquas duas (nam tres tantum eſſe ſupra docuit) hîc perſequitur ſeu potius attingit, reiecta de his accuratiore diſputatione (& hoc eſt, quod ait in fine cap. περὶ δὲ ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς) in ipſam Reipublicæ inſtitutionem, cuius & vxor & liberi ſunt partes, de quibus infra *lib. 7. & 8. & lib. 1. Oeconom.* de vxore.

Καὶ γὰρ γυναικὸς ἄρχειν.] Sic quidam habent libri, ſed legendum videtur, ἄρχει imperat, & intelligendus paterfamilias ſeu vir, quomodo & reddunt interpretes: nam alioqui non facile reperias, vnde infinitiuus ἄρχειν ſit aptus & pendeat. De his igitur duabus partibus hæc duo hîc explicantur, quod imperium ſit patrium, & quod mariti in vxorem: deinde quæ virtus vxoris & mariti; quæ liberorum & patris. Sed hoc poſterius attingitur duntaxat. Ait igitur imperium patris in liberos, & mariti in vxorem, in eo quidem eſſe ſimilia, quia vtrunque ſit in caput liberum, id eſt, in liberos homines; hac nimirum re differt vtrumque ab herili, quod eſt in ſeruos: Verum hæc duo tamen imperia differre, quia mariti in vxorē ſit ciuile, patrium ſit regium; quod prius quam docet, interiicit cauſam, cur maritus vxori natura imperare debeat, pater liberis, hanc; de marito quidem, quia ſit mas. At mari in fœminam natura debetur imperium, vtpote perfectiori & præſtantiori. Nam ſupra docuimus, præſtantiori & potiori natura deberi imperium, Mas autem præſtantior. Ergo, &c. Contrarium tamen interdum accidit, vt fœmina imperet mari, vxor marito, multis de cauſis, vel quia maritus & corpore & animo ſit imperfectior, fœmina & corpore & animi prudentia ac vigore virum potius quam fœminam referat, quod de Lucretia Romana ait *Valerius*; cuius generis fuit & Semiramis Amazones, Zenobia, & Iuditha: vel propter diuitias, vt eſt ſupra *in Eth. lib. 8. cap. 10.* Sed hoc, inquit Ariſtoteles, eſt contra naturam, παρὰ φύσιν: de patre vero; quia & ſenior & perfectior: nam puerorum ætas eſt imperfectior. Senibus & perfectis natura debētur imperia: quia præſtantioribus & ſapientioribus: Ergo & patribus. Et hoc eſt, quod ait *libro octauo Ethicorum, capit. 11.* natura, inquit, pater liberorum eſt ἀρχικὸν, & maiores ſeu aui nepotibus & poſteris.

TEX-

TEXTVS.

In ciuilibus igitur imperiis pleriſque alternat, quod imperat, & quod paret, par namque natura eſſe debet. nihilq; differre: cum tamen hoc quidem imperabit, illud vero parebit, differentiam quærit & ornatum & oratione & honore. vt & Amaſis orationem habuit de pelui. Mas autem ad fœminam hoc modo ſemper ſe habet. In liberos autem imperium eſt regium. Quod enim genuit, imperat & ex amicitia & ex ætate grandiore, quæ Regii Imperii eſt ſpecies. Quare Homerus recte Iouem appellauit his verbis: Pater hominumque Deumque, regem horum omnium. Natura namque Regem differre quidem oportet, genere vero eſſe eundem, quod accidit ætati grandiori ad iuniorem, & parenti ad prolem.

COMMENTARII.

Εἰ μὲν ἐν τοῖς πολιτικοῖς.] Primum de mariti in vxorem imperio, cur ciuile ſit, explicat. Non quo omni ex parte hæc imperia ſint paria, ſed aliqua tamen ex parte mariti imperium ciuili ſit ſimile. Diſſimilitudo quidem hæc eſt; Quia ciuile imperium eſt inter natura pares, id eſt, quorum vnus alterum non ſuperet aut virtute, aut diuitiis, aut genere, aut libertate: & vbi nunc hic imperat, nunc idem paret, id eſt, vbi imperandi & parendi eſt viciſſitudo: qua de re infra *lib. 4.* vbi de Repub. id eſt, tertio ciuitatis adminiſtrandæ genere. Nam de hoc imperio ciuili hic agitur, non Democratia aut Ariſtocratia. In mariti vero imperio in vxorem hæc duo ſunt contraria. Nam maritus vxore, vt mas fœmina, ſemper natura eſt præſtantior, id eſt, nunquam ſunt pares, & maritus vxori ſemper imperat, id eſt, nulla eſt viciſſitudo imperii. Ex quibus intelligitur diſſimilitudo inter hæc duo imperia. Similitudo autem in eo eſt, quod quemadmodum in Imperio Ciuili magiſtratus à priuato differt & *Ornatu* ſeu *cultu*, vt Romæ toga prætexta; & inſignibus, vt faſcibus, lictoribus, &c. & oratione: Nam grauior & ſeuerior eſt oratio magi-

Similitudo & diſſimilitudo Imperii maritalis & politici.

ſtratus ad priuatum, blandior & ſummiſſior priuati ad magiſtratum; *Honore* denique & *obſeruantia*: quod eſt perſpicuum: ita & alius eſt mariti ornatus, alia oratio, alia obſeruantia, & honos, quam fœminæ. Etſi igitur in politia ciues omnes videntur pares, differunt tamen, cum ſunt in magiſtratu, ab aliis. Maritus quoque & vxor etſi omnis diuini humanique iuris ſunt ſocii, & velut pares; differunt tamen, vt ſupra explicatum.

Ὥσπερ καὶ Ἄμασις] *Herod. libr. 2. ſeu in Euterpe*, Amaſis Ægyptiorum Regis callidum conſilium obſeruantiæ & honoris apud ciues & populares pariendi commemorat: Nam Amaſis hic vnus de plebe, tamen Rex ab Ægyptiis deſignatus, cum videret ſe propter memoriam ſeu recordationem humilitatis contemni, & non vt Regem iam factum, ſed vt priuatum, Amaſin coli à ſuis, peluim in edito & opportuno vrbis loco collocauit, quam continuo ciues diuino cultu perſequi & venerari cœperūt; qua re Amaſis animaduerſa, cōuocata concione, expoſuit, peluim eſſe eam, in quam ipſi olim vomere, meiere & pedes lauare ſint ſoliti, quam tamen nunc diuinis honoribus & cultu afficiant, quia alio in loco poſitam. Ad eundem modum & ſe, licet humili genere, quia tamen ipſorum Regem, aliter nunc eſſe colendum: quod eſt aſſecutus hoc commento. Vt igitur peluis eadem, & idem Amaſis, tamen aliter atque aliter colitur; ita & in Politia etſi pares ſunt ciues, tamen differētia eſt inter magiſtratum & priuatum. Imperium igitur mariti in vxorem quædam eſt imago ciuilis Imperii: Nam quod *lib. 8. cap. 10. & 11.* Imperium mariti imago eſſe dicitur, non ciuilis ſeu politici, ſed optimatum & Ariſtocratici Imperii, quia vt in Ariſtocratia, ita & in matrimonio pro dignitate & virtute quiſque ſuum facit officium, maritus quærendo, vxor tuendo: excuſari poteſt hac ratione: Quia maxima ſit inter hæc duo imperia, ciuile & optimatum, affinitas, infra *lib. 8. cap. 4.*

Τοῦ ποδανιπτῆρος.] Apud *Pollucem lib. 10. cap. 22.* dicitur ποδονιπτὴρ, vas pedibus lauandis accommodatum, peluis Latine, rectius fortaſſe vt ποδοχάνη, ποδοσράνη.

Patriū imperiū regio ſimile eſt.
1. Ratio.

Ἡ δὲ τῶν τέκνων ἀρχή.] Nunc de patrio Imperio, quod ait eſſe Regiū, id eſt, imaginem & ſpeciem Regii Imperii. de quo & ſupra *lib. 8. Ethic. cap. 10.* eadem fere, quæ hic. Docet id duabus rationibus: quarum prior eſt, quia Regalis Imperii

notæ

notæ ſunt beneuolentia ſeu amor & ætas grandior. Formula: Regium eſt imperare non aſperitate quadam ſeu tyrannide, ſed beneuolentia. Regium quoque eſt imperare natu grandiores. At hæ duæ notæ in patrio ſunt imperio. Ergo eſt Regium. Propoſitionem confirmat Ariſtoteles oraculo & auctoritate Homeri, qui Iouem omnium hominum & Deorum hac de cauſa vocet patrem, quia & natu ſit prior, & imperet beneuolentia quadam. Aſſumptio eſt perſpicua. Nam & parens liberis amore quodam præeſt. Sic & ſupra *Ethic. lib. 8. cap. 10.* patrium, inquit, imperium Regio eſt ſimile: quia, vt Rex ſuorum, ita & pater liberorum gerit curam. Altera ratio, *φύσει γὰρ τὸν βασιλέα*, item à Regis nota ſumpta, quam Ariſtoteles hic ait eſſe, natura quidem differre, ſed genere eandem eſſe cum ciuibus. Nam Rex natura quidem, id eſt, naturæ bonitate & virtute ſeu perfectione à ſuis ciuibus differre, nimirum antecellere omnibus debet, vt infra late *lib. 3. cap. vlt.* qua nota Regnum differt à Repub. vbi non neceſſario vnus à reliquis omnibus naturæ perfectione differt, iiſque antecellit. Differt igitur natura, ſed non genere, à ſuis, id eſt, Regis in homines, vt hominis, eſt Imperium, liberi in liberos. Neque enim quis beluis in homines concedat imperium. Eadem fere eſt & beluarum ratio, vt in apibus, gruibus, &c. vbi eiuſdem quidem generis, ſed præſtantiori defertur Imperium. Cur ergo, dicet aliquis, Iouis Imperium eſt non in Deos tantum, ſed in homines quoq; diuerſi generis? Reſpondendum; Quia & nos eius ſumus genus; *τοῦ γὰρ καὶ ἡμεῖς γένος ἐσμὲν*, inquit Poeta: vt & homines Deorum ſint cognati, & proinde eiuſdem generis. Etſi hæc contradictio & eiuſdem reprehenſio Ariſtotelicæ rationi non eſt conſentanea, qui vim & poteſtatem Iouis Lunę cœlo ſeu globo terminarit. Formula: Regium eſt natura quidem differre, ſed genere eſſe idem. At hoc & in patrio Imperio reperitur. Ergo eſt Regium. Aſſumptionis ratio; Quia & quod ætate antecedit & quod gignit, differt quidem perfectione naturæ. Nam ſenex aut vir puero eſt perfectior, & parens prole, eiuſdem tamen generis ſenex & iuuenis, pater & filius. Etſi autem trium domus partium Imperia hic diuiduntur, Mariti in vxorem ciuile, patris in liberos Regium, Domini in ſeruos tyrannicum; de quo ſupra *lib. 8. Ethic. cap. 11.* tamen & vniuerſe dici ſolet, domeſticum Imperium eſſe Regium, &

2. Ratio.

hæc duo Imperia inter ſe comparari, infra *lib. 3. & ſupra initio, & in Ethicis aliquoties.*

TEXTVS.

Itaque perſpicuum, arti domeſticę plus eſſe curæ in hominibus quam in rerum inanimarũ quæſtu, & in illorum virtute quam in rei familiaris, quas diuitias vocamus, & in liberis magis quam in ſeruis.

COMMENTARII.

Officium patrisfam. in tribus imperiis, q̃ habet in familiam.

Φανερὸν τοίνυν.] Explicato adhuc de tribus artis domeſticæ partibus ſeu membris ſingulatim & diſtinctè: nunc communem quandam clauſulam ſeu ἐπιφώνημα, præmunitionem proximæ de earũ partium virtutibus diſputationis adiungit, de officio ſeu ſtudio & cura patrisfamilias in his partibus. Ait igitur, non eandem patrisfamilias curam & ſtudium in his partibus eſſe debere, ſed maiorẽ in liberis quam in ſeruis, id eſt, maius ſtudium & curam adhibere debere, vt vxor & liberi ſint probi & virtute præditi, quam vt ſerui. Quid ita? Quia ſerui domus non tam ſunt partes, quam organa. Rurſus maius ſtudium patrisfamilias eſſe debet in hominibus quam in rebus & bonis, id eſt, magis operam dare debet, vt ſibi commiſſi, vxor, liberi & ſerui probi efficiantur & virtute præditi, quam vt bonus ſit, verbi gratia, ager, aut vinea, aut elegans equus. Quid ita? hoc, inquit, ex prioribus eſt perſpicuum. Sed vnde? Ex eo, ni fallor, quia ſupra diſſeruit, rationem rei quærendæ & rem ipſam ſeu bona non eſſe domus & artis domeſticæ partem, ſed adminiſtram & organum. Partes ſunt cognatæ & coniunctæ; organa & miniſtra ſunt externa. Ergo illis maior debetur cura quam his. Qua in re grauiſſime ſæpe peccatur, dum multi plus curant equum quam filium, vel vxorem. Maior igitur hominum quam rerum, & ex hominibus liberorum quam ſeruorum patrifamilias, de virtute nimirum, cura eſſe debet. Nam rerum virtus æſtimatur ipſarum bonitate & optima affectione. Id valet namque ſæpe virtus, vt dictum eſt ſupra *lib. 1. Ethic.*

TEX-

TEXTVS.

Primum igitur de ſeruis quærat aliquis, vtrum ſerui ſit aliqua virtus, præter Organicas & miniſterii, alia his honoratior, vt temperantia & fortitudo & iuſtitia, & alia talis affectio; an non eſt vlla præter corporis miniſteria? Nam vtrinque controuerſiam habet: ſiue enim eſt, quo differrẽt à liberis: ſiue non eſt, cum ſint homines & rationis participes, abſurdum. Idem vero eſt fere, quod de muliere & puero quæritur, vtrum & horum ſint virtutes, & oporteat mulierem eſſe temperantem & fortem & iuſtam; & puer ſit & intemperans & temperans, an non? Atq; vniuerſe hoc eſt videndum de natura & parente & imperante; vtrum eadem ſit virtus, an alia. Nam ſi oportet quidem vtrumq; perfectæ virtutis eſſe cõpotem; cur hunc quidem imperare oporteat, illũ vero parere ſemper (neq; enim eo quod magis aut minus vt differant, fieri poteſt. Nam parere quidem & imperare ſpecie differunt; id vero quod magis & minus, minime.) Si vero hunc quidem oporteat, illum vero minime, dictu mirum. Siue enim imperans non erit temperans & iuſtus, quomodo recte imperabit, ſiue parens, quomodo recte parebit? Cum enim ſit intemperans, timidus & ignarus; nullum ex iis, quæ ſint facienda, faciet.

COMMENTARII.

Πρῶτον μὲν οὖν περὶ τούτων.] Quia dixerat modo, patrifamilias maiorem perſonarum quam rerum curam eſſe debere, id eſt, de illarum potius virtute quam de harum: continuo de perſonarum virtutibus quædam adiungit. Et primo quidem de ſeruis, & quæ horum ſint virtutes præter corporis ſeu operarias, præter eas, inquam, quæ in officio corporis & mini-

An ſerui præter corporis alia quoq; ſint virtutes cũ dominus cõmunes.

miniſterio conſiſtunt. Nam ſeruorum virtutes & officia fere in bene miniſtrando & operis conſiſtunt. Quæritur igitur, an præter has corporis, & animi quædam ſeruorum ſint virtutes honeſtiores, vt prudentia, fortitudo, modeſtia; an vero nullæ ſint. Nam in vtramque partem diſputari poteſt. Siue enim dicas eſſe, effici & ſequi; videbitur nulla eſſe inter ſeruos & liberos differentia. Nam, vt ſupra diximus, prudentia & virtutibus liber à ſeruo maxime diſtinguitur: ſiue neges, aliud conſequetur abſurdum hoc; homines & rationis participes omnis tamen virtutis eſſe expertes: quaſi dicat, in quo eſt ratio, vt in ſeruo vtpote homine, in eodem eſt & virtus aut certe eſſe poteſt: quia virtutum fundamentum ſit ratio, nulla virtus eſt abſque ratione, ſupra *initio lib 6. Eth. & cap. penult. & vlt.* De muliere quoque & de puero idem quæri poteſt; an & horum ſint virtutes, id eſt, an hæ virtutes in eas non cadant. Et hæc quidem ſingulatim de perſonis domeſticis. Quin etiam generatim & vniuerſe idem quæri poteſt, id eſt, non de domeſtico tantum, ſed de omni imperio, de imperantis & parentis virtute, eadem ne ſit, an alia & diſſimilis. Atque ita Ariſtoteles ὑπόθεσιν reuocat ad θέσιν. Vniuerſe igitur quæritur, an imperantis eadem ſit virtus quę parentis, an diſſimilis. Vtrumlibet enim aias, abſurdum quoddam effici oſtendit. Nam ſi vt imperantem perfecta virtute præditum eſſe oportet, de quo paulo infra: ita & parentem; certe nihil eſt cauſæ, cur alter imperet alteri, alter pareat. Nam ſi virtuti debetur imperium, cur cum vtriuſque par ſit virtus, vnus duntaxat imperet, quod & infra iterat *lib.3.* Quare non eadem virtus videtur eſſe debere imperantis quæ parentis, id eſt, illius, quam huius, plenior & cumulatior. Contra eadem vtriuſque virtus videtur eſſe debere. Nam ſi imperans virtutis ſit expers, quemadmodum recte imperabit vir ſtultus & iniuſtus: parens quoque virtute orbatus, id eſt, luxurioſus, inuidus, ſtultus, nunquam faciet officium. In vtroque igitur virtus eſt neceſſaria. Et hoc eſt quod ait, φανερὸν τοίνυν, ὅτι ἀνάγκη, &c. Sed enim dicet aliquis; verum quidem eſſe, virtutem in vtroque eſſe neceſſariam, non tamen propterea effici aliam eſſe imperantis virtutem, aliam parentis. Quid ita? Quia eadem in vtroque virtus eſſe poteſt, ita tamen vt gradu diſter, id eſt, in imperante ſit plenior, quã in parente, prudentior nempe, iuſtior ſit imperans, quam parens;

Argumentũ affirm.

Argumentum neg.

An mulieris & pueri quoque eadẽ quæ mariti & parentis.

Vtrum imperantium & parentiũ eadem ſint virtutes.

Argumentum neg.

Argumentũ affirm.

Obiectio.

rens; vterque tamen iuſtus & prudens. Satis ſit, vtriuſq; virtutem tantum eo quod magis & minus, id eſt, gradu differre, non ſpecie. Reſpondet Ariſtoteles vtriuſque virtutem ſpecie debere differre: quia imperare & parere ſpecie differant, vt quæ in eundem hominem, eiuſdem ratione, non cadant. Si igitur hæc ſpecie differunt: ergo & eorum virtutes. Quid ita? Quia imperii diſcrimina ex virtutibus ſumuntur. De hac virtutum comparatione & infra quædam *libr.3.&* *lib.7.* Eſt autem hæc diſputatio cum aduerſus alios, qui Dominorum & ſeruorum eandem facerent virtutem, id eſt, ſeruos æque bonos & virtute præditos eſſe oportere atque Dominos, de quibus *Plato lib.6 de legib.* vbi de ſeruorum inſtitutione & educatione: tum aduerſus Platonem, qui *lib.5.de Repub.* eaſdem viris & mulieribus virtutes tribuit, eadem domi militiæque munera ſiue munia. *Solutio.*

TEXTVS.

Perſpicuum igitur, vtrumque virtutis participem eſſe neceſſario: huius autem eſſe diſcrimina, vt & natura parentium; atque hoc ſtatim apparet in animo. Nam huius aliud eſt quidem, quod natura imperet, aliud quod pareat, quorum diſſimilem virtutem eſſe dicimus, vt eius quod rationis eſt particeps, & eius quod eſt expers. Itaque clarum eſt, eandem aliorum quoque eſſe rationem. Quare natura complura ſunt imperantia & parentia. Alio namque modo quod liberum imperat ſeruo, & mas fœminæ, & vir puero. Atque omnibus inſunt quidem animi partes, ſed inſunt diſſimiliter. Nam ſeruus quidem prorſus non habet vim conſultandi: fœmina vero habet illa quidem, ſed infirmam; puer vero habet ille quidem, ſed imperfectam. Quare & ſimilem oportet eſſe rationem, & in moralibus virtutibus exiſtimandum oportere quidem omnes eſſe participes,

ſed non eodem modo, verum quantum cuique ad ſuum opus & munus ſit ſatis.

COMMENTARII.

φανερὸν τοίνυν.] Duæ ſunt quæſtiones; prior, an ſerui, mulieris, pueri & omnino parentis vlla ſit virtus: altera, an eadem ſit parentis, quæ imperantis. Et de priore quidem conſtat ex ſuperioribus, eſſe aliquam ſerui, &c. virtutem, eſſe & imperantis & parentis. De poſteriore ſeu de altera item ex ſuperioribus cognoſci poteſt; cur non iiſdem virtutibus præditi eſſe debeant imperantes & parentes. Quam tamen poſteriorem, quæſtionem nunc diligentius explicat. Ait igitur virtutis eſſe differentias, vt & natura parentium, id eſt, quemadmodum natura parentes non eiuſdem ſunt generis: nam aliter corpus paret animo. aliter cupiditas menti, aliter belua homini, aliter mari fœmina: ita & virtutum eſt diſſimilitudo, alia vt ſit imperantis, alia vt parentis & quidem multifariam. Confirmat exemplo animi: huius cum perſpicue cõſtet inter omnes, duas eſſe partes, rationem ſeu mentem imperantem, cupiditatem parentem: duæ quoque virtutes diſſimiles iis attribui ſolent, imperanti quidem parti virtus rationis ſeu διανοητικὴ, vt ſapientia, prudentia; parenti vero virtus morum; vt iuſtitia, temperantia, liberalitas, &c. Si igitur ex animi partibus eius quæ imperat alia eſt virtus, alia eius quæ pareat, quod perſpicue verum eſt & confirmatum in Ethicis: Ergo eadem diſtinctio virtutis aliis quoque in rebus adhibenda videtur: quarum altera natura imperet, altera pareat, quod idem continuo adiungit: adeo quidem, vt ex hoc animi partium velut capite & fonte manet & fluat omnis imperiorum diſſimilitudo. Nam prout quæque res, quibus inter ſe natura eſt imperium, has animi partes magis aut minus participent; eo aliud atque aliud eſt earum inter ſe imperium. Quid ita? Quia ex animi participatione, ſeu animi participati diſſimilitudine etiam virtutum, quas pro animi partibus diſtinctas eſſe diximus, diſſimilitudo exſiſtit: quibus virtutibus vt imperium debetur, ita variat. Ad ſummam, animi partes ſequitur virtutum diſſimilitudo, & hanc imperiorum. Et primum quidem de virtute rationis, id eſt, prudentia: quam diſſimiliter docet eſſe in imperio herili, patrio & vxorio, hoc eſt, in ſeruo quidem eſſe nullam,

nullam, in puero incoatam & imperfectam, in muliere imbecillam. Quia pars ea animi in his ita variet, vt in ſeruis ſit nulla, in pueris imperfecta, in mulieribus imbecilla. Quæ pars animi ſeu facultas Græcis eſt βουλευτικόν. Et hoc eſt quod ait, in omnibus quidem ineſſe partes animi, rationem & cupiditatem, etiam in ſeruis; Sed diſſimiliter, id eſt, vt adiungit, ὁ μὲν γὰρ δοῦλος, &c. nimirum quia rationis cauſa particulam, quæ in conſultando eſt poſita, vel quæ conſultatrix dicitur, prorſus non habent ſerui. De mulieribus quidem etſi nonnullæ ſunt valde ſolertes & callidæ; tamen pleræque ſunt infirmiore conſilio. Imbecillitatem ſexus vocant Iuriſconſulti, *lib. 2. ff. ad Senatuſconſultum Velleianum, Vlpianus in tit. de tutoribus. in frag. in princ.* Puerorum quoque hæc vis & facultas eſt imperfecta, quæ tamen cum ætate creſcat, vt infra. De ſeruis, cur in his ne gutta quidem huius facultatis inſit, quæritur. Reſpondent vulgo; Quia conſultatio ſit de rebus noſtri arbitrij, ſupra *lib. 3. Ethicor. cap. 2.* At ſeruus non ſui ſed alieni eſt arbitrij. Nihil igitur ei reliquum eſt, de quo conſultet. Ita quidem vulgo, perperam. Nam hæc explanatio ſeruos hac facultate non orbat, ſed vſu tantum facultatis, nimirum quia res, quarum poteſtatem habeant, nullæ illis ſunt reliquæ. At Ariſtoteles ipſa vi & facultate eos orbatos eſſe ait: recte & prioribus conſentienter: vbi docuit, eos vere & natura eſſe ſeruos, quorum tanta ſit ingenii tarditas, nihil vt ſibi ipſi conſulere poſſint. atque ita recte & Sepulueda. Habet igitur explanatio illa locum in ſeruis bello captis, & in vſu facultatis; hæc in ſeruis natura, & ipſa facultate: de quibus hîc agitur. Ex quibus intelligitur, aliam eſſe virtutem rationis in ſeruo, aliam in muliere, aliam in puero. Et hinc quoque imperii diſſimilitudo, cur aliter Dominus ſeruo imperet, aliter Mas fœminæ. Iam ſi parentium non eadem eſt rationis virtus: ergo nec morum. Quid ita? Quia moralium virtutum virtutes rationis ſeu mentis velut principia ſunt & fundamēta, & quaſi duces ac oculi ſupra *lib. 6. Ethicor. cap. vltim. & penultimo.* Perſpicuum igitur, omnes quidem virtutibus præditos eſſe debere, tam imperantes, quam parentes, ſed diſſimiliter, id eſt, pro operis & muneris ſeu officij differentia & vſu. Ea namque eſt Dei & naturæ admirabilis prouidentia, vt quia opera & officia virtutibus peraguntur, operibus virtutes

Reſponſio, cur in ſeruis non ſit prudentia.

vt reſpondeant; magnis magnæ, paruis paruæ, modicis modicæ.

TEXTVS.

Quare imperantem quidem morali virtute præditum oportet eſſe perfecta. Nam opus & munus ſimpliciter eſt Architecti. Ratio autem eſt architectus: ex aliis vero quemque quantum in eos cadat ſeu attingat. Itaque clarum eſt, omnium, de quibus diximus, moralem eſſe virtutem: atque non eandem temperantiam mulieris & viri, neque fortitudinem & iuſtitiam, vt exiſtimabat Socrates. Sed hanc quidem principalem eſſe fortitudinem, illam vero miniſtram. Similis eſt & aliarum ratio.

COMMENTARII.

Διὸ τὸν μὲν ἄρχοντα.] Expoſito horum quatuor, imperantis aliam eſſe virtutem quam parentis, viri quam mulieris, viri quam pueri, domini denique quam ſerui: nunc de iiſdem quatuor ſingulatim adiungit, quæ eorum ſit virtus. Et primum quidem de imperante, virtutem eius eſſe debere perfectam, id eſt, eum omnibus virtutibus moralibus præditum eſſe debere, quem virtutum complexum Græci vocant τελείαν ἀρετὴν, & καλοκἀγαθίαν ſupra *lib. 1. Ethic. cap. 7.* Rationem affert hanc, τὸ γὰρ ἔργον ἐστιν ἁπλῶς; Quia, inquit, ἔργον ἁπλῶς eſt Architecti, ἔργον ἁπλῶς ſeu opus & munus ſeu officium ſimpliciter & abſolute vocat Princeps & primum officium, vt Chirurgi officium non eſt ἁπλῶς, ſed medici Architectonici: ſic Architecti officium eſt ἁπλῶς, fabrorum & operariorum non item. Sic imperantis & magiſtratus officium eſt ἁπλῶς, parentium & ciuium non item. Architectus hic valet Princeps & qui aliis facienda præſcribat, vt & Cicero vocat Principem & Architectum ſceleris, de quo verbo ſupra *initio lib. 1 Ethic.* Formula: Architecti eſt opus ἁπλῶς. Atqui λόγος ratio eſt architectus. Ergo rationis opus eſt ἁπλῶς. De propoſitione dictum. Nam Principis certe & Architecti opus eſt Princeps & ſummum, aliis nimirum, quæ

Imperantis virtus perfecta eſſe debet.

Ratio.

Architectus.

ſunt

ſunt faciunda præſcribere & præcipere, & ſingulis ſua velut opera partiri & diſtribuere. Aſſumptio eſt certa; Quia ratio eſt pars Princeps & architectonica, cuius reliquæ partes ira & libido ſint adminiſtræ. Iam rationi reſpondet imperans, vt cupiditati parens. Nam conſilio & ſolertia maxime æſtimaturis, qui præeſt & imperat, infra *lib 3.* Quare, vt rationis, ita & imperantis ſit opus ἀπλῶς, neceſſe eſt. Quo poſito, nimirum imperantis opus eſſe ἀπλῶς, ex eo ſtatim efficitur, imperantis quoque virtutem debere eſſe perfectam. Formula: Vbi opus ἀπλῶς, ibi virtus perfecta ſit neceſſe eſt. Quid ita? Quia opera virtutibus perficiuntur. Qua ex re conſequitur, virtutes operibus reſpondere debere. Iam imperantis opus eſt ἀπλῶς, vt iam dictum. Ergo & virtus eius perfecta ſit neceſſe eſt. Concludamus igitur, eum, qui aliis præeſſe & imperare velit, omnibus virtutibus cumulatum, & perfecte bonum eſſe debere, propter opus ſeu operis magnitudinem. de quo inſigni loco, id eſt, de imperantium & Principum virtute dictum nonnihil & ſupra *lib. 8 Ethic. & infra lib. 7. cap. 14.* Hæc igitur eſt imperantis virtus; parentium non eſt tanta, quia neque officium. Itaque tanta eſſe debet, quanta operi & muneri ſit neceſſaria, vt militis fortitudo, mercatoris & quæſtoris iuſtitia.

Καὶ οὐχ ἡ αὐτὴ.] Nunc de muliere & viro, quorum *Plato* quidem ſeu *Socrates lib. 5. de Rep.* eandem temperantiam, fortitudinem, &c. eſſe voluit, ſed perperam, vt ex prioribus intelligitur, vbi vniuerſe hoc eſt explicatum de diſcrimine inter imperantem & parentem. Alia eſt igitur fortitudo viri ἀρχική, id eſt, principalis ſeu quæ ad imperandum valeat, alia mulieris: at ὑπηρετική, id eſt, quæ ad parendum tantum valeat & ad ſeruiendum. Nam mulieres ſæpe nimis timidæ & ignauæ nihil recte faciunt. Sic alia eſt mulieris temperantia, quam viri. Quare & infra *lib. 3 cap. 3.* timidum potius virum eum fore ait, qui tantum ad mulieris rationem ſit fortis, & mulierem eam garrulam potius quam temperantem & modeſtam fore, quæ ad viri rationem ſit temperans. Maior in viro fortitudo, in muliere temperantia requiritur. Hinc Romæ adulteram maritus occidere, vxor adulterum ne digito attingere poterat, inquit *Cato apud Gellium lib. 10.* *Viri & mulieris virtus.*

TEX-

TEXTVS.

Perſpicuum vero hoc & particulatim magis conſiderantibus. Vniuerſe namque differentes ſe ipſi fallunt, vt quia virtus vel eſt qua animus bene ſit affectus, vel qua bene agat, vel quid eius generis. Multo autem melius differunt, qui virtutes enumerant, vt Gorgias, quam qui ita definiunt. Quare oportet, vt Poëta de muliere dixit, ita exiſtimare eſſe in omnibus: mulieri decus affert ſilentium. Sed non iam hoc in viro.

COMMENTARII.

Singulatim cur ſatius ſit de his virtutibus explicare.

Δῆλον δὲ τοῦτο.] Virtutum diſſimilitudinem adhuc docuit vniuerſe & generatem: nunc eam cognoſci & ſingulatim poſſe adiungit. Quam ſingularem de virtutibus docēdi rationem vniuerſa & generali ait eſſe meliorem & certiorem. Nam eos qui generatim de virtute explicant, alii eam eſſe bonum animi habitum, alij facultatem ad rectē & bene agendum, alij rectam & perfectam rationem, alij aliter; facile in errorem incidere; melius Gorgiam facere, qui ſingulatim virtutes viri, mulieris, pueri, ſenis ſit perſecutus vt & apud *Platonē in Menone*, ἀλλ᾽ οὐ χαλεπὸν εἰπεῖν ὦ Σώκρατες. Quod præceptum de virtutibus explicandis, &c. ſupra commemorauit *lib. 2. Eth. cap. 7.* vbi generales de virtute diputationes, qui de orationis amplificatione & extenuatione non ſingularia, ſed vniuerſa perſequantur, dicit κοινολογεῖν. Eius autem præcepti ratio hæc eſt; Quia virtutes in vitæ vſibus & actionibus verſentur, actiones in rebus ſingulis, quæ pro attributorum differentiis ſemper varient. Itaque etſi adhuc docuit vniuerſe, aliam imperantis, aliam parentis eſſe virtutem: Idem nūc rectius & in ſingulis virtutibus perſpici poſſe ait. Verbi gratia apud *Sophoclem in Aiace maſtigoph.* Aiax vxori Tecineſſæ ipſum monenti, mulier, inquit, mulieri ornamentum affert taciturnitas. Virtus igitur mulieris eſt taciturnitas & ſilentium; viri non item, ſed oratio prudens, vt *Hom. Odyſ. α.* vbi Telemachus matri, μῦθος δ᾽ ἄνδρεσσι μελήσει. Eandem mulierum virtutem & *Euripides* laudat *in Heraclidis*. Gorgias cuſto-

Ratio.

cuſtodiam rerum domeſticarum, vt viri Rerumpublicarum curam. Ad hunc autem locum de ætatum & ſexus diſſimilibus & ſingulis virtutibus pertinent ea *Ciceronis 1. Offic.* Et quoniam officia non eadem diſparibus ætatibus tribuuntur, &c. Quare & Ariſtoteles in deſcribenda optima Republica hanc rationem & viam tenuit, vt ſeparatim, quæ officia ſeu virtutes ſint pueri, quæ adoleſcentis, quæ viri, quæ Senis, quæ Mulieris, etſi huius rei magna pars perijt, infra *libro 8.*

TEXTVS.

Quia autem puer eſt imperfectus, certe huius quidem & virtus non ipſius eſt ad ipſum, ſed ad perfectionem, & eum qui præeſt. Similiter vero & ſerui ad dominum. Poſuimus autem, vtilem eſſe ſeruum ad neceſſaria. Quare perſpicuum, & virtute exigua opus habere, & tanta vt neque per intemperantiam neque per timiditatem deſerat opera.

COMMENTARII.

Ἐπεὶ δ᾽ ὁ παῖς.] Nunc de puero & eius virtute, quo referri & quanta eſſe debeat. Pueri igitur virtutem ad patrem vel ad præceptorem aut perfectũ referendam eſſe ait, non ad ipſum puerum. Quid ita? Quia puer eſt imperfectus. Ergo ad patrem vel præceptorem tanquam perfectum, vt omnia imperfecta referri debent. Hoc eſt, pueri virtus non ex ipſius pueri captu eſt metienda, ſed accommodanda monitis patris aut præfecti, nimirum vt ſit tanta, ijs vt parere poſſit. Eadem & virtutis ſeruorum eſt ratio, vt ad Dominum referatur, tanta nimirum vt ſit, qua Domini iuſſa ſuſcipere & perficere poſſit. Ad ſummam, virtutis pueri modus & norma eſt pater, aut præfectus, ſerui dominus. Ex quibus intelligitur, quanta pueri debeat eſſe virtus, quanta ſerui: tãta nimirum, vt opera vel à patre, vel à domino iuſſa & præſcripta, vel ebrietate aut venere & intemperantia, vel nimia timiditate & ignauia, ne deſerant, id eſt, vt officium quiſque ſuum faciat à patre vel domino præſcriptum. Nam ſerui non omnino nullam, ſed exiguam ſaltem virtutem eſſe debere cum ex *Pueri virtus.*

prio-

prioribus eſt notum, tum ex eo intelligitur, quod ſeruus ſit vtilis ad vſus vitæ neceſſarios, vt ſupra docuimus. Quibus vitæ vſibus virtus certe aliqua eſt neceſſaria, vt temperantia, vigilantia, fides. Quæ autem puerorum, quæ ſeruorum propriæ ſint virtutes, explicare nõ eſt huius loci. Etſi ex hac diſputatione elici poteſt, pueri virtutem eſſe temperantiam ſeu modeſtiam, verecundiam: (ſed perturbationem potius, quam virtutem iiſdem attribuit Ariſtoteles *libro 4 Ethicor. cap vlt.*) Seruorum vero temperantiam (vt de Villico *Columella lib. 11.*) & aliquam fortitudinem ὑπηρετικήν.

Puerorum & ſeruorũ virtutes.

TEXTVS.

Quærat autem aliquis: ſi, quod iam dictum, verum eſt, num & opifices virtute præditi eſſe debeant. Sæpe namque intemperantiâ deſerunt opera: an plurimum hoc differt. Nam ſeruus quidem eſt vitæ ſocius: ille vero longius, tantumq; ad eum attinet virtutis, quantum & ſeruitutis. Sordidus namque opifex finitam ſeruit ſeruitutem. atque ſeruus quidem eſt eorum quæ natura, ſutor vero nullus, neque ex aliis opificibus. Clarum eſt igitur, huiuſmodi virtutis dominum ſeruo auctorem eſſe oportere, non vero eum, qui herilem artem operum docẽdorum ſcientiam habeat. Quapropter non recte dicunt, qui ſeruos ratione orbant, & iuſſis tantum vtendum aiunt. Magis namque ſerui quam pueri ſunt caſtigandi.

COMMENTARII.

Ἀπορήσειε δ᾽ ἄν τις.] Alia quæſtio nata occaſione eius, quod dixerat, ſerui virtutes eo ſpectare, vt ſua munia recte obeat. An igitur, inquit, & opifices, qui & ipſi ſæpe ob vitia ſua munera deſerunt, virtute præditi eſſe debeant. breuius, an opificum vlla ſit virtus. Quamuis igitur vt ſerui, ita & opifices ebrietate aut aliis vitiis ſua ſæpe munera deſerunt, & hac in re conueniunt: tamen magna inter hos eſt differentia: hoc eſt, opificum docet non eſſe virtutes, vt ſeruorum, dua-

Opificũ & ſeruorũ non ſunt eadem virtutes.

duabus rationibus, quibus ſeruos & opifices docet eſſe diſſimiles. Prior eſt; Quia ſeruus eſt vitæ eiuſque actionum ſocius & adminiſter, in quibus actionibus neceſſaria eſt virtus: opifex non item. Serui opera eſt in agendo, opificis in efficiendo. At virtus eſt in agendo. Altera ratio. Quia ſeruus eſt natura, opifex arte. At virtus cum natura quandam habet cognationem. Nam natura etſi non ſumus boni & virtute præditi, ſed vſu: tamen procliues & propenſi ad virtutem ſumus, ſupra *lib.2. Ethic. initio, & lib.6. Ethic in fine.* Etſi igitur magna inter ſeruos & opifices eſt differētia, vt ſerui quidem virtute præditi eſſe debeant, opifices non item: tamen etiam opifices aliqua ſaltem virtute præditos eſſe debere ait, non quia opifices, ſed quia ſeruos, id eſt, non opificij ratione, ſed ſeruitutis. Nam & opifices non quidem infinitam, vt ſerui, quibus ad omnes vitæ vſus vtimur, ſed finitam & certam ſeruitutem ſeruiunt, vt ſutor in conſuendo calceo, ſartor in ſarcienda veſte. Hactenus igitur, nimirum quia vitę quoque noſtræ deſeruit opifex, virtute aliqua præditus ſit neceſſe eſt, iuſtitia & temperantia, ne opera conficiat vel negligenter & perperam, vel ex mala materia. Obſeruandum autem quod ait de ſeruitute certa & definita opificum. Nam & opificum officia quodammodo ſunt ſeruilia, eaque re Spartanis & Romanis liberrimis populis odioſa.

1. Ratio.

2. Ratio.

Opifices aliqua quoq; virtute præditi eſſe debent.

Opificū opera ſeruiles quodãmodo.

Φανερὸν τοίνυν] Platonem perſtringere videtur, qui virtutes non vſu & educatione, ſed doctrina & præceptis comparari exiſtimarit ſupra *lib.2. & 6. Ethic.* Ait igitur, ſeruis virtūtum auctorem fore non ſeruilium operarum magiſtrum, ſed ipſum dominum. Diximus ſupra, eſſe qui doceant miniſteria ἐγκύκλια, & operas ſeruiles, vt erat Syracuſis quidam, qui docebat ſcribendi artem. Horum igitur, inquam, non eſſe officium, vt ſeruos virtutes quoque doceant, quemadmodum operas; Quia doceri virtutes non poſſunt, ſed dominorum potius, qui ſeruis monendis, caſtigandis, & quæ ſunt facienda præſcribendis, paulatim & vſu bonos efficiunt. Puto verbum, δεσποτικὴν, eſſe ſuperuacaneum. Nam agit de ea arte, cuius officium eſſe diximus, ſeruos docere operas ſeruiles & miniſteria. Ex quibus iam conſtat, non tantum an & quæ ſeruorum ſint virtutes, ſed vnde petendæ.

In Menone & aliis locis.

Virtutem à ſeruo nõ doctrina, ſed vſu comparari.

Διὸ λέγουσιν οὐ καλῶς.] Tota hac de virtutibus ſeruorum diſputatione refellit & *Platonem*, qui virorum & mulierum

eaſdem

eaſdem ſeruitutes eſſe voluerit, & alios, de quibus ſupra ex *Plat. 6. de Rep.* qui dominorum & ſeruorum eaſdem virtutes conſtituerint; eos denique, qui ſeruos omni prorſus virtute orbarint, de quibus hoc loco: qui exiſtimarent, apud ſeruos tantum iuſſis & præceptis eſſe vtendum, quæ illi, tanquam pecudes, ſequantur. At hi, inquit Ariſtoteles, errant, cum propter priora argumenta, tum quia perſpicue conſtet, non tam ſeruis quid eſſe præcipiendum, vt illi putabant, quam ſæpe monendos, obiurgandos & accuſandos ſæpius, inquam, quam liberos. Quod ſi ita eſt, conſequitur, ſeruos rationis quoque aliquatenus eſſe participes. Monitiones enim alioqui non intelligerent. Si rationis, ergo & virtutum, vt ſupra explicatum.

TEXTVS.

Verum de ſeruis quidem hoc modo ſit explicatum: de viro autem & muliere, ac liberis & patre, quæque ſingulatim eorum ſit virtus, quæque ſit inter ipſos conſuetudo, quid rectum ſit, quid prauum, & quemadmodum, quod rectum, quidem perſequi oporteat, quod prauum fugere, in iis quæ de Rep. neceſſario ſunt explicanda. Siquidem omnis quidem domus pars eſt ciuitatis. hi autem domus. Partis autem virtutem ad totius virtutem ſpectare oportet; neceſſario in ciuitatem intuentes inſtituere debent & liberos & vxores, ſi quid intereſt ad hoc, vt ciuitas ſit bona, liberos quoque eſſe bonos & vxores bonas. Intereſſe autem neceſſe eſt. Nam fœminæ quidem pars dimidia ſunt liberorum capitum. Ex liberis autem participes ciuitatis oriuntur. Quamobrem quia de his eſt explicatum, de reliquis autem alibi erit explicandum: omiſſa nunc diſputatione, vt ad finem perducta, alio facto principio diſputemus; & primum videamus qui de Republ. optima ſententiam aliquam protulerunt.

COM-

COMMEMTARII.

Ἀλλὰ περὶ μὲν τούτων.] Expoſito de ſeruorum virtute, reliquum erat de aliis reliquis domus partibus, vxore & liberis, explicare, de marito quoque & patre: nimirum quæ ſingulorum ſint virtutes, & quæ inter ipſos ſit conſuetudo & congreſſus, id eſt, quemadmodum vxor & maritus, pater & liberi inter ſe affecti eſſe, & ſe gerere debeant. Verum hanc diſputationem non hoc loco, ſed in ipſa Reipublicæ tractatione explicandam & coniungendam eſſe ait hac ratione; Quia pro Rerumpublicarum ſeu ciuitatum diſſimilitudine variet hæc diſputatio & tractatio, id eſt, alia eſt inſtitutio liberorum, vxoris quoque; aliæ, inquam, horum ſunt virtutes in Republica populari, aliæ in Regno, aliæ in alijs Rebuſpublicis. Quod & hoc loco & infra *lib. 8. cap. 1.* docet hac ratione; Quia partium virtus ad totius virtutem accommodari debeat. Quare ſi totius, id eſt, Rerumpublicarum non eadem omnium eſt virtus, alia Regni, alia popularis poteſtatis: Ergo & partium, id eſt, liberorum & vxorum alia atque alia erit virtus. At dicet aliquis, non magnopere intereſſe Reipublicæ, vt bene inſtituantur pueri aut fœminæ: huic contradictioni Ariſtoteles erudite occurrit; εἴπερ τι διαφέρει πρὸς τὸ, &c. Et de mulieribus quidem quantopere interſit Reipublicæ has eſſe bene moratas, docet hac ratione; Quia ſint liberorum capitum pars dimidia, id eſt, totius ciuitatis. Ergo vt totum ſit bene moratum, id eſt, tota ciuitas; refert maximopere, & mulieres bene educari. Quæ ratio ex *Platone* tamen ſumpta *libro 6. de legibus*, ὃ γὰρ, &c. Ariſtoteli mirifice placuit, qua & infra aduerſus Lycurgum eſt vſus, *lib. 2. cap. 7.* De pueris vero, quia ſint Reipublicæ ſeminarium, ex quibus tandem ciues prodeant. Sed de pueris infra latius *lib. 8. cap. 1.*

Cur alio in loco de virtutib. vxoris & liberorũ explicandum.

Ratio.

Obiectio.

Solutio.

FINIS LIBRI PRIMI POliticorum.

LIBER II.

ARGVMENTVM.

Liber hic eſt velut cenſor nobiliorum ſuæ ætatis Rerump. quarum duo erant genera. Nam vel iis vtebantur homines, vel in ſcriptis tantum & diſputationibus hærebant. Et hæ rurſus duorum erant generum, vel à duobus hominum generibus traditæ, philoſophis ſeu priuatis, & politicis. In his his igitur, quæ maximè ſint inſignia, & maxime quæ ſint vitia, exquirit. Cuius conſilii ſui rationem affert initio huius libri. Primis igitur quatuor capitibus de duabus Platonis ciuitatibus ſeu Rebuſpub. diſſerit. Quinto de Rep. Phaleæ. Sexto de Hippodami. Septimo de Spartana. Octauo de Cretenſi. Nono de Carthaginẽſi. Vltimo de Solonis legibus quibuſdam, & inſtitutis Philolai, Charondæ, Draconis, Pittaci, Andromachi.

CAPVT I.

TRES huius capitis ſunt partes, quarum prima quà de re & cur ſit explicandum. 2. vniuerſæ diſputationis exordium, de iis, quæ ciuibus inter ſe communia eſſe debeant, vbi de Platonis politia. 3. aduerſus Platonem inſtituit diſputationem, & oſtendit, non optimum eſſe Reipublicæ, vt ſit maxime vna, quod putabat Plato.

TEXTVS.

Quoniam conſtituimus explicare de communitate ciuili, quę omnium ſit optima iis, qui quam maxime ex ſententia viuere poſſint: alias quoque Reſp. ſpectare oportet, & quibus ciuitates quædam, quæ bene temperatæ dicuntur, vtuntur, & ſi

quæ

quæ aliæ ſint, à quibus explicatæ, hoc eſt, deſcriptæ (à Philoſophis) & bene ſe habere videntur: cum, vt, & quod rectum & quod vtile, perſpiciatur, tum etiam, vt quærere aliquid ab iis diuerſum, ne videatur prorſus eſſe oſtentare ſe volentium: ſed quia illæ, quæ nunc ſint, non recte ſe habeant, propterea hanc rem ſuſcepiſſe videamur.

COMMENTARII.

Πρόθεσις ἀπολογικὴ.

Ἐπεὶ δὲ προαιρούμεθα.] Exponit, qua de re ſibi in hoc lib. ſit differēdum, & quam ob cauſam. Ait igitur, explicaturum ſe de Rebuſpub. & quibus ea ætate ciuitates vterentur, & ijs quæ à viris doctis eſſent explicatæ, non quidem omnibus, ſed melioribus & præſtantioribus. Cur autem, cum Ariſtotelis conſilium & ſit inſtitutum explicare de optimo Reipublicæ ſtatu & genere, etiam tamen eas perſequatur, quæ vitijs quibuſdam laborent, duas rationes affert. Prior eſt, quod *1. Ratio.* Rerumpublicarum inter ſe comparatio res ſit valde fructuoſa, vt qua cognoſcantur non tantum vitia, ſed bona quoque & opportunitates imitandæ. Et notum eſt, comparationem rerum non eſſe leuiſſimam bonæ methodi partem. Altera *2. Ratio.* *Προληπτικὴ.* ratio ipſum Ariſtotelem attingit, & eſt non huius tantum libri, ſed totius operis; Cur poſt tam multos, qui de Rep. ſcripſerint, præſtātiſſimos viros idem ipſe opus ſuſceperit Multi namque id vanæ cuidam oſtentationi & arrogantiæ fortaſſe tribuerent. Huic igitur accuſationi Ariſtoteles occurrens, reſpondet, non arrogantiæ cauſa, ſed vtilitatis communis & bene iuuandi ſtudio hæc ſuſcepiſſe. Quid ita? hoc, inquam, planum fiet, poſtquam docuero & patefecero omnium aliarum vitia Rerump. quantumuis ex ijs quædam maxime laudentur, vt optime affectæ.

Reſpub optima abſolute vel comparate.

Ἡ κρατίστη πασῶν.] Reſpubl. optima vel eſt optima ſimpliciter, vel comparate. Optima abſolute eſt eorum, quibus ſuppeditant omnia ad vitam quam beatiſſimam neceſſaria, quam vitam vocat eleganter & infra ſæpe κατ' εὐχὴν. Comparate optima Reſp. eſt eorum, qui quātum poſſint ad illam accedunt & accedere conantur, quibus non omnia ſuppeditant. *Cur de vtraq; diſſerēdum Politico.* Vtraque explicanda eſt differenti de Republica & cognoſcenda, atque deſcribenda politico, vt Ariſt. infra *lib. 4.*

Nam non ſemper qui nouam ciuitatem condere velit, optimam politiam in ea deſcribere debet, nimirum ſi rebus quibuſdam forte propter locum aut alia attributa, vt perſonas aut gentem, deſtituatur, ſed eam, quam præberent & ferrent res neceſſariæ.

TEXTVS.

Primum autem exordiendum, vbi accommodatiſſimum eſt huius diſputationis principium. Neceſſe namque aut omnia omnes inter ciues eſſe communia, aut nihil, aut aliqua, aliqua vero nō. Nam vt nihil ſit commune, perſpicuum fieri non poſſe: Ciuitas enim communitas eſt quædam. Et primum neceſſe eſt, locum eſſe communem: nam locus quidem vnus eſt vnius ciuitatis: ciues vero, qui vna ciuitate communicant. Verum vtrū quæcunq; communia eſſe poſſunt, omnia præſtet eſſe communia in ciuitate bene adminiſtranda, an aliqua quidem, aliqua vero non, præſtet? Nam & liberi & vxores & bona ciuibus inter ſe communia eſſe poſſunt, vt in Rep. Platonis. Ibi namque Socrates ait, oportere communes eſſe liberos & vxores & bona. Hoc igitur vtrum, vt nunc, ita præſtet eſſe, an vt lex in Rep. ſcripta eſt.

COMMENTARII.

προκατά-στασις.

Ἀρχὴν δὲ πρῶτον.] Cenſuræ Rerumpublicarum initium capiendum eſſe monet ex eo, quod principium & exordium ſit veriſſimum: quaſi diceret. Quæ vere & natura ſunt prima, hinc exordiamur, nimirum ex partib. definitionis ipſius ciuitatis, id eſt, ex ciuitatis natura. Itaq; quia ex definitione conſtat, ciuitatem eſſe communitatem quandam; hinc cenſuræ facit exordium. Diſiunctione igitur trimembri de cōmunitate exquirit, an omnia, an nihil, an quædam tantum ciuibus inter ſe communia eſſe debeant. Et membrum quidem illud, an nihil, infirmat & refellit his rationibus, 1. quia ciuitas eſt communitas: ergo, vt nihil ſit commune, fieri nequit.

Partitio.

I

Non debere nihil eſſe commune.

1. Ratio.

quit. Præterea, quia perſpicue locus eſt vnus vnius ciuitatis: hoc eſt, vt nihil aliud ciuibus inter ſe ſit commune, vel ſolus tamen locus communis ſit, neceſſe eſt. Sic igitur legendum, τόπος εἷς, ὁ τῆς, &c. teſtibus & libris ſcriptis & vetere interprete, & poſtulante ſententia, non vt vulgo perperam, ἰσότης. Poſtremo: quia ciues ipſi vna ciuitate communicant, ipſi ſunt ſocij & κοινωνοὶ, id eſt, conſociati tanquam vnum corpus ciuitatis conſtituunt. De hoc igitur membro nulla eſt controuerſia: verum de reliquis duobus ſumma: nimirum an omnia ciuibus inter ſe communia eſſe debeant, etiam liberi, vxores, & bona, quod *Plato* voluit *lib.5. de Rep.* An contra quædam tantum communia eſſe debeant vt locus, libertas, Magiſtratus, Ius, Iuriſdictio, &c. magna, inquam, eſt cōtrouerſia, vtra ratio ſit melior in optima Repub. Platonis, an vulgo vſitata, ὡς νῦν. Nam ætate Ariſtotelis non erat ea Platonica communio in ciuitatibus, præterquam apud barbaros quoſdam, de quibus infra. De hac igitur controuerſia accurate diſputat tribus primis capitibus, & duobus quidem de communitate vxorum & liberorum, tertio de communitate bonorum. *2. Ratio,* *3. Ratio.* II. *Nũ omnia debeant eſſe communia.*

Η' κατὰ τὸν ἐν τῇ πολιτείᾳ.] Platonis legem de communitate ſic vocat. Nam & Plato ipſe legem vocat *lib.5. de Rep.*

TEXTVS.

Cum igitur alia multa habeat incommoda, vt vxores omnium ſint communes, tum propter quam cauſam hoc modo lege ſanciendum ait Socrates, non videtur effici ex rationibus. Præterea ad finem, quem ciuitati propoſitum oportere ait, vt quidem iam dictum, fieri nequit. Quemadmodum autem diſtinguere oporteat, nihil eſt definitum: Duo autem de eo, quod ſit optimum, ciuitatem quam maxime eſſe vnam: nam hypotheſin hanc ſumit Socrates.

COMMENTARII.

Ἔχει δὴ δυσχερείας ἄλλας.] Nunc ad rem. Ait igitur, ex hac Platonica communitate cum alia multa incommoda & ma- *De vxorũ communitate.*

la (de quibus *cap. 2. & 3.*) extitura, ſiue naſcitura: tum neq; finem illum, nimirum ſummam ciuium concordiam & amicitiam, ex ea effici, ſed potius ſummã diſcordiam. Et vt hæc cauſa & finis ſit verus, & qui conſequi & effici ex ea communitate poſſit, tamen ex ipſius rationibus & mediis non effici docet. Eſt igitur bimembris hæc Ariſtotelis diſputatio & cõcluſio aduerſus Platon. quod vt facilius intelligatur, hæc fuit Platonis concluſio. Quod maxime coniungit & copulat ciuitatem, id eſt optimum. At ſi omnes ciues dicant, *Id meum, non meum*; id optime copulat Ergo id dicere ciuitati eſt optimum. Ergo, vt nulla ſit diſtinctio liberorum, vxorum, & bonorum, ſummum eſt ciuitatis bonum. Ariſtoteles refellit & propoſitionem & aſſumptionem. De propoſitione quidem hoc capite docet, non eſſe ciuitati bonum & vtile, maxime coniũgi ſeu vnam fieri: etſi Plato hanc hypotheſin ſibi ſumpſerat, omnis erroris & mali ipſi cauſam, vt infra loquitur, & iterat Ariſtoteles *cap. 3. αἴτιον δὲ τοῦ Σωκράτει.*

Platonis paralogiſmus.

TEXTVS.

Atqui perſpicuum eſt, progredientem, & quæ magis vna fiat, ne ciuitatem quidem fore. Ciuitas namque natura eſt quædam multitudo, quæque magis vna fit, domus quidem ex ciuitate, homo vero ex domo erit. Magis namque vnam dixerimus eſſe domum ciuitate, & vnum domo. Quare etſi hoc efficere quis poterat, non patiundum. Ciuitatem namque interimet ſeu delebit.

COMMENTARII.

Καί τοι φανερόν ἐστιν.] Platonis propoſitionem & hypotheſin, eſſe ciuitati vtile vt quam maxime vna fiat, refellit hoc capite duabus rationibus. Prior hæc eſt: quia ea ſit peſtis & interitus ciuitatis: ergo vnio hæc ciuitati non eſt vtilis aut bona. Formula: Quod bonum, eo res conſeruatur. At vnione perit ciuitas. Ergo non eſt bonum ciuitati, multo minus optimum, vt putauit Plato. Quam totam concluſionem Ariſtoteles infra ipſe affert, *καὶ τὸ λεχθὲν*, &c. Ratio igitur eſt in aſſumptione, & in ea explicanda & confirmanda totus hic

1. Ratio.

Formula.

hic locus conſumitur. Ratio autem rationis, ſeu aſſumptionis confirmatio eſt hæc: quia ciuitas quam maxime vna, ad vnum hominem redigatur, id eſt, deſinat eſſe ciuitas, cuius natura eſt è multis conflata. Quæ confirmatio eſt perſpicua, nimirum ad vnum redigi ciuitatem, ſi eam velis eſſe quam maxime vnam. nam quam maxime vnum eſt vnus. Vnus eſt magis vnus quam domus, & hæc magis eſt vna quam ciuitas. Ciuitatem autem eſſe multitudinem quandam, quandam, inquam, non omnem. Nam & exercitus eſt multitudo, non tamen ciuitas. Nam, vt infr. dicetur, ciuitas eſt multitudo rebus ad bene beateque viuendum neceſſarijs instructa. *Cōfirmatio aſſumptionis.*

TEXTVS.

Neque vero tantum ex compluribus hominibus eſt ciuitas, ſed ex ſpecie quoque differentibus. Neque enim fit ciuitas ex ſimilibus: aliud eſt enim belli ſocietas quam ciuitas. Nam quod quantitate vtile eſt, & ſi idem eſt ſpecie: auxilii enim gratia eſt ſocietas belli, vt ſi pondus plus auferat. Tali autem re & à gente differet ciuitas, cum non vicatim diuiſi multitudine fuerint, ſed tanquam Arcades.

COMMENTARII.

Οὐ μόνον δ' ἐκ πλειόνων.] Platoni velut occurrere videtur, qui fortaſſe diceret, ſe non de tali vnione loqui, qua ad vnum redigatur ciuitas, ſed de ea potius, qua multi licet, ita tamen ſint coniuncti, vt non tam multi, quam vnus, eſſe videantur. Huic igitur contradictioni Ariſtoteles velut occurrens interijcit hîc de ciuitate, eam eſſe non tantum multitudinem: ſed talem, quę non ex ſimilibus, ſeu eiuſdem generis & conditionis hominibus, ſed ſpecie diſſimilibus conſtet, vt magiſtratibus, priuatis, militibus, ſacerdotibus, ſapientibus, opificibus, &c. qui omnes ſpecie differunt, non quo non omnes ſint homines, ſed quia non eiuſdem conditionis. Eſt autem inſignis hic locus, quem & ſupra *libro 5. Ethicorum, capite quinto*, & infra aliquoties attingit, ciuitatem ex variis ordinibus & generibus hominum conſtare debere, *προλήψις.*

 quod

1. *Ratio.* quod docet Ariſtoteles tribus rationibus. Prima eſt ex comparatione ſocietatis belli & gẽtis per diſſimilitudinem. Nam alia eſt ratio ciuitatis, alia ſocietatis belli, hoc eſt, hæc ex eiuſdem generis hominibus conſtare poteſt, illa non item, nimirum ex militibus ſeu militari ordine. Differentiæ ratio: quia belli ſocietas auxilij cauſa coitur: ciuitas beatitudinis ergo. Iam ad auxilium tantum quæritur multitudo, diſtinctio & diſſimilitudo non item: quod exemplo ponderum confirmat. Nam vt res quæ ponderantur, aurum, argentum, &c. quo magis deprimunt, hoc eſt, quo ſunt grauiores, eo ſunt meliores. Alia eſt igitur ratio ciuitatis, alia ſocietatis bellicæ. Vtraque quidem eſt ſocietas, ſed differunt tamen, vt hîc & infra *lib 3.cap. 6.* Alia quoque eſt ratio ciuitatis & gentis, non quidem omnis gentis, ſed eius quæ non per vicos & oppida eſt diſtincta, ſed quæ ſparſas per agros domos habitat; quod inſtitutum Arcadum fuiſſe ait Ariſtotel. & indicat *Strabo lib. 4. in fine*, vbi Arcadas tandem vniuerſos in vrbem vnam Megalopolim fuiſſe contractos & coactos ait, quaſi ante ſparſi habitarint, quod idem de Athenienſibus commemorant veteres, eos opera Theſei demum in vnum corpus conductos eſſe, *Plut. in Theſeo, Cic. lib. 2. de legib.* Hæc vita & Nomadum & veterum Germanorum fuit, & hodie Arabum, & in Italia ruſtici circumpadani, & in Germania Nobiles. Hæ igitur gentes, quæ non diſtinctos habent magiſtratus, ſed communes, differunt tantum à ciuitate τοιύτῳ, id eſt, multitudine & perturbatione: quia in ciuitate eſt hominum deſcriptio, varij ſunt ordines, in his gentibus non item.

TEXTVS.

Ex quibus autem rebus vnum quid fieri oportet, ſpecie differunt. Quare æqualitas mutua & reciproca tuetur ciuitates, vt ante dictum eſt in Ethicis: ſiquidem & in liberis & paribus neceſſe hoc eſſe. Vt enim ſimul imperent omnes, fieri nequit; ſed vel anno, vel alia aliqua deſcriptione ſeu tempore. Atque hoc modo accidit vt omnes imperẽt, tanquam ſi mutarent ſutores & fabri, neque iidem

dem ſemper eſſent ſutores & fabri. Quia autem præſtat & quæ ſunt ſocietatis ciuilis, ita eſſe: perſpicuum, præſtare vt omnes imperent, ſi pote: in quibus autem hoc non pote, eo quod omnes natura ſint pares, ſimul etiam quia æquum ſit, ſiue bonum ſiue malum ſit imperare, omnes eius eſſe participes; in his, inquam, imitari viciſſitudinem, pares cedere ſimiliter primis. Nam hi quidem imperant, illi verò parent viciſſim, tanquam alii facti. Eodem autem modo & qui imperant, alii alia gerunt imperia. Perſpicuum eſt igitur ex his, ciuitatem natura nõ eſſe vnam, vt quidam aiunt; atque quod dictum eſt, quaſi maximum in ciuitatibus ſit bonum, quia ciuitates perdit. Atqui cuiuſque rei bonum quamq; conſeruat.

COMMENTARII.

Ἐξ ὧν δὲ δεῖ ἓν γενέσθ.] Altera ratio, cur ex ſpecie differẽtibus cõſtet ciuitas, ab integri ſeu totius natura ſumpta: quia, ꝙ vnum cunq; totum ſeu integrum ex partibus cõflatur, hæ ſpecie differant, neceſſe eſt. Cuius propoſitionis ab Ariſtotele allata exempla exſtant & in rebus naturalibus & artificioſis. Nam & naturales ex quatuor elementis ſpecie differentibus conſtant, & homo quoque ex neruis, oſſibus, carne, & domus ex variis rebus conſtituitur. Atque adeo quo res quæque eſt perfectior, eo magis conſtat ex partibus ſpecie differentibus. Argumento ſunt elementa ipſa, aer, aqua; quæ corpora quia non ſunt peræque perfecta, partes quoq; habent vniuſmodi. Hæc igitur eſt propoſitio. At quia ciuitas eſt integrum quoddam ſeu totum, vt ex prioribus intelligitur: ergo partes eius ſpecie differunt. *2. Ratio ſolutionis.*

Διόπερ τὸ ἴσον.] Tertia ratio ab imperandi viciſſitudine ſumpta, & iure talionis, quod Græci vocant ἀντιπεπονθὸς, ſupra *lib.5.Ethic.cap.5.* Sic igitur concludit: Talio ciuitatibus eſt neceſſaria; ergo & diſſimilitudo. De antecedente explicatum ait *in Ethicis*, nimirum hac mutua compenſatione ciuitates conſeruari, non inter impares tantum ſed pares; *3. Ratio.*

alioqui ſeruitutem fore, inquit *ibidem*. Leuiter autem obſeruandum hîc quod ſæpe dixi, Ethicorum & Politicorum vnum velut eſſe corpus, cum ait, ante dictum eſt. Obſeruandum & hoc, vtriuſque operis vnum eſſe auctorem, contra atque quidam, in quibus & Cicero, exiſtimarint: qua de re ſupra *initio Ethicorum* diximus. Connexi autem ratio: quia talio non tam in æqualitate quam in diſſimilitudine verſetur, quia in proportione, quæ eſt rerum diſſimilium quædam exæquatio.

Connexi ratio.

Ἄμφω γὰρ οὐχ οἷόν τε.] Diſſimilitudinem talionis huius iam explicat. Certum eſt, pares paribus præmiis & pœnis afficiendos ex iure talionis: quo poſito conſequitur, ciues pares omnes quoque magiſtratum gerere debere. quod quia vno eodemque tempore fieri nequit, vt omnes ſint in magiſtratu, ſed nunc hi annum fortaſſe, aut, prout aliter in Republica conſtitutum fuerit; biennium forte, aut luſtrum vt Cenſores Romæ, aut ſex menſes vt Dictatores, imperent, alii pareant: hinc ciuium diſſimilitudo exſiſtit: viciſſitudo, inquam, imperandi & parendi argumento eſt, ciues eſſe diſſimiles, & quidem ſpecie, vt imperare, & parere. Sed enim, dicet aliquis; ſi viciſſim imperant & parent, neque omnes vna aut ſemper imperant; peccari contra Ius talionis. Reſponderi poteſt, nihilominus effici, vt omnes imperent, non quidem eodem tempore, ſed viciſſim: quod explicat exemplo opificum. Nam & hi, inquit, ſi (verbi gratia) vel ſutores vel fabri non iidem ſemper maneant, ſed nunc hic ciuis fiat faber, nunc ſutor, & ſic reliqui viciſſim: fiet tandem, vt omnes ſint ſutores & fabri, aut certe fuerint.

Obiectio.
Solutio.

Ἐπεὶ δὲ βέλτιον.] Attingitur hîc locus de magiſtratuum perpetuitate & viciſſitudine. Ait igitur, perpetuitatem quidem eſſe optimum, hoc eſt, vt iidem ſemper imperent, non mutentur, quemadmodum optimum eſt ciuitati vt iidem ſemper maneant fabri, iidem ſutores, &c. optimum quidem igitur hoc eſſe, ſi obtineri poſſit, vt in Ariſtocratia & Regno. Verum quia hoc difficile eſt inter eos qui natura ſint pares virtute, vt in pleriſque ciuitatibus; & propter hanc paritatem æquum ſit, omnes magiſtratuum & imperiorũ eſſe participes (ſiue imperare ſit res bona & commoda, ſiue res mala & incommoda, nihil refert ad id de quo agitur: nam & commodorum & incommodorum, qui ſunt pares, peræque partici-

Digreſſio de magiſtratuum perpetuitate.

participes eſſe debent) hac igitur ratione in paribus viciſſitudo magiſtratuum & imperiorum eſt melior, ita vt vnus cedat alteri, & nunc hic quidem imperet, ille vero pareat viciſſim: qua in re tanta eſt diſſimilitudo, vt qui ex priuato fit magiſtratus, vel contra, velut alius homo ratione politica eſſe videatur. Neque vero diſſimilitudo tantum eſt imperantium & parentium ratione: verum ipſorum quoque imperantium inter ſe. Nam alius ex imperantibus aliud obtinet imperium & magiſtratum; alius eſt quæſtor, alius conſul, alius ædilis, &c. Ex quibus omnibus perſpicitur, quanta ſit ciuium diſſimilitudo, etiam parium natura & virtute.

TEXTVS.

Eſt autem & alio modo perſpicuum, quærere, vt valde vna ſit ciuitas, non eſſe melius. Nam domus quidem, quam ſinguli, eſt inſtructior; ciuitas vero, quam domus. Iam tum eſſe ſolet ciuitas, cum multitudinis ſocietas bene fuerit inſtructa. Quod ſi igitur inſtructum eſſe eſt optabilius, & quod minus vnum, eo quod magis, eſt optabilius.

COMMENTARII.

2. Ratio ſeu argumentũ, quo docetur non eſſe ciuitati optimum vt quam maxime vna ſit, à fine.

Ἔστι δὲ καὶ ἄλλον τρόπον.] Prius argmentum ex partium ciuitatis, hoc eſt, ciuium diſſimilitudine ſumptum fuit: hoc alterum eſt à ciuitatis fine, quæ eſt αὐτάρκεια, hoc eſt, rerum copia ad bene beateq; viuendum neceſſaria. Nam huius rei cauſa ciuitates conſtitutas eſte ſupra docuit *initio cap. 2.* & infra *lib. 7. cap. 1.* Cur ergo ciuitati non ſit bonum, eam eſſe quam maxime vnam, hæc altera eſt ratio: quia ciuitas maxime eſt αὐταρκὴς, vel quod idem valet, quod minus eſt vnũ, magis eſt αὐταρκὲς. Formula: Quo quid eſt αὐταρκέστερον, eo eſt & optabilius & melius. Atqui quod minus vnum, id eſt αὐταρκέστερον. Ergo quod minus eſt vnum, idem eſt optabilius & melius. Contra atque putauit Plato, qui id, quod magis ſit vnum, putauit eſſe melius. Propoſitio eſt perſpicua.

Aſſumptionis confirmatio.

Aſſumptionis confirmatio, οἰκία μὲν γὰρ, &c. Domus, inquit, eſt αὐταρκέστερον, quam ſinguli. Nam, vt è prioribus, ex capite primo conſtat, ſinguli communis præſidii cauſa domeſticam ſocietatem ineunt. Plus igitur in domo præſidii quam

in ſin-

in ſingulis:ſingulorum domus eſt prima quædam perfectio. Ciuitatem autem eſſe αὐταρκέστερον quam domum, dictum eſt ſupra cap.2. & ipſe *Plato lib.2.de Repub.* Quia, inquit, ſinguli non ſumus αὐταρκεῖς, ea re ciuitates coimus. Certum eſt igitur, ciuitatem eſſe αὐταρκέστερον quam domum, & hanc quam ſingulos. At certũ & hoc ciuitatem minus eſſe vnam, quam domum, & hanc quam ſingulos. Ex quibus intelligitur, quo quid minus eſt vnum, eo eſſe αὐταρκέστερον. His igitur duabus rationibus docet Ariſtoteles, finem huius communionis Platonicæ eſſe vanum & irritum, hoc eſt, non eſſe ciuitati bonum, vt maxime ſit vna. Quod idem infra cap.3.

Simile. eleganti ſimilitudine illuſtrat. ἐγγὺς δ' ἐστι, &c. Nã qui ciuitatem q̃ maxime vnam efficere ſtudeat, hunc ſimiliter facere ait, atque ſi ex multarum vocum concentu & harmonia vnam tantum vocem & ſonum reddere cupiat: qui, vt ille ciuitatem, harmoniam & concentum omnem tolleret.

CAPVT II.

REFELLITVR primo argumentum Platonis, ſeu maior propoſitio ſyllogiſmi, de quo ſupra. Deinde, quæ mala & incommoda ex hac vxorum & liberorum communitate oriantur, exponitur. vbi & ipſa Platonici inſtituti cauſa euertitur, atque eiuſdem traductio liberorum.

TEXTVS.

Neque vero, vt hoc ſit optimum quam maxime vnam eſſe ſocietatem, ne quidem ratione hoc concludi videtur: ſi omnes ſimul dicunt, meum & non meum: hoc enim putat Socrates argumentum eſſe, ciuitatem perfecte eſſe vnum. Nam omnes bifariam. Itaque ſiquidem vt ſinguli, magis erit fortaſſe, quod efficere vult Socrates. Eundem namq; ſinguli dicent ſuum filiũ, & vxorem eandem: & de bonis, & de ſingulis caſibus ſimiliter. Nunc vero cum ita dicet, communibus vtentes vxoribus & liberis: ſed omnes quidem non vt eorum ſinguli: ſimiliter vero & bona omnes quidem,

dem, non vero vt eorum ſinguli. Dicere igitur omnes, perſpicuum eſt captionem quandam eſſe. omnes namque & vtraque imparia & paria, quia bifariam accipiuntur: & in diſputationibus ratiocinationes faciunt contentioſas. quare omnes licet idem dicere, ſiquidem ſic quidem bonum, ſed non pote: ſic vero ad concordiam inutile.

COMMENTARII.

'Αλλὰ μὴν οὐδ' εἰ τοῦτο.] Refellit Platonis aſſumptionem, quam ſupra eſſe diximus: at ſi omnes dicant, *meum & non meum*, ciuitas erit maxime vna: docet, inquam, Ariſtoteles, quamuis hæc dicant ciues, ex eo tamen ciuitatem non effici vnam. Vis omnis Ariſtotelici argumenti eſt in verbo, *omnes*, quo ipſo Platonem in fraudem ductum eſſe oſtendit: quo modo & *lib. 1. de ortu & interitu, cap. 2.* in fine huius quoque verbi vſu & ſignificatione ancipiti falſum eſſe Democritum oſtendit, ſummum phyſicum, & reprehendit, vt hîc Platonis, ita ibi Democriti paralogiſmũ (in hac Democriti propoſitione, πάντα εἶναι στιγμὴν, &c.) Bifariam igitur ſeu dupliciter verbum, *omnis*, accipitur, vt & verbum, *vterque*, ſeu ἀμφότερον: vniuerſe & ſigillatim, hoc eſt, vt vulgo, collectiue & diſtributiue, verbi gratia, Duodecim ſunt homines qui terni conſiſtant. hi, vt omnes & vniuerſi, ſunt pares: vt ſingulatim terni, ſunt impares: ſic & de vtroque, ſi ſex ſint homines qui terni conſiſtant, vtrique quidem dicentur pares; vt ſinguli, impares. His præmunitis, Ariſtot. Platonis aſſumptionẽ captioſam eſſe docet, vocabulo *omnis* ὁμωνύμως. Nam ſi vniuerſe accipiatur in aſſumptione, vt voluit Plato, hoc eſt, vt omnes confuſe filios omnes vocent, non efficietur ea, quam ſperauit Plato, concordia, non ea erit amicitia, quemadmodum ſupra *lib. 9 Ethic.* diximus, & infra dicetur latius: quod ſi ſingulatim accipiatur, nimirum vt ciues ſinguli, vel tanquam ſinguli, ſuos proprios filios dicant: iam quidem eſſet amicitia, ſed ea res fieri nequit. Nam quæ quiſque vt ſua & propria vocat, ea iam non ſunt communia. Quare & Iuriſconſulti negant fieri poſſe, vt eiuſdem rei duo in ſolidum ſint domini, hoc tantum permittunt, vt rei communis dominum

Minor propoſitio ſyllogiſmi Platonici.

Refutatio.

Omnis vel vniuerſe vel ſigillatim.

Vterq; vel vniuerſe vel ſigillatim.

minum quiſque ſe vocare poſſit, ſed pro parte indiuiſa, non in ſolidum. *l. ſicut certo. §. vlt. ff. commodati.* Ad eundem modum & in ciuitate omnes vocare poſſunt ſuos filios, non tamen vt ſingulatim ſuos, ſed confuſe, quod vt diximus, οὐδὲν ὁμονοητικόν. Itaque quia ſignificatio verbi *omnis*, Platonica non eſt ὁμονοητικὴ efficitur & ſequitur, huius verbi vſu ciuitatem non effici vnam.

Συμβαινόντων.] Συμβαίνοντα & hic & *libr. 1. Ethic. cap. 11.* vocat bona & mala quæcunque accidant. Nam & paulo infra εὖ πράττοντα ἢ κακῶς ſic vocat, Latine caſus & fortunas proſperas & aduerſas vocamus. Vt igitur liberos & vxores, ita & horum caſus proſperos & aduerſos ſinguli ſuos vocarent & dicerent.

TEXTVS.

Ad hæc aliud hæc res habet incõmodum. Nam quæ res plurimis eſt communis, in eam minimum curæ ponitur: ſuas namque maxime curant, communes vero minus, aut quantum cuiuſq; interſit. Nam præter alia, tanquam alio curante, magis negligunt, vt in ſeruilibus miniſteriis multi ſæpe famuli peius deſeruiunt, quam pauci. Fiunt autem ſingulis mille ciuium filii: & hic non vt ſingulorum, ſed quilibet cuiuslibet peræque eſt filius: quare omnes peræque negligent: præterea, ſic ſinguli, meus eſt, dicunt ex ciuibus eum, qui bona vel aduerſa fortuna vtitur, quantuſcunque ſit numero, vt meus eſt aut illius, hoc modo dicens de ſingulis ex mille, aut quotcunque ciuitas conſtet: & hoc dubitans: incertum namq; cui naſci filium contigerit, & natum ſeruari. Atq; vtrum præſtet, ſingulos ſic meum dicere, idem quidem vocantes ex mille vel decem millibus: an potius vt nunc in ciuitatibus meum dicunt: Nam eundem hic quidem vocat filium ſuum, ille vero fratrem ſuum, ille con-

le conſobrinum, aut ex alia cognatione ſiue ſanguinis, ſiue neceſſitudinis & affinitatis ſua primum aut ſuorum: ad hæc alium curialem aut tribulem. præſtat enim ſuum eſſe conſobrinum, quam hoc modo filium.

COMMENTARII.

1. Cauſa negligentia.

Πρὸς δὲ τούτοις ἕτερον.] Repræhenſo & refutato iam argumento Platonis: pergit Ariſtoteles mala & incommoda exponere huius Platonicæ communitatis, multa & grauia. Primum eſt negligentia, &, vt Iuriſconſulti loquuntur, non curantia, ὀλιγωρία: quod malum, quam ſit graue, ex eo intelligitur, quod παιδεία & educatio ſeu inſtitutio prorſus negligetur, vt Ariſtoteles ipſe docuit ſupra, *lib. vlt Ethic. cap. vlt.* vbi diſputat, vtra ſit melior, παιδεία publica an priuata. Formula ſit iſta: Si cõmunes ſunt liberi: ergo negligẽtur. Ratio connexi: quia ſua & priuata fere curant homines, communia negligunt, quod docet exemplo ſeruorum, qui ſæpe quo plures ſunt, eo minus mandata Dominorum & opera ſua curant, alio in alium reiiciente: ſic & ſi vnus, verbi gratia, multorum ſit filius, ab omnibus negligetur. Hæc igitur prima eſt negligentiæ cauſa, communitas, de quo & infra cap. extremo. δύο γὰρ ἐστι τὰ μάλιστα, &c.

2. Cauſa negligentia.

Γίνονται δ᾽ ἑκάστῳ.] Locus hic, etſi obſcurior, ad negligentiam tamen pertinet. Nam altera eius cauſa hic afferri videtur, qua multi vnius ſint futuri liberi, mille fortaſſe aut decem millia, prout ciuitas erit frequens & celebris; vnius, inquam, multi & non tanquam eius proprii & germani, ſed vt quilibet cuiuslibet, vt ignotus ignoti. At perſpicuum eſt, multos eoſq; non germanos, ſed tanquam de populo ſumptos, non peræque curati, atque ſi pauci eſſent & noti ſeu proprii.

3. Cauſa negligentia.

Ἔτι οὕτως ἕκαστος.] Tertia negligentiæ cauſa, hæſitatio & incertitudo, hîc adfertur. Nam tametſi multos quis vel mille filios habeat, & vocet, tamen hoc facit hæſitans & dubitans: propterea quod certe non nouit vel an ex ſuo concubitu ſint procreati, vel vt ſint, an tamen ſuperſtites manſerint. Iam de quibus dubitauimus an ſint noſtri, eos fere negligimus. Itaq; dicet quidem ſeu vocabit quiſque mille forte, aut

te, aut ex his mille omnes ſuos liberos, aliũ bene rem ſuam gerentem & florentem, vt ab eo iuuetur, alium aduerſa fortuna laborantem, vt ei ſubueniat, vt, inquam, lætetur & doleat liberorum fortunis, dicet eos eſſe ſuos, quoticunq; tandem ſint, ſiue vnus ex mille, ſiue ex decem millibus, dicet ſuum, ſed dubitans: negliget igitur.

Cõfuſio cognationis, quæ ex hac communitate Platonis oritur.

Καὶ τοι πότερον ὕτω.] Adiungit quæſtionem Ariſtoteles, vtrum ſit melius, omnes eodem cognationis nomine, vt in politia Platonis, an diſtinctis cognationum nominibus more ciuitatum & hominum vocare. Nam in politia Platonis fratres à filiis, nepotibus, conſobrinis, non licet diſtinguere: at hominũ more multi ſunt & cognationum & affinitatum gradus diſtincti: alii namq; fratres, alii conſobrini, alii ſobrini, alii affines, &c. Iuriſcõſulti certe hanc nominũ perturbationem Platonicam grauiſſime reprehendunt, etiam *Auguſtinus in libris de Ciuit. Dei*: quare & Ariſtoteles eandem graduum & nominũ diſtinctionem, licet obſcure, probans, ait, κρεῖττον, &c. certe, inquit, melius ſeu malim more hominum eſſe conſobrinus, hoc eſt, notus & ſuus, quam Platonico filius ignotus, & de quo hæſitetur: quia ille magis amabitur, hic negligetur.

Καὶ κηδείαν.] Cognationem vocat & facit partim ſuam, partim ſuorum: ſuam, à ſe ortam, quam vocat primam, vtpote grauiſſimam & coniunctiſſimam, vt ſi quis ipſe vxorem ducat: ſuorum, vt ſi frater.

TEXTVS.

Atq; ne vitari quidem poteſt, quin exiſtimet, quoſdam ſuos eſſe & fratres & liberos & patres & matres: nam ex ſimilitudinibus, quæ liberorũ ſunt cum parentibus, neceſſaria capiuntur ipſorum inter ſe argumenta, quod quidam ex iis qui commentaria de ſitu orbis conſcribunt accidere quoque aiunt: nam eſſe quibuſdam ſuperę Africæ populis communes vxores; liberos tamen natos ex ſimilitudinibus diſtingui. Sunt autem & aliarum animantium fœminæ quædam, vt equæ & vaccæ,

quæ

quæ parentibus valde ſimiles fœtus edere ſolent, vt equa illa Pharſalica Iuſta cognomine.

COMMENTARII.

Οὐ μὴν ἀλλά.] Quod modo attulit de diſtinctis cognationum vocabulis, eſſe id melius: de hoc docet hîc, hanc diſtinctionem prorſus tolli non poſſe propter ſimilitudinem. Nam ſæpe liberi parentibus & fratres inter ſe ſimiles eſſe ſolent. Itaq; etſi Plato valde laborat, vt ita permiſceantur liberi, permutando & tranſponendo (qua de re infra hoc capite) ne ex ſe natos quis agnoſcat: tamen nihil agit: eo quod ipſa ſimilitudo parentem ſit proditura. Hoc igitur eſt alterum graue malum huius commutationis Platonicæ: nimirum quia natura aduerſa & repugnans etiam fieri nequeat. Similitudine autem cognoſci parentes & liberos docet bifariam. Primo exemplo Afrorum, non quidem inferorum, hoc eſt, mari proximorũ, ſed ſuperiorum, nimirum Garamantorum, de quibus idem, quod hoc loco Ariſtoteles, & Pomponius Mela; Nulli, inquit, certa vxor eſt ex his, qui tam confuſo parentum coitu paſſim incertique naſcuntur: quos pro ſuis colant, formæ ſimilitudine agnoſcunt. Deinde exemplo beluarum, vbi de equa Pharſalica, quæ, quia quam ſimilimos admiſſariis equulos ederet, & quaſi ſuum cuique redderet, Iuſta vulgo dicta fuit. *1. Exemplum.* *2. Exemplum.*

Τὰς τῆς γῆς.] Græci commentarios de ſitu Orbis, hoc eſt, in quibus, præter Regionum & oppidorũ ſitus, etiam Gentium & Rerumpublic. leges & inſtituta continentur, vocant περιόδους γῆς. (Cuius generis periodos Eudoxus conſcripſit, qui hic ſubindicatur, ea ætate, vt eſt apud Stephanum, & Martianus. de quibus Commentariis & Ariſtoteles eleganter lib. 1. Meteor.) vocant & περιηγήσεις καὶ περίπλους. Et Varro apud Nonium in verbo, callidus, adducitur in περίπλῳ, id eſt, ſcripſiſſe Periplum.

TEXTVS.

Præterea his, qui talem communitatem moliuntur, non facile eſt effugere talia incommoda, vt vulnera & cædes, inuite & ſponte factas, & certamina, & maledicta: quorum nihil fas eſt fieri in

patres & matres, eoſq; qui à cognatione nõ longè abſunt, quemadmodum in eos, qui longe. quin etiam plura accidere neceſſe eſt ignorantibus, quã agnoſcentibus: & factorum agnoſcentibus quidem iuſta piacula eſſe poſſunt, horum vero minime.

COMMENTARII.

2. Incommodũ communitatis omnium rerum.

Ἔτι δὲ καὶ τὰς.] Aliud grauiſſimum incommodum, quod & iteratur cap.3. nimirum, quod ex hac communitate conſequentur parricidia, maledicta & contumeliæ aduerſus parentes & cognatos. Nam abeſſe non poteſt, quin inter homines certamina, maledicta, & cædes exſiſtant. At aduerſus parentes, fratres & cognatos, magis hæc ſunt nefaria & ſcelerata, quam aduerſus alienos. Cauſa igitur parricidiorum eſt hæc communitas: & hoc huius incommodi eſt principium, nimirum quia communitas hæc in cauſa ſit, cur ea fiant. Eadem quoq; eſt in cauſa, cur ſint crebriora. Nam inter ignotos, quam inter notos veriſimile eſt ea eſſe frequentiora.

3. Incommodum.

Eadem & tertio eſt cauſa, cur iam facta & admiſſa expiari iuſtis piaculis nequeant, quia ignorantur. Erant olim cædium, parricidiorũ, & ſimilium ſcelerum legitimæ quædam & iuſtæ expiationes, quas Ariſtoteles hic vocat λύσεις νομιζομένας, vt & *Plato lib. 2. de Repub.* λύσεις καὶ καθαρμοὺς τῶν ἀδικημάτων: de quibus copioſe *Plato lib. 9. de legib.* quæ & hodie in Germania partim in vſu remanſerunt. Meminit & *Cicero lib. 2. de legib. extremo.*

TEXTVS.

Abſurdum autem & hoc, eum qui communes fecerit filios, cõcubitum tantum ſuſtuliſſe amantium, amorem vero non vetuiſſe, nec alios vſus, quos patri cum filio intercedere omnium ſit maxime indecorum, & fratri cum fratre; ſiquidem & ſolus amor. Abſurdum autem & hoc, ſuſtuliſſe concubitum, nulla quidem alia de cauſa, ſed quia grauis voluptas exſiſtat: nihil autem putare intereſſe,

tereſſe, hunc quidem eſſe patrem aut filium, illos vero inter ſe fratres.

COMMENTARII.

Ἄτοπον δὲ.] Duo alia Platonis abſurda hîc notat, prius eſt: quia liberorum & cognatorum ſolum concubitum ſuſtulerit Plato, alios vſus, hoc eſt, impudicas cõtrectationes, complexiones, & oſcula non item, neque amorem ipſum. Nam *Plato libr 5. de Repub.* ὅταν δὲ δὴ οἶμαι, &c. permiſit cognatos, parentes, ac liberos inter ſe, atq; adeo omnes amoris venerei vſus, præter coitum: quæ merito Ariſtoteles, etiam amorem nudum, ait eſſe turpiſſima. Eadem & Stoicorum fuit turpitudo: de quibus *Sex. Empiricus in lib. aduerſus diſciplinas, & lib. 3.* ὑποτυπώσεων *pyrrhonicarum.* Alterum abſurdum eſt: quia concubitum Plato ſuſtulerit, non quia per ſe turpem & nefarium, ſed vt minimæ voluptatis auctorem & cauſam. Non igitur per ſe ne concubitum quidem ſuſtulit, ſed ex euentu, propter conſequentes ex eo & coniunctas nimias voluptates: quas quia Plato ſemper fugiendas monet, ergo & concubitum,

1. Abſurdum Plat.

2. Abſurdum Plat.

TEXTVS.

Magis autem videtur agricolis vtile eſſe, communes eſſe vxores quam cuſtodibus. Nam communibus liberis & vxoribus minor erit amicitia: tales autem oportet eſſe parentes ad obtemperandum, & ad nihil noui moliendum.

COMMENTARII.

Ἔοικε δὲ μᾶλλον.] Et hic Platonem notat. Nam Plato hanc communitatem principibus & magiſtratibus (quos & Ariſtoteles Platonis exemplo cuſtodes hic vocat) conſtituit, parentium non facta mentione. Nam agricolarum nomine etiam opifices & mercatores intelligẽdos hîc exiſtimo: quæ tria hominum genera & Plato & Ariſtoteles ſemper parere, nunquam magiſtratum capere debere, exiſtimarunt in optima Republica. Plato igitur communitatem hanc inter principes tantum introduxiſſe videtur. Ariſtoteles contra paren-

tibus eſſe vtiliorem docet, hac ratione; quia communitas hæc diſſidiorum & inimicitiarum ſit parens, contra atq; putauit Plato, vt mox. At vtile eſt Reipub. inter principes eſſe concordiam & amicitiam, inter parentes diſcordiam & ſimultates. Quid ita? Nimirum, vt hac inter ſe concordia & velut coniuratione freti, ne vel imperium detrectent, vel, quod grauius eſt, etiam res nouas moliantur, qua de re infra latius *lib. 4. & 5.*

TEXTVS.

Plane autem contrarium accidere neceſſe eſt propter talem legem, atque quorum cauſas eſſe oporteat recte latas leges, ac propter quam cauſam Socrates ſic conſtituendum exiſtimet de liberis & de vxoribus. Nam amicitiam ciuitatibus maximum bonum eſſe arbitramur: Sic enim ſeditionibus minime diſtrahentur; & vnam eſſe ciuitatem Socrates maxime laudat, quod & videtur, & ille ait amicitiæ eſſe munus, vt in ſermonibus de amore dicentem ſcimus Ariſtophanem, amantes propter vehementem amorem cupere coaleſcere, & vtrumque ex duobus vnum fieri. Ergo hic quidem neceſſe vtrumq; interiiſſe aut vnum. In ciuitate vero amicitiam neceſſe eſt eſſe aqua dilutam etiam propter huiuſmodi communitatem, minimeq; vocare meum, aut filium patrem, aut patrem filium. Vt enim dulce exiguum multæ aquæ admixtum temperationẽ reddit quæ ſub ſenſum non cadat: ita euenit & propter neceſſitudinem ipſorum inter ſe ex his nominibus, quantumuis ſit neceſſe in tali Republica patrem minime curam gerere aut filiorum, aut filium vt patris, aut fratres inter ſe. Duo namque ſunt, quæ faciunt, vt homines curam gerant & amẽt; & ſuum, & ca-

& earum: quorum neutrum eſſe poteſt iis, qui hoc genere Reipublicæ vtuntur.

COMMENTARII.

Ὅλως δὲ συμβαίνειν.] Expoſitis adhuc malis & incommodis, refutato quoque & fine & argumento Platonis initio huius cap. quod tertium erat ſupra cap. 1. propoſitum, de cauſa, id hoc loco refellit. Nam legis ſeu inſtituti Platonis de communitate cauſa eſt amicitia & concordia ciuium; Quod enim, inquit Plato, grauius & maius malum ciuitati poſſit eſſe, quam diſcordia & ſeditio: cuius parens eſt ciuium diſtractio, vt contra concordiæ parens eſt concordia & vnio? Plato igitur concordiæ cauſa hanc communitatem introduxit. Ariſtoteles Platoni ſeu Socrati hoc aſſentitur, ſummum ciuitatibus eſſe bonũ concordiam: propterea quod ciues inter ſe amantes & concordes ſeditionibus, quæ ciuitatum certa eſt peſtis, minus agitentur aut ſint obnoxii. Sed de ſummo Reipublicæ bono, concordia, dictum eſt ſupra *initio lib. 8. Ethic. & lib. 9. cap. 6.* Hoc igitur Platoni aſſentitur Ariſtoteles: aſſentitur & hoc, concordia & amicitia ciues inter ſe maxime copulari & coniungi, & velut vnum corpus fieri: nam hoc amicitiæ & amoris eſt munus ſeu officium, ex duobus vel pluribus vnum efficere, quemadmodum eleganter *Ariſtoph. apud Platonem in ſympoſio* diſſerit. Idem amicitiæ munus ex Pythagora commemorat & *Cic. lib. 1. Offic.* efficiturque id, quod Pythagoras vult, in amicitia, vt vnus fiat ex pluribus. Hæc igitur duo Platoni aſſentitur Ariſtoteles, tertium vero minime, ciuitatem propterea vnam eſſe debere.

1. συγχώρησις. *2. συγχώρησις.* *ἄρνησις.*

Ἐνταῦθα μὲν οὖν.] Differentiam exponit amantium & ciuium. Nam vbicunque ex duobus ſeu pluribus vnus efficitur, neceſſario vel vterque ſeu omnes, vel vnus interit: qua de re latius *lib. 1. cap. 7. & vlt. de ortu & interitu.* Hæc enim veræ permixtionis vis eſt & natura, vt corpora, quæ commiſcentur, vtraq; intereant vel alterum, vt mas & fœmina copulati tertium quoddam genus reddunt ἀνδρόγυνον, ex quatuor elementis pereuntibus conflatur homo: hic vtrumque ſeu omnia corpora intereunt, ex quibus nouum exſiſtit: alterum tantum perit, vt exigua aqua vino affuſa perit, remanente vino. Vbicunq; igitur ea erit permixtio, vt ex duobus

Diſcrimen amantium & ciuium. *In permixtione perit permixtorum aut vtrumq; aut alterum.*

vel pluribus vnus coaleſcat, vt in amantibus ex ſententia Ariſtophanis, vel vterque vel alter vt intereat, neceſſe eſt. Atqui in ciuitate non ea, quæ in amantibus, amoris & amicitiæ conſociatio eſſe poteſt: quin potius in tali ciuitate, in qua liberorum & vxorum eſt communitas, neceſſe eſt concordiam ciuium inter ſe & amicitiam eſſe leuem, & velut aqua dilutam: adeo vt, quamuis in hac Republica ciues inter ſe ament, vt ciues, non tamen vt pater filium, aut filius patrem propter confuſionem & ignorantiam. Leuis igitur ciuium inter ſe erit amicitia, non ſecus atque dulcedinis aliquantulum magnæ aquæ copiæ admixtum vix percipitur; non ſecus atque flumen, inquit *Plut. in libr.* περὶ τῆς πολυφιλίας, in multos riuos deductum pene euaneſcit. In hac igitur Platonis Republica dilutior & leuior ciuium erit concordia, duabus de cauſis: prior eſt, quia ſua & propria amamus: at hic ſunt communia: altera eſt: quia ea tantum amamus quæ amandi in ſe cauſam habent, quæ ſint ἀγαπητὰ ſeu cara & amabilia: at in Platonis Republ. nihil ciuibus eſt præcipui, cur hunc vel illum ament, cum omnes & liberi & parentes ſint communes. Et hoc eſt quod ait δύο γὰρ ἐστιν, &c. quæ eſt inſignis ſententia & locus.

Cur in Platonis Rep. concordia leuior ſit futura.
1. Cauſa.
2. Cauſa.

ἀγαπητὸν.

Τὸ ἀγαπητὸν.] Græci vocant & φιλητὸν. Cicero carum, de quibus ſupra *initio lib. 8. Ethic.* Quod alterum argumentum addidit & *Lactantius lib 3. cap. 20. & 21.* hanc Platonicam liberorum & vxorum cõmunitatem erudite refellens; quæ, inquit, caritas & concordia eſſe poteſt, vbi nihil eſt quod ametur? Perperam igitur, maxime repugnantibus libris omnibus, quidam hic reddunt, vnum, neque enim Ariſtoteles ἓν ſcripſit, ſed ἀγαπητόν.

TEXTVS.

Sed enim & de liberis, qui naſcuntur, transferẽdis, his quidem ex agricolis & opificibus ad cuſtodes, illis vero ex his in illos quomodo fiat, magnam habet perturbationem: atque neceſſe eſt dantes & transferentes noſſe, quos quibus dent. præterea & nuper expoſita neceſſe eſt magis in his accidere, vt vulnera, amores, cædes. Neque enim amplius

amplius appellant fratres & liberos, & patres & matres tam qui ad alios ciues dederint cuſtodes, quam contra qui apud cuſtodes ad alios ciues, vt talia propter cognationem cauere poſſint. De communitate igitur liberorum quidem & vxorum hoc modo ſit explicatum.

COMMENTARII.

Ἀλλὰ μὴν καὶ περὶ] Plato duo facit ingenia & indoles ciuium. Nam magiſtratuum quidem ſeu imperantium ingeniis à Deo aurum & argentum inſita eſſe, ſiue eorum ingenia aurea & argentea eſſe oportere ait : parentium vero ingenia ferrea & plumbea. Quam diſtinctionem exquiſite ſeruandam monet, vt ne vel plumbei imperent, vel aurei pareant. Quare iubet ſi ex aureis forte naſcantur plumbei, eos transferri ex ordine imperantium ad opifices; & contra, ſi ex plumbeis naſcantur aurei, eos ex opificum ordine ad cuſtodes. Ariſtoteles & hanc liberorum translationem & permutationem reprehendit hoc loco trifariam. Primo, quia hæc permutatio magnam ſit paritura perturbationē & confuſionem, cotidie deportandis & permutandis liberis. Deinde quia, vt reliqui ciues inter ſe, non norint, quorum ſint liberi aut parentes, vt ne quidem ipſi translati aut horum parentes id norint, tamen quia transferunt, non prorſus ignaros eſſe, quos quibus transferant, neceſſe eſt; ita vt norint, hos vel illos non eſſe illorum parentes. Repugnat igitur hæc translatio ipſi Platonis inſtituto, qui ciuitatem ita vnam fieri inter ſe velit vt nullus inter ſe norit. Poſtremo, quia, quæ ſupra attulit, grauiſſima incommoda hac translatione maxime augeantur & confirmentur, iniuriæ, parricidia, inceſtus : propter quod ita translati non amplius nomina cognationis retineant, vtpote ex alio ordine ciuium in alterum traducti. Nam & hæc ſententia fuit Platonis, vt ex plumbeis nati aurei & in aureorum ordinem translati, aureos non vocent aut fratres aut parentes, &c. & contra. Sublatis igitur cognationis nominibus, quorum reuerentia ſolent homines ab his cædibus & concubitu abſtinere, mala illa vt frequentiora ſint & minus caueantur, neceſſe eſt.

De tralatione ingeniorum in Rep. Plat.

1. Ratio. *2. Ratio.* *3. Ratio.*

CAPVT III.

1. DVæ ſunt ſummæ capitis huius partes: quarum in priore de bonorum communitate explicatur: in altera vni-
2. uerſe de toto hoc Platonis inſtituto ſeu lege. vbi allata erroris Platonici cauſa, multa præterea ad hanc ipſam Platonis legem accommodata refelluntur. Et quidem locus hic de cõmunitate bonorum difficilior ſemper, q̃ de liberis & vxoribus eſt habitus, etſi & *Lactantius* vno verbo monet, poſſe & ſe multis rebus oſtendere, hanc bonorum communitatem eſſe & impoſſibilem & iniuſtam. Eſt & hodie hæc non minima cõtrouerſia cum Anabaptiſtis. Chriſtiani certe primi bonorum communitatem, non tamen omnem, hoc eſt, Platonicam aut Anabaptiſticam, ſed Ariſtotelicæ geminam probarunt plane & conſimilem: cuius pręter *Lucam in Actis* meminerunt, & *Tertullianus in Apologetico*, *&* *Lucianus in Peregrino*: nimirum vt diſtinctis licet proprietatibus & dominiis, vſus tamen & fructus cum aliis communicetur, quomodo & Pericles & Cimo ſuorum macerias hortorum & prædiorum diruiſſe dicũtur, vt tenuioribus ad fructus petendos liber eſſet aditus; cuius generis etiam communitas à Lycurgo inſtituta fuit, & Tarenti olim recepta.

De cõmunitate bonorum.

TEXTVS.

His vero proximum eſt de bonis videre, quemadmodum futuris in optima Repub. ſint conſtituenda: vtrum bona vt ſint communia, an non ſint communia: De hoc autem ſeparatim quis videat ab iis, quæ de liberis & de vxoribus ſunt ſancita: de bonis, inquam, vtrum etſi illa ſunt ſeparatim, vt nunc apud omnes eſt, melius ſit, & bona eſſe communia & vſus; verbia gratia, prædia quidem ſeparatim, fructus vero in commune conferentes conſumere, quod quædam gentes faciunt: an contra, agrum quidem eſſe communem, & colere communiter, fructus vero diuidere pro ſingulorũ vſibus (feruntur autem ex barbaris & hoc quidam

quidam modo communitate vti:) an & prædia & fructus communes.

COMMEMTARII.

Ἐχόμενον δὲ.] Explicato de communitate liberorum & vxorum, ſequitur, inquit, vt de bonis videamus. Cum enim Plato, cuius ciuitates hic perpendit, non tantum illos, ſed hæc quoque velit eſſe communia, tum magnopere intereſſe Reipublicæ, non tantum perſonarum, ſed rerum quoque & bonorum ſalubrem & bonam eſſe deſcriptionem: cui argumento ſint & Græcorum leges & Ro. Agrariæ, & vtrorumque grauiſſimæ contentiones agrariæ. Eo autem magis de bonis eſt explicandum, quod plærique illam quidem liberorum & vxorum communitatem improbent & deteſtentur (præter veteres Scythas, apud quos omnia, gladio tantum & poculo exceptis, erant communia, teſte *Strabone lib. 7.*) hæc vero bonorum communitas ſpecioſior & ad humanitatem propior eſſe videatur, vt infra ait Ariſtoteles. Quare & hoc loco recte, vt neque liberi neque vxores ſint communes, ſed proprij ſint & priuati, vt vere tum erant, hodieque ſunt; tamen de bonis quæri nihilominus poſſe ait. Triplex igitur de bonis quæſtio exponitur ab Ariſtotele, quia triplex communicandi ea ſit ratio & modus. Primum, vtrum prædia ſeu bonorum proprietas quidem priuata eſſe debeat, & priuatim coli aut curari, quorum tamen fructus poſtea in commune collati communiter conſumantur; quam rationem quibuſdam gentibus in vſu eſſe ait. Aut contra, an comunibus quidem prædijs, fructus tamen poſtea ſingulatim diuidantur. Et hunc quorundam barbarorum morem fuiſſe ait. Poſtremo, an præſtet, & prædia & fructus eſſe communia, quod Plato voluit: eaque re de hoc poſtremo fere hic explicatur. Huius autem tripartitæ quæſtionis ratio hæc eſt: quia duo fere in bonis & rebus ſpectantur: proprietas & vſus: quæ duo ſi vtraque ſint communia, vltima eſt quæſtio, ſin alterum priorum, alterutra.

1. Ratio, cur ſit de bonorum cõmunitate hic tractandũ. *2. Ratio.* *Approbatio* *3. Ratio.* *1. Quæſtio.* *2. Quæſtio.* *3. Quæſtio.* *Ratio huius partitionis.*

TEXTVS.

Et quidem aliis colentibus, alius & facilior ſit modus: laborantibus vero ſibi ipſis ea quæ de bo-

nis, pluria afferant incommoda. Nam ſi non ſit æqualitas, ſed inæqualitas in perceptionibus, & in operibus, neceſſe eſt querelas exſiſtere, at fruentes quidem ſeu capientes multa, paucos vero labores ſufferentes, pauca quidem capientium, plus vero laborantium. Vniuerſe autem conuictus & communitas rerum humanarum omnium eſt grauis, maximeque talium. Cui argumento ſunt communitates vna peregrinantium. Plærique enim de rebus ante pedes ſeu in medio poſitis diſſentiunt, & paruis de rebus inter ſe inimicitias ſuſcipiunt. Præterea & ex famulis cum his maxime litigamus ſeu offendimur, quibus ad miniſteria cotidiana potiſſimum vtimur.

COMMENTARII.

Ἕτερον μὲν οὖν.] Nunc ad quæſtionem explicandam accedit: & priore quidem loco Platonicam communitatem refellit. Poſteriore ſuam proponit & confirmat: quibus explicatis & alia quædam ad Platonicam communitatem refellendam affert.

Agros colimus aut ipſi aut per alios.

De Platonica igitur communitate, hoc eſt, omnium rerum, bifariam cōſiderari poſſe ait: vel vt ipſi, quorum ſunt bona & prædia, eadem quoque colant: vel vt alij: quemadmodum apud Cretes & Spartanos non ipſi ciues, ſed Helotæ & periœci, id eſt, ſerui & ruſtici, agros colere ſolent, vt & Romæ tandem ſerui: & apud hos facilior, inquit, & expeditior fuit ratio, hoc eſt, facilius admittatur communitas diſtinctis dominorum & colentium ordinibus. Cur autem facilior hæc ſit futura communitas, mox explicabitur ex contrario. Nam Ariſtoteles, his omiſſis, de ea explicat Republica, vbi ipſi ſæpe domini agros colāt, cuius generis & Platonica fuit & multæ aliæ.

Refutatio cōmunitatis Plat. ab euentu.

Itaque quæ communitas huic Reip. incommoda & mala afferat, exponit: nimirum querelas, contentiones, & diſſidia: quod idem & Iuriſconſulti ſæpe commemorant, *Papinianus in l cum pater, §. dulciſſi. de leg.* 2. Cum diſcordijs propinquorum ſedādis proſpexerit, quas materia communionis ſolet excitare: & *Paulus in l. in re com-*

communi, de ſeruitut. vrban. præd. Itaque, inquit, per immenſas contentiones plærunque res ad diuiſionem peruenit, & *in l. qui neq; ,ff. de reb eorum qui ſub tut. &c.*

Αὐτῶν δὲ αὐτοῖς.] Quod dixit, communitatem diſcordiarum & litium eſſe parentem, confirmat trifariam. Primo, quia fieri nequit, quin ſæpe alius fructuum plus capiat, alius plus laboris. Quid ita? Neque enim Principes & plebei peræque agris colendis vacare poſſunt. Ex hac igitur iniquitate quæſtus & operæ diſſidia vt exoriantur, neceſſe eſt: qua de re dictum & ſupra *lib. 8. Ethic. cap. penult. & vlt. de amicorum querelis & diſſidiis.* *1. Argumẽtum.*

Ὅλως δὲ τὸ.] Altera eſt ratio bimembris, quæ cauſa eſt, cur dixerim trifariam: quia cum omni in vita ſeu omnibus vitæ actionibus conuictus & conſuetudo eſt difficilis, tum maxime in his, hoc eſt, in bonis. Prioris, quod videlicet in omnibus rebus ſocietas eſt difficilis, argumentum ſit imperandi ſocietas. Nam pluribus pari imperio præditis, plærunque inter hos diſſenſiones exſiſtere ſolent: de bonis autem ſeu rebus ad vitam cotidianam neceſſarijs affert Ariſtoteles exempla duo: Vnum de ſocijs itineris, quos inter ſæpe de rebus leuiſſimis, dum forte cauponi ſoluitur, lites exſiſtunt, quas res eleganter vocat τὰ ἐν ποσὶ, vt Latine *Terent.* quæ ante pedes, hoc eſt, cotidiana, vulgaria, in medio poſita: alterum de ſeruis, non quidem peræque omnibus, ſed ijs, quibus ad cotidianos vitæ vſus vtimur; his, inquam, propter aſſiduã conſuetudinem ſæpius iraſci conſueuimus, non inſtitoribus aut agricolis abſentibus. Ex quibus perſpicuum eſt, cum ex omni conuictu, tum maxime ex bonorum communitate diſcordias naſci. *2. Argumẽtum.* *Παραβολὴ ſeu Simile.* *1. Exemplũ.* *2. Exemplũ.*

TEXTVS.

Itaque communitas quidem bonorum & hæc & alia habet incommoda: quomodo vero nunc eſt, & moribus præterea excultum, & bonis legibus, non parum præſtet. Habebit enim quod ex vtroque bonum: Ex vtroque autem dico, quod ex bonorũ communitate & ex proprietate. Nam communia quidem eſſe oportet quodammodo, omnia

omnia vero propria. Nam curæ quidem diſtributæ querelas inter ſe non gignent: quin potius augebuntur, vt ſuæ quoque rei intento: virtute vero fiũt, ad vſum quod attinet, amicorum, quod prouerbio dicitur, communia.

COMMENTARII.

2. Argum. ſeu euentus & incõmodum cõmunitatis bonorum. Τὸ μὲν οὖν.] Vnum attulit malum & incommodum ex bonorum communitate: eſt & aliud, negligentia, quod & paulo infra ſubocculte indicat μᾶλλον δὲ ἐπιδώσουσιν, ſcilicet ἐπιμελείας. Curæ namque diſpartitæ pro diuiſis bonis, non exigunt, inquit, querelas (hoc prius eſt incommodum) ſed potius augebuntur curæ, hoc eſt, minor erit negligentia *Ratio.* (quod alterum eſt incommodum.) Quid ita? huius incommodi ratio & ſupra eſt expoſita, quia communia fere negligantur, ſua & propria diligentius curentur: de quo altero incommodo præclare & *Imperator Theodoſius in l. 2. C. quando & quibus quarta pars detur ex bonis Decur.* Ita ſcilicet & priuati ſucceſſores & curia promiſcui rerum dominij liberabuntur incommodo: naturale quippe vitium eſt, negligi quod communiter poſſidetur, vtque ſe nihil habere, qui non totum habet, arbitretur; denique ſuam quoque partem corrumpi patiatur, dum inuidet alienæ. Hæc igitur duo ſint huius communitatis incommoda & mala. *3. Argum. aduerſus cõmunitatem bonorum.* Eſt & tertium: quia hæc communitas ſit ἀδύνατον in optima Repub. Quid ita? Quia neque vlla melioris notæ Reſp. εὖ οἰκουμένη, hac communitate vſa dicatur, neque Platonis inſtitutum aut legem quiſquam poſtea probarit. Hæc, inquam, de malis, quæ affert communitas: hæc de bonis, quibus nos ſpoliet & orbet, paulo infra.

Quatenus bona debeant eſſe cõmunia. Ὃν δὲ νῦν τρόπον.] Adhuc refellit Platonis communitatem: nunc de ſua differit. Cuius diſputationis ſumma hæc eſt; Bona quidem communia quodammodo eſſe debere, ſimpliciter & abſolute & omnino non item: ſiue, Bona pro*1. Ratio.* prietate quidem priuata eſſe debere, vſu communia. Cuius communitatis ſuæ cauſam primo commemorat mores & bonas leges, his eam communitatem effici poſſe: nimirum ſi ciues & bonis moribus informentur, & bonis legibus à legumſcriptore ſeu rectore Reipub. Cuius has eſſe partes, paulo in-

lo infra ait, nimirum, ſi ad liberalitatem & humanitatem inſtituantur ciues, pellatur auaritia, & luxuria eius mater. Mores igitur æquandi ſunt potius, quam bona, præceptis, legibus, & bonis inſtitutis: & hoc eſt, quod & infra ait, ciuitatem diſciplina potius quam liberis & vxoribus communicandis vnam eſſe faciendam, & infra *cap.5.* vtilitates potius æquare oportere quam bona: quod idem præclare *Lactantius lib.3. cap.21.* Qui ergo homines vult adæquare, non matrimonia, non opes ſubtrahere debet, ſed arrogantiam. Alterum, quo exponit commoda huius communitatis, ἕξει γὰρ τὸ, &c. vtriuſque, inquit, bonum ſeu commodum habebit, vtriuſque, inquit, hoc eſt, tam communitatis, quam proprietatis. Proprietatis commoda diximus ſupra, vacuitatem diſcordiarum, & diligentiam. Communitatis commodum eſt in adiuuandis amicis & ciuibus, cum his liberaliter bonis ſuis communicandis. Ratio autem vtriuſque commodi hæc eſt: quia hæc communitas eſt partim communitas, partim proprietas, vt ſupra eſt explicatum. *2. Ratio.*

Κατὰ τὴν παροιμίαν.] Callide Ariſtoteles prouerbium hoc plane inuertit, aliterq; accipit atque Plato. Nam eo hic velut argumento vtitur ad confirmandam ſuam communitatem, vtitur & Ariſtotel. ad ſuam: ſed ille ad communitatem quoque dominij, hic ad vſus duntaxat.

TEXTVS.

Eſt autem & nunc hoc modo in quibuſdam ciuitatibus ſic adumbratum, tanquam non ſit id, quod fieri nequeat: maximeque in præclare inſtitutis, alia quidem ſunt, alia vero eſſe poſſint. Sua enim quiſque bona habens, alia quidem facit vt amicis ſint vtilia, aliis vero vtitur, vt communib. vt & Lacedæmone alter alterius vtitur & ſeruis, vt ita dicam, ſuis, & equis præterea, & canibus, & ſi qua alia re neceſſaria in agris egeat. Perſpicuum eſt igitur, melius eſſe, propria quidem eſſe bona, vſu vero facere vt ſint communia. Quemadmodum autem tales fiant, propriæ legumſcriptoris hę ſunt partes.

COMMENTARII.

3. Ratio. Ἔστι δὲ καὶ νῦν.] Tertio, communitatem ſuam, rem eſſe docet, quæ fieri poſſit, cum Platonicam paulo infra moneat eſſe ἀδύνατον: docet, inquam, exemplo ciuitatum ſui temporis, & quidem meliorum. Nam in his etſi non plene omnia ad hanc communitatem pertinentia erant; eius tamen vmbram quandam & veſtigia cerni: qua ex re intelligi, quædam iam in ijs eſſe recepta, alia adijci poſſe. Ex his ciuitatibus commemorat hoc loco Lacedæmona, cuius præter cæteras nobilis ſemper fuit inſtitutio ſeu deſcriptio. Hoc namque huius ciuitatis fuit inſtitutum, vt alter alterius equis aut vehiculis & canibus ad venandum, comeatu quoque, omnibus rebus in agro Spartano naſcentibus, tanquam ſuis, vti poſſit, quod Lycurgi inſtitutum grauiter etiam laudat *Xenophon in libello de Rep. Lacedæmoniorum*: ποιήσεται δὲ οἰκέτας, &c. Eandem fere & Tarentinæ Reipub. inſtitutionem commemorat Ariſtoteles infra *lib. 6.*

Τοῖς δὲ χρῆται κοινοῖς.] Scribendum, χρῆται ὡς κοινοῖς. Sic enim veteres habent libri. Perperam in quibuſdam vulgaribus libris abeſt articulus, ὡς. Sic & mox ſcribendum videtur, ὡς εἰπεῖν, ὡς ἰδίοις. vel potius inducto εἰπεῖν.

Ὑπογεγραμμένον.] Ait, huius communitatis non ſolidam quidem ſpeciem, ſed vmbram tamen aliquam fuiſſe expreſſam & delineatam: quod Græci tralatione à pictoribus ſumpta vocant γεγραμμένον, cui contrarium ἀναγεγραμμένον ſupra *lib. 1. Eth. cap. 8. in fin.*

TEXTVS.

Præterea ad voluptatem nimium quantum refert proprium aliquid exiſtimare. Neque enim fruſtra quiſque ſecum ipſe amicitiam habet, ſed eſt hoc natura inſitum. Eſſe autem ſui amantem iure vituperatur. Sed hoc non eſt amare ſe ipſum, verum magis quam oporteat amare, quemadmodum & eſſe pecuniæ amantem: ſiquidem omnes fere eiuſmodi amant: quin etiam & gratificari, & adiuuare amicos vel hoſpites vel ſodales, res eſt iucundiſſima, quæ, proprius bonis, eſſe nequit.

COM-

COMMENTARII.

Ἐπὶ δὲ καὶ πρὸς.] Hoc loco Ariſtoteles docet, quam inſigni bono nos orbet communitas Platonica, nimirum voluptate. Nam ex rerum proprietate magnam exſiſtere voluptatem docet duabus rationibus, quarum altera eſt ab amore ſui ducta: nimirum quod ſui amor non fruſtra, ſed à natura ipſa homini ſit datus, quæ nihil facit fruſtra Formula: Si igitur amor ſui natura eſt inſitus homini, & propterea voluptate permixtus (nam nobis inſita voluptatem coniunctam habent.) Ergo & rerum proprietas eſt iucunda. Connexi ratio: quia ſui amor eſt tanquam rei propriæ amor & ſtudium, non rei communis: qua ex re intelligitur, rerum proprietatem & diſtinctionem cum naturæ eſſe conſentaneam, tum voluptate iunctam: contra communitatem & naturæ aduerſari, & voluptatem nobis auferre. Errant igitur, qui rerum communitatem naturalem eſſe dicunt, aduerſus quos grauiter *Philippus in Scholiis ad hunc locum*. *4. Argum. aduerſus cō munitatem Plat. à bonis, quibus ea nos ſpoliat.* *1. Connexi ratio.*

Τὸ δὲ φίλαυτον.] Sui amor, Græce φιλαυτία, eſt duplex, vnus laudabilis, alter vitioſus: Laudabilis eſt eorum, qui citra alterius iniuriam ſe tantum ſuaque tueri ſtudeant. Vitioſus eorum, qui alijs contemptis ſibi omnia vindicent vel deberi putent. Prior, inquam, natura eſt inſitus, quia natura ſui eſt conſeruatrix; neque homines, tanquam ſtipites aut trunci, cum Stoicis ſunt exiſtimandi: alter vitioſus, natura non eſt inſitus, & hic plærunque φιλαυτία dici ſolet ſeu amor ſui, qua de re diximus ſupra *lib. 9. Eth. cap. 8.* vbi item duo φιλαυτίας genera expoſuimus. Ariſtoteles igitur his verbis tacitæ quæſtioni occurrit, ſe non agere de vitioſo ſui amore, ſed de laudabili. Nam φίλαυτος, inquit, non tam ſui eſt amans, quā plus æquo: quemadmodum diuitiarum amor ſimpliciter non eſt vitioſus, ſed nimius duntaxat, vt & honoris & cæterarum eiuſmodi rerum, gymnaſiorum, luſuum, &c. quarum tamen nomina propter nimium ſtudium male plærunque audiunt φιλοχρηματία, φιλοτιμία, & hæc φιλαυτία. Ἀπάντησις

Ἀλλὰ μὴν καὶ τὸ.] Altera eſt ratio: quia amicos vel hoſpites vel ſodales beneficentia iuuare ſit res iucundiſſima. Nam vir bonus magnam ex eo capit voluptatem, ſi amico vel ſodali inopia preſſo ſuccurrere poſſit, quemadmodum & omnium officia virtutum magnam in ſe continent volupta- *2. Connexi ratio.*

luptatem, ſupra *libro 10. Ethicor. cap. 2. & 3.* Formula: Amicos iuuare eſt iucundum. At illud tollit rerum communitas; ergo & hoc.

H' ἑταίροις.] Sic fere omnes, præter Sepuluedam, qui videtur legiſſe, ἑτέροις, alijs.

TEXTVS.

Et hæc igitur non accidunt nimis vnam facientibus ciuitatem, & adhæc tollunt perſpicue duarum officia virtutum: qua de vxoribus quidem, temperantiam: eſt enim præclarum officium, propter temperantiam aliena abſtinere: liberalitatis vero, qua de bonis: nam neque cognoſcetur liberalis, neque vllam actionem liberalem edet: liberalitatis enim officium in bonorum eſt vſu.

COMMENTARII.

5. Argumẽtum cõmune aduerſus cõmunitatem Platonicam.

Καὶ πρὸς τούτοις.] Altera huius capitis parte expoſitis iam ſeparatim communitatis & vxorum liberorumque & bonorum incommodis, nunc communia quædam afferuntur. Et quidem primo hic incommoda quædam præterea ſeu mala, nimirum quod hæc communitas virtutum officia duarum tollat: communitas quidem vxorum, temperantiam: quid ita? quia temperantia ſeu eius officium & munus ſitum eſt in abſtinendo, non à ſua, ſed ab aliena: communitas vero bonorum, liberalitatis officium & munus: nam etſi, etiam communibus bonis, animo & voluntate liberalis quis eſſe poteſt: non cognoſcetur tamen, quod virtutum cognitio ſeu ſpectatio non ſit ex προαιρέσεως quæ cerni nequit, ſed ex officijs & operibus, inquit Ariſtoteles *lib. 1. Ethic. magnor. cap. 20. & Eudem. lib. 2. cap. vlt.* Præterea ne quidem officium liberalitatis vllum præſtare poterit, eaque propter non perfecte erit liberalis: quia virtus & habitu & opere perficiatur, ſupra *lib. 10. Eth.* Atque de his malis præclare & *Lactant. lib. 3. cap. 21.* Nam ſi iuſtitia virtutum omnium mater eſt, cum illa ſingula tolluntur, ipſa ſubuertitur. Tulit autem Plato ante omnia frugalitatem, quæ vtique nulla eſt, vbi proprij nihil habeatur: Tulit abſtinentiam, ſiquidem nullus fuerit qui abſtineat alieno: tulit temperantiam, tulit caſtitatem,

quæ

quæ virtutes in vtroque ſexu ſunt maximæ: tulit verecundiam, pudorem, modeſtiam, &c.

TEXTVS.

Speciosa igitur talis legum ſcriptio & humana videatur eſſe: audiens namque, libenter probat, putans admirabilem fore omnibus aduerſus omnes amicitiam quandam: maxime ſi quis & ea, quæ in Rebuſpublicis nunc ſunt, mala accuſet, tanquam fiant eo quod bona non ſint cõmunia, & lites, inquam, inter ſe de contractibus, & falſorum teſtimoniorum iudicia, & diuitum aſſentationes: quarum rerum nulla fit ex eo, quod non ſit communitas, ſed ex improbitate: ſiquidem & cõmunia poſſidentes & communicantes multo magis diſſidere cernimus, quam ſeparatim bona tenentes. Verum paucos ob communitatẽ diſſidentem diſſidere cernimus, cum multis comparantes priuatim bona poſſidentibus.

COMMENTARII.

Εὐπρόσωπος μὲν.] Ait Ariſtoteles hanc Reipublicæ Platonicæ inſtitutionem ſpecioſam eſſe & videri humanam, magnam in ſe continere humanitatis ſpeciem. Quid ita? quia promittat finem & interitũ diſcordiarum & ſimultatum inter ciues: quæ promiſſio quia eſt gratioſa & plauſibilis, facile vulgo hanc Platonis inſtitutionem homines probaturos & amplexuros ait: maxime ſi tanquam per contentionem accedat aliquis, qui lites, periuria, falſa teſtimonia, & quam turpiter ditioribus ſit aſſentandum, vt ex proprietate bonorum orientia mala ante oculos ponat & exaggeret. Et hac quidem via rebus nouis ſtudentes vti ſolent periculoſiſſima, vt quadraginta ab hinc annis quidam Moſaicam Iuriſdictionem introducere molientes, litium ex Iure Romano pullulantium multitudinem, & pragmaticorum captiones fraudeſque exaggerabant: quos præclare refellerunt *Lutherus & Philippus.* Hac eadem vſus eſt Hippodamus Meleſius *1. Obiectio.*

νεωτεριστής, cuius legem *διόφθαλμον* infra *cap. 6.* vocat, vt Platonis hîc *δυσπρόσωπον*.

Ὧν οὐδὲν γίνεται.] Hanc Platonicæ legis ſpeciem (de quà ille *lib. 5. de legib.* Τί δὲ δίκαι τε καὶ ἐγκλήματα, &c.) hic refellit Ariſtoteles bimembrem bifariam. Nam litium & diſcordiarum cauſam non eſſe rerum proprietatem, ſed hominum improbitatem, hoc eſt, auaritiam, *πλεονεξίαν*, fraudes, &c. quod confirmari & perſpici ex eo ait: quia cernere liceat nõ minores eſſe lites & diſſidia inter eos, qui rem aliquam communem teneant, quam qui ſeparatim & priuatim, quin etiam, ſupra docuit, ex communitate plures lites & diſſidia exoriri, quam ex rerum proprietate. Quid ergo, dicet aliquis, cur tamen vulgo plura videntur eſſe diſſidia rerum propriarum, quam communium? Cauſam affert Ariſtoteles, *ἀλλὰ θεωροῦμεν ὀλίγους*, &c. quia præ ijs, qui res priuatim tenent pauciſſimi ſunt qui habeant communes, atque ita paucos cum multis comparantes hallucinamur, exiſtimantes, propterea ex proprietate plura exſiſtere diſſidia, quam ex communitate.

Refutatio ſeu 1. Solutio.

Ratio.

2. Obiectio.

Solutio.

Ἔτι δὲ δίκαιον.] Altera eſt Platonicæ ſpeciei reprehenſio, quod Plato proprietatis mala tantum exponeret, bona non item; ſeu quod idem valet, exponeret tantum, quibus nos malis liberaret communio, prætermiſſis quibus nos orbaret bonis. Nam de contentionibus & diſſidijs expoſuit, de bonis, hoc eſt, ſumma voluptate, liberalitate, temperantia, &c. prætermiſit: atqui hanc rationem iniuſtam eſſe, qua rei alicuius mala tantum commemorentur, ſileantur bona. Menander quoque agens de matrimonij commodis & incommodis, *τὰ δυσχερῆ τε καὶ τὰ λυπήσαντά σε ὁρᾷς ἐν αὐτῷ· τὰ δὲ ἀγαθὰ οὐκ ἐπιβλέπεις*, vt eſt apud *Clementem lib. 2. Stromatum extremo.*

2. Solutio primæ obiectionis.

Φαίνεται.] De hoc incommodo diximus ſupra, cuius generis Ariſtoteles incommoda ſæpe in Platone notat, vt qui Plato multa ſæpe præclara reperiat & dicat, quæ ſi in vſum reuocentur, nequeant conſiſtere. Cuius generis diſputationes erant & plæræque Stoicorum.

TEXTVS.

Præterea æquum eſt exponere non tantũ quibus rebus carituri ſint, quos inter fuerit communitas,

nitas,ſed etiam quibus bonis. Videtur autem plane non poſſe conſiſtere vitam. Cauſam autem erroris Socrati exiſtimare oportet hypotheſin non rectam. Nam quodammodo quidem vnam oportet eſſe & domum & ciuitatem, ſed non omnino. Nam eſt quidem, quatenus ciuitas non erit progrediens: eſt vero, quatenus erit quidem, prope vero vt non ſit ciuitas, erit ciuitas deterior: quemadmodum & ſi concentum quis reddat vnius vocis, aut ex rhythmo vnam baſin. Verum oportet multitudinem, vt ſupra dictum, diſciplina reddere communem & vnam. Atque eum qui diſciplinam ſit inducturus, & qui exiſtimet hac probam fore ciuitatem, abſurdum eſt talibus exiſtimare id perfici, non moribus, vſu, & præceptis, & legibus: quemadmodum, quæ ad bona pertinent Lacedæmone & in Creta ſodalitiis communia fecit legum ſcriptor.

COMMENTARII.

Αἴτιον δὲ τῶ.] Monuit *in Ethicis* Ariſtoteles, ad ſententiæ noſtræ confirmationem magnopere pertinere, ſi non tantum aduerſariorum argumenta refellamus, ſed fontem quoque & cauſam erroris aduerſarij aperiamus: id quod hîc ſequens Ariſtoteles docet, Socratici erroris cauſam eſſe hypotheſin falſam, qua de re dictum & ſupra initio huius libri, vbi Socratem hoc tanquam fundamenti loco & principij ſumpſiſſe ait; Ciuitatem maxime vnam eſſe debere. Reſpondet Ariſtoteles, ciuitatem quidem & domum quoque vnam & coniunctam eſſe debere πως, ſed non ἁπλῶς καὶ πάντως, hoc eſt, non omnino ſeu plane, ſed quodammodo, nimirum non vt præter corpora nihil ſit proprium, ſed vt dominia rerum ſint diſtincta, vſus communicetur. Nam alioqui ſi omnino ſit vna ciuitas, alterutrum neceſſe eſt effici, vt vel nulla ſit ciuitas, vel incommoda, mala & miſera. Nulla quidem, ſi omnino fiat vna, vt ſupra eſt explicatum capite primo. Miſera

Fons & origo huius erroris de cõmunitate rerũ omniũ.

Refutatio.

Ratio.

1. Pars.

2. Pars.

Ratio eiuſdem. Simile.

vero, ſi vere ſit vna: quia non omnia ad vſus vitæ neceſſaria peræque ſint ſuppeditatura. Nam, vt ibidem eſt explicatum, quo quid minus eſt vnum, eſt αὐταρκέστερον: quod confirmat elegante comparatione ex concentu ſumpta, qua vſus eſt & *Cic. lib. 2. de Rep.* apud *Auguſtin. lib. 12. de Ciuit. Dei cap. 21.* Vt in fidibus ac tibijs atque cantu ipſo ac vocibus concentus eſt quidam tenendus ex diſtinctis ſonis, quem immutatum ac diſcrepantem aures eruditæ ferre non poſſunt, ijſque concentus ex diſſimilimarum vocum moderatione concors tamen efficitur & congruens: ſic ex ſummis & medijs & infimis interiectis ordinibus, vt ſonis, moderata ratione ciuitas, conſenſu diſſimilimorum concinit. Et quæ harmonia à Muſicis dicitur in cantu, ea eſt in ciuitate concordia, arctiſſimum atque optimum omni in Rep. vinculum incolumitatis, quæ ſine iuſtitia nullo pacto eſſe poteſt.

ῥυθμὸς. Βάσις. Ἀριθμός. Πȣ́ς.

Ἢ τὸν ῥυθμὸν.] Quatuor Gręcis ſunt vocabula valde affinia ῥυθμὸς, ἀριθμὸς, βάσις, & πȣ̀ς: ῥυθμὸς quidem ἀριθμῷ, βάσις vero ποδί. Differunt tamen: nam ῥυθμὸς eſt pars numeri: βάσις, pars rhythmi, omnes ex pedibus conflati: Latini tamē inopes rhythmum & numerum ſæpe confundunt: βάσιν quoque & pedem etiam apud Græcos idem interdum valere putat *Perionius.*

Qua in re vna ſit efficiēda ciuitas.

Ἀλλὰ δὴ πλῆθος.] Poſtquam monuit, ciuitatem aliqua ex parte vnam effici debere; nunc rationem adiungit, diſciplinam ſeu inſtitutionem. Non igitur communitate vel bonorum vel vxorum, ſed diſciplina coniungendi ſunt ciues.

Diſciplina quibus in rebus conſiſtat. Exempla.

Καὶ τό γε μέλλ.] Docet, diſciplina quibus in rebus conſiſtat: Ait igitur, non in eius generis rebus, quas Plato voluit, vt in communitate; ſed in præceptis ſalubribus, bonis legibus, & vſu ſeu conſuetudine conſiſtere: quod illuſtrat exemplo duarum præſtantiſſimarum ciuitatum, Spartanæ & Cretenſis: nam in his ciuitatibus ſodalitates, quæ Græci vocant συσσίτια, ſeu communes comeſſationes, & conuictus, in vſu fuerūt, quibus bona ciuium velut communicabantur, & in commune ferebantur, non quo bona eſſent communia, ſed communi victu vtentes omnes fere eſſent pares, & ſua coniungerent. Verum de συσσιτίοις & eorum vtilitatibus infra latius.

***

TEX-

TEXTVS.

Neque vero hoc ipſum ignorare oportet, longo tempori attendendum eſſe & multis annis, quibus non latuiſſent, ſi bene hæc ſe haberent: fere omnia namque reperta ſunt quidem, ſed hæc quidem nondum collecta, illis vero non vtuntur cognitis.

COMMENTARII.

Δεῖ δὲ μηδὲ.] Argumento à tempore Platonis politiam refellit, cuius generis argumento omnes nouarum & abſurdarum rerum auctores, non quidem apodictice, ſed populariter refelli poſſunt. Sic igitur concludit: Omnia, quæ ad ciuitates temperandas & conſtituendas ſunt vtilia, iam ſunt reperta. At Platonica communitas nemini adhuc in mentem venit. Ergo eſt nequam. Propoſitioni hunc in modum occurri poteſt: Si omnia iam ſunt reperta, cur ergo multa ſunt præcepta politica, quæ tamen in ciuitatibus non ſunt vſitata? Reſpondet Ariſtoteles, omnia quidem eſſe iam reperta, ſed ex his quædam ignorari, vtpote nondum collecta & expoſita; vel etiamſi nota & iam cognita, repudiata tamen eſſe & improbata; recte an ſecus, nihil ad rem. Sic enim hoc οὐ συνῆκται accipio, hoc eſt, nõdum ſunt collecta & proinde ignota. Nam collecta facile cognoſcuntur, diſperſa non item. Quare velut huic contrarium verbum adiungit, γινώσκοντες. Alij reddunt, non inducta in Rempub. vel in conſuetudinem.

6. Argum. à tempore, quo refellit communitatem Platonicam.

Obiectio.

Solutio.

TEXTVS.

Maxime autem perſpicuum fiat, ſi quis Rempub. talem re inſtitui videat: neque enim poterit non partiens & ſeparans ipſa ciuitatem efficere: hæc quidem in ſodalitates, illa vero in curias & tribus.

COMMENTARII.

Μάλιστα δ᾽ ἂν.] Alio argumento ab vſu & reipſa ſumpto Platonis politiam refellit, vt ἀδυνάτον. Nam diſputationibus

7. Argumẽtum.

quidem talem Rempubl. aliquatenus informari poſſe, in vſum tamen & vitam minime induci, vbi omnia ſint communia, nullæ diſtinctæ partes, nullæ ſodalitates, nullæ tribus, nullæ curiæ, nulli ordines. Et hoc quidem argumentum valde veritus eſt Plato; qui identidem huic occurrens, negat ſe laborare debere, an aliqua huiuſmodi Reſp. eſſe poſſit (*lib. 3.4.5. de Rep.*) Nam ſe non tam quid fieri poſſit, quam quid fieri quam optime debeat, exponere tãquam ideam optimæ Reip. & exemplar.

Cautio Platonis.

Μὴ μεϱίζων αὐτὰ.] Verbo αὐτὰ alij bona, alij aliud intelligunt: Puto referendum ad verbum ἔϱγοις: latine reddi non poteſt commode. Nam quod Græci ἔϱγῳ καὶ ἔϱγοις dicunt, cui contrarium eſt λόγῳ, id latine dicimus re & vſu, non operibus, vt reddidit ad verbum Sepulueda: ſententia tamen non difficulter reddi poteſt, nimirum non poſſe quem ciuitatem diſputatione deſcriptam in vſum reuocare, quin quæ ad vſum pertinent, hoc eſt, ipſam ciuitatem vſu conſtituendam partiatur, partim in tribus, partim in ſodalitates.

TEXTVS.

Quare nihil aliud lege cautum ſequetur, quam ne cuſtodes agrum colant; quod hodieque Lacedæmonii facere conantur.

COMMENTARII.

Concluſio.

Ὥστ' οὐδὲν ἄλλο.] Clauſula eſt & concluſio prioris vniuerſæ diſputationis, de hac politia & ratione legum Platonica: nihil ea effici eorum quæ Plato putauit, concordiam & amicitiam ciuium inter ſe, & ciuitatis coniunctionem: adeo quidem, vt ſi hac lege quidquam efficiatur, certe nihil efficiatur aliud, quam vt ne Principes ciuitatis agros colant. Id vnum, inquit, ratio legum Platonica præſtat & efficit: propterea quod Principes ab agricolis & reliquis ciuibus ita diſiunxerunt, vt vni tantum Reip. adminiſtrandæ vacarent, rebus alijs omnibus relictis. At huius rei cauſa non erat opus noua hac communitate. Nam etiam rebus diſtinctis tamen inſtitui poteſt eadem ratio, vt ciuitatis Principes ab agris colendis ſe abſtineant, quemadmodum & ea ætate Lacedæmonios factitare cœpiſſe ait, qui agricultura Helotis & ſeruis per-

uis permiſſa, ipſi vel bellum gererent, vel Rempub. curarent; & Romani poſtea, *teſte Salluſtio*.

TEXTVS.

Verum neque forma totius Reip. quæ ſit futura communitate vtentibus, neque explicauit Socrates, neque facile eſt explicatu. Atque ciuitatis multitudo fere conſtat ex aliorum multitudine ciuium, de quibus nihil eſt definitum, vtrum & agricolis bona eſſe communia oporteat, an ſingulatim propria: præterea & vxores & liberos, proprios an communes. Nam ſi omnia inter omnes eodem modo erunt communia: qua re illi ab his cuſtodibus different: aut quid ex illis, qui magiſtratum gerent, habituri ſunt præcipui, aut qua re adducti magiſtratum gerent, niſi ſi tale quid excogitent, quale Cretes. Nam illi, aliis iiſdem ſeruis permiſſis, tantum interdixerunt gymnaſiis, ſeu exercitationibus & armorum vſu: Si vero, vt in aliis vrbibus, talia quoque apud illos erunt, quę communitatis erit forma? In vna namque ciuitate duas ciuitates ineſſe neceſſe eſt, eaſque inter ſe ſubcontrarias. Nam cuſtodes quidem facit tanquam præſidia, agricolas vero & opifices, & alios, ciues. Querelæ autem & lites, quæque alia ciuitatibus mala ineſſe ait, omnia inerunt & his.

COMMENTARII.

Οὐ μὴν ἀλλ᾽ οὐδέ] Poſſet hæc eſſe tertia huius capitis pars, ſeu potius proximæ quædam particula, qua Ariſtoteles alia quædam mala & incommoda nouæ eius Reipublicæ refellit. Et primo quidem hoc reprehendit, quod Plato non ſatis accu- II. *Aliudquod dam incõmodũ Reip. Plat.*

accurate & dilucide, neque ſatis particulatim totam ſuæ Reipublicæ formam deſcripſerit. Solet ſæpenumero Plato quædam mouere, ſed ad exitum non perducere, & confuſe quædam tantum explicare: quod Platonis peccatum ſæpe notat in eo Ariſtoteles. Sic igitur & hoc loco Platonem accuſat, qui ſuæ formam Reipublicæ non ſatis accurate pertractarit: etſi Plato *initio libri quarti de Republica*, ait ipſe velle ſe id facere accuratiſſime, eodem vſus verbo, πρό-πος.

Καί τοι σχεδὸν.] Docet continuo, qua in re manca ſit Platonis politia, nimirum quod de principibus tantum ſeu cuſtodibus explicarit; de reliquis ciuibus non item, agricolis, opificibus, &c. quorum tamen multitudo maxima ſit pars ciuitatis. Et certe Plato de Principum tantum communitate & diſciplina explicat: de aliis, an & ea liberorum, vxorum, & bonorum communitas his inter ſe eſſe debeat, nec ne, verbum tota politia nullum.

Ne inter priuatos quidē ciues Platonica cōmunitas locum habere poteſt.

Εἰ μὲν γὰρ τὸν.] Ariſtoteles nihilominus ipſe exquirit, an communitas hæc inter reliquos ciues eſſe debeat nec ne; atque docet, vtrumlibet dicas, eſſe incommodum. Nam ſiue & inter hos communitatem admittas, vt inter Principes; hoc ſequetur incommodi, vt Principes præter alios nihil habeant præcipui, cum omnia, tam Principum quam aliorum ſint communia. Quod ſi Principes nihil habēt præcipui, hoc eſt, nulla præter alios præmia: profecto nihil erit, cur magiſtratum capere & gerere velint, magnis moleſtijs & laboribus iunctum: niſi forte talia quædam excogitentur adiumenta & præmia Principibus, qualia liberis apud Cretes. Nam apud hos & opificia & ſodalitates & alia id genus etiam ſeruis cum liberis fuerunt communia præter gymnaſia & armorum vſum: quemadmodum & Athenis gymnaſia quidem etiam ſeruis erant communia ſine vnctione tamen. *Cicero lib. 2. de legib.*

Quare niſi, ſi huius generis quædam reperiantur Principibus præcipua, tanquam præmiorum loco; efficietur, vt nemo magiſtratum capere vel gerere velit: quod graue eſſe incommodum & malum, perſpicuum eſt. Contra ſi more aliarum ciuitatum proprietatem in reliquis ciuibus probes, in principibus tantum admiſſa communitate: iam non minor erit difficultas. Nam ſequetur, vt in vna ciuitate

ſint

ſint quodammodo duæ, hæque ſibi contrariæ, vna principum, altera opificum & reliquorum: ita vt principes huius ciuitatis vix ſint ciues, ſed fere peregrini, tanquam præſidia huic ciuitati impoſita, cæteri verius ſint ciues, qui illos tanquam præſidia alant, & neceſſaria ſuppeditent. Nam hoc Plato voluit, principes, tanquam propugnatores & præſidiarios milites, ciuitatem tueri, nulli alii rei intentos. Hoc autem magnum eſſe incommodum, vt ita diſtracta ſit ciuitas, ex eo eſt perſpicuum, quod plurima diſſidia & contentiones hinc naſci oportet, vt vere ſit inter ciues & præſidiarios milites, & hoc eſt quod ait, ἐγκλήματα δὲ, &c.

Ἤτοι μαθόντες.] Scribendum παθόντες, vt habent veteres libri, teſte Sepulueda, hoc eſt, aut qua re affecti ſeu inducti, quo primo commoti.

TEXTVS.

Atqui ait Socrates, propter diſciplinam non multis opus fore legibus, vt de rebus vrbanis & forenſibus, & id genus aliis, qui diſciplinam cuſtodibus tradiderunt.

COMMENTARII.

Καί τοι λέγει.] Aliud Platonis inſtitutum & conſilium reprehendit, docẽs & hac re mancam eſſe eius Rempub. Nam *Plato lib. 4. de Repub.* multis verbis, νομοθετεῖν δὲ ταῦτα, &c. contendit in ſua hac Rep. leges de contractibus (quas vocant ἀγορανομικὰς, quaſi forenſes, eaſque partim ἀστυνομικὰς, in vrbe, partim ἐλλιμενικὰς in portu Piræo: & hoc eſt, quod hic ait, καὶ τῶν ἄλλων τῶν τοιούτων. has igitur leges non eſſe neceſſarias, de quibus tamen in aliis ciuitatibus plurimum laboretur. Ratio autem Platonis indicatur hîc ab Ariſtotele, διὰ τὴν παιδείαν, & aliquoties iteratur à Platone. ἐκ τῆς παιδείας, &c. ἀλλ' οὐκ ἄξιον ἔφη, &c. hæc nimirum, quia bonis & bene educatis non multæ neceſſariæ ſint leges: qua de re ſupra *lib. vlt. Ethic. cap. vlt.* Ariſtoteles hanc rationem facile admitteret vt idoneam, ſi omnes ciues attingeret in ciuitate Platonis. At Plato principum inſtitutionem commemorat, neglectis aliis ciuibus, *libro ſecundo extremo. de Republic. & lib. 3.* Quare ciuitas Platonis manca eſt & imparata

III. *Aliud ſphalma Platonis.*

Ratio Platonis.

Reſponſio Ariſtot.

cùm à legibus rerum contrahendarum, tum ab inſtitutione reliquorum ciuium.

TEXTVS.

Præterea bonorũ dominos facit agricolas vectigal penſitantes. At veriſimile eſt, multo grauiores & elatiore ſpiritu eſſe, quam apud quoſdam & Helotæ & Peneſtæ & ſeruitia.

COMMENTARII.

IV. *Aliud erratũ Platonis.* *Ratio reprehenſionis.*

Ἔπι δὲ κυρίους.] Aliud conſilium Platonis reprehendit. Nam Plato bona omnia agricolarum eſſe voluit, nulla principum: hoc tantum conceſſit, vt agricolæ annua velut penſione & ſtipendio principes alerent. Sic enim ait *lib. 3. extremo.* *παρὰ μὲν δέχεσθαι* (μισθὸν) *παρὰ τῶν ἄλλων πολιτῶν*, &c. vbi *μισθὸν* vocat quod hîc Ariſt *ἀποφορὰν*. & *initio lib. 4.* Cur autem Ariſt. hoc reprehendat, hæc eſt ratio: quia ex eo magna efficiatur inſolentia & ſuperbia cæterorum ciuium: ſolent namque diuitiæ homines reddere inſolentes & immorigeros. Ex hoc igitur Platonis conſilio graue hoc malum conſequetur, adeo quidem vt agricolæ in ciuitate Platonis ſuperbiores ſint futuri & inſolentiores, quam vel Helotæ apud Lacedæmonios, vel Peneſtæ apud Theſſalos, vel ſerui apud alios, vt Athenienſes, vbi maxima olim fuit ſeruorum inſolentia, *teſte Xenoph. in lib. de Repub. Athen. Demoſth. in 3. Philip.*

TEXTVS.

Verum hæcne peræque ſint neceſſaria, an non, nunc quidem nihil eſt explicatum, quanquam his ſunt coniuncta, quæ Reipublicæ horum ſit ratio & diſciplina, & quæ leges: neque autem facile eſt reperire, neque parui refert ad conſeruandam cuſtodum communitatem, quemadmodum hi ſint affecti.

COMMENTARII.

Ἀλλὰ ταῦτ' εἴτ.] Paulo obſcurior eſt hic locus, maxime quid verbo *ταῦτα* ſit intelligendum: & variant interpretes: alii namque communitatem vxorum & bonorum accipiunt: alii,

alii, vt Sepulueda, mala quædam & incommoda, quaſi dicat, Ariſtot. non ſatis diſtinctè à Platone eſſe explicatum, an hæc proxima incommoda peræque manent ex lege Platonis atque ſuperiora: quam explanationem plane vitioſam eſſe puto. Certum eſt, totum hunc locum eſſe non de principibus, ſed de reliquis ciuibus, qui & intelliguntur verbo τούτων & τούτους: verior eſt igitur prior explanatio. Nam docet Ariſtoteles, Platonem omnia fere, quæ de reliquis ciuibus ſint explicanda, prætermiſiſſe, non tantum de communitate, vt ſupra eſt dictum, an ea vt inter principes, ita & inter reliquos ſit neceſſaria: ſed alia quoque, quæ reliquorum ciuium ſit diſciplina, quæ leges, quæ ſodalitates, qui magiſtratus, &c. Hoc igitur aliud eſt Platonis peccatum. Et ne quis putet, parum momenti poſitum in reliquorum ciuium inſtitutione, aut etiam rem eſſe facilem, eaque propter Platonem id omiſiſſe, adiungit ἔστι δὲ οὐδ᾽ εὑρεῖν ῥᾴδιον, &c. Nam magni referre ait, vt & reliqui ciues rectè inſtituantur, nimirum ad conſeruandam principum communitatem; non parui, inquam, refert, quemadmodum reliqui ſint morati & animati ad facile parendum & non detrectandum imperium principum.

V. Aliud erratũ Platonis.

TEXTVS.

Sed enim ſi vxores quidem faciat communes, bona vero propria: quis domum curabit, vt rem ruſticam earum viri. Atque ſi communia ſint bona; & vxores agricolarum.

COMMENTARII.

Ἀλλὰ μὴν.] Aliud incommodum communitatis agricolarum (nam de his adhuc agitur) exponit, negligentiam rei domeſticæ ſeu domus, cuius cura eſt vxorum & mulierum, vt agricultura virorum. Huius autem incommodi cauſa ex prioribus eſt nota, vbi explicatum, ſua & propria curari, communia negligi. At, communibus vxoribus, fit, vt nulla certam aut ſuam domum habeat, ſed omnes omnium ſint cõmunes: quare efficitur, vt nulla ſit, quæ domus curam gerat. neque ad rem facit, ſiue bona ſint propria, ſiue communia, modo vxores ſint communes. Communitas enim vxorum non, non bonorum, hanc negligentiam parit.

Aliud incõmodum communitatis vxorum quo ad agricolas.

TEX-

TEXTVS.

Abſurdum autem & hoc comparatione de beluis facta eadem ſtudere meliores quæ viros oportere, quibus res domeſtica minime eſt curæ.

COMMENTARII.

VI. *Aliud erratū Platonis.* Ἄτοπον δὲ.] Aliud Platonis peccatum & quidem grauiſſimum, officiorum confuſio, hîc refellitur. Nam *Plato lib. 5. de Repub.* multis verbis docere conatur, eadem fœminarum officia & ſtudia eſſe debere quæ virorum, nimirum fœminas non tantum domum curare, ſed Rempublicam quoque & magiſtratū gerere, & militare & in palæſtris ſe exercere, &c. quam ſuam valde nouam & inuſitatam ſententiam ſimilitudine, vt ſolet, confirmauit à beluis, & canibus pecuariis ſumpta, quibus cuſtodes ſeu principes ſimiles facit. Vt igitur canes pecuarii non tantum mares, ſed fœminæ quoque lupos & maleficas beſtias à gregibus defendunt: ita & in Republica exiſtimauit eaſdem debere eſſe partes mulierū, quæ ſint virorum. quam Platonis rationem certe leuem & infirmam refellit hîc Ariſtoteles. *Refutatio.* Nam aliam eſſe beluarum, aliam hominum eſſe rationem: quod beluis nulla ſit cura rei domeſticæ, eam non ſentiant neque intelligant, hominibus vero eam eſſe notum eſt: quare merito mulieres domi deſidere & curare, non vagari aut foris curare, rationi eſt conſentaneum. Hanc Platonis ſimilitudinem exagitat & *Lactant. lib. 3. cap. 21. in fi.* vbi de Socrate. Et quia videbat, in cæteris animalibus officia marium fœminarumq; non eſſe diuiſa; exiſtimauit oportere etiam mulieres militare, & publicis conſiliis intereſſe, & magiſtratus gerere, & imperia ſuſcipere; itaque his arma & equos aſſignauit: conſequens eſt vt lanam & telam viris & infantium geſtationes tribuat.

TEXTVS.

Periculi autem eſt plenum, magiſtratus, vt conſtituit Socrates: nam ſemper eoſdem facit magiſtratus, quæ cauſa ſit ſeditionis etiam apud contemptós, nedum apud animoſos & bellicoſos homines.

mines. Eoſdē autem magiſtratus neceſſario eum facere eſt perſpicuum: neq; enim nunc his, nunc aliis admixtũ eſt animis aurum à Deo, ſed iiſdem ſemper: ait autem, his quidem, ſtatim atque ſunt nati, aurum admiſcuiſſe, illis vero argentum, æs deniq; & ferrum futuris opificibus & agricolis.

COMMENTARII.

Ἐπισφαλὲς.] Aliud Platonis peccatum, Magiſtratuum perpetuitas, hîc reprehenditur. Eſt autem inſignis hic locus de Magiſtratuum perpetuitate, vtrum præſtet perpetuosne eſſe magiſtratus, an annuos vel ad tempus, de quo & hoc libro & alibi ſæpius infra. Hoc loco Ariſtoteles magiſtratuũ perpetuitatem docet eſſe rem pernicioſam hac ratione: quia ſeditionum ſit cauſa: adeo quidem vt propter hanc rem non tantum magno animo præditi & bellicoſi, ſed etiam viliores ad ſeditionem concitentur, indigne ferentes, eoſdem ſemper magiſtratibus præeſſe, præmiaque etiam ſecum nunquam communicari. Formula: Qui perpetuos facit magiſtratus, peccat, quia ſeditionis ſeminarium inſtituit. At Plato perpetuos facit magiſtratus: Ergo peccat. De aſſumptione ita explicat, ὅτι δὲ ἀναγκαῖον, &c. quaſi dicat, ſcio, Platonem hoc non dicere nominatim, neque conſtituere magiſtratus perpetuos; directo, inquam, non facit perpetuos, ſed per conſequentias: nuſquam id expreſſit, ſed ex aliis eius inſtitutis id neceſſario conſequitur. Nam *Plato lib.3. de Repub.* Heſiodum, vt ipſe ait *in libris de Legibus*, imitatus, tria facit hominum genera: quorum primo, ſtatim ab ortu, Deum aurum inſtillare, cuius generis principes eſſe vult: ſecundo argentum, cuius generis adiutores: tertio æs & ferrum, cuius generis reliquos ciues, opifices, mercatores & agricolas. Cuius fabulæ de ſeculis, aureo, argenteo, &c. animis hominum accommodatæ à Platone vis & poteſtas hæc eſt; alios aliis meliore eſſe indole & ingenio natos: iam quia hæc ingeniorum diſtinctio ſeu aurei & argentei diuiſio non mutatur, eademque manet, quæ à primo ortu fuit cœpta (neque enim datum vni aurum aliquot poſt annis illi ademptum ad alium transfertur:) efficitur eoſdem ſemper principes & magiſtratus manere debere.

VII. *Erratum Socratis. Cap.1. huius 2 libri & libr.5. cap.8.*

ἀπάντησις.

TEX.

TEXTVS.

Præterea tollens cuſtodum vitam beatam, ait legum ſcriptorem totam ciuitatem beatam efficere debere. Fieri autem nequit, vt tota ſit beata, ſi non pleræque, nedum omnes, partes, vel quædam beata vita fruantur. Neque enim eadem eſt ratio vitæ beatæ, quæ numeri paris. Nam hic quidem totus eſſe poteſt, vt partium ſit neutra, de beata vita autem non poteſt: atque adeo ſi cuſtodes non ſunt beati, qui alii? Neque enim opifices certe & ſordida multitudo. Itaque Reſpub. quidem, de qua Socrates diſſerit, & hęc habet incommoda & alia non his minora.

COMMENTARII.

VIII. *Erratum Socratis.* Ἔτι δὲ καὶ τὴν.] Aliud vitium & peccatum Platonis hîc refellit, quod & ipſe Plato ſentiens ei occurrere conatus eſt ipſe & *initio lib. 4. & lib. 5. μέμνησθε ἦν*, &c. Nam Platonis hoc fuit conſilium; Rectores Rerumpublicarum beatitudinem quidem efficere debere, non tamen vni parti ſeu ordini, vt vel principum vel opificum, ſed toti corpori; quod Platonis præceptum vt aureum valde commendat *Cic. in Offic. lib. 1.* Omnino qui Reipub. &c. Quod vt fundamentum ſecutus Plato, neque operam dedit, vt principes, neque vt agricolæ, aut alii per ſe & ſeparatim ſint beati, rebuſque omnibus affluant inſtar beatorum. Nam, vt & ſupra diximus, principes victu neceſſario contentos eſſe voluit, nullas diuitias vel magnificas domus habere: *Refutatio.* Ariſtoteles abſurdum hoc eſſe docet vt totum quidem ſit beatum, cuius tamen nullæ partes ſint beatæ: *Diſſimilitudo.* quod explanat eleganter diſſimilitudine ciuitatis & numeri paris. Par numerus is eſt, inquit *Euclides Element. 7.* qui bifariam, idque æqualiter, ſeparari poteſt: cui quidem hoc accidere poteſt, vt totus quidem ſit par, partes vero eius ſint impares, vt ſex par eſt numerus: cuius duę partes bis ter, neutra tamen ſit par. Alia eſt ciuitatis ratio, cuius ſi non omnes ſaltem pleræq; aut quædam potiores, vt principum, ſint beatæ, tota quoque beata eſſe nequit. Nam,

quod

quod infra explicabitur & ſæpe iterat ipſe Plato, ex ipſorum ratione ciuium diiudicatur & ipſa ciuitas. *Ratio refutationis.*

CAPVT IV.

DVo Reipublicæ genera deſcripſit & inſtituit Plato: vnum *in libris 10. de Repub.* alterum *in libris 12. de Legibus*, indicauit & tertiũ *in ſecunda ad amicos Dionis epiſtola*, quæ tamen quia verius indicatur quam deſcribitur, non eſt in numero. Ex illis duabus igitur prior, vt optima & veriſſima & tanquam idea, qua Dii fortaſſe vtuntur, inquit *lib. 5. de legib.* eſt propoſita, quam Ariſtoteles primam vocat, & in quam hactenus diſſeruit. Alteram, *in libris de legibus* deſcriptam, priori bonitate & laude proximam, Ariſtoteles vocat ſecundam, & in hanc diſſerit hoc capite, expoſitis eius vitiis & incommodis. Miror *Ciceronem lib. 2. de legib.* de Platone loqui, tanquam qui vnum duntaxat Reipublicæ genus deſcripſerit *in libris de Repub.* eique poſtea *in libris de legib.* ſuas quoq; leges accommodarit, cuius Platonis exemplo ſe quoque de optima Republ. prius ſcripſiſſe, poſtea & leges ei ſcribere & accommodare velle. *1. Genus Reipub. Socratica.* *2. Genus Reipub. Socratica.*

TEXTVS.

Legum vero poſterius ſcriptarum eadem fere eſt ratio: quare & quæ in his ſit Reſpub. melius eſt paucis videre. Nam in Repub. de paucis omnino Socrates explicauit, de communitate & vxorum & liberorum & bonorũ, quomodo ſe habere debeat, & de Reipub. deſcriptione. Nam inquilinorum multitudinem in duas tribuit partes: vnam quidem agricolarum, alteram vero pugnantium partem: tertiam denique ex his conſiliantium & ciuitatis imperium tenentium. De agricolis autem & opificibus, vtrum nullius, an alicuius magiſtratus participes ſint, & vtrum & hos arma habere oporteat, vnaq; bellum gerere, nec ne: de his nihil explicauit Socrates. Sed mulieres quidem putat

putat oportere bellum vna gerere, & huius cuſtodes diſciplinæ eſſe participes: reliquam vero diſputationem externis rebus compleuit, & de diſciplina cuſtodum, qualis eſſe debeat.

COMMENTARII.

Ratio, cur de 2. quoq; Plat. Rep. agat.

Σχεδὸν δὲ παραπλησίως.] Reddit initio rationem, cur & in ſecundam Platonis Rempubl. diſſerat, hanc: quia vt primæ item & ſecundæ ſua ſint vitia & incommoda.

Lib. 10. de Repub. Platonis argum.

Omiſſa à Platone, & commiſſum peccatum contra reg. methodi.

Argumenta librorũ Platonis de Repub.

Καὶ γὰρ ἐν τῇ πολιτείᾳ.] Exponit breuiſſime ſummam omnium fere earum rerum, quas Plato *in libris 10. de Republ.* eſt complexus. Ait igitur, valde pauca eorum, quæ ad Rempub. recte deſcribendam ſint neceſſaria, Platonem explicaſſe: quod idem & ſupra reprehendit. Nam de principum quidem diſciplina, de vxorum, liberorum, & bonorum communitate, de mulierum quoque diſciplina & ſtudiis iiſdem plane quæ ſunt virorum, copioſe diſputaſſe: de reliquis vero ciuibus, de eorum, inquam, diſciplina & ſtudiis, an & hi bellum quoque gerere & magiſtratum capere poſſint, prorſus prætermiſiſſe: qui tamen rebus externis, & ad Rempub. aut eius deſcriptionem parum pertinentibus, libros aliquot referſerit: quod vitium & peccatum ſua omittentium & aliena infercientium ipſe tamen *Plato* grauiter monet cauendum *in libris de legib.* Nam vt ſummam 10. *librorum de Repub.* faciamus, duobus primis libris de iuſtitia & iuſtitiæ bonis & vtilitatibus, & contra malis inter ſe comparandis diſſerit: *extremo lib. 2. 3. 4. 5.* his, inquam, ſolis de Reipub. deſcriptione explicat: *lib. 7.* de philoſophia, eiuſque partibus & de ideis: *lib. 8. 9.* de cauſis mutandarum Rerumpub. *lib. 10.* denique de poetis vrbe pellendis, & de iuſtitiæ recteque factorum præmiis: vbi & nonnihil de animæ immortalitate.

Platonis diuiſio.

Ciues ſunt aut principes, aut adiutores, aut æruſcatores.

Διαιρεῖται γὰρ ἐν δύο μέρη.] Ciues ſeu inquilinos omnes *Plato lib. 3. in fi. & lib. 4.* in 3 partes tribuit, id eſt, tria facit ciuium genera; principum ſeu rectorum Reipub. & magiſtratuum; adiutorum ſeu militum & propugnatorum; reliquorum denique ciuium, opificum, mercatorum, agricolarum: quorum primis aurum, ſecundis argentum, tertiis æs & ferrum tribuit. Plato vocat hæc tria genera, βουλευτικὸν, ἐπικουρικὸν, χρηματιστικόν.

TEX-

TEXTVS.

Legum autem maxima quidem pars ſunt leges, pauca vero de Repub. explicauit, & hanc cõmuniorem volens facere ciuitatibus, rurſus pene detorquet ad alteram Rempub. Nam excepta vxorum & bonorũ communitate alia vtriq; Reipublicæ tribuit eadem. Nam & eandem diſciplinam & neceſſariis vt operibus ſe abſtineat & de ſodalitatibus ſimiliter, præter quod in hac etiam mulierum ſodalitates eſſe oportere ait, & huius quidem mille arma habentes, illius vero decem millia.

COMMENTARII.

Τῶν δὲ νόμων τό τε πλεῖστον μέρος.] Expoſitis ſummatim *de libris de Repub.* & iis, de quibus ibi explicarit Socrates, & de quibus non: nunc *de opere de legib.* item ſummatim explicat, quæ in eo differantur. Nam cum duo fere ſint ſumma capita in ciuitatibus ſpectanda, Reipublicæ forma ſeu deſcriptio, & legum conſtitutio: Plato *libros de legib.* omnes fere legibus conſtituendis conſumpſit; de altero capite, de Repub. id eſt, ciuitatis deſcriptione, perpauca exponit. Nam 4. libris primis de Repub. reliquis octo de legibus explicauit, atq; adeo 4. primis multa de officio rectoris Reipub. de Muſica, Gymnaſtica, & maxime de diſciplina explicauit. Multa igitur de legibus in hoc opere, pauca de Repub. contra in libris de Republica, nihil de legibus, pleraque de Republica explicauit.

Libr. de ll. ſumma.

Καὶ ταύτην βουλόμενος κοινοτέραν.] Attingitur *locus Platonis libr. 5. de legib. οὐ μὴν ἀλλὰ ἀναλογιζομένῳ.* vbi ait Plato Remp. ſuam optimam in libris de Repub. explicatam apud homines vix ac ne vix quidem, apud Deos fortaſſe reperiri: eam vero quam in *iis libris de legib.* inſtituat, etſi illi proximam, tamẽ facilius inter homines reperiri aut recipi poſſe. Et hoc eſt, quod ait hîc Ariſtoteles, Platonem ſecundam Rempubl. voluiſſe facere communiorem ciuitatibus, id eſt, qua plures ciuitates faciliuſque vtantur. Quod Platonis conſi-

Diſcrimen, quod Plato inter vtrũque genus ſuarũ Rerumpubl. ſtatuit.

Reprehenſio Ariſto-

vel. ſeu collatio vtriuſq; Platonica Reip.

conſilium & voluntatem ſuis ipſum rationibus & inſtitutis poſtea euertere hîc ait Ariſtoteles, quod paulatim hanc ſecundam conuertat in primam & quaſi faciat eandem:

Ἔξω γὰρ τῆς τῶν γυναικῶν.] Docet, quemadmodum paulatim ſecundam detorqueat & redigat ad primam, quo cognoſcetur ſimilitudo & diſſimilitudo harum Rerumpublic. Nam paucis exceptis primæ Reipub. inſtituta omnia & ſecundæ attribuit & accommodat: excepta ſunt communitas & vxorum liberorumque & bonorum. Nam in ſecunda Republica hanc cõmunitatem non probat; in exceptis ſunt, quæ & paulo infra de ſodalitatibus, & de ciuium numero explicabuntur. Reliqua ſunt eadem, quæ hîc commemorantur tria. Primo diſciplina, quam eandem & hîc, vt & ſtudia virorum & mulierum eſſe vult, de qua *lib.2.3. & lib.7.de legib.* Secundo, principes ciues ab opificum & ſordidis artibus immunes & liberos eſſe debere: qua de re *libr.2.in fin. & lib.3.de Repub.* Tertio, de ſodalitatibus. Nam & virorum & mulierum eſſe debere ſodalitates, vt eſt *lib.7.de legib. & 5. de Repub.* hac tamen in re differentia eſt, quod in prima Repub. virorum & mulierum ſodalitates eaſdem eſſe vult, eadem eos vti menſa: in ſecunda vero alias ſodalitates, & alia menſa vti viros, alia fœminas, pueros & propinquos.

Καὶ τὴν τῶν χιλίων.] Et hæc eſt differentia primæ & ſecundæ Reipub. Nam in prima mille tantum eſſe, qui arma teneant, in ſecunda quinque millia. Nam Plato *lib.4.de Repub.* non quidem ita definite 1000. milites expreſſit: ſed tamen ait ad optimam Rempub. mille eſſe ſatis: at *lib.6.de legib.* 5000. & 40. requirit, numerũ videlicet rationi tribuum 12. ſecundæ Reipub. congruentem Ariſtot. maiorem numerum, minore vt parui momenti prætermiſſo, ſolum nominauit.

TEXTVS.

Itaq; eximium quidem habent omnes Socratis diſputationes, & elegans, & nouum, & ad quærendum accommodatum: recte vero omnia, fortaſſe eſt difficile. Siquidem & modo expoſitam multitudinem non eſt ignorandum opus his fore agro Babylonio, aut quo alio multitudine interminata.

nata, vnde quinque millia otioſorum alantur, & cum his innumerabilis alia turba mulierum & famulorum. Quare ſupponendum quidem ex voto, nihil tamen quod fieri nequeat.

COMMENTARII.

Τὸ μὲν ὖν περιττὸν.] Inſignis hic eſt locus, quo Ariſtoteles ſuum affert iudicium de omnibus ſermonibus & diſputationibus Platonis. Nam in his multa quidem eximia, multa eleganter & ornate dicta, multa quoque noua, & ad quærendum propoſita reperiri ait: Sed verendum, ne non omnia recta & vera, id eſt, multa quoq; falſa & praua: de eximiis, quæ Græci eleganter vocant περιττὰ, res eſt certa: de elegantibus item eſt notum, quam curam Plato ſuis ſcriptis expoliendis adhibuerit; adeo quidem, vt ea pectinare diceretur, & ipſe ſua, vt vrſus catulos, lambendo informare ſe diceret: de nouitatis ſtudio & hoc certum eſt. Nam & ipſe Plato interdū hos de ſe ſermones metuens ait, ſe non καὶ καινοτομίας ἕνεκα, nouitatis ſtudio, hoc vel illud afferre, *vt lib. 4. de legib.* τοὺς δ' ἄρχοντας. Et certe in omni fere parte philoſophiæ plurima nouauit Plato tam in phyſicis, quam in politicis. Multa denique in libris Platonis ſunt ζητητικὰ, ad quærendum propoſita, non tamen explicata: multa, inquam, ſæpe mouentur & exquiruntur, non tamen perfecte explicantur, vt *in Menone* de virtute, de ſcientia. Falſa deniq; in iis quam multa reperiantur, quæ Ariſtoteles tam in Phyſicis quam in Politicis diligenter explicauit.

Iudicium Ariſtotelis de omnibus libris Platonis.
1. Eximia.
2. Elegantia.
3. Noua.
4. ζητητικὰ.
5. Falſa.

Ἐπεὶ καὶ τὸ νῦν.] Quod modo dixit, multa fortaſſe non ſatis recte in Dialogis Platonis explicari, eius rei continuo affert exemplum, id quod paulo ſupra iam attigerat, de numero militum. Nam hunc nimium eſſe docet hac ratione: quia nulla ſatis magna regio aut vix reperiri poſſit tantæ hominum otioſorum, id eſt, nulla arte ſe alia quam ſtipendio tuentium, multitudini alendæ idonea; præſertim ſi attendas & aliam inutilem ſeruorum & mulierum turbam, militum ſociam & comitem: opus, inquit, huic multitudini alendæ ſit vel agro Babylonio, quem conſtat immenſum fuiſſe, totum Aſſyriæ regnum complectentem. Atque ita ex ciuitate hac multitudine venitur ad regnū potius & gentem, quam

Exemplū.

ad vnam ciuitatem. Cæterum de magnitudine agri & regione, infra latius *lib. 7. cap. 5.*

Cautio, ſeu mea ſententia maior.
Forma.
Quicunque politicus ponit præclara quidem, ſed ἀδύνατα: is eſt vituperãdus.
Plato ponit talia. Ergo.

Δεῖ μὲν οὖν.] Elegans eſt & prudens cautio; præclara quidem & eximia, & votis digna ponenda & conſtituenda eſſe, quæ modo fieri poſſint. quam cautionem & infra iterat *lib. 7. capit. 4.* διὸ πολλὰ, &c. alioqui multa quidem præclara & votis digna ponere, ſed quæ fieri nequeãt, eſt optare potius quam diſputare, inquit *Cic. in libello de Fato. Plato* quoque *lib. 6. de Repub.* rideri dignos eſſe ait, qui εὐχαῖς ὅμοια tantum afferant, ad quod dicendi genus elegantiſſimum eleganter hic alludit Ariſtoteles.

TEXTVS.

Dicitur autem, oportere legum ſcriptorẽ ſcribendis legibus ad duo ſpectare; & ad regionem, & ad homines: hoc amplius, rectum ſit adiungere & ad vicina loca ſi ciuitatem oporteat vitam viuere ciuilem. Neq; enim neceſſe ſolum eſt, eam talibus vti ad bellum armis, quæ in propria regione ſint vtilia, ſed in externis quoque locis. Quod ſi quis talem vitam non probet, neq; priuatam, neque ciuitatis communem: nihilo tamen minus oportet eſſe hoſtibus formidoloſos, non venientibus tantum in regionem, ſed abeuntibus quoque.

COMMENTARII.

II.
Peccatum Socr. in libris de legibus.

Λέγεται δὲ.] Aliud Platonis peccatum in libris de legibus iam reprehendit: qui ciuitatem ſuam ab externis & hoſtibus non ſatis tutam præſtiterit. Nam cum duo ſint ſumma capita, in quibus tanquam in materia officium & omnis opera boni legum ſcriptoris conſumatur & verſetur; magnitudo regionis ſeu agri, & multitudo ac bonitas ciuium ſeu regio & homines: de quibus & infra eleganter *lib. 7. cap. 4. in princ.* & *Plato lib. 5. de legib.* Eaque propter Plato in vtroq; hoc capite ſi elaboraret, boni officium legum ſcriptoris facere ſe arbitraretur, nulla aut exigua vicinorum aut hoſtium habita ratione: Ariſtoteles hoc, vt mancum, reprehendens, ait, & vicinorum rationem eſſe habendam, & hoc eſſe velut ter-

Exterorum quoq; ratio habenda eſt politico.

tium

tium caput aut certe particulam inſignem capitis de regione. Vicinorum igitur locorum rationem quoque habendam eſſe ſiue ciuitati vita ciuilis ſit neceſſaria, ſiue non, oſtendit. Vitam ciuilē vocat, vt & infra πρακτικὸν in rebus humanis & actionibus poſitam, in negotiando, in bello gerēdo, &c. Cui contraria eſt philoſophorum vita, ſuis tantum rebus & paucis contenta, quæque ſe intra ſuos fines contineat. Siue igitur talem ciuitatem eſſe velimus, quæ & hoc vitæ genere vtatur: perſpicue quoque vicinorum habenda eſt ratio locorum; nimirum vt ciues talia habeant arma, quibus non ſua tantum tueantur, ſed vicina quoque data occaſione inuadere & occupare poſſint. Verum hoc vitæ genus etiam aliena occupandi aut inuadendi ſunt qui non probent, in quibus & Plato fuiſſe videtur, qui nolit neque ipſam Rempub. neque ſingulos ciues extra patriam bellum gerere, ſed hoc agat, vt patriam ab externis modo iniuriis liberam præſtet: & tamen etiam huic ciuitati eam vitam non probanti neceſſario nihilominus eſſe vicinorum habendam rationem docet Ariſtoteles, & fatetur quoq; Plato, ſed diſſimiliter. Nam Plato ſatis eſſe ait, ſi ita armis inſtructi ſint ciues, vt hoſtes inuadentes propulſare poſſint. Ariſtoteles etiam abeuntibus formidoloſos eſſe vult, id eſt, vt hoſtes ēt qui iam agros vaſtarint, & prædas agant, tandemque diſcedere moliantur, vt, nquam, in ipſo diſceſſu metuant, ne à tergo a popularibus opprimantur. Quod autem in Platone reprehendit, idem & multo grauius infra *cap.5.* in Phalea accuſat, qui nullam prorſus exterorum rationem habuerit. Sed de hac quoque re infra *lib.7.* latius.

Vita vel ciuilis, vel philoſophica.

Diuerſa authorum ſententia de bello aliis inferendo.

TEXTVS.

Atq; bonorum multitudinem videndum eſt, an nō præſtet aliter definire, hoc eſt, planius. Nam tantam oportere eſſe, ait, vt viuāt frugaliter, quaſi quis dicat, vt viuant bene: hoc enim eſt magis generale. Præterea frugaliter quidem licet viuere, ſed ærumnoſe. Verum melior terminus, frugaliter & liberaliter. Nam ſeparatim vtrumque hoc quidem luxuriæ, illud vero laborioſæ vitæ conſe-

quetur. Siquidem hi habitus ſoli ſunt qui in vſu bonorum reperiantur, vt bonis leniter aut fortiter vti non licet, frugaliter vero & liberaliter licet. Quare & vſus hos in iis eſſe neceſſe eſt.

COMMENTARII.

III. *Peccatum Platonis.* Καὶ τὸ πλῆθος.] Aliud Platonis peccatum, qui agrum iuſto minorem deligat. Nam *Plato lib 5. de legib* ὄχλος δὴ πλήθους, &c. εἰς μὲν ὁπόσοι πόσους σώφρονας ὄντας ἱκανοὶ τρέφειν, πλείονος δὲ οὐδὲν προσδεῖ. Eo igitur loco hunc agri modum eſſe vult, tantus vt ſit, ex quo ciues frugaliter ali & viuere poſſint. *σωφρόνως.* Frugaliter, inquit Ariſtoteles quod ait Plato, idem valet, quod bene. Nam Plato ſpeciei nomine genus intelligit. Quid autem ſit εὖ ζῆν, ſupra quoq; explicauimus *lib. 1. c, 6.* *Refutatio.* Hunc agri modum & terminum Ariſtoteles refellit hac ratione: quia ex hoc modo ciuitas non efficiatur beata, quod *Ratio.* tamen rectori propoſitum eſſe, notum eſt. Quid ita? Quia etiam qui miſere & ærumnoſe viuat, frugaliter nihilominus viuere poſſit, & contra: atque adeo miſeræ & ærumnoſæ vitæ plerunque comes eſt frugalis & temperans, vt liberalis & beata comes fere eſſe ſolet vitæ delicioſæ ſeu luxurioſæ. Quorum namque res eſt tenuis, frugaliter: quorum magnæ ſunt copiæ, liberalius viuere ſolent, quod hic vocat ἐλευθερίως, & infra *lib. 4. cap. 4.* καλῶς eleganter. *Verus agri modus.* Reprehenſo igitur Platonis modo, ſuum adiungit, tantus vt ſit ager, qui ſatis ſit ad bene beateq; ſeu ad frugaliter & liberaliter ſeu eleganter viuendum: quæ duo & infra commemorat *lib. 7. caput. 5.* Cur autem hunc modum, vt meliorem atque adeo optimum, probet; hic quidem breuiter, infra copioſe explicabit, qui tamen locus periit. *Ratio.* Ratio igitur huiuſmodi ex priore intelligitur hunc in modum: ſi frugaliter non eſt ſatis, certe hæc duo ſunt neceſſaria, & quidem non plura: propterea quod duo tantum ſint habitus, id eſt, duę tantum virtutes, quæ in bonis ſeu facultatibus ſpectentur, Temperantia & Liberalitas: illa quidem aduerſus ſe, hæc aduerſus alios potiſſimum. Neque enim vel fortitudo, vel lenitas, vel magnitudo animi in facultatibus locum habent. Iam ſi duo tantum ſunt habitus; Ergo & vſus duo tantum vt ſint, neceſſe eſt. Nam vſus, facta, actiones, officia, πράξεις ex habitibus

tibus manant. Quare viuere & frugaliter & liberaliter, ſeu vita liberalis & frugalis, qui duo ſunt vſus, tantum in facultatibus reperiuntur.

TEXTVS.

Et hoc autem abſurdum, bona æquantē idem non efficere in ciuium multitudine, ſed relinquere liberorum procreationem indefinitam; quaſi quæ orbitatibus, quantumuis multi naſcantur, ad eandem multitudinem exæquanda ſit, eo quod hodieq; ciuitatibus id accidat: Verum non peræque ſubtiliter in ciuitatib. habere ſe res debet tūc & nunc. Nam nunc quidem, quia bona in quantamcunq; multitudinē ſint diſtributa, nemo eget; tunc vero, indiuiſis bonis neceſſe eſt, eos qui extra numerū ſint nihil habere, ſiue numero ſint pauci, ſiue plures. Arbitretur aūt quis liberorū procreationem magis definiri oportere quam bona, vt ne plures procreent certo numero. hanc autem multitudinem ponere ſpectantem ad fortunam, ſi accidat natorum aliquos mori, & ad aliorum orbitatem: relinquere autem, vt in pleriſque ciuitatibus, neceſſe eſt cauſam eſſe ciuibus paupertatis. Paupertas autem ſeditionem efficit & iniuriam. Itaque Phido quidam Corinthius, legum ſcriptor cum primis antiquus, arbitratus eſt, domos pares remanere oportere, & ciuium multitudinem, etiamſi primo ſortes habeant impares magnitudine: in legibus vero his contrarium eſt. Verum de his quidem, quemadmodum nos arbitremur melius fore, infra eſt explicandum.

COMMENTARII.

Ἄτοπον δὲ καὶ.] Aliud Platonis peccatum, qui bona quidem ſeu agri partes, Græci *κλήρους* vocant, pares fecerit & de- IV. *Peccatum.*

 finie-

finierit, ciuium vero multitudinem non item, ſeu procreationem liberorum indefinitam reliquerit, quod & hîc ait eſſe abſurdum, & infra capite proximo grauius exagitat. *Plato lib. 5. de legib.* non ita quidem bona ciuium æquauit, vt nullum plus altero habere velit. Nam permittit, vt ſuam quiſque ſortem ad quadruplum vſque amplificet, non quidem agro, ſed pecunia aut aliis bonis. Nam agri partem & ſortem non ſinit amplificari. Non igitur ita æquauit, ſed quod ſortes tantum velit eſſe æquales. Ariſtoteles docet, hanc æqualitatem conſiſtere non poſſe, niſi & eadem ſit perſonarum ratio & numerus idem. Nam niſi & liberorū procreandorum numerus ſortibus ſeu terræ partibus æqualis & par definiatur; fiet, vt multi tandem ſint futuri, qui nullam ſortem habeant, id eſt, plane egeant: quod ciuitatis incommodum eſt grauiſſimum, vtpote ſeditionum cauſa & ſeminarium. Quare & infra Ariſtoteles & ipſe *Plato lib. 5. de legib.* diuitiarum mediocritatē probat, nimias vel tenuiores Reipublicæ pernicioſas eſſe. Hac igitur ratione hoc Platonis peccatum oſtendit Ariſtoteles: Plato tamen rationes & vias aliquot indicat, quibus & ciuium par numerus & ſtatus conſeruari poſſit, nimirum partim orbitatibus, id eſt, quia quidam liberos non procreent, quibus alii, qui plures procreatint, ſuos ſurrogare, & in adoptionem dare debeant. Alia quoque eſt via, ſi plures iuſto numero naſcantur; Coloniarum deductio. Eſt & tertia: ſi plures naſcantur, vt quibuſdam matrimonio interdicatur: ſi pauciores, vt omnes diligenter ad matrimonium compellantur. Ariſtoteles primam tantum rationem commemorat, eamq; vt fortuitam reprehendit, quaſi res tanti momenti fortunæ nō ſit cōmittenda. Peccauit igitur Plato, & quidem perabſurde, qui agri partes definierit, liberos non item, quin contra potius faciendum fuerat: qua in re Phidonem Corinthium, legum ſcriptorem antiquiſſimum, ſapientius feciſſe ait. Nam Phido permiſit, vt initio quidem ſortes ſeu patrimonia ſint inæqualia, quæ tamen poſtea æquentur, & æquata ſemper paria & æqualia remaneant, vt & ciuium numerus. Plato contra hæc initio vult eſſe paria, quæ tamen poſtea augeri ad quadruplum vſque poſſunt. Verum de modo bonorum & de multitudine ciuium, quæ Ariſtoteli videantur optima, infra latius ſe explicaturum ait: de ciuium quidem multitudine, *lib. 7.*

Platonis ſententia.

Ariſtotelis reprehēſio.

Conſilia Platonis, quibus incommoda ea auertere conatur, q̃ ex inſtituto ipſius ſequuntur.

1.

2.

3.

Primi conſilii refutatio.

lib.7. de poſſeſſionum & bonorum modo, qui inſignis eſt locus, interciderunt, etſi cap. proximo de eadem re nonnulla rurſus explicantur.

Ἀνάγκη τὰς παράζυγας.] Iuſtus ciuium Reipublicæ Platonicæ numerus eſt quinque millium quadraginta: hunc qui ſuperant & extra hunc agnaſcuntur, à Platone dicuntur περιγενόμενοι, ab Ariſtotele παράζυγες, fortaſſe melius περίζυγες, à re ruſtica ſumpta metaph. vbi tauri ὁμόζυγες, qui eidem iugo ſunt ſubiuncti, cui ſi qui extrinſecus adiungantur extra conſuetum numerum, ſunt περίζυγες aut παράζυγες, *Iuriſconſulti lib. 10. Cod.* eodem modo aduocatos alios vocant ſtatutos, alios ſupernumerarios. Παράζυγες.

TEXTVS.

In his autem legibus prætermiſſa ſunt quæ de iis qui præſunt, quemadmodum futuri ſint diuerſi ab iis, qui parent. Ait namque: vt ex alia lana fit ſtamen quam ſubtegmen: ſic & eos qui præſunt habere ſe oportere ad eos qui parent.

COMMENTARII.

Ἐκλέλειπται δέ.] Aliud Platonis peccatum priori ſimile, hoc eſt, quo doceat, Platonis Rempublicam eſſe mancam: nimirum quia prætermiſerit differentiam magiſtratuum & parentium: quæ tamen res cur & quemadmodum ſit explicanda, præclare infra diſſeritur *lib. 7. cap. 14.* Hoc tantum *Plato lib. 5. de legib. & etiam in Politico*, Magiſtratus priuatis antecellere, & meliores eſſe debere, vniuerſe & confuſe, ſimilitudine ſuo more adhibita, monuit: nimirum vt quemadmodum ſtamen ex meliore ſeu firmiore & duriore, ſubtegmen ex leniore & molliore fit lana: ita & qui præſint, prę-ſtantiores eſſe debeant, quam qui pareant. V. *Peccatum.*

TEXTVS.

Cum autem omne patrimonium ad quadruplum augeri permittat, cur idem non ſit in agro aliquatenus.

COMMENTARII.

VI. *Peccatum.* Ἐπεὶ δὲ πᾶσαν οὐσίαν.] Aliud Platonis peccatum reprehendit, qui *lib. 4. de legib.* extremo. ἕως δὴ πενίας μὲν ὅρος, &c. bona quidem permittat ad quadruplum amplificari, ſorte ſola ſeu agri parte excepta. Ariſtoteles cautam eſſe negat, cur, cum omne patrimonium augere permittat, tamen ſortem excipiat, quæ & ipſa patrimonij non minima eſt pars.

Μέχρι πενταπλασίας.] Mirum eſt, & hîc & infra cap. proximo Ariſtotelem meminiſſe πενταπλασίας quintupli, cum Plato perſpicue tantum quadruplum permittat. Vel igitur Ariſtotelis peccatum eſt μνημονικὸν, memoriæ; vel eſt peccatum librarij vtroque in loco, hîc & infra.

TEXTVS.

Atque de domorum areis vidẽdum, num quid earum diuiſio rei domeſticæ cõducat. Duas namque domorum areas cuique attribuit diſiunctas. At graue eſt, duas domos inhabitare.

COMMENTARII.

VII. *Peccatum.* Καὶ τὴν τῶν οἰκοπέδων.] Aliud Platonis peccatum in domorum deſcriptione. Nam *Plato 5. de legib. extr.* ciuibus vult ſuas cuique binas eſſe ædes: non continuatas illas quidem, ſed diuiſas & diſſitas, quarum altera ſit in vrbe media, altera in extrema, & his οἰκόπεδα attribuit, hoc eſt, areas & ſola.

Refutatio. Hoc igitur Platonis conſilium refellit ab incommodo Ariſtoteles: quia ſit incommodum & moleſtum & fere ἀδύνατον, certe infructuoſum, duas habitare, inſtruere & alere domos.

TEXTVS.

Deſcriptio autem tota vult illa quidem eſſe neque Democratia, neque Oligarchia, ſed harum media, quam vocat Rempublicam. Conſtat enim ex iis, qui arma ferunt. Hanc igitur ſi molitur vt maxime communem ciuitatibus, præter alias, Rempublicam bene fortaſſe dixit; Sed ſi vt optimam ſecundum primam Rempublic. non bene.

Nam

Nam Laconicam fortaſſe quis magis laudet, aut etiam, quam aliam, magis Ariſtocraticam. Sunt igitur qui aſſerant, optimam quidem Rempublicam ex omnibus Rebuſpublicis temperatam eſſe oportere: quare & Laconum Rempub. laudat: eſſe namque eam alii quidem ex Oligarchia, Monarchia, & Democratia aiunt: regnum quidem dicẽtes Monarchiam: ſenum vero imperium Oligarchiam: ſub Democratia vero eſſe ratione Ephororum: quia de populo ſint Ephori: alii vero ſunt, qui Ephororum quidem imperium eſſe tyrannidem: ſub Democratia vero eſſe ratione & ſodalitatum & reliquæ vitæ cotidianæ. In his autem legibus dicitur optimam Rempublicam concretam eſſe oportere ex Democratia & tyrannide: quas vel omnino quis non ponat Reſpublicas, vel omnium nequiſſimas. Melius igitur ſentiunt, qui plures miſceant. nam ex pluribus concreta Reſp. eſt melior. Præterea ne videtur quidem habere quiddam Monarchicon, ſed Oligarchica & Democratica; magis autem inclinare vult ad Oligarchiam, quod intelligitur ex magiſtratuum deſcriptione. Nam quod ex ſuffragio factis fiant ſorte, vtriuſque eſt commune: quod vero locupletiores neceſſe ſit concionibus intereſſe, rogare magiſtratus, aut de politicis muneribus aliud aliquod obire, aliis vero ſit immunitas, hoc vero eſt Oligarchicum: atque dare operam, vt ex locupletioribus plures ſint in magiſtratu, maximique magiſtratus ex maximis cenſibus: facit autem & Senatus cooptationem Oligarchicam. Nam omnes quidem cooptant neceſſario, ſed ex primo cenſu: deinde rurſus

rurſus totidem ex ſecundo: poſtea ex tertiis: pręter quod non omnibus ſit neceſſe, qui ex tertiis vel quartis: ex quarto vero ſolis neceſſe eſt primis & ſecundis: poſt deinde ex his parem ait numerum ex ſingulis cenſibus eſſe renunciandum. Erunt igitur plures & potiores, qui ex maximis cenſibus, eo quod pauci de plebe ſint cooptaturi, quia non ſit neceſſe. Quemadmodum igitur talem Rempublicam conflare quidem non oporteat ex Democratia & Monarchia; ex his intelligitur, & ex his quæ infra explicabuntur, vbi occurrerit tractatio de tali Rep.

COMMENTARII.

Generalis reprehenſio. Ἡ δὲ σύνταξις βούλοιτο μὲν εἶναι.] Adhuc partes quaſdam Reipublicæ Platonicæ vitioſas eſſe docuit: nunc totam & vniuerſam eius deſcriptionem ſeu formam duabus in rebus vitioſam eſſe oſtendit. Eſt autem hic locus de forma ſeu deſcriptione ciuitatis inſignis & commemorabilis, de quo tamen infra accurate & copioſe explicatum toto fere libro *Politici officium.* quarto, ex quo libro hoc breuiter mutuandum eſt; Politici officium eſſe, non tantum quæ optima ſit Reſpublica videre & exquirere, ſed etiam & quæ huic proxima & quæ facilima, & quæ huic vel illi populo vel regioni maxime accom*Plato quæ prædicet de ſua Rep. in lib de legib. deſcripta.* modata. Nam multa eſſe Rerumpublicarum genera perſpicuum eſt & notum, vt Regnum, Democratia, &c. His præmunitis, Plato de Republ. ſua hæc duo aſſerit, eam eſſe & optimæ proximam, & ex tyrannide ſeu Monarchia Democratiaque mixtam ſeu temperatam. Vtrumque refellit, & falſum eſſe docet Ariſtoteles.

De forma Reip. Platonica in lib. de legib. Ἡ δὲ σύνταξις.] De altero, hoc eſt, de forma ſeu genere Reipublicę, non tamen ex Platonis, ſed ex ſua ſententia mouet hic initio: nam infra latius & accuratius: Ait igitur, Rempublicam Platonis eo videri decurrere, vt ſit velut temperata ex Democratia & Oligarchia, aut certe inter has media quã communi nomine vocant Rempublicam, quam & infra *lib. 4. cap. 8.* ex Democratia & Oligarchia conflari docet. Cur autem

autem Reſpublica Platonis Reipublicæ ſpeciem gerat, hanc adiungit rationem, ἐκ γὰρ τῶν ὁπλιτευόντων: quia conſtet ex iis, qui arma ferant. Nam Plato permittit armorum vſum quinque illis millibus & quadraginta. At armorum vſum omnibus communem argumentum & notam eſſe Reipublicæ infra explicabitur *lib. 4. cap 8.* Hactenus igitur ſpeciem Reipublicæ gerit Platonis ciuitas; magnam tamen partem paulo infra docebit, eam gerere ſpeciem non Reipublicæ, ſed factionis, id eſt, Oligarchiæ.

Ratio.

Εἰ μὲν οὖν ὡς κοινωτάτην.] Hic iam orditur duo illa refellere, de priore primum. Ait igitur, Platonem fortaſſe non male dicere, ſi ſuam ciuitatem deſcripſerit, tanquam quæ pluribus ciuitatibus communis eſſe poſſit maxime, id eſt, qua plurimæ ciuitates facilime vti poſſint. Modo diximus, videndum Politico non tantum, quæ ſit optima ciuitas, ſed etiam quæ facilima, quaque plures vti poſſint: quæ omnia Ariſtoteles diſtincte & accurate infra explicat *lib. 4.* quæ optima, quæ huic proxima, quæ facilima ſeu communiſſima ciuitas. Iam igitur ſi Platonis fuit conſilium deſcribere facilimam; fortaſſe, inquit, non aberrauit. Et certe *Plato lib. 5. de legib.* ait, ſe iam deſcribere ciuitatem faciliorem & communiorem prima. Verum Ariſtoteles hanc rem iam omittit, an ciuitas Platonis ſit facilima & maxime communis: illud potius diligenter exquirit, an optimæ ſit proxima, quod idem voluit *Plato lib. 5. de legib.* hoc, inquit, ſi voluit Plato, vt voluit, errat: quod oſtendit duabus rationibus. Prior eſt: quia Reſpubl. mixtæ, quo ex pluribus generibus ſint mixtæ, eo videantur eſſe meliores: quam rationem confirmat exemplo Reipublicæ Spartanæ, & auctoritate Politicorum ſeu ſcriptorum Reipublicæ quorundam. De Spartana quidem Republica notum eſt quam ab omnibus collaudari ea ſoleat, & pro laudatiſſima ſemper ſit habita. At hanc ex tribus Reipublicæ generibus ſeu formis conflatam eſſe docet & Ariſtoteles hoc loco & infra *lib. 4. cap. 9.* & *Plato lib. 4. de legib.* & *Polyb. lib. 6.* cui hac in re, id eſt, mixtione trimembri, plane genuinam & ſimilem fuiſſe Romam idem eo loco docet copioſe, vt & *Dionyſ. Halicarnaſ.* Nam Spartanam ex regia, optimate, & populari temperatam fuiſſe. De regno quidem eſt perſpicuum: duos namque Reges perpetuos habebat: optimatis nota & argumentum erat Senatus ſeu γερουσία triginta

I. Quod Ariſtotel. in deſcriptione Reip. Plat. reprehēdit.

Remp. Plat. in lib. de legib. non eſſe optimæ proximam.

1. Ratio.

1. Eiuſdem approbatio ab exemplo Reip. Spartanæ.

ginta ſenum ſeu γερόντων: popularis argumentum eſt Ephoria, id eſt, quinque Ephororum imperium, quos de plebe creabant. Sic igitur Spartanæ Reipublicæ partes quidam accipiebant: alij tamen aliter, nimirum de Ephoria, eam non eſſe popularis Reipubl. notam, ſed tyrannicæ potius. Nam vt & infra explicabitur *cap.* 7. Ephororum, vt Romæ Tribunorum plebis, plane tyrannica fuit poteſtas. Popularis tamen formæ in Spartana ciuitate alia nihilominus fuerunt argumēta, vt diſciplina, ſodalitates, veſtitus, cultus diuitum & pauperum idem & communis, vt infra latius *lib. 4. cap. 8. aut 9.* Atque ita Spartana ex quatuor formis, regia, tyrannica, optimate & populari temperata fuiſſe videri poteſt.

2. Rationis prima cōfirmatio ab auctoritate Politicorū quorūdam. Auctoritas autem ſcriptorum Reipublicæ exiſtimantium, optimam eam eſſe Rempublicam, quæ ex omnibus Reipublicæ formis & generibus ſit mixta & temperata, idem confirmat quod diximus, eo meliorem eſſe Rempublicam, quo ex pluribus generibus ſit mixta.

Ἐπίκρισις. An autem recte ſentiāt, qui Rempublicam ex omnibus concretam putant eſſe optimam, vt olim *Tybro*, de quo *lib.* 7. infra, & poſtea *Polyb. & Cic.* explicare, non eſt huius loci. Ariſtoteles certe eam non probat, vt optimam, ſed Regnum & huic proximam Ariſtocratiam: qua de re infra *lib.3.*

2. Ratio. Ἐν δὲ τοῖς νόμοις.] Altera eſt ratio, cur ſecunda Platonis Reſpubl. non ſit optima: quia ex Democratia & Tyrannide temperetur. Platonis ſententia eſt *lib.3. de legib.* ἄκουον δὲ νῦν, &c. & *lib.6.* vbi de Senatu, ἡ μὲ αἵρεσις οὕτω γενομένη, &c. Formula: Quæ ex deterrimis Reipublicæ generibus temperatur ciuitas, optima eſſe nequit. At ſecunda hæc ciuitas ex deterrimis atque adeo nullis fere conſtat. Ergo non eſt optima.

Aſſumptionis ratio. Aſſumptionis ratio eſt: quia conſtet ex Democratia & Tyrannide, quas perſpicuum eſt aut non eſſe in Rerumpublicarum numero, aut certe eſſe nequiſſimas, vt infra lib.3. & 4. explicabitur: etſi alia fortaſſis fuit Platonis ſententia,

Ἐπανόρθωσις. nomine τυραννίδ⊛, quod ſolent veteres, Regnum: & Democratias non infimæ plebis, ſed populi, quæ prope Reſpublic. dicitur, intelligens ſeu accipiens.

II. *Quod Ariſtotel. in deſcriptione* Ἔστι τε ὁ δ' ἔχουσα.] Nunc alterum refellit, ipſam, inquam, Platonis hypotheſin. Nam quod Plato dicit, ſuam ciuitatem ex Regia & populari forma temperatam, falſum eſſe docet: Primo, quia in ea ciuitate nullum regalis imperij ſit ve-

ſit veſtigium: rectius, inquit, facturus fuerat Plato, ſi diceret, nō ex regia & populari, ſed ex Oligarchica & populari temperatam: quin etiam ne quidem popularis imperij multa hîc ait eſſe veſtigia, ſed totam eam ciuitatem ad Oligarchiam inclinare: quod docet tam ex deſcriptione & creatione magiſtratuum, quam ex cooptatione Senatus. *Reip. Platonica in libr. de legib. reprehendit.*

Δῆλον δὲ ἐκ τε τῆς τῶν ἀρχόντων καταστάσεως.] Docet, magiſtratuum deſcriptionem fere eſſe Oligarchicam, bifariam. Nam *Plato lib. 6. de legib.* ἴτω δὲ εἰς ἐκκλησίαν καὶ τῶν συλλογῶν, &c. neceſſitatem ditioribus quidem impoſuit & eundi in concionem, & creandi magiſtratus, & iudicandi, aliaque ciuilia munera obeundi: tenuioribus vero libertatem & immunitatem horum munerum conceſſit. At hoc eſſe Oligarchicum commētum & technam, neceſſitatem ditioribus imponere, tenuioribus non item, accurate explicatur infra *lib. 4. cap. 13.* *1. Ratio.*

Alterum Oligarchiæ in magiſtratuum deſcriptione argumentum, καὶ τὸ πειρᾶσθαι πλείους, quod plæroſque magiſtratus ditioribus mandari velit, maximos ditiſſimis, vt eſt videre *lib. 6. de legib. paſſim.* Item Oligarchicum eſſe, imperia ſeu magiſtratus eſſe penes ditiores notum eſt, & infra lib. 4. latiſſime explicatur. *2. Ratio.*

Τὸ μὲν γὰρ ἐξ αἱρετῶν.] Ratio rogandorum magiſtratuum & cooptandi Senatus Platonica *lib. 6. de legib.* hæc eſt: primum vt ſuffragijs aliqui legantur, de quibus poſtea fiat ſortitio: nam electionem & ſortitionem requirit: & hoc eſt quod ait, ἐξ αἱρετῶν κληρωτούς. Sententia igitur horum verborum hæc eſt: Rationem rogandorum magiſtratuum hanc eſſe vtriſque, id eſt, Democratiæ & Oligarchiæ communem, id eſt, partim eſſe Democraticam ratione ſortis, partim Oligarchicam ratione electionis, vt infra lib. 4. quaſi dicat: Creatio magiſtratuum Platonica, habet illa quidem aliquod Democratiæ veſtigium, ſed plæraque eſt Oligarchica, vt iam eſt explicatum.

Ὀλιγαρχικὴν δέ.] Alterum Oligarchiæ argumentum capit ex Senatu cooptando, cuius ratio cooptandi, quia breuius & obſcurius hîc attingitur, ex Platone *lib. 6. de legib.* βουλὴν δὲ εἶναι μὲν τριάκοντα, &c. repetita hæc eſt: primum ex quatuor cenſibus ſeu claſſibus (τιμήματα Græci vocant) iubet eligi trecentos ſexaginta quotannis, nonaginta ex quaque claſſe hunc in modum: ex prima quidem claſſe 90. *3. Ratio.*

omnium

omnium claſſium ſuffragijs multa ijs conſtituta qui ſuffragium non ferrent; omnibus, inquam, claſſibus ferendi ſuffragij neceſſitas fuit impoſita ad primos 90. eligendos vel cooptandos: ex ſecunda claſſe totidem, & eodem modo: ex tertia item 90. ſed non eòdem modo, id eſt, non omnibus impoſita neceſſitate ferendi ſuffragij; quartæ namque claſſi hic immunitas fuit ſuffragij: ex quarta denique claſſe totidem, ſed ita vt duobus tantum primis claſſibus neceſſitas eſſet ferendi ſuffragij, tertiæ & quartæ non item. Hac priore electione deſignatis ijs trecentis ſexaginta, ſequitur altera electio, qua eos trecentos ſexaginta eodem modo ſuffragijs claſſium redigant ad dimidium, id eſt, 180 quaque claſſe ſuppeditante quadragenos quinos. Qua ſecunda electione perfecta tandem ſortibus 180. illi ad 90. duntaxat rediguntur, qui iuſtus eſt hac in Rep. Senatorum numerus. Hanc igitur Senatus cooptationem eſſe Oligarchicam modo monuimus ex *lib. 4. cap. 13. in princ.* qua diſtinctione fraudulenta fit, vt Senatus recidat ad ditiores; plures, inquam, ſint, qui ſuffragium ferant ditiores.

πλὴν οὐ πᾶσιν.] Totus hic locus eſt perturbatior, quod primus animaduertit *Perionius*, qui legendum putat pro *τοῦ*, *ἐκ δὲ τοῦ τετάρτου τῇ δὲ τετάρτῃ*, ſcilicet *ἡμέρᾳ*. *Sepulueda* pro *τῶν τετάρτων* ait reperiri in melioribus libris *τῶν τεττάρων*, & ita vertit, ex quatuor. *Lambinus* hæc verba, *πλὴν οὐ πᾶσιν ἐπάναγκες*, tranſtulit poſt hæc verba, *ἐκ δὲ τοῦ τετάρτου*: omnes cōfuſe & male. Inducenda ſunt hæc verba: *τοῖς ἐκ τῶν τρίτων ἢ τετάρτων*, & poſtea hoc *τῶν τετάρτων*, atq; ita vertendum: Præter quod nō omnibus ſit neceſſe; ex quarta autem ſcilicet claſſe ſolis primis & ſecundis eſt neceſſe. Quaſi dic. in tertia claſſe non omnibus eſt neceſſe, vt in prima & ſecunda. Immunitas eſt enim quartis, id eſt, ijs, qui ſunt quartæ claſſis.

Εἶτα ἐκ τούτων.] Hæc ſecunda eſt electio: qua de ſingulis claſſibus par numerus ex iis 360. iam delectis, par, inquam, numerus, id eſt, quadrageni quini eligantur.

TEXTVS.

In magiſtratuum autem creatione illud, ex electis electos, non vacat periculo. Nam ſi coire aliqui velint & numero modici, ex horum ſemper volun-

voluntate creabuntur. Quæ igitur ad Rempublicam quidem, quæ eſt in Legibus pertinent, ad hũc modum ſe habent.

COMMENTARII.

Ἐκ δὲ.] Locus eſt obſcurior, quo tamen alludere mihi videtur ad Nomophylacum creationes: de qua *lib. 6. de legib.* Nam Nomophylaces ex trecentis primo electis, poſtea ad 100. & tandem ad 37. redactis fiunt. Hanc rationem ex electis rurſus eligendi ait eſſe periculoſam Ariſtoteles, hac ratione: quia dum ex multis peruenitur ad paucos ſæpius eligendo, facilius paucórum poteſt eſſe coitio & conſpiratio quam multorum: qua coitione fit, vt ex horum voluntate & arbitrio, quos ipſi volent, ſemper eligantur. Hoc igitur vltimum eſt Platonis peccatum in ſecunda Repub. ex ijs, quæ hoc capite explicantur. IX. *Peccatum.*

CAPVT V.

DISSERITVR hoc capite aduerſus Phaleæ Chalcedonenſis inſtitutionem Reip. maxime de æquatione: cuius Phaleæ peccata quædam aperit & refellit.

TEXTVS.

Sunt autem aliæ quædam Reſpublicæ hæ quidem priuatorum, illæ vero politicorum; omnes conſtitutis, & quibus nunc viuitur vtriſque his priores. Nemo enim aut de liberis & vxoribus alius noui quid induxit, aut de mulierum ſodalitatibus: ſed à neceſſariis potius ordiuntur.

COMMENTARII.

Εἰσὶ δέ τινες πολιτεῖαι.] Et monet, qua de re iam ſit explicandum, & differentiam oſtendit aliarum omnium Rerumpublicarum & priorum duarum Platonicarum. Ait igitur, & alias eſſe Reſpub. eaſque à duobus hominum generibus diſſimilibus inſtitutas. Nam alias quidem ab hominibus priuatis, quo in numero eſt & huius Phaleæ & Hippodami Reſp. alias vero à viris politicis, & qui ipſi in Republ. ſint verſati: quo in numero ſunt Reſpublicæ Solonis, Lycurgi, Seleuci,

Pittaci, Minois, inſtitutas & temperatas: de quibus deinceps eſt explicandum. Sic autem hunc locum accipiendum cum ipſa Rerumpub. infra explicandarum ratio & diſtinctio, tum initium capitis 10. perſpicue conuincunt. Nam quod hic ἰδιωτῶν id ibi ἰδιωτεύοντες. Perperam igitur, vno Perionio excepto, reliqui interpretes verbo ἰδιωτῶν indoctos intelligunt. Scribendum quoque & emendandum, αἱ μὲν ἰδιωτῶν, αἱ δὲ πολιτικῶν, inducto φιλοσόφων καὶ. Nam duo tantum auctorum Rerumpublicarum genera & initio cap. 10. & tota diſputatione perſequitur.

Diſcrimen inter Plat. & aliorum Reſp.

Πᾶσαι δὲ τῶν καθεστηκυιῶν.] Nunc de differentia aliarum ciuitatum, & Platonicarum. Nam alias omnes iis, quæ ea tempeſtate eſſent in vſu, eſſe ſimiliores quam Platonicas: quod docet ex eo, quod nullo nouitatis ſtudio, vt Platonice, neque communitatem liberorum & vxorum, neque ſodalitates mulierum, res plane nouas, probarent, ſed potius, iis omiſſis, de rebus magis neceſſarijs agerent.

TEXTVS.

Nonnullis autem videtur de bonis recte deſcribi rem eſſe maximam: de his enim omnes ſeditiones mouere aiunt. Quare Phaleas Chalcedonẽſis hoc primum induxit: Ait enim bona ciuium æqualia eſſe oportere. Hoc autem initio quidem condendis ciuitatibus putabat non difficile eſſe factu: conditas vero maioris quidem eſſe negotii, celerrime tamen æquari poſſe, ſi dotes quidem dent diuites, non vero accipiant: pauperes vero non dent quidem, ſed accipiant. Plato autem leges ſcribens aliquatenus putabat permittendum, plus autem minimi patrimonii quintuplo nemini ciuium poteſtatem eſſe quærendi, vt & ante dictum.

COMMENTARII.

Γὰρ pro δὲ.

Δοκεῖ γάρ.] Γὰρ vt alias ſæpe, ita & hic δὲ valere videtur.

De bonorũ æquatione.

Orditur nunc diſputationem de bonorum modo & æquatione: quam diſputationem maximi momenti propterea

eſſe

eſſe ait, quod plæriq; motus & ſeditiones in ciuitatibus propter bona exſiſtant. Et reuera grauiſſima eſt hæc diſputatio: cui rei arguméto quoque eſt, quod ciuitas in duobus fere ſit poſita, rebus & perſonis; quemadmodum & domus, vt & ſupra explicatum. Quod autem de motibus ait Ariſtoteles, vel vna Reſpublica Romana teſtis eſſe poteſt, in qua innumerabiles de bonis ſeu agrariæ contentiones & motus exſtiterunt. Phaleas igitur, & ipſe Reipublicæ auctor, de bonis quoque explicandum ſibi putauit, & primus quidem bonorum æquationem induxit, & vel ſemper induci voluit initio conſtituendis ciuitatibus, vel etiam conſtitutis, vt rem impediendis motibus maxime idoneam & ſalutarem. Verum Plato quadam quidem ex parte hanc æquationem probat, quadam vero ex parte non item. Nam ſortes quidem voluit eſſe æquales, & quidem perpetuo; reliquorum vero bonorum æqualitatem improbauit, quæ ad quintuplum vſque augeri permiſit, vel potius ad quadruplum, vt ſupra. Ariſtoteles bonorum æquationem & ipſe improbat, etſi non negat, aliquod afferre momentum impediendis motibus. Quæ autem Ariſtotelis fuerit ſententia de bonorum modo, vno quidem verbo ex hoc capite intelligi poteſt, ſed alio loco infra qui intercidit, diligenter fuit explicata. Summa hæc eſt; Bona non eſſe æquanda, neque eadem tamen in infinitum amplificanda; Sed hunc amplificationis modum & terminum conſtituendum, vt tanta ciuitati ſint bona & opes, quæ nec irritent exteros, & eos defendere ſeu propellere poſſint. *Cicero* quoque *lib.2. Offic.* æquationem bonorum capitalem eſſe ait.

Phaleæ opinio.

Platonis opinio.

Ariſtotelis ſententia.

Φαλέας ὁ χαλκηδόνιος.] De hoc Phalea Reipublicæ auctore amplius quærendum, cuius hoc inſtitutum, vt nouum & proprium, bonorum æquatio, eſt obſeruandum. De hoc autem etſi nihil comperi, videtur tamen etiam in Republica fuiſſe verſatus, quod capite proximo ex iis, qui priuati de Republ. ſcripſerint, primum nominet Hippodamum, quo antiquiorem puto fuiſſe Phaleam. Cur autem de Phalea hic explicetur, & non eo loco, vbi de auctoribus Rerumpublicarum in Republica verſatis agitur, hæc videtur eſſe ratio, quod Reſp. Phaleæ ſimilitudinem & affinitatem cum Platonica habeat in bonorum æquatione, quod maximum fuit Reipublicæ Phaleæ caput.

Phaleas.

TEXTVS.

Ignorare autem ne hoc quidem oportet ita leges ſcribentes, quod nunc ignoratur, bonorum multitudinem definientes, liberorum quoque multitudinem definire debere. Nam ſi bonorum magnitudinem ſuperet liberorum numerus, legem certe antiquari neceſſe eſt,& præter antiquationem multos ex diuitibus fieri pauperes eſt malum. Hos enim non eſſe rerum nouarum cupidos difficile eſt.

COMMENTARII.

Refutatio opinionis Phalea. Δεῖ δὲ μήτε τοῦτο.]Phaleæ peccatum,quod & ſupra in Platone reprehendit: qui bonorum quidem modum definierint, liberorum non item: qua ex re duo ſequi incommoda: *1.Incõmodum.* prius, vt lex ipſa ſeu inſtitutum de bonorum modo nequeat diu conſiſtere; vtpote iniqua lex, qua alii bona ſint habituri, *2. Incommodum.* alii non item: & hoc alterum eſt incommodum, quod videlicet multi orituri ſint pauperes ex eo, quod vt & ſupra *cap.1.* explicauimus,ſi vnius patrisfamilias plures ſint filij;ad vnum omnibus deuolutis facultatibus, reliqui egeant neceſſario, quod incommodum quam ſit graue, quia ad ſeditiones egeſtas impellat, & hoc capite aliquoties & infra *lib.5.* latius explicabitur.

TEXTVS.

Verum,eſſe quidem vim aliquam in bonorum æquatione ad ciuilem ſocietatem,& veterum quidam vidiſſe videntur; vt & Solo leges tulit, & apud alios lex eſt, quæ vetet agrum parare, quantum quis velit.Similiter & bona vendere leges vetant, vt apud Locros lex eſt,ne vendant, niſi perſpicuam calamitatem accepiſſe doceant: præterea veteres ſortes, id eſt, partes attributas ſeruare, quod in Leucade abrogatum nimis popularem eorum fecit Rempublicam. Accidit enim, vt non amplius

amplius ex definitis cenſibus caperentur magiſtratus.

COMMENTARII.

Διότι μ. ἦν.] Ariſtoteles hoc loco omiſſo nonnihil Phalea præclaram interiicit diſputationem de bonorum æquatione. Et primum quidem de eius commodis & opportunitatibus docet aliquid videri momenti eam Reipublicæ afferre, quod docet exemplis & auctoritate veterum legum ſcriptorum & legum aliquot Rerumpublicarum, non quo in his plane fuerit bonorum æquatio, ſed quod ad eam aliqua ex parte accederent. Solo igitur non æquauit ille quidem bona, ſed tamen certos cenſus, quatuor, deſcripſit, vt eſt apud *Plut. in eius vita; & Pollucem lib. 8.* Cenſuum igitur deſcriptione confirmat æquationem, confirmat & alia lege, qua certus agri modus emendi cauetur: cuius generis lex fuit Licinia Romæ, vetans ne quis vltra quingenta agri iugera poſſideret. *Liu lib. 6. & 7. Appian lib. 1. de bell. ciu.* Eandem confirmat & alia lege apud Locrenſes vſitata, qua ciues bona ſeu patrimonia ſua vetantur vendere. Nam & in hac lege bonorum æquationis eſt veſtigium, quia ſua cuique patrimonia conſeruare velit, ne alij prorſus egeant, alii bonis aliorum emptis ditiores euadant, eaque re maior bonorum fiat inæqualitas. Eadem eſt ratio, & alterius legis ſeu inſtituti veteres ſortes conſeruari iubentis, quod inſtitutū in multis Græciæ ciuitatibus receptum fuit; quæ ſortium conſeruatio quam ſit vtilis, docet exemplo Reipublicæ Leucadiæ ſeu Inſulæ Leucadis: vbi cum ante Reſpub eſſet aut Oligarchia, quia magiſtratus pro ratione cenſuum mandarentur; tandem degenerauit in Democratiam extremam, perturbatis iam ſortibus & cenſibus, ita vt, nulla iam cenſuum reliqua diſtinctione, magiſtratus peræque ad egentiſſimos & tenuiſſimos deuoluerentur atque ad ditiores.

Digreſſio de bonorum æquatione.

1. Commoda eiuſdē.

1. Exemplū Solonis.

2. Exempl.

3. Exempl.

4. Exempl.

5. Exempl.

TEXTVS.

Verum fieri quidem poteſt, vt bonorum ſit æqualitas, ſed hæc vel ſi nimis ſint multa, vt exſiſtat luxuria, vel nimis pauca, vt viuatur ſordide. Perſpicuum eſt igitur, non ſatis eſſe, legum ſcripto-

rem bona facere æqualia, ſed ad medium eſſe collimandum. Imo etſi & modica bona omnibus deſcribat, non ſatis eſt. Nam cupiditates potius æquare oportet quam bona. At hoc fieri non poteſt, niſi apud eos, qui legibus bene ſint inſtituti.

COMMENTARII.

Ariſtotelis ſententia.

Ἀλλ' ἐὰν τὴν ἰσότητα.] Adhuc attulit, quæ bonorum æquationem probare videantur: nunc docet, eam non eſſe ſatis ad ſeditiones cohercendas, contra atque Phaleas exiſtimauit. Nam primo opus eſſe præterea bono modo bonorum, mediocritate videlicet. Nam diuitiarum ſeu bonorum modum optimum eſſe mediocritatem & hic indicat & infra latius confirmat *lib.* 4. Hunc autem modum ſeu terminum eſſe neceſſarium docet argumento à contrarijs, id eſt, extremis ſumpto. Nam ex nimijs diuitijs luxuriam & petulantiam exſiſtere, ſiue nimiarum diuitiarum comitem eſſe vitam luxurioſam, paupertatis vero vitam ſordidam & illiberalem, cui vtrique vitæ repugnat vita beata & ciuitati propoſita, quo argumento & *Plato libro* 4 *de Republ.* diuitias & paupertatem de Republ. pellenda monet: quod illæ cauſæ ſint luxuriæ, deſidiæ & ſtudii rerum nouarum, hæc vitæ & ſordidæ & malitioſæ, & rerum nouarum cupidæ. Si igitur & modus diuitiarum eſt præſcribendus, ſola bonorum æquatio non eſt ſatis. Verum illud, vt iam oſtendimus, ergo & hoc.

Argumentum ſeu ratio.

Diſciplina.

Ἔτι δ' εἴ τις.] Docet, ne modum quidem eſſe ſatis, ſed diſciplina præterea eſſe opus, qua cupiditates intra modum refrenentur. Nam cum cupiditates per ſe ſint inſatiabiles, niſi bona inſtitutione & moribus aſſuefiant parere rationi; nihil certe proderit, modum præſcripſiſſe. Pulcerrime igitur Ariſtoteles, cupiditates potius quam bona eſſe æquanda: quod copioſe *Cicero paradoxo vltimo.* Animus hominis diues, inquit, non arca appellari ſolet. Diſciplina igitur præterea eſt neceſſaria tam legum quam morum, vt ſupra latius explicatum, *lib* 10. *capite vlt.* *Ethicorum.*

TEX.

TEXTVS.

Verum dicat fortaſſe Phaleas, hæc ſe dicere; putat enim, horum duorum (bonorum & diſciplinæ) æqualitatem in ciuitatibus eſſe oportere. Sed enim de diſciplina, quæ ſit, explicare oportet, & vnam eandemque eſſe nihil iuuat. Nam vna quidem eademque eſſe poteſt, ſed quæ ſit talis, ex qua procliues ſint futuri ad appetendas, vel diuitias, vel honorem vel vtrumque.

COMMENTARII.

Ἀλλ' ἴσως εἴποι.] Tacitæ Phaleæ contradictioni occurrit. *Obiectio.* Nam quia modo docuit, diſciplinam quoque eſſe neceſſariam, quaſi aduerſus Phaleam, qui eius nulla habita ratione, vnam bonorum æquationem probarit: Phaleas contradicere fortaſſe poterat, idem ſe quoque velle: Nam perſpicue ſe non tantum bonorum, ſed diſciplinæ quoque æquabilitatem dicere ciuitatibus eſſe neceſſariam. Reſpondet Ariſtoteles, dicere quidem Phaleam de diſciplina, vnam eandemque omnium ciuium eſſe debere, ſed quæ ea ſit diſciplina non ſatis explicaſſe: Multa namque diſciplinæ ſeu inſtitutionis ſunt genera. Nam alia ad ſtudium diuitiarum, vt olim in Republica Phœnicum, *teſte Platone & Cicerone*, & hodie in inferiori Germania: alia ad honores & ambitionem, vt in Ariſtocratijs mixtis Oligarchia, vt olim Lacedæmone: alia ad vtrumque eſt comparata, vt eleganter apud *Plat. lib. 8. de Rep.* Quare non ſatis eſt dicere diſciplinam eſſe neceſſariam, ſed hoc amplius exponendum eſt, qua ciues non ad ambitionem & dominandum, vel ad auaritiam, ſed ad virtutes & recte facta informentur. Hoc igitur aliud eſt Phaleæ peccatum in diſciplina. *Solutio.*

TEXTVS.

Præterea ſeditiones mouent non tantum propter bonorum inæqualitatem, ſed propter honorem quoque: in altero autem contraria ratione. Nam vulgus quidem propter inæqualitatem bo-

norum, præſtantiores vero de honoribus, ſi ſint pares, vnde & vnus honos idemque & bono eſt & deteriori.

COMMENTARII.

Argumentum aduerſus æquatiõnem bonorum.

Ἐπι στασιάζουσιν.] Alio præterea argumento docet, æquationem bonorum vnam non eſſe ſatis reprimendis ſeditionibus, ſumpto à rebus, quas propter ſeditiones moueri conſuerint, quas res duas eſſe docet, infra *lib. 5. in princ.* facultates ſeu bona; & honores. De honoribus certe idem Ariſtoteles *in lib. vulgarium exercitationum apud Stobæum cap. 43.* plurimas eorum cauſa ſeditiones in ciuitatibus exſiſtere, & quidem non inter plebeios, ſed inter potentiores. Nam vt & hoc loco, vulgus fere & abiectioris animi de bonis, præſtantiores vero & magni animi de honoribus concertare ſolent: quod confirmat *Homeri auctoritate Iliad. i.* Vbi Achilles Vlyxi conquerens ſe reliquis multo fortiorem paria tamen præmia ferre ab Agamemnone, quem verſum & Eraſmus prouerbiis aſſcripſit. Legendum δὲ integre: Nam τοῦ ἰῷ pro τῇ μιᾷ prior ſyllaba eſt breuis. *Lucret. lib. 4.* paruula pumilio chariton ἰῷ. *Cicer.* quoque *lib. 1. Offic.* expetuntur autem diuitiæ, &c. Itaque bonus legum ſcriptor non tantum de bonorum, ſed de honorum quoque æquabilitate laborare debet.

Χαρίεις.

Οἱ δὲ χαρίεντες.] Plato & Ariſtoteles ſic eos vocare ſolent, qui cæteris virtute vel arte præſtent, & interdum κομψοὺς, latine nunc politos, nunc doctos, nunc præſtantes vocare poſſumus. Sed de hoc verbo latius ſupra *lib. 1. Ethic. cap 5.*

TEXTVS.

Homines autem iniuriam inferunt non tãtum propter neceſſaria, quorum remedium putat eſſe bonorum æqualitatem, ita vt non furentur frigore aut fame adducti; verum etiam vt gaudeant, & non concupiſcant. Nam ſi maiorem neceſſariis cupiditatem habeant, propter huius medicinam iniuriam facient. Neq; vero propter hanc ſolum, ſed

ſed etſi concupiſcant, vt gaudeant voluptatibus doloris expertibus. Quod igitur trium horum remedium illis quidem bona exigua & opera, his vero temperantia: tertium vero, ſi qui velint per ſe gaudere, remedium ne quærant, niſi à philoſophia. Aliæ namq; hominibus opus habent, ſiquidem iniurias faciunt maximas propter nimia, non vero propter neceſſaria: vt tyrannos agunt, nõ vt ne frigeant. Quare & maximi honores, nõ ſi quis furem, ſed tyrannum occiderit. Itaq; paruis tantum iniuriis occurrit ratio Reipublicæ Phaleæ.

COMMENTARII.

Οὐ μόνον δ᾽ οἱ ἄνθρωποι.] Docet, bonorum æquationem non eſſe ſatis tollendis omnibus iniuriis & maleficiis, ſed tenuioribus duntaxat vel minoribus. Nam iniuriæ vel exſiſtunt ob neceſſaria vel ob non neceſſaria, vel, vt *Plato* ait *lib. 8. de Repub extremo & lib. 9.* Vtilitates vel ſunt neceſſariæ, vel non: ſiue, vt *Cic.* loquitur *1. Offic.* propius ad hunc Ariſtotelis locum, maximam autem partem ad iniuriam faciendam aggrediuntur nonnulli, vt adipiſcantur ea, quæ concupierunt. Expetuntur autem diuitiæ cum ob vſus vitæ neceſſarios, tum ad perfruendas voluptates. Res igitur neceſſariæ ſunt quæ ad victum & cultum pertinent: nõ neceſſariæ, quæ ad luxuriam in cultu, victu & venere. quarum ex rerum cupiditatibus voluptates exſiſtere, ſupra docuimus, *lib. 3. in fi. 7. & 10 Ethic.* vbi & hoc, eas eſſe impuras, ſemper dolore mixtas & iunctas, alias vero puras nulloque dolore mixtas, vt quæ auribus & oculis, & maxime ex ſtudiis bonarũ artium capiuntur. Tria igitur cupiditatum ſunt genera, rerum neceſſariarum, voluptatum partim ſincerarum, partim impurarum: harum autem trium cauſa explendarum iniurias homines facere perſpicuum eſt. Neque enim tantum explendæ famis aut frigoris furantur vel graſſantur homines, ſed multo ſæpe maiores faciunt iniurias ad voluptates potiundas. Iam Phaleas primo tantum generi remedium attulit, reliquis non item. Nam primi medicina eſt bonorum æquatio; ſecundi temperantia, vt qua corporis voluptates repri-

Bonorum æquatione non tolli omnes iniurias. Quod & III. Phaleæ peccatum eſt.

Iniuriarũ cauſa.

Phaleæ peccatum.

Cupiditas eſt rerũ aut neceſſariarum, aut nõ neceſſariarum: quæ voluptatẽ pariũt aut puram aut impuram.

Iniurias de rebus neceſſariis minores eſſe reliquis.

οὐσία vel βραχεῖα, vel μακρά.

mantur, ſupra *lib. 3. in fi.* tertii nulla, inquit Ariſtoteles, alia eſt medicina quam philoſophia, ex qua voluptates illæ puriſſimæ ſunt petendæ. Si igitur inſtitutio Phaleæ neceſſariis tantum cupiditatibus remedium affert, harum autem cauſa explendarum quæ fiunt iniuriæ ſunt leuiores: efficitur, eam non grauioribus, ſed leuioribus malis tollendis eſſe accommodatam. Leuiores autem eſſe de rebus neceſſariis iniurias docet exemplo tyranni ſeu diſſimilitudine tyranni & furis, ſeu potius diſſimilitudine præmiorum, quæ decernantur iis, qui vel tyrannum vel furem interfecerint. Ex eo namque, quod tyrannicidæ præmia ſint maiora, quam furis interfectori propoſita, intelligitur tyranni quoq; iniurias eſſe grauiores, quam furis. At furum iniurias eſſe in rebus neceſſariis, tyrannorum in voluptatibus potius ſuis explendis, eſt perſpicuum. Idem & grauiſſime *Plato lib. 9. de Repub.* καὶ αὐτὸν μέν γε ἦν δ' ἐγὼ, &c. vbi κλέπτειν, furari, parietes perfodere, crumenas ſecare, ſacra legere, calumniari, &c. vocat κακὰ σμικρὰ, præ tyrannicis.

Οὐσία βραχεῖα.] Attici amplum patrimonium οὐσίαν μακρὰν vocant, tenue & exiguum βραχεῖαν. μακρᾶς verbo aliquoties vtitur infra, videatur & ſupra. Ait igitur, optimum remedium ad res neceſſarias eſſe & exiguum patrimonium & induſtriam ſeu laborem.

TEXTVS.

Præterea multa machinari vult, ex quibus ea quæ inter ipſos bene ſint adminiſtraturi. At etiam aduerſus finitimos & externos oportet. Neceſſe eſt igitur, Rempub. ad vim belli inſtitutam eſſe, de qua ille nihil attulit, item & de bonis. Nam non ſolum ad ciuiles vſus ſatis ſuppeditare oportet, ſed externa quoq; pericula. Quare neq; tantũ oportet eſſe numerum, cuius vicini & potentes cupiditate ducantur, habentes vero eos qui ſe inuadant, defendere nequeant: neque tam exigua, vt bellum ſuſtinere queant, ne quidem æqualium & parium. Itaque ille quidem nihil definiuit: ignorandum

dum vero hoc non eſt, bonorum multitudinem eſſe vtilem.

COMMENTARII.

Ἔτι τὰ πολλά.] Aliud Phaleæ peccatum quod idem ſupra in Platone *cap.* 4. reprehendit, qui multa quidem de mutua ciuium inter ſe conſuetudine, ſed aduerſus vicinos & exteros quemadmodum ſe gerere debeant, nihil explicauit, de ratione videlicet belli & re militari: quare & bonorum rationem omnem ad vſus duntaxat ciuiles accommodauit, perperam: ſiquidem bona ſuppeditare oportet non tantum ad ciuiles & vitæ cotidianæ vſus, ſed etiam quibus hoſtes repelli poſſint, exercitu comparando & alendo: quos duos bonorum vſus ciuilem & militarem, infra quoque *lib.* 7. *cap.* 8. exponit, ἔτι χρημάτων τινὰ εὐπορίαν, &c. Duo igitur Phaleæ vitia hîc taxantur ex eodem fonte manantia, ex præſidio videlicet aduerſus exteros; alterum, negligentia rei militaris; alterum, bonorum tenuitas ſeu exiguitas. IV. *Peccatum Phaleæ.*

Διόπερ οὐδὲ τοσοῦτον πλῆθος.] Docet de modo diuitiarum optimo & Reipublicæ vtiliſſimo, neque nimis magnas neq; contra nimis exiguas eſſe debere, ſed tantas, vt potentioribus non ſit vtile propter eas bellum mouere aut ſuſcipere, & quibus tamen hoſtium incurſus & pericula repelli poſſint. Non nimis quidem magnas, ne his irritentur vicini: neque nimis paruas, ne bellum etiam cũ paribus ſuſtineri non poſſit. Nam ad belli vſus pecuniam eſſe neceſſariam docet & prouerbium; Belli neruus pecunia: de magnitudine autem diuitiarum & bonorum, quibus ad bellum faciendum ſæpe inuitentur homines, pręclare & *Plato lib.* 4. *de Repub.* vbi hac eadem de cauſa ſuæ Reipublicæ ciues non nimis diuites eſſe vult, vt ſcilicet ab externis inuaſionibus ſint tutiores, quod eleganti ſimilitudine confirmat: facilius namq; adduci homines, vt cum canibus ſtrigoſis & robuſtis fœdere inito aduerſus oues teneras & pingues bellum ſuſcipiant, quam cum his ouibus aduerſus canes illos, inquit Plato. Ariſtot. idem diuitiarum incommodum exemplo quoq; confirmat Autophradatis, Perſici, ni fallor, Satrapæ, qui ne maiorem ſumptum in oppugnanda vrbe Atarneo inter Myſiam & Lydiam ſita faceret, quam ex eadem iam expugnata prædam caperet, ſuaſu & conſilio Eubuli conſiliũ de oppugnatione potius *Modus bonorum.* *Similitudo.* *Exemplũ.*

potius abiiciendum ſibi putauit; quia, inquam, plus damni quam lucri fuerat facturus. Verũ de hoc exemplo amplius quærendũ. Optimus igitur diuitiarum modus eſt, quem iam expoſuimus, vt ne exteri propter magnitudinẽ ad bellũ ſuſcipiendum inuitentur, ſed non aliter bellum ſuſcipiant, non propter diuitias, ſed propter alias cauſas, etiam cum nulla tanta diuitiarum eſſet magnitudo. Et hoc eſt quod ait, ἀλλ' οὕτως αὖ καὶ μὴ ἐχόντων.

Οἱ δ' ἔχοντες ἀμείνω ἂν] Hæc verba vt minime neceſſaria, & ſententiam perturbantia, vix puto eſſe Ariſtotelis.

Μηδὲ τῶν ἴσων καὶ τῶν ὁμοίων.] Eleganter Græci hæc duo, ἴσον καὶ ὅμοιον, & ἰσότης καὶ ὁμοιότης, quaſi prouerbii ſpecie coniungere ſolent, vt infra ſæpe & *Iſocrates in Areopagitico, Xenophon lib. 3.* ἀπομνημονευμάτων. & *Plato* ſæpius. *Cicero quoque in Epiſtolis ad Atticum*, tanquam πρὸς ἴσον καὶ ὅμοιον, inquit. Latine parem dicimus.

T E X T V S.

Optimus igitur fortaſſe modus, ne potentioribus propter magnitudinem ſit vtile bellum gerere, ſed ita vt & aduerſus non habentem tanta bona ſeu tantas facultates, vt Eubulus, cum Autophradates Atarneum obſidione eſſet cincturus, iuſſit eum, conſiderato tempore, quanto locum ſit capturus, diſputare temporis huius ſumptum. Velle enim hoc minore accepto relinquere Atarneum. Quibus verbis effecit vt Autophradates, re cognita, obſidione deſtiterit.

COMMENTARII.

1 *Οἷον Εὔβουλος.*] Totum hunc locum iam ſupra explicauimus, & quo hoc exemplum pertineat.

Ἐθέλειν γὰρ ἔλαττον.] Monebat Eubulus oppidum tam eſſe firmũ, quod niſi longo tempore, & magno proinde ſumptu facto, expugnari non poſſit; tanto, inquam, ſumptu, vt ſi Autophradati minor præda ſeu pretium iam daretur, continuo conſilium obſidendi abiiceret.

TEX-

TEXTVS.

Bona igitur ciuium eſſe æqualia, eſt illud quidem nonnihil vtile ad hoc, ne inter ſe tumultuentur; ſed, vere vt dicam, non magnopere. Etenim indignentur præſtantiores, tanquam digni non æqualibus. Quare & ſæpe conſpirare & tumultuari videntur. Prӕterea hominum improbitas eſt inexplebilis: atq; bipondius quidem primo eſt ſatis; hoc autem poſtquam vſitatũ iam fuerit, ſemper plus petunt, donec ad infinitum veniant. Eſt enim infinita natura cupiditatis: huic explendæ vulgo viuunt. Talium igitur principium potius quam bona æquare, eſt natura quidem bonos tales reddere, vt ne velint iniuſta appetere: improbos vero vt ne poſſint: quod erit, ſi & imbecilliores ſint & iniuria non afficiantur.

COMMENTARII.

Ἔστι μὲν οὖν τι τῶν συμφερόντων.] Concludit diſputationem de æquatione bonorum, inculcandis & iterandis iis, quæ ſupra iam attulerat. Nam bonorũ æquationem ad ſeditiones 1.
minuendas valere quidem aliquid fortaſſe, ſed parum: propterea quod viri virtute aut facultate aliqua præſtantes eam fere ſint improbaturi, vt qui dignos ſe exiſtiment, quibus plura ſint & attribuantur bona, quam reliquæ multitudini; hinc igitur motus & ſeditiones. Vna eſt igitur hæc cauſa, cur æquatio bonorum parum valeat. Altera eſt hominum cupi- 2.
ditas, cuius naturam eſſe inexplebilem, & ſupra *in Ethic. lib. 7. & Cic. 1. paradoxo & vlt.* confirmant: adeo quidem vt etſi primo re aliqua tenui homines ſint contenti, paulatim tamen ſe proferente vtilitate plura concupiſcant, in infinitum vſque, vt ſupra *d. lib. 1. cap. 6.* vbi diuitiarum vulgarium modum docuit eſſe infinitũ; & eleganter apud *Ariſtoph.* Chremilos ſeruus ad Plutum: *σοῦ δ' ἐγένετο μεστὸς οὐδεὶς οὐδεπώποτε.* Bonorum igitur æquatio ne hac quidem de cauſa eſt ſatis, vt & ſupra cupiditates potius eſſe æquandas quam bona.

Διωβό-

διώβολον. Διωβόλια.] διώβολον & διωβόλιον duo ſunt oboli; quod verbum pro leui re & nugatoria poni ſolet. hinc & diobolares meretrices apud Feſtum. Eleganter quoque Græci rem *πάτριον.* iam vſitatam & ſolemnem vocant πάτριον.

Cupiditatum minuendarum modus. Τῶν οὖν τοιούτων ἀρχὴ μᾶλλον.] Docet, motuum minuendorum ratio & modus qui ſit optimus, nimirum non bonorum æquatio, ſed diſciplina & inſtitutio, quam facit bipartitam pro duobus hominum generibus; bonorum vnam, alteram *1. Modus.* improborum; illam mitiorem, hanc ſeueriorem. Nam hoc agendum, vt bona indole & ingenio natura præditi ita informentur & inſtituantur, ne immoderate cõcupiſcant bo- *2. Modus.* na; quæ vis & poteſtas eſt bonæ inſtitutionis. Apud improbos autem, quia bonis præceptis flecti nequeunt, vt in officio tamen contineantur, hæc ratio tenenda eſt inſignis: pri- *1. Eius pars.* mum, vt ne ad honores vel imperia tollantur, ſed in infima ſemper conditione relinquantur. Sic enim etiam volentes, tamen nocere non poterunt. quemadmodum & *Æſchines* præclare: Malam indolem maximas calamitates afferre Reipubl. imperio magno inſtructam: & contra *Plut. initio vitæ Dionis*, maximas vtilitates afferri ex coniunctione virtutis & potentiæ. Hac igitur ratione improbis via nocendi præcluditur, & ipſa quidem facultas: voluntas vero nocendi il- *2. Eius pars.* lis minuitur altera ratione, nimirum ſi iniuria non afficiantur: quia irritati ad vindictam ſe proripiant. quæ duplex ratio improbis occurrẽdi, vt inſignis, diligenter eſt retinenda.

TEXTVS.

Non recte autem & ipſam bonorum æquationem expoſuit. Nam agrorum tantum poſſeſſiones exæquat: at diuitiæ etiam in ſeruis, & pecoribus, & numis, & quæ dicitur ſuppellectilis ab inſtrumento magno. Aut igitur omnium horum æqualitas eſt quærenda, vel ordo quidam mediocris, aut omittenda omnia.

COMMENTARII.

V. Peccatum Phaleæ. Οὐ καλῶς δέ.] Aliud Phaleæ peccatum & negligentiam reprehendit, qui cum bonorum æquationem inſtituerit, partem

partem tantum eorum æquarit, agros videlicet, reliqua bona non item.

TEXTVS.

Videtur autem ex legibus ciuitatem facere paruam: ſiquidem pontifices omnes erunt publici, neq; præſtabunt complementum ciuitatis. Verum ſi eos qui communia exercent, publicos eſſe oportet, debet res eo ſe modo habere, quemadmodũ & Epidamnus Dyrrachii & olim Diophantus Athenis conſtituit. De Repub. igitur Phaleæ quidem ex his vere quis videat; ecquid bene, ecquid perperam expoſuerit.

COMMENTARII.

Φαίνεται δ' ἐκ τῆς νομοθεσίας.] Aliud Phaleæ peccatum perſtringere videtur, qui & nimis paruam ciuitatem effecerit, & alio, quam oportuerit, modo. Paruitatis argumentum ex eo Ariſtoteles capit, quod Phaleas opifices omnes tãquam publicos ſeruos eſſe velit, quique non ſint in numero ciuium. Quare certiſſime fit, cum ſemper magna opificum ſit multitudo, vt ciuium ſit exigua. Verum Ariſtoteles non tam hoc reprehendit, quam quod alium modum ſit ſecutus. Nam poſſe quidem opifices eſſe tanquam publicos, ſed eo modo, quo & ſuo tempore vtebatur ciuitas Dyrrachium & Diophantus, de quo amplius quærendum, aliquando Athenis conſtituerat: qui modus qui aut qualis fuerit, ignoro. Sepulueda exiſtimat eſſe, vt opifices tales non ſint in numero ciuium. At hoc ipſe Phaleas videtur voluiſſe: alius igitur modus quærendus eſt. VI. *Peccatum Phaleæ.*

CAPVT VI.

HVIVS capitis tres ſunt partes: quarum in prima Hippodami & vita moreſque & Reipublicæ ab eo deſcriptæ inſtituta quædam exponuntur. In ſecunda aliquot ex iis reprehenduntur. Poſtrema de legum mutatione diſſeritur.

TEXTVS.

Hippodamus vero Euryphontis filius, Mileſius,

ſius, qui & ciuitatum partitionem reperit, & Piræum deſcripſit; reliqua quoq; vita curioſior propter ambitionem, ita vt nonnullis videretur vtilius viuere tam capillorum prolixitate quam ſumptuoſo veſtis ornatu, honeſte quidem ſed callide, non hyeme tantum, verum & æſtiuis temporibus. Cum autem & in omni naturæ parte eruditus eſſe vellet, primus ex iis qui in Republ. non eſſent verſati, de optimo Reipublicæ ſtatu diſputare cepit. Inſtituit autem ciuitatem multitudine quidem decem millium, in tres vero partes diſtributam. Nam vnam quidem partem faciebat opificum, vnam vero agricolarum, tertiam vero propugnantium & arma habentium. Regionem autem in tres partes diuiſit, hanc quidem ſacram, illam vero publicam, illam denique priuatam: Sacram quidem, vnde, quæ ad Deos, caſte fierent: communem vero, vnde propugnatores ſint alendi: priuatam vero agricolarum. Putabat autem & legum tria duntaxat eſſe genera, quod de quibus iudicia fiant, tria ſint numero hæc, iniuria, damnum, mors. Conſtituit autem & tribunal vnum maximæ auctoritatis, ad quod oporteat cauſas nō recte diiudicatas omnes referri. hoc autem ex ſenibus quibuſdam ſuffragio delectis conſtituit. Iudicia autem in tribunalibus ſiue foris putabat fieri debere, non calculis; ſed tabellam quemque afferre, in eaq; inſcribere, ſi ſimpliciter condemnaret; ſi abſoluerit ſimpliciter, puram relinquere: ſi denique hoc, hoc vero non, id exprimere. Nam nunc quidem non recte conſtitutum putabat. Iudices enim neceſſario vel in his vel in illis peierare.

Scripſit

Scripſit autem legem de iis, qui rem aliquàm vtilem ciuitati inuenirent, quemadmodum honore ſint afficiendi: liberis quoque eorum qui bello perierint ex publico victũ præberi, vt quod apud alios nondum eſſet conſtitutum. Nũc autem hęc lex eſt & Athenis & aliis in ciuitatibus. Magiſtratus autem omnes ex populo ſuffragiis deligendos, populum autem faciebat tres partes ciuitatis: delectos autem curare & res communes, & peregrinorum, & pupillares. Hęc igitur pleraque quidem & commemoratu digniſſima ſunt in Hippodami deſcriptione.

COMMENTARII.

Ἱππόδαμος ὁ Εὐρυφῶντος.] Exponit initio Hippodami mores & ſtudia. Hippodamus igitur Euryphontis filius, patria Mileſius, vt alii, Thurius, Medici belli tempore Athenis in Piræo habitauit, Athenienſibus non tantum carus, ſed in ſummo quoque honore habitus, cum ob alia in eam Rempub. beneficia, tum quod rogatu Themiſtoclis, qui Piræum primus ornaſſe dicitur, vt eſt apud *Plut. in vita ipſius*, antea confuſum eleganter deſcripſerit, & in certa membra, tanquam nouam & alteram vrbem, ſit partitus: fuit enim Architectus optimus. Quare & forum quoddam in Piræo fuit Hippodamium, eius nomini & honori tributum. Neq; vero ædificandi arte contentus fuit, ſed omnes naturæ partes curioſe rimari voluit; etiam de Repub. quam tamen nunquam attigiſſet, ſcribere auſus. In victu autem & cultu paulo quoque exquiſitior & ſumptuoſior fuit. Nam & πολυφαγίας nomine male audiit, & prolixa vſus eſt cæſarie, quod ſolent homines molliores & luxu diffluentes: veſte quoque ſplendida & ſumptuoſa vtebatur, eaq; calida non hyeme tantum ſed æſtate, duplice forte vel triplice, vel pellibus ſuffulta. Hanc igitur Hippodami curioſitatem & in vita & in doctrina perſtringit hoc loco Ariſtoteles. Et hæc quidem nos de Hippodamo collegimus ex hoc loco & infra *lib. 7. cap. 11.* *Explanatore Græco Ariſtophanis in Equitibus*, ad hæc verba, *ὁ δ' ἱπποδάμου λείβεται.* *Suida* in verbo *ἱπποδαμεία ἀγορὰ*, &

Hippodami morũ ſtudiorumq; deſcriptio.

Xenophonte lib.1. ἑλληνικῶν. Quod autem *Antonius Muretus variarum lect. libr. 1. cap. 14.* Ariſtotelem falſi accuſat, qui Hippodamum calumnia potius quam vere taxet; *Victorius lib.38. variar. lect cap. 2.* recte refellit. Nam duo fuerunt Hippodami: Mileſius vnus, cuius inſtituta Reipublicæ hîc taxantur, alter Pythagoreus, cuius Reſpublica *à Stobæo cap. 43. de Repub.* commemoratur.

Καὶ τὸν πειραιᾶ κατέτεμε.] Verbum κατατέμνειν nunc valet in partes ſecare, nunc diſtinguere: quorum hoc ex illo manat: quare & hîc verti, *deſcripſit*, id eſt, in certa membra & partes totum Piræum antea confuſum diſtribuit & diſpoſuit. Sic & infra *lib.7. cap.11.* Hippodamiam ædificandi rationem vocat εὔτομον, quaſi eleganter ſectam & diſpoſitam. Alii interpretes vertunt, *incidit, abſcidit, ſeiunxit*, quod hanc continet ſententiam, Piræum, antea cum vrbe & aſtu coniunctũ & confuſum, Hippodami opera diuiſum fuiſſe. Nam & *Plut. in Themiſtocle* ait, Themiſtoclem, quem Hippodami opera vſum diximus, Piræum ab Aſtu diſcluſiſſe.

Καὶ κόσμῳ πολυτελεῖ.] Hæc verba vulgo ad capillos accommodantur tanquam Hippodami capilli & prolixi fuerint & ſplendide ornati, cicadis forte aureis, vt olim ſolent Athenienſes, verum quia articuli, ἔτι δὲ, abſunt à melioribus libris, & ornatus ille iam deſierat, illud denique, τριχῶν τε, propter particulam, τε, vnum tantum de capillis, nimirum prolixitatem, ſignificat (nam alioqui diceret τριχῶν πλήθει τε καὶ κόσμῳ.) poſtremo, quia alioqui ſatis dure verbũ, κόσμῳ, trahendũ ſit rurſum ad verbum, ἐσθῆτος: hac igitur de cauſa hæc verba potius ad ἐσθῆτος, quam ad τριχῶν accommodanda videntur, in dictis articulis, ἔτι δὲ.

Εὐτελοῦς μ.] Sic quidem omnes libri, inquit Sepulueda: ſed legendum, εὐτελοῦς. Nam εὐτελὲς eſt vile, nugatorium ſeu leue: veriſimile autem non eſt, Hippodamum cætero corporis ornatu ſumptuoſum, veſte tamen viliore eſſe vſum: niſi & hac in re noui aliquid quæſiuit.

Hippodamea Reip. deſcriptio. Κατεσκεύαζε δὲ τὴν πόλιν.] Exponit Hippodameam Reipublicæ deſcriptionem, eiuſq; inſtituta nouem, vt memoratu digniora: primum eſt hoc.

Agrorum diſtributio. Διῄρει δὲ εἰς τρία μέρη.] Hæc trimembris partitio in ſacrum publicum, & priuatum eſt digna obſeruatu. Nam & Ius Romanum ita diuiſum fuiſſe ait *Quinctil. lib.2. cap.4. &*

Auſon.

Auſon. Ius triplex, inqt, Tabulę, quod ter ſanxere quaternæ: Sacrum & priuatum, & populi commune quod vſquam eſt. Sic & *Cic. in opere de legib.* primo, de Iure ſacrorum, ſecundo de Iure publico magiſtratuum, tertio de Iure priuato contractuum & iudiciorum. Sic & *Cornel. Nepos in vita Themiſtoclis*: Neque vlli loco parcerent, ſiue ſacer, ſiue priuatus eſſet, ſiue publicus. Sic ibi legendum ex veteribus libris.

Περὶ ὧν γὰρ αἱ δίκαι γίνονται.] Et hæc partitio eſt obſeruatu digna, qua iudicia de tribus tantum rebus fieri ait, de damno, de iniuria ſeu contumelia, & morte. Cuius partitionis hæc eſt ratio, quod vel in bonis, vel in corpore, vel deniq; in exiſtimatione & fama quis læditur. Hinc tria fere pœnarum genera; mulcta, ignominia, & mors: ad quam pertinent & aliæ corporis pœnæ, verbera, fuſtes, & præciſio manus. *Iudiciorum diuiſio.*

Ἐνομοθέτει δὲ.] Et hoc inſtitutum iudiciorum de ſummo maximæque auctoritatis vno conſtituendo tribunali, iudicio ſeu foro, ad quod à reliquis minoribus fuit prouocatio, vel appellatio, vt ſapiens & bonum, non reprehendit Ariſtoteles, hodieq; eo pleræque gentes vtuntur. *Tribunal ſummum.*

Τὰς δὲ κρίσεις.] Sextum Hippodami inſtitutum item iudiciarium, hoc eſt, nō eſſe calculis ferendam ſententiam duobus, vno cauo, altero ſolido, vt in Græcia tum erat ſolemne; ſed potius tabellis, non duabus, ſed tribus, quarum in vna ſcribatur condemnatio, in altera nihil, in tertia moderatio ſeu temperatio. Quemadmodum & Romæ in vna inſcribebatur C. in altera A. in tertia N. L. in grauioribus cauſis, *teſte Aſconio in Diuinationem Cic* Hanc autem rationem tabellariam altera eſſe meliorē Hippodamus docebat hac ratione, quod altera eſſet periurii cauſa, vbi duo duntaxat ſint calculi. Quid enim ſi centum petantur Minæ, ſiquidem pateat totidem deberi, aut nihil deberi; iam vtiles poterunt eſſe calculi. Sed ſi neque nil neq; tantum debeatur, quis hic erit calculus? vtrumuis proferat iudex, peierabit. Nam iudex olim hodieq; iuratus iudicat. *Calculi.* *Ratio.*

Καὶ τοῖς παισὶ.] Octauum hoc Hippodami inſtitutum de alendis publice bello interfectorum liberis, vt præclarum, non reprehendit Ariſtot. hoc tantum ait, etiam Athenis aliiſque ciuitatibus, ſi non tempore Hippodami, certe ſuo iam fuiſſe receptum, quod laudat & *Pericles in oratione funebri extrema apud Thucyd. lib. 2. & Cic. Ro. 14. Philip.* Victus au- *VIII. Inſtitutū.*

tem hic publicus præbebatur in Prytaneo. *Cic. lib. 1. de Orat. & Pollux lib. 8.*

TEXTVS.

Et primum quidem multitudinis ciuium diuiſionem in controuerſiam quis vocet? Nam & opifices, & agricolæ & arma habentes Reipub. ſunt omnes participes. Nam agricolæ quidem arma non habent, opifices vero neq; agrum neq; arma, quare arma habẽtium ſerui fere fiunt. Honorum igitur omnium quidem eos eſſe participes, eſt nefas. Nam ex habentibus arma neceſſe eſt conſtitui & Imperatores & politophylaces, & ſummos magiſtratus vt ita dicam: non participes vero Reip. quî fieri poteſt, bene in Rempublicam eſſe affectos. Verum arma habentes neceſſè eſt vtraque parte eſſe potentiores. Hoc autem difficile eſt, niſi ſint multi. At hoc ſi erit, cur alios oportet Reipublicæ eſſe participes & creationis magiſtratuum Dominos. Præterea agricolæ qua in re ciuitati ſunt vtiles. Nam opifices quidem vt ſint, neceſſe eſt. Omnis enim ciuitas opificibus opus habet, & ex arte ſuſtentari poſſunt, vt in aliis ciuitatibus. Agricolæ vero, victum quidem arma tenẽtibus parantes, merito pars aliqua ſint ciuitatis: nunc vero propriũ habent, & hunc priuatim colent. Præterea communem, vnde propugnantes ſunt victum habituri, vel habebunt, ſi ipſi quidem colent, non erit alia pars militaris & ruſtica. At vult legum ſcriptor. Si vero alii quidam erunt priuata colentes & militares. Hæc igitur quarta erit ciuitatis pars, nullius particeps, ſed & à Reip. ſeiuncta. Quod ſi eoſdem quis ponet & proprium & com-

munem colentes; & fructuum minor erit copia, vnde duas domos quiſque ſuſtentet, cum inquam & cur non ſtatim de agro & ipſis ſortibus & victum ſument ſibi ipſi, & parabunt militaribus. Hæc igitur omnia valde ſunt perturbata.

COMMENTARII.

Ἀπορήσειε δ' ἄν τις.] Ex nouem Hippodami inſtitutis Ariſtoteles quatuor refellit, ſecundum, tertium, ſextum, & vltimum: ex quibus tria, ſecundum, tertium & vltimum, vno eodemque contextu: Nam reprehenſio fere eſt triplex: prima eſt de partibus ciuitatis, earumq; ſortibus, ſeu agrorum partibus. Quod igitur Hippodamus tres fecit ciuitatis partes, agricolas, opifices, & milites: vitioſum eſſe docet; docet, inquam, perperam feciſſe Hippodamum, qui agricolas quoque & opifices ciuitatis fecerit partes & honorum Reipublicæ participes. Nam vel omnium ſint participes, vel nullius, vel quorundam, neceſſe eſt: vt omnium, eſt ἀδύνατον: Maiores namq; magiſtratus, vt belli prætura, conſulatus, cenſura, non ſolent mandari infimis hominibus, iis præſertim, qui nullam rei militaris habeant peritiam. In his maioribus fuerant quidam πολιτοφύλακες ab ipſo Hippodamo fortaſſe dicti. Vt nullius, res eſt periculoſa & ad ſeditiones opportuna. Nam qui ſunt ciues, ab omnibus honoribus ſe excludi, grauiter ferunt. Et hoc eſt quod ait, μὴ μετέχοντας δὲ τῆς πολιτείας. Reliquum eſt, vt quorundam ſint participes, minorum fortaſſe magiſtratuum. Sed ne hoc quidem Hippodamo dari poteſt: qui quia agricolas armis, opifices & armis & agro orbarit, reliquorum militum tanquam ſeruos effecerit: atque ita ad nullum vnquam magiſtratum, niſi pro libidine & arbitratu militum, aſpirare poſſunt. Perperam igitur Hippodamus eos ciuitatis partes fecit qui ad honores peruenire non poſſunt, cum honorum participatio ſit vel maxima veri ciuis nota, infra *lib.3.cap.1.*

Secundi inſtituti refutatio.

1. Membrum.

2. Membrum.

3. Membrum.

Ἀλλὰ δεῖ κρείττους εἶναι.] Modo refellit ſecundum eius inſtitutum, nunc vltimum, quo creationem magiſtratuū Hippodamus vniuerſo populo voluit eſſe cōmunem. Nam hoc vt vanum & ſuperuacaneū eſſe docet hac ratione, quod totam Rempublicam neceſſe ſit eſſe in poteſtate militum. For-

IX. *Inſtituti refutatio.*

mula: Si tertius militum ordo reliquis duobus opificum & agricolarum neceſſario viribus præſtat: Ergo fruſtra creatio magiſtratuum reliquis duobus communicatur. Connexi ratio: quia cum viribus ſint ſuperiores milites, reliqui nihil poterunt vel audebunt citra illorum conſenſum. Milites autem viribus ſuperiores, & multitudine præſtare debere, ex eo intelligitur, quod tota Reipublicæ cuſtodia & ſalus in his ſit poſita tam ad compeſcendos motus inteſtinos, quam hoſtibus externis occurrendum.

2. Argumentũ aduerſus 2. inſtitutũ.

Ἔτι οἱ.] Alio argumento eandem ciuium partitionem refellit, quod videlicet agricolarum horum in ciuitate nullus ſit vſus. Nam milites quidem ciuitati eſſe vtiles, vt eius cuſtodes & defenſores, perſpicuum eſt. Opifices quoq; Reipublicæ eſſe vtiles & neceſſarios ex eorum operibus, queis ſine vita humana conſiſtere nequeat, intelligitur: ex quibus ipſis operibus victum ſibi comparare ſolent. Agricolæ autem poſſent quidem & illi eſſe vtiles, ſi militibus victũ ſuppeditarent (nam opifices ex arte ſua viuunt.) Verum Hippodamus eos voluit ſuos priuatim agros ſibi habere, eoſq; colere; non, inquam, militibus, ſed ſibi. Quare agricolæ cum neque arte, neq; conſilio, vel cuſtodia, neque fructibus quicquam Reipublicæ conferant; relinquitur eos plane eſſe inutiles.

III. Inſtituti refutatio.

Ἔτι δὲ χώραν.] Tertium Hippodami inſtitutum de agri partitione, priori ciuium partitioni trimembri accommodata, vt confuſum & inexplicabile, reprehendit. Nam omiſſis reliquis duabus partibus, ſacra & priuata, ſola publica agri pars multum habet difficultatis, ex qua milites ali voluit. Difficultas in hoc eſt poſita, quod, agrum illum publicum quis colere debeat, non reperitur. Nam, vel ipſi milites vel alii vt eum colant, neceſſe eſt. Si milites, ergo iidem & milites erunt & agricolæ, contra ipſius Hippodami conſilium & inſtitutum. Si alii, tum vel agricolæ, vel alii aliqui: nam opifices huic rei vacare non poſſunt. Si igitur alii aliqui, i. neq; milites, neque opifices, neq; agricolæ; efficitur quarta quædam pars ciuitatis, eaque & ſine agri parte, & omnium Reipublicæ honorum & partium plane expers, item cõtra Hippodami conſilium, qui tres duntaxat partes conſtituit. Reliqui igitur ſunt agricolæ, qui hos publicos quoque agros colant. Atque hinc quoque duo exſiſtere incõmoda ſeu potius

tius vnum incommodum & alterum abſurdum oſtendit; ſi, inquam, agricolæ & ſuos priuatos & publicos militum agros colere debeant. Nam cum numero ſint pauciores, quî tantum agri bene & vtiliter colere poſſint: Et hinc agri non bene culti fructus non ſunt reddituri copioſos, pares, inquam, alendis duabus familiis, vna cuiuſque ſua, altera militis: incommodum profecto hoc erit maximum, quod tantum non ſit fructuum, vnde & ſuam quiſque familiam & militis vnius ſuſtentet. Sic enim hæc verba, τό τε πλῆθος ἄπορον, vt vulgo, intelligenda puto. Sepulueda aliter: Si agricolæ, inquit, & ſuum & militarem colant agrum, fructus ſuorum, id eſt, priuatorum, agrorum non erunt ſatis alendæ ruſticorum bipartitæ multitudini ad binos fundos colendos neceſſariæ. Nam δύο οἰκίας, duas ruſticorum familias ſeu multitudinem duplicem intelligit: nos duas domos, vnam ruſtici, alteram militis: quod & poſtulat verbum γεωργήσει, & quæ ſequuntur, αὐτοῖς τε καὶ τοῖς μαχίμοις. Hoc igitur eſt incommodum. Abſurdum eſt iſtud, quod ſi agricolæ & ſuos & militum agros colere debeant, exq; iis & ſe & milites alere: perinde efficitur, atq; ſi nulla ab initio diſtinctio agrorum & ruſticorum & militarium eſſet facta: Cur, inquit, igitur diſtinxit agros, & non potius vtrumq; ruſticis ſolis ab initio attribuit, ex quo & ſe & milites alant?

Incommodum.

Interpretatio Sepulueda.

Refutatio.

Abſurdū.

TEXTVS.

Lex autem de iudicio non recte ſe habet, eo quod vult iudicē diuidere iudicio ſimpliciter dictato & ex iudice fieri arbitrum. hoc autem in arbitro quidem & pluribus accidit. nam de iudiciis inter ſe conferunt: in iudiciis vero non item. Sed & contrarium huic plerique legum ſcriptores curant, vt ne iudices inter ſe conferant. Præterea, quomodo iudicium non erit perturbatum, cum iudex quidem deberi cenſeat, non tantum vero quantum actor. Nam hic quidem viginti minas, iudex vero decem minis iudicat, vel hic quidem plus, ille vero minus, alius vero quinque, hic vero

quatuor. Et hoc igitur modo vtique diuident: hi vero de omnibus cõdemnabunt, illi vero de nulla re. Quis igitur erit modus dinumerationis ſententiarum. Præterea vero nemo peierare cogit ſimpliciter abſoluentem aut condemnantem: ſiquidem actio ſimpliciter intenta eſt iniuſte. Nam qui abſoluerit, non iudicat nihil deberi, ſed viginti minas: ille potius peierat, qui cum viginti minas non deberi exiſtimet, condemnet.

COMMENTARII.

VI. *Inſtituti refutatió.* *1. Ratio.* *Οὐ καλῶς δ' οὐδὲ περὶ τῆς κρίσεως.*] Sextum Hippodami inſtitutum de iudiciis, de tertia videlicet tabella moderatrice, refellit duobus argumentis. Prius eſt, quia hac ratione fiat, vt nullum ſit inter iudicem & arbitrum diſcrimen, quos inter tamen cum alia multa ſunt diſcrimina, tum hoc non exiguum, quod arbitri inter ſe communicent & conferant, & quaſi de communi conſilio tandem aliquid ſtatuant. Iudicum alia eſt ratio, qui ſeparatim quiſque, quod ſibi videatur, non collatis capitibus, definire ſolent. Quod quidem præceptum iudiciarium optimos quoſque legum ſcriptores ſeruare & vrgere ait, vt ne iudices conferant capita. De diuidendis ſententiis, id eſt, ne, dum lis ſimpliciter, abſolute & præciſe eſt compoſita, alius Iudex alteri dicat, moderandam eſſe petitionem, neque tantum actori ad iudicandum, quantum petiuerit: quod arbitrorum eſt officium, vt eſt apud *Ciceronem in Roſciana.* *2. Ratio.* Alterum argumentum, quia hæc Hippodamea ratio valde ſit confuſa & perturbata. Nam ſi hoc Iudicibus licebit, à petitione, inquam, diſcedere, alius aliud iudicabit; verbi gratia, ſi viginti minæ petantur, & liberum erit Iudici, quantum ipſi videbitur, decernere, alius fortaſſe quinque minas, alius decem, alius quindecim, alius quinquaginta adiudicabit: quæ certe eſt magna ſententiarum varietas & perturbatio. Rectius igitur & Iuriſconſulti grauiter monent, vt actionem ſequatur Iudex, præterquam in actionibus bonæ fidei & arbitrariis, vt quæ arbitriis valde ſint ſimiles, *l. vt fundus, ff. communi diuidundo.*

Ἔτι δ' οὐδεὶς ἐπιορκ.] Docet, metũ periurii, quæ fuit cauſa Hippo-

Hippodamo noui huius inſtituti, eſſe inanem. Nam Hippodamus, petitis x x. minis (verbi gratia) neque tamen niſi x v. debitis, Iudicem, ſi totius ſummæ petitæ condemnaret, aut prorſus abſolueret, fore periurum: quare melius eum eſſe facturum, ſi ſententiam diuideret & moderaretur. Ariſtoteles iudicem in hac cauſa prorſus abſoluere poſſe, ſine vllo periurij metu, ait. Quid ita? Neque enim, qui ita abſoluit, continuo cenſeri debet ita exiſtimare, quaſi nihil prorſus debeatur, ſed ita potius, quia xx. illæ minæ, id eſt, quod petitum eſt, non debeatur. Iudex ad petitionem ſe refert ſententia ferenda non ad veritatem. Verum ſi condemnaret xx. minis, ſciens non deberi niſi xv. peieraret.

Refutatio eius cauſa, quam Hippodamus attulit.

TEXTVS.

De eo autem quod iis, qui ciuitati vtile quid reperiunt, præmium aliquod eſſe oporteat, non eſt tutum conſtituere, ſed audire tantum ſpecioſum. Continet enim, ſi ita res ferat, calumnias & mutationes Reipublicæ. Incidit autem in aliam diſputationem & quæſtionem aliam. Quærunt enim quidam, vtrum pernicioſum an ſit vtile ciuitatibus, leges patrias mutare, ſi qua alia ſit melior. Quare non eſt facile ei, quod modo allatum eſt, ſtatim concedere, ſiquidem non conducit mutare. Fit autem vt quidam legum aut Reipublicæ mutationem afferant, vt bonum commune.

COMMENTARII.

Περὶ δὲ τοῦ τοῖς εὑρίσκουσι.] Septimum Hippodami inſtitutum de præmio ſalutare aliquod inſtitutum, & Reipublicæ vtile inuenientibus conſtituendo. Quod inſtitutum Ariſtoteles ſpecioſum quidem eſſe ait: propterea quod, vt præmia bene merentibus eſſe ſolent, ita & hic præmia decernantur boni aliquid inuenientibus. In eo quoque ſpecioſum eſt, quod contineri eo videatur ſumma Reipublicæ cura. Simile eſt inſtitutum, ſed in re turpi, Xerxis de noua voluptate, & Noribergenſium de opificiis. Præclara igitur huius inſtituti eſt ſpecies, ſed idem periculi plenum, quod ad Reipublicæ

VII. *Hippodami inſtitutum.*

Reprehenſio

mutationem ſpectare, & occaſionem præbere videatur etiam calumniarum. Calumniarum quidem in accuſandis veteribus inſtitutis, & reprehendendis nouis, vt olim innumerabiles aduerſus legum nouatores ſolent eſſe ſycophantiæ, vt eſt apud Demoſthenem & Æſchinem. Occaſionem autem mutandæ Reipubl. hoc inſtituto contineri, eſt perſpicuum: quia præmium conſtituatur noua inſtituta inuenientibus. Nam his nouis ſi ſit locus, vetera vt abrogentur, neceſſe eſt. At quam periculoſa ſit veterum inſtitutorum & legum moriſque maiorum mutatio, notum eſt: etſi hęc quoque quæſtio ſeu locus de mutatione legum & inſtitutorum eſt controuerſa, an Reipub. vtilis ſit, nec ne? Quare Ariſtoteles quæſtionem de hoc inſtituto incurrere ait in alteram de legum mutatione quæſtionem: adeo, vt, ſi legum mutatio ſit & ponatur Reipubl. inutilis, efficiatur, & hoc inſtitutum eſſe pernicioſum, vt quod ad mutationem viam muniat.

TEXTVS.

Quia autem mentionem fecimus; melius etiam pauca de hoc conſulere. Nam, vt diximus, controuerſum eſt ſeu quæri ſolet. Atque melius videatur eſſe, mutare. Siquidem aliis artibus hoc profuit, vt ars medēdi de vſitatis mota, & gymnaſtica, & omnino artes omnes & facultates: vt, quia & Politica harum vna eſt conſtituenda, certe & in ea item ſe habere ſit neceſſe. Dicat autem quis, ipſis in rebus argumentum exſtitiſſe. Nam priſca inſtituta valde eſſe ſtulta & barbarica. Etenim Græci cum ferro procedebant, & vxores alter ab altero emebant, & quæ reliqua ſunt ex priſcis inſtitutis, prorſus ſunt ſtulta: vt Cumis de cædibus lex eſt, ſi accuſator teſtium multitudinem aliquam adducat de ſuis cognatis, accuſatum cædis eſſe reum. Omnes autem omnino quærunt, non quod vſitatum, ſed quod bonum. Probabile quoque eſt, primos

primos homines, ſiue de terra exortos, ſiue ex internecione aliqua ſeruatos, ſimiles eſſe & vulgares & ſtultos, vt & de terra natis fertur; quare in horum decretis manere abſurdum. Ad hæc autem ne ſcriptas quidem leges melius ſinere immotas. Nam vt aliis quoque in artibus, & in politica deſcriptione fieri non poteſt, vt omnia exquiſite ſcribantur. Vniuerſe namque ſcribi neceſſe eſt: actiones autem ſunt in rebus ſingulis. His igitur perſpicuum leges eſſe mutandas, quas & quando. Verum aliter intuentibus videatur opus eſſe magna religione. Nam vbi quod melius quidem fuerit exiguum, conſuefacere vero ad leges tollēdas, graue: perſpicuum eſt, concedenda eſſe peccata quædam & legum ſcriptorum & magiſtratuum. Neque enim is, qui mutarit, tantum proderit, quantum nocebit aſſuefactus imperantibus non parere. Exemplum autem de artibus falſum quoque eſt. Neque enim ſimile eſt mutare artem & legem. Nam lex ne vllam quidem firmitatem habet, vt ei pareatur, præterquam ab vſu. Hic autem non eſt niſi ex longo tempore. Quare facile mutare leges receptas in alias nouas leges, eſt legis vim & poteſtatem reddere infirmam. Præterea vt ſit mutandum, vtrum & omnes & in omni Rep. nec ne; & vtrum cuilibet, aut quibus: nam inter hæc plurimum intereſt.

COMMENTARII.

Ἐπεὶ δὲ πεποιήμεθα.] Locus de legum & inſtitutorū mutationibus inſignis hîc attingitur: de quo & *Plato lib 6. de legib. Iſocr. ad Nicoc. fere initio τ̃ παραγγελμάτων*, &c. *Syracus cap. 13. Demoſth. aduerſus Dynocratem*, vbi de præclara Locrenſium lege. *Iuriſconſulti ſub tit. de legib. l. non omnium*, & *l & ideo*,

Digreſſio de legum mutatione.

l. & ideo, l. minime, & in l. conſuetu. C. eod. Liuius lib. 34. in pr. In orationib. Catonis coſ. & Valerij Tr. pl. Eodē pertinet & dictum Cleonis apud *Thucyd. lib.* 3. de quo paulo infra. Hoc autem loco in vtramq; partem diſputatur de legum & morum mutatione. Cuius tamen diſputationis concluſio & ſumma hæc eſt, nullas leges ſiue ſcriptas, ſiue non ſcriptas, quæ inſtituta & mores dicuntur, etiam quæ leui incommodo & malo laborent, eſſe mutandas vel abrogandas, præter leges perſpicue barbaras & ſtolidas.

Sūma huius diſputationis.

Καὶ δόξειεν ἂν βέλτιον εἶναι.] Quatuor affert argumenta, quibus mutatio legum non ſcriptarum ſeu moris maiorum, & ſcriptarum; & vnum, quo præcipue legum ſcriptarum mutatio commendari & probanda eſſe videatur. Primum argumentum eſt ab artium ſimilitudine ductum, qui locus de artium & ſcientiarum progreſſu & in meliorem ſtatum, adque adeo ad ſummum perductione item eſt memorabilis, de quo & *Plato in Hippia maiore*, & ſupra *Ariſtot. lib. 1. Ethic. cap 7. in fin.* & idem apud *Cic. 3. Tuſcul.* Itaque Ariſtoteles veteres Philoſophos accuſans, &c. *& Lucret. lib. 5.* extremo, vbi hæc eſt clauſula: Namque aliud ex alio clareſcere corde videbant, Artibus ad ſummum donec venere cacumen. Sic igitur concludit Ariſtoteles: Artibus omnibus mutatio proceſſit in melius, ergo & politicę: vtpote quæ & ipſa in artium ſit numero. Ergo & inſtituta politica paulatim mutata erunt meliora.

1. Argum. κατασκευαστικόν.

Σημεῖον δ' ἄν.] Alterum argumentum ſeu prioris potius exemplum, quo non tam ratione ſeu argumentatione, quam rebus ipſis & factis docet, mutationem eſſe vtilem. Nam vetera quædam inſtituta, vt ſtultiora & abſurdiora & barbariem redolentia, iam vſu ipſo abrogata deſiiſſe: atque adeo omnia fere inſtituta priſca ſtolidiora fuiſſe. Eſt autem hic locus de antiquis Græcorum inſtitutis ſimplicioribus & barbariem redolentibus ſumptus, ni fallor, ex *Thucyd. lib. 1.* quo modo & Romanorum quædam inſtituta ſeu leges XII. Tabularum Philoſophus Phauorinus reprehendit apud *Gell. lib. 20. cap. 1.* Ariſtoteles tria eius generis inſtituta hîc commemorat. Primum eſt, quo Græcos veteres ferro ſeu gladio accinctos procedere ſolitos ait, quem morem *Thucyd.* primos Athenienſes abieciſſe ait, *lib. 1. de morib. vet.* Alterum inſtitutum eſt vxorum inter ſe emptio, quod & Romæ in vſu

2. Argum. κατασκευαστικόν.

1. Exempl.

2. Exempl.

vſu fuit, hinc coemptio & coemptionales ſenes *Cicero in Mureniana & in Top.* & apud Perſas apud *Herodotum.* Et hæc quidem duo inſtituta erant communia. Tertium Cumarum proprium, de teſtimonio in cæde: quod quidem inſtitutum non immerito Ariſtoteles, vt ſtultum, reprehendit, vt quo cædis reus damnetur aliquis teſtimonio domeſtico, cuius nulla debuerat eſſe auctoritas, §. *teſtes autem, de teſta. ordinand.* *3. Exempl.*

Ζητοῦσι δ᾽ ὅλως] Tertium argumētum ab hominum ſtudio & natura ſumptum. Neque enim homines tam recepta & vſitata, quam ea quæ ſunt bona, expetere: nam hanc eſſe boni naturam, ſupra explicauimus *initio lib. 1. Ethic.* Si igitur bona potius, quam vſitata, ſint expetenda: Ergo & inſtituta etiam vſitatis meliora ſunt anteponenda. Etſi Herodotus ſuæ cuique patriæ mores & inſtituta chariſſima eſſe ait. *3. Argum, κατασκευαστικὸν.*

Εἰκὸς δὲ τοὺς πρώτους.] Quartum argumentum ſeu potius tertij confirmatio. Docet enim, prima inſtituta non ſatis accurata & bona, ſed ſtultiora fuiſſe, vt ab hominibus ſimplicibus & indoctis profecta. Priſcos namque homines pene, vt ſtultos & inſipientes, reprehendimus & minus ſimplices. Si igitur inſtituta ſunt hæc vetera à primis illis inuenta, & proinde ſtultiora: abſurdum ſit, ea, tanquam ſacroſancta, perpetuo ſeruari, & eorum hominum decretis ſemper acquieſcere. Meminit autem hìc primorum hominum, quod tamē Ariſtotelicæ rationi repugnare videatur, qui cum aliis in locis, tum maxime *lib. 8. Phyſicæ Acroaſews*, nullum mundi & animantium ortum eſſe voluit. Primos homines igitur vocat eos, qui poſt communem aliquam internecionem, vel ex terræ motu, vel ex incendio, vel ex eluuione facta ſalui remanſerint, & ex iis ſint nati, vel ex terra ipſa ſint editi. Quem hominum & animalium ortum quoſdam probaſſe memorat *de ortu animantium extremo*, in quibus poſtea fuerunt & Epicuræi. *Lucret. lib. 5.* *4. Argum. κατασκευαστικὸν.*

πρὸς δὲ τούτοις.] Quintum argumētum ſcriptarum legum proprium, quo has quoque interdum mutandas eſſe docet: propterea quod ſcriptis legibus omnia comprehendi non poſſint. Cur autem non poſſint, hæc eſt ratio: quia leges ferantur vniuerſe, & quidem de actionibus humanis; quas conſtat eſſe ex numero rerum ſingularium, & proinde infinitas, ſupra *lib. 2. Ethic. cap. 2. in princ.* Legibus igitur omnia com- *5. Argum. κατασκευαστικὸν.*

comprehendi non poſſint exemplo cæterarum artium: quarum præcepta, cum & ipſa ſint generalia, multæ quoque res ſingulæ effugiunt. Quare cum legibus omnes cauſæ contineri & definiri nequeant, ratio poſtulat vt in cauſis non definitis, vel ob has ipſas, leges interdum vel nouæ ferantur, vel veteres mutentur. Quod idem fere fit, vbi ius ſummum & ſtrictum æquitati concedere cogitur, ſupra *libro 5. Ethicor. extremo.*

Argument. ἀνασκευαστικόν. Ἄλλον δὲ τρόπον.] Nunc contra legum mutationem: quam docet difficilime permittendam hac vna ratione, quod mutatio legum crebra ciues reddat legibus & magiſtratibus inobedientiores: atque adeo, quod legum mutatio robur, vimque & poteſtatem legum infringat, & leges, tanquam irritas, contemptiores reddat. *1. Exemplū.* Quamobrem & plæræque ciuitates legum mutationem grauiter abhorruerunt, vt Sparta inprimis ſuis legibus & inſtitutis quam diutiſſime vſa iiſdem; vbi & Pauſanias quærenti, cur antiquis moribus viuerent Spartani, reſpondit, quod Spartæ leges viris, non legibus dominentur viri: vt eſt apud *Plut. in Laconicis apophthegmatibus.* *2. Exempl.* De Locris quoque ſupra *ex Demoſthen.* Hinc & *Ennius:*

Moribus antiquis res ſtat Romana viriſq;.

Etſi Romani propter imperii forte magnitudinem & crebram ſtatus mutationem hac in re videntur fuiſſe leuiores. Iuriſconſulti tamen diligenter monent, nihil temere mutandum ex ſolemnibus, hoc eſt, ex receptis & prioribus, vt vulgo dicimus, non mutanda, quæ certam interpretationem ſemper habuerint. Quare ne rationes quidem legum & inſtitutorum veterum ſemper exquirendas, *l. non omnia, & l. minime, de legib.* Quod idem & Plato vetat *lib. 3 de legib & lib. 6.* legum, inquam, mutationem.

Quādo ſint mutāda leges. Ὅταν γὰρ τὸ μὲν βέλτιον.] Inſignis hic eſt locus de legum vitiis, ſeu de peccatis legumlatorum & magiſtratuum: ea ſi ſint parua, eſſe diſſimulanda. Nam præſtare ciues iiſdem contineri legibus, etiam nonnihil vitioſis, quam ſtatim propter exigua vitia mutandis legibus eos mutationi aſſuefieri, & proinde inobedientiæ; quemadmodum Cleo Demagogus Athenienſis in concione ad pop. apud *Thucyd. lib. 3.* πάντων δὲ δεινότατον: omnium, inquit, grauiſſimum, nihil apud nos eorum, quæ ſemel decreta ſint, firmum manere: præſertim quos

quos ignorare non oportuerit, melius agi cum ea ciuitate, quæ legibus, deterioribus illis quidem, ſed firmis & immutabilibus, vtatur, quem quæ melioribus & irritis. Et hunc quidem locum, vt diuinum, valde admiratur *Philippus in notis ad hunc locum.* Vitiorum autem paruitatem & magnitudinem hîc Philippus æſtimat pro diſcrimine iuris ciuilis & naturalis, vt ſi qua ſint vitia rationi & iuri naturali repugnātia, ea non ſint diſſimulanda.

ψεῦδ☉ δὲ καὶ τὸ] Refellit ſimilitudinem ab artibus ſumptam, qua confirmari videatur mutatio legum. Ait namque, eam eſſe captioſam, quod inter leges ſeu politicam & reliquas artes magna ſit diſſimilitudo; hæc videlicet, quia reliquarum artium firmitas & fides ſuis ipſarum præceptis contineatur; Legum firmitas non tam ipſis literis vel ſcripto, ſed vſu poſtea conſiſtat. Et hic quoque inſignis eſt locus de legum firmamento, vſu. De quo & *Iuſtin. Imp. No. 40. & Iulianus Iuriſc. l. de quib. & Paulus l. imo, ff. de legib.* *Liuius lib. 34. de Lege Oppia,* quam vſu tot annorum & experiendo comprobaſtis, hāc vt abrogetis, hoc eſt, vt, vnam tollēdo legem, reliquas infirmetis, &c. quo pertinet & Solonis dictum, qui roganti quæ leges ipſi viderentur optimæ, hæ, inquit, quibus populus vtitur.

Refutatio ſimilitudinis ſup. primo argumēto allata.

Ἔπι δὲ καὶ] Diſputationis de legum mutatione, quia multa ſunt capita, primum an ſint mutandæ, de quo iam explicatum: deinde quæ, & de hoc dictum: deinde an omnes: præterea an peræque in omni Repub. Nam facilius in Regno, quam in politia, legum mutatio eſt permittenda: præterea an cuilibet poteſtas ſit permittenda nouæ legis ferendæ: qua in re magna erat licentia Athenis, & apud hunc Hippodamum. Romę certis tantum magiſtratibus. Poſtremo quibus, ſi certis tantum magiſtratibus, vt Romæ. Quia igitur multa de hac re ſunt capita, & late patet diſputatio; eam reiicit in aliud tempus.

Reliqua huius diſputationis capita.

CAPVT VII.

DE Repub. Lacedæmoniorum, habita eo tempore laudatiſſima, explanat hoc capite, eiuſque vitia 16. oſtendit: quæ diſputatio vt intelligatur, operæpretium erit videre *Xenophontem in libello de Repub. Lacedæmoniorum, Plutarchum in Lycurgo, Herodotum quoque, Thucydidem & Athenæum*

naum multis in locis, & Platonem in libris de legibus, & Pauſaniam in Laconicis.

TEXTVS.

De Lacedæmoniorum Repub. & Cretum, atque de aliis fere Rebuſpublicis duæ ſunt quæſtiones: vna quidem, ſi quid bene vel perperam ad optimam rationem ſit conſtitutum: altera vero, ſi quid ad conſilium & modum contra propoſitam ipſis Rempublicam.

COMMENTARII.

Præceptum generale ad omniũ Rerump. inſtituta examinanda.

Περὶ δὲ τῆς.] Priuſquam vitia Reipublicæ Spartanæ refellit, præceptum affert commune & inſigne de rebus ijs, quæ in quaque ciuitate ſint ſpectandæ & exquirendæ. Huic loco ſimilis eſt alter, infra *lib. 7. cap. 11.* vbi in omnibus rebus & artibus duo quoque videnda eſſe ait; finem, & ea quæ ad finẽ. Ad eundem modum & hic duo eſſe ait, quorum in omni
1. Republ. ſit habenda ratio, & de quibus quæri debeat. Quorum hoc eſt prius, vt videamus, ecqua huius vel illius ciuitatis inſtituta optimo Reipublicę generi ſeu ſtatui conſentiant
2. vel repugnent: alterum, ecqua non iam optimæ formæ, ſed ſuæ conſentiant vel repugnent. Nam duo hæc ſunt ſemper ſpectanda; forma optima ſeu prima, & à nobis inſtituta. Neque enim etſi omnes optimam formam expetunt, tamen eam aſſequuntur, vel quia non poſſint, vel quia non norint. Ariſtoteles igitur docet, Spartanam Rempublicam non tantum non eſſe optimam, ſeu diſceſſiſſe ab optima; ſed ſuæ quoque rationi contraria quædam habere inſtituta, quemadmodum & Cicero ſæpe Epicureos docet non tantum ab optimo ſcopo aberraſſe, ſed etiam à ſuo, quod idem & Ariſtoteles in Platone ſupra reprehendit.

TEXTVS.

Reipublicæ igitur bene ſe habituræ immunitatem quidem operum neceſſariorum eſſe oportere, conſtitit: quemadmodum vero, reperire non eſt facile. Nam & Theſſalorum Peneſtia ſæpe in Theſſa-

Theſſalos molita eſt, & in Lacedæmonios Helotes ſimiliter. Nam velut inſidiantur ſemper eorum calamitatibus. Apud Cretas autem nihil tale vnquam accidit. Cauſa fortaſſe, quod ex finitimis vrbibus etſi inter ſe bellum gerentibus ne vna quidem ſit ſocia deficientibus, quod non conducat & ipſis habentibus caſtellanos. Laconibus autem finitimi erant inimici Argiui & Meſſenii & Arcades, cum & à Theſſalis principio defecerant, quod bellum gererẽt etiam cum finitimis Achæis & Perrhæbis & Magnetibus. Vt autem nihil aliud, certe cura videtur eſſe magni negotii: quemadmodum cum iis agi oporteat. Nam indulgenter habiti petulantes ſunt, & eadem, quę dominis, ſibi arrogant: & duriter viuentes inſidiantur & oderunt. Perſpicuum igitur, non optimum modum reperire, quibus ex Helotia hoc accidat.

COMMENTARII.

Ὅτι μὲν οὖν δεῖ.] Primum vitium & peccatum Reipublicæ Spartanæ in ſeruis & eo hominum genere, quorum ſit vſus in agris colendis, in opificijs, & omnibus miniſterijs neceſſariis. Nam hoc fere inter omnes conuenit, ciuitatem ab his operibus & muneribus vilioribus liberam & immunem eſſe oportere, & ciues ipſos nulla ſordida vel illiberali arte fœdari debere. Quare & infra *lib. 3. in princ. & lib. 7. cap. 10 & 11.* opifices & agricolas ciuium numero eximit: de hoc igitur conſtat inter omnes. Verum de modo & ratione, qua effici poſſit, magna eſt & controuerſia & difficultas. Lacedæmonij igitur hunc modum tenuerunt. Primum de opificijs, vt ea adminiſtrarent peregrini, agros vt colerent Helotæ, qui item ad alios quotidianæ vitæ vſus deſeruiebant. Nam mercatores Lacedæmone, vbi aurum & argentum nullo fuit in precio, nulli fuerunt. De Helotis ita *Nepos in Pauſania*; Eſt genus quoddam hominum, quod Helotæ vocatur, quorum magna multitudo agros Lacedęmoniorum colit, ſeruorum-

I. Vitium Reip. Spartanæ.

Opifices & operarii nõ debent inter ciues referri.

Ratio, quã ea in re tenuere Spartani.

Mercatores Spartæ nulli.

Helotæ.

que munere fungitur; hos quoque ſpe libertatis ſollicitare videbatur. *Liuius* Caſtellanos vocat & agreſte genus hominum Hunc modum hic reprehendit Ariſtoteles de Helotis, reprehendit & ſimilem Theſſalorum modum & rationem in Peneſtis, de quibus ſupra nonnihil *cap 3.* Cretum ſeruitia, & hoc genus hominum ad neceſſaria hæc munera obeunda delectorum & conſtitutorum, meliore in loco fuiſſe ait, docetque hac ratione, quod apud Theſſalos & Lacedæmonios ſeruitia ſępe ſeditione mota & conſpiratione facta magnum ipſis ciuitatibus & Dominis periculum crearunt, apud Cretes non item. Nam de Helotarum conſpirationibus & *Ariſtides in oratione aduerſus Platonem & Diod. Siculus lib.* 12. vbi tamen ſummam Lacedæmoniorum in Helotas crudelitatem, vt & *Iſoc. in Panathenaico*, commemorat. De Theſſalorum & Cretum ſeruitijs, vt ignobilioribus, nihil dum reperi.

Reprehẽſio.

Ὥσπερ γὰρ.] Nempe ſi bello attriti vel victi ſint domini vel occupati; hac velut anſa & occaſione arrepta & obſeruata, conſpirant & ſeditiones mouent Helotæ & ſeruitia.

Cauſa cur Cretẽſium ſeruitia non moueãt ſeditiones vt Laced. & Theſſ.

Αἴτιον δὲ ἴσως.] Cauſam differentiæ, cur Cretum ſeruitia non moueant ſeditiones, vt Lacedæmoniorum & Theſſalorum, hanc affert; quod in Creta etſi ciuitates inter ſe bellum interdum quærunt, nunquam tamen ſocietatem coëant cum ſeruitijs à ſuis Dominis deficientibus, ne & ſua ipſi hoc velut malo exemplo laceſſant & irritent ad has defectiones & motus; Cum ſingulæ fere ciuitates in Creta, id hominum genus habeant agros colentium, quos περιοίκους Græci vocant. Apud Lacedæmonios vero & Theſſalos alia fuit ratio. Nam Lacedæmoniis quidem omnes fere finitimi hoſtes erant, Argiui, Meſſenij, Arcades, ad quos Helotæ transfugiendi commodam habeant occaſionem. Theſſalis vero, quia bellum gererent cum finitimis, Achæis, Perrhæbis & Magnetibus, facile quoque fuit Peneſtis hac occaſione, illis bellum foris gerentibus, domi ſeditiones concitare, & ab iis deficere, ſocietate coita cum hoſtibus.

TEXTVS.

Præterea mulierum licentia & ad Reipublicæ conſilium, & ad ciuitatis beatitudinem eſt inutilis. Vt

liis. Vt enim domus pars eſt vir & mulier, perſpicuum oportere & ciuitatem pene bifariam diuidi, & in virorum & in mulierum multitudinem: adeo vt quibus in Republica de mulieribus vitioſe ſit, arbitrari oporteat, ciuitatis dimidium non recte eſſe deſcriptum, quod ibi accidit. Nam legum ſcriptor totam ciuitatem volens eſſe laborum tolerantem, in viris quidem cernitur talis, in mulieribus vero neglexit. Intemperanter namque viuunt, in omni intemperantia, & luxurioſe, vt neceſſe ſit in tali Republica diuitias eſſe in precio: maxime ſi & vxoribus ſeruiant, vt multæ gentes militares & bellicoſæ præter Celtas, aut ſi qui alii quoque conſuetudinem cum maſculis aperte coluerunt. Videtur enim, qui primus fabulam confinxit, non abſque ratione Martem coniunxiſſe Veneri. Nam vel ad maſculorum conſuetudinem vel ad mulierum tales omnes videntur procliues. Quare apud Lacedæmonios hoc fuit, multaque in eorum imperio à mulieribus adminiſtrabãtur. Atqui quid intereſt, mulieres ne imperent, an magiſtratus mulieribus pareant? idem namque ſequitur. Audacia autem cum ad vſus cotidianos non eſt vtilis; ſed ſi forte ad bellum, ad hæc quoque Lacenæ fuerunt inutiliſſimæ. Specimen dederunt in Thebanorum incurſione. Nam vtiles quidem nulla in re erant, vt aliis in ciuitatibus; tumultum vero faciebant maiorem, quam ipſi hoſtes. Itaque principio quidem mulierum remiſſio ſiue indulgentia Lacedæmoniis non abſque cauſa accidiſſe videtur. Nam propter exercitus ſiue expeditiones domo aberant longo tempore, bellum

gerentes & cum Argiuis & rurſus cum Arcadibus & Meſſeniis: Ocium vero agitantes, ſe quidem ipſi tanquam præcultos legum ſcriptori præbebant propter vitam militarem (multas namque partes virtutis habet) mulieres vero aiunt Lycurgum ſuſcepiſſe quidem redigere ſub leges, ſed rurſus deſtitiſſe, cum illæ repugnarent. Cauſæ igitur ſunt illæ quidem hæ rerum quæ acciderunt, vt & huius perſpicue vitii. Sed nos non hoc quærimus, cui veniam dare oporteat, aut non dare; ſed de eo quod recte vel non recte. De mulieribus autem, quæ non recte ſe habent videntur, vt & ſupra dictum, Reipublicæ non tantum afferre dedecus quoddam ipſi per ſe, ſed ad auaritiam nonnihil iuuare.

COMMENTARII.

II. Vitium Reip. Spart.

Ἔπι δὲ καὶ περὶ.] Alterum Reipublicæ Spartanæ vitium, idque grauiſſimum, mulierum licentia & luxuria, hîc reprehenditur Eandem Lacenarum licentiam reprehēdit & *Plato lib. 6. de legib. & Euripid. in Andromacha & Hecuba.* Nam, inquit, Spartana ſi qua cupiat puella, ne poſſit quidem eſſe modeſta. Nam Lacænæ cum adoleſcentibus, domo relicta, nudis femoribus & peplis promiſſis & laxis curſus & palæſtras communes habent. De eadem licentia & *Eraſmus in prouerbio* δωριάζειν. hinc & φαινομηρίδες dici ſolent Lacænæ. Neque vero licentia tantum & luxuria mulierum fuit, ſed imperium quoque omne in viros habuerunt: qua de re infra. Hanc igitur indulgentiam in mulieres duobus nominibus reprehendit, vt initio huius capitis de duobus ſemper quærendum eſſe ait, de optimo Reipublicæ ſtatu, & huius vel illius ciuitatis proprio: Et optimo quidem Reipublicæ ſtatui mulierum licentiam repugnare docet bifariam; tum quia luxurioſa vita & intemperans optimæ Reipublicæ ſit inimica, in qua virtutes omnes florere debeant, & in his mulierum modeſtia & frugalitas: tum quod hæc licentia & luxuria auaritiæ ſit parens & cauſa. & hoc eſt quod ait, ὥστε ἀναγκαῖον,

I. Refutationis ratio.

1. Membrū.

2. Membrū.

κᾷον,&c. & infra *ἀλλὰ συμβάλλεσθ*,&c. Nam vbi luxuria,accedente & muliebri imperio,ibi diuitiarum quoque ſtudium vigere neceſſe eſt, quibus diuitijs cum ipſæ ſint venales, tum ad luxuriam ſuppeditentur neceſſaria. Iam vero inf. *lib.* 7. explicabitur,eam eſſe optimam Rempublicam, cuius inſtituta ciues reddant non pecuniæ, ſed virtutum ſtudioſos. Ex quibus intelligitur, hanc indulgentiam ciuitatis beatitudini, id eſt,optimo ſtatui,aduerſari. Eandem & ipſi conſilio Lycurgi *II. Ratio refutationis.* ipſique Reipublicæ Spartanæ ſtatim repugnare docet hac ratione: quod cum Lycurgi fuerit conſilium, totam ciuitatem ad omnem duritiam & laborum patientiam exercere, vt eſt apud *Cic. in Tuſcul. & Plut. in Lycurgo*: in viris quidem id ſit aſſecutus, quos conſtat & vixiſſe frugaliſſime, & laborum fuiſſe patientiſſimos: in mulieribus vero non item, de quarum luxuria & immodeſtia iam diximus. Quam Lycurgi negligentiam non ſolum Ariſtoteles accuſat, ſed ipſe *Plato lib. 6. & Dionyſ Halicarnaſſ. lib. 2. de continendis mulierib.* vbi de iure coniugij recte inſtituendo. Excuſant alij Lycurgum, qui id ipſum quoque ſuſceperit, ſed propter inueteratam iam mulierum luxuriam præſtare non potuerit. *Excuſatio Lycurgi.* Cuius inueteratæ licentiæ iam diu ante Lycurgum ortæ cauſam conferunt in bella Lacedæmoniorum cõtinua: quibus,dum viri diutius domo abeſſe coguntur, mulieres interea dominantur: quemadmodum in bello aduerſus Meſſenios toto decennio domo eos abfuiſſe ſcribit *Trogus Iuſtinus*: qua re factum, bellis, inquam, & ſtudio rei militaris, vt Lycurgus viros quidem habuerit faciles ad regendum, mulieres difficilimas. Vita namque militaris cum alia habet commoda, tum hoc non minimum,parendi facilitatem. Aſſuetos igitur in bello parere, tanquam præcultos & præparatos, accepit Lycurgus & domi ſeu in ocio & pace,quibus voluit,aſtrinxit legibus & inſtitutis. Sic igitur Lycurgum excuſant quidam, *Plutarchi ſentẽtia approbatur.* inquit Ariſt. Verum hæc excuſatio *Plutarcho* non placet,qui reprehenſo nominatim Ariſtotele,vult, Lycurgum paruam quoque curam adhibuiſſe in mulierum inſtitutione; præſtat alijs omnibus aſſentiri. Nam tametſi Lycurgus non virorum tantum, ſed mulierum quoque exercitationes induxit: tamen hoc negari non poteſt, quin earum magna fuerit luxuria & impotentia. Cuius rei argumentum & hic affert inſigne, quod ipſe videre potuerit. Nam poſt Leuctricam pu-

gnam, qua Lacedæmoniorum opes conciderunt, cum Thebani, duce Epaminonda, non contenti victoria, agrum Spartanum populantes ad ipſam tandem vrbem accederent; tanta fuit in vbe trepidatio & tumultus imbellis turbæ ſenum & maxime mulierum huc illuc diſcurſantium, plus vt laboris & moleſtiæ capiundum fuerit Ageſilao Regi & vrbis tutori in hac turba continenda, quam in hoſtibus repellendis, teſte *Plut. in Ageſilao*: quo exemplo perſpicitur, quanta harum mulierum, quanta Lacenarum fuerit licentia & impudentia, quæ, vt in alijs ciuitatibus, domi contineri tanto periculo non potuerint. Nam in alijs ciuitatibus mulieres ſi nihil proſunt, certę nihil obeſſe ſolent ſuis ploratibus & diſcurſionibus; hic plurimum obfuiſſe iam oſtendimus. Ex his intelligitur, ne ſuæ quidem Reipublicæ ſatis reſpondere Lycurgum, qui totam ciuitatem ad laborem & duritiam exercendam putarit, & omiſerit tamen mulieres, quas conſtat dimidiam eſſe partem ciuitatis, qua de re dictum & ſupra *lib. 1 cap. vlt. in fin.*

Nationes bellicoſæ muliercularū imperio obnoxiæ. Γυναικοκρατούμενοι.] Duo hic afferuntur de militaribus & bellicoſis nationibus. Prius, gynæcocratian plærunque in his vigere, quemadmodum apud Lacedæmonios cum peregrina quædam ex Lacæna percunctaretur, cur ipſæ ſolæ viris imperarent, reſpondiſſe fertur, *teſte Plut.* quia & ipſæ ſolæ viros parerent; & apud Sauromatas γυναικοκρατουμένους, inquit *Plin. lib 6. cap. 7.* nimirum imperantibus Amazonibus.

1. Cauſa. Cur autem bellicoſæ gentes plæræq; vxoribus pareant, cauſa videtur mihi reddi poſſe duplex: tum quia viri dum bellis diſtinentur, facile eſt mulieribus imperium domi arripere &

2. Cauſa. licenter ſe gerere: tum quia viri bellicoſi & militares plærique omnes in Venerem ſunt procliues, & quodammodo vxorij: quod alterum eſt hîc de bellicoſis gentibus allatum ab Ariſtotele; eas, inquam, ad venerem eſſe procliues, vt & viros bellicoſos. Talis memoratur Hercules & Catilina a-

1. Exemplū. pud *Cic. in 2 Catilin.* & M. Antonius in *Plut.* Cui rei hoc affert argumētum Ariſtoteles, fabulam de coniunctione Mar-

2. Exempl. tis & Veneris, de qua & in *Homer. Odyſ θ.* Hinc & fortaſſe Spartani ad vtrumque, Venerem & bellum, propenſi, Venerem armatam coluerunt, vt eſt apud *Pauſan. lib. 3. & apud*

Cauſa, ob quam belli- *Lactant. lib. 1. Inſtit. Chriſtianar.* Cauſa autem & ratio huius rei, quod quæ ſunt roboris militaris efficientia, integritas partium

partium corporis, & copia ſanguinis, ſpirituum, & innati caloris, eadem omnia ad Veneris appetentiam mirifice inuitant: quo & id Ouidij: *coſi ſunt propenſi in Venerem.*

Quæ bello eſt habilis, Veneri quoq; conuenit ætas.
Turpe ſenex miles, turpe ſenilis amor.

Ex his intelligitur, cur bellicoſæ nationes & vxoribus ſeruiant, & fere ſint propenſæ in Venerem. Excipit Ariſtoteles Celtas de gynæcocratia, & ſi quæ aliæ ſunt nationes maſculam Venerem colentes, vt Thebani & Cretenſes, *teſte Sexto lib.3. Pyrrhonicarum hypotypoſewn.* Nam Celtæ ſemper habiti ſunt bellicoſi; Germani, inquam, & Galli, qui tantum abeſt, vt ſuis vxoribus ſeruierint, vt *Cæſar* de Gallis nominatim ſcribat *lib.6. de bell. Gall.* eos habuiſſe in vxores ius vitæ & necis, tanquam in ſeruos. *Celtæ.*

TEXTVS.

Secundum ea autem, quæ modo ſunt dicta, ea quoque, quæ ad inæqualitatem poſſeſſionis pertinent, quis reprehendat. Nam his quidem eorum accidit, vt valde magnas habeant fortunas; illis vero, vt perexiguas: quare ad paucos ager recidit. Hoc autem & legibus perperam fuit cautum: nam vendere quidem aut emere bona, non honeſtum eſſe voluit, & recte: dandi vero & relinquendi poteſtatem fecit volentibus. Atque & illo & hoc modo idem euenire neceſſe eſt. Ex quinq; autem omnis agri partibus duæ fere ſunt quoque mulierum, quia & multæ ſint Epicleræ, & quia magnas dent dotes. Melius autem fuerat, nullam vel exiguam vel modicam ſtatim. At nunc & dare nuptum licet Epiclerum, cui voluerit: & ſi inteſtatus moriatur, quem hæredem reliquerit, hic dat, cui velit. Itaque cum regio mille & quingentos equites queat alere & peditum 30000. nec mille quidem erant numero. Hanc autem rem male iis cõſtitutam fuiſſe, res ipſæ declararunt. Neque enim

vnam plagam pertulit ciuitas, ſed propter hominum paucitatem cõcidit. Feruntautem, ſub prioribus regibus ciuitatem aliis dediſſe, ne multorum annorum bellis exhauriretur ciuitas, aiuntque fuiſſe aliquando Spartanorum etiam 10000. Cæterum ſiue hæc ſunt vera, ſiue non: melius eſt, bonis æquandis vrbem viris repleri. Huic autem rei contraria eſt & lex de liberis procreandis. Nam legum ſcriptor cum vellet Spartanos eſſe quam plurimos, ciues incitat, vt quam plurimos procreent liberos. Eſt enim apud eos lex, qua qui tres quidem liberos procrearit, à cuſtodiis ſit immunis: qui vero quatuor, ab omnibus oneribus. Atq; certum eſt, ſi plures ſint, agro hunc in modum diuiſo, multos neceſſario eſſe pauperes.

COMMENTARII.

III. Vitiũ Reip. Spartanorum.

Μετὰ γὰρ τὸ ῥηθέν.] Tertium Spartanæ Reipublicæ vitium in bonis ſeu eorum diuiſiône reprehenditur. Nam Lycurgus initio quidem agri partes fecit æquales, & quidem pro ciuium numero nouem millia, *teſtè Plut.* adeo vt ipſe Lycurgus perambulans aliquando agrum Spartanum, cum in meſſe aceruos paſſim cerneret æquales, magnam voluptatem cepiſſe dicatur apud *Plut. in Laconicis apophtheg.* atque dixiſſe, videri ſibi multorum fratrum vnius hæreditatis paternæ æquales portiones. Hanc igitur bonorum æquationem principio quidem inſtituit Lycurgus, ſed eam non ſatis confirmauit. Nam eo paulatim ventum ait Ariſtoteles, vt bona fere omnia à paucis tenerentur, & quod grauiſſimum eſt ad *γυναικοκρατίαν*, ex quinque agri partibus duas tenerent mulieres. Cuius inæqualitatis & cauſas & incommoda hîc exponit Ariſtoteles.

Cauſa ſecutæ inæqualitatis.

Cauſa quidem, primum cur ad paucos bona reciderint hæc eſt: quia poteſtatem Lycurgus ciuibus fecerit, ſuam cuique ſortem & bona aliis donandi vel teſtamento relinquendi & legandi. Venditionem quidem vetuerat, ſed donationem non item: cum tamen vtroque modo res à priſtinis Dominis ad alios transferantur.

Deinde

Cauſa ob quas tã magna bonorũ pars ceſſit mulieribus.

Deinde, ad mulieres cur tam magna bonorum pars recide- rit, hæ duæ afferuntur cauſæ: cum quia multæ eſſent Epicle- ri: tum quia dotes eſſent nimis magnæ. *Epicleros* vocant pu- ellas parentibus orbas, & ſolas totius patrimonii hæredes, de quibus & ſupra *lib. 9 Ethic* In his autem Epicleris ſeu pu- ellis ditioribus collocandis & nuptum dandis graue quoque Lycurgi peccatum & negligentiam accuſat, qui parentibus fecerit poteſtatem eas collocandi, quibus velint: & ſi gener poſtea moriatur inteſtatus, iiſdem parentibus permiſit, vt poſt mortem ſuam, quem ipſi nominauerint & conſtitue- rint, vt ille collocandi habeat poteſtatem. Quæ Epicleros collocandi licentia, vt vitioſa & inæqualitatem bonorum adiuuans, merito ab Ariſtotele hic reprehenditur, cum præſtaret ditiores has puellas tenuioribus collocari, & non quibuslibet: vt hac ratione & velut temperamento maior ſit bonorum æquatio. Duæ igitur hîc Lycurgi ſunt culpæ ſeu peccata, vnum in donandi ſeu legandi poteſtate, alterum in Epicleros collocandi licentia; vtrumque bonorum inæqua- litatem adiuuãs. Incommoda autem tria fere hîc exponun- tur ex hac bonorum inæqualitate manantia. Primum nimia quorundam vel paupertas vel diuitiæ. Nam bona cum ad paucos recidũt; multi vt egeſtate laborent, neceſſe eſt. Quod incommodum quam ſit graue, & ſupra eſt indicatum, & ex- plicabitur infra *lib. 4.* de mediocritate bonorum & diuitiarũ. Et hoc eſt quod ait, τοῖς μὲν γὰρ συνέβη, &c. & καί τοι φανερὸν, ὅτι πολλῶν. Alterum incommodum, γυναικοκρατία, quę fere ne- ceſſario comitatur nimis dotatas fœminas, vt eſt *in Menan- dro apud Gell. lib. 3.* ni fallor, *& Stobæum in fin.* Tertium in- commodum, ciuium paucitas & penuria: nam & hanc bo- norum inæqualitatis eſſe comitem, cum doceri poteſt exẽ- plis Reipublicæ Spartanæ & Romanarum ſeceſſionum, tum hac ratione, quod vt Rerumpublicarum etiam in vectigali- bus non minus quam in legibus ſita eſt incolumitas & ner- uus: ita & familiarum ſeu domorum columen in bonis & reditibus patriis innititur. Ciuium autem paucitas ſeu penu- ria quam graue ſit Reipublicæ incommodum & malum, vno exemplo hic oſtendit Ariſtoteles ipſius Reipublicæ Sparta- næ, qui propter vnam cladem nunquam poſtea ſe potuerint colligere, omnium ciuium flore vno prælio interfecto, & quidem paucorum mille duntaxat & ſeptingentorum in

Ἐπίκληροι

1. Incommodum.

2. Incommodum.

3. Incommodum.

Exempla.

Ratio.

Ciuiũ paucitas quam exitioſa Reip.

Leuctris. Cæterum præclarus hic locus de ciuium multitudine vel paucitate explicatur, infra *lib. 7.* Sed enim dicet aliquis, agrum Spartanum non eſſe parem multis ciuibus alẽdis. Reſpondet Ariſtoteles memorari etiam, 10000. ciuium Spartanorum fuiſſe aliquando: & ex *Plut.* ſupra attuli, primarum ſortium nouem fuiſſe millia. Quod autem de primis Regibus commemorat, eos ius ciuitatis multis peregrinis donaſſe ad ſupplendam ciuium penuriam, ciuitate diuturnis bellis exhauſta; pertinet ad hoc quod modo diximus, ciuiũ paucitatem magnum eſſe Reipublicæ incommodum. Hoc de Cleomene Rege Spartano commemoratur, qui hac ratione, id eſt, peregrinis data ciuitate, quatuor ciuium millibus ciuitatem replerit. Ipſe quoque Lycurgus vt huic incommodo occurreret, legem tulit, qua ciues ad liberorum procreationem incitaret. Cuius generis leges Iulias & Papias & Cenſorum decreta Romani πολυανθρωπίας cupidiſſimi habuerunt, de quibus *Plutarchus in Camillo, Valerius libro 2. Dio, Gell. Sueton. Tertull. in Apologet.* quibus polytecniæ immunitates atque præmia, multæ vero & pœnæ orbitatibus conſtituebantur, de quibus multa Iuriſconſulti, maxime vbi de iure trium liberorum ſub titulo de excuſationibus tutorum, de immunitatibus ad Senatuſconſultum Tertullianum. Huc pertinet, quod de Lycurgo affert *Plut.* qui cœlibes permãſiſſent, loco decedi ab iunioribus vetuit. Hac igitur lege Lycurgus voluit ille quidem huic ὀλιγανθρωπίᾳ occurrere; ſed alterum de inæqualitate bonorum incommodum magis adiuuit, paupertatem, inquam, & diuitias. Nam quo maior ciuium fuerit multitudo recidentibus bonis ad paucos, eo plures erunt pauperes.

Ἀπάντησις

1 Ratio qua primi Reges cauerunt paucitatem ciuium.

2. Ratio.

TEXTVS.

Sed ea quæ de Ephoria, non recte ſe habent. Nam magiſtratus hic apud ipſos eſt ille quidem maximarum rerum Dominus, fiunt autẽ omnes ex populo, vt ſæpe valde pauperes accidat eſſe in hoc magiſtratu, qui propter paupertatem ſunt venales: quod cum antea videre licuit, tum nunc in Andriis. Nam hinc pecunia corrupti quidam totam

totam vrbem pro ſua parte perdiderunt: & quia imperium valde eſt magnum & quaſi tyrannicum, Reges quoque iis blandiri coguntur, vt hac quoque parte Reipublicæ noceatur. Nam ex Ariſtocratia exſtitit Democratia. Itaque Rempublicam quidem continet hoc imperium: populus namque, quia ſummi imperii eſt particeps, quieſcit: adeo, vt ſiue legum ſcriptoris opera, ſiue cauſa hoc accidit, valde ſit Rebuſpublicis vtile. Nam Rempublicam incolumem futuram oportet velle omnes ciuitatis partes eſſe & permanere eaſdem. Sic igitur ſe habent Reges quidem propter ſuos honores; boni vero propter Senatum. (Nam hæc poteſtas virtutis eſt præmium) populus vero propter Ephoriam. Conſtat enim ex omnibus. Verum imperium hoc oportebat ex omnibus quidem conſtitui ſuffragio; ſed non eo, quo nunc, modo: eſt enim valde puerilis. Præterea & magnorum iudiciorum ſunt Domini homines alioqui plebei: quare melius fuerit, iudicare eos non ſuo arbitratu, ſed ſcripto & legibus. Eſt autem & vita Ephororum ciuitatis inſtituto non conſentanea. Nam illa quidem valde eſt diſſoluta: in aliis vero ſpectat ad nimiam aſperitatem: adeo vt contineri nequeat, ſed furtim legem fugientes corporis fruantur voluptatibus.

COMMENTARII.

Ἀλλὰ μὴν καὶ.] Quartum Reipublicæ Spartanæ vitium in Ephororum magiſtratu ſeu imperio reprehendit: cuius imperii tria vitia exponit. Primum, quod ex omni populo tam ex optimatibus quam ex plebe conſtet, & maxime quidem ex plebe: adeo vt propter hunc magiſtratum Reſpub. Spartana partim ſit Democratica, vt ſupra dictum. Vitioſum au- *IV. Vitium Reip Spartanæ.* *1. Eius vitium ſpeciale.* *Sūmi ma-*

tem

giſtratus, cur plebi nõ credendi. tem eſſe, ſummos magiſtratus & imperia infimę plebi mandari docet hac ratione, quod id generis pleriq; propter paupertatem ſint venales & facile pecunia corrumpantur; id,

Exemplum quod in his Ephoris cum alias ſæpe, tum ſuo tempore accidiſſe ait Ariſtoteles: adeo quidem, vt ſuis corruptelis totam

2. Vitium ſpeciale. ciuitatem peſſumdederint. Alterum in hoc imperio vitium, quod eſſet nimia Ephororum poteſtas, quam quidem adeo magnam fuiſſe ait, vt Reges ipſi eos colere & obſeruare & blandiri cogerentur. Summæ quoq; horum poteſtatis hoc non minimum fuit caput, quod iudicarent de rebus capitalibus, de morte & ignominia, inquit *Plut.* ſumma ſcilicet iudicia erant penes Ephoros: qua ipſa in re grauiſſimum fuit vitium: quod homines idiotæ & de plebe de grauiſſimis huiuſmodi cauſis ſtatuerint non ex ſcriptis legibus, ſed pro arbitratu. At hoc quam ſit periculoſum, & quam ſit multis partibus melius, cauſas, grauiores præſertim, non ex hominum opinione, ſed legum certitudine diiudicari, explicabi-

De Ephororum tyrannide. tur infra *hoc lib. cap. 8.* Cæterum de nimia hac Ephororum poteſtate plane tyrannica grauiter conqueritur Cleomenes Rex Lacedæmoniorum apud *Plut. in Cleomene.* Similis fuit Romæ Tribunorum plebis poteſtas, quos & propterea

1. Vtilitas huius magiſtratus. diligenter cum Ephoris comparat, *3. de legib. Cicero.* Nam vtriuſque quidem origo Reipublicæ fuit vtilis & ſalutaris: cum & Ephori & Tribuni principum factioni ſeu Oligarchiæ ad plebis defenſionem, tanquam moles, eſſent obiecti, & velut clauus clauo, inquit *Plato lib. 3. de legib.* verum paulatim & Ephori & Tribuni tyrannidem ſibi vſurparunt, adeo vt Ephori Reges, Tribuni conſules in carcerem coniicere non ſint veriti. Hæc igitur Ephororum cauſa, origo, & vtilitas à pleriſque commemoratur ad reprimendam principum, vt vocant, aduerſus plebem tyrannidem & factiones.

2. Vtilitas huius magiſtratus. Alteram eorum vtilitatem affert hîc Ariſt. quod hoc magiſtratu plebs, vt tribunatu Romæ, delinita, à ſeditionibus & motibus cõquierit. Nam ad ſalutem & incolumitatem Reipublicæ vel hoc grauiſſimum eſt adiumentum, vt non vni, ſed omnibus ciuibus & ordinibus ita ſit prouiſum, vt omnes pro ſe quiſque ciuitatem velint incolumem: quod accidit Spartæ, vbi Reges regia ſua poteſtate contenti, principes Senatu, plebs Ephoria, omnes denique honorum & imperiorum participes Rempublicam in ſuo ſtatu permanere cupiebant:

bant: de qua re, hoc eſt, de tranquillitate, ex eo quod omnes ſint honorum quodammodo participes, infra *libr. 3. & 5. in prin.* Tertium in hac poteſtate vitium: Ratio ſeu modus horum Ephororum creandorum, de quo, quam fuerit puerilis, infra, vbi de ſenatu, explicabitur. *3. Vitium ſpeciale.*

Καὶ νῦν δέ.] De hac Ephororum improbitate & corruptela, Ariſtotelis ætate, amplius quærendum. Andria autem etſi Baſilicæ erant Cretenſium propriæ conuiuiis & ſodalitatibus publicis dedicatæ, vt eſt apud *Athenæum lib 4.* tamen hoc loco communius etiam de Lacedæmoniis Baſilicis & ſodalitatibus accipiuntur. *Ἀνδρια.*

Ὥς' εἴτε διὰ.] Videtur dubitare de Ephororum origine; caſu ne aliquo, an à legum ſcriptore ſint inſtituti, cũ tamen *lib. 5* infra, vt & *Cic. lib. 3. de legib.* & alibi à Rege Theopompo inſtitutos dicat: etſi alii Lycurgum faciunt auctorem: ſunt tamen & qui caſu eos inſtitutos ſcribant, hoc videlicet, vt cum Spartani diuturno aduerſus Meſſenios bello domo abeſſent diutius, interea in vrbe eſſent, qui ius dicerent; viros aliquot delectos Ephororum nomine, qui poſtea quinque numero remanſerunt. *Ephororum origo.*

Ἆθλον γὰρ.] Valde miror, hæc eadem verba, de eadem re, hoc eſt, Senatu Spartano, reperiri *in oratione Demoſthenis*, πρὸς λεπτίνην, ἐπιδὼν, &c.

Ἔστι δὲ καὶ ἡ.] Hoc poteſt eſſe quartum quod ſit in Ephoris reprehendendum, victus lautior & inſolentior, ex ſecundo tamen, hoc eſt, nimia poteſtate, manans: quam victus inſolentiam Ariſtoteles repugnare ait non tantum rectæ inſtitutioni, & optimæ Reipublicæ, ſed ipſi quoq; Reipub. Spartanæ, cuius omnia inſtituta ad duritiem & parſimoniam victumq; tenuiſſimum ſpectabant. Nam communis Spartanorum victus tam fuit tenuis & pene ſordidus, vt multi, eam duritiem & aſperitatem non ferentes, clam contra patriæ inſtituta voluptates quærerent, quemadmodum liberi durius ſub parentibus habiti, poſtea libertatem nacti. Atq; ita non tantum Ephororum inſolentiam, ſed communem quoque victus rationem, vt minis aſperam, perſtringit. De hac autem Ephororum inſolentia & luxuria etiam *Plut. in Cleomene*; de reliquorum ciuium frugalitate & tota victus ratione *Athenæus lib. 4.* *4. Vitium ſpeciale.*

* * *

TEX-

TEXTVS.

Habent autem ſe & quæ ad poteſtatem ſenum ipſis non recte. Nam bonis quidem & ad virtutem ſatis inſtitutis illis, dicat fortaſſe quis ciuitati conducere, (tametſi hoc controuerſum, quod tota vita magnorum iudiciorum ſint Domini. Eſt enim vt & corporis, mentis quoque ſenectus.) hoc vero modo inſtitutis, vt ipſe quoque legum ſcriptor diffidat tanquam viris non bonis, non tutum. Comperiuntur autem, qui in hac poteſtate fuerint, multa ad Rempublicam pertinentia ſordide & ambitioſe adminiſtraſſe. Quare melius fuerat, hos à rationibus referendis non eſſe immunes: nunc autem ſunt. Videatur autem Ephororum magiſtratus ab omnibus magiſtratibus rationes poſcere. At hoc Ephoriæ nimis magnum eſt beneficium. Atque non hoc modo dicimus rationes oportere referri. Præterea & cooptatio qua vtuntur ſenum in examine eſt puerilis. Atque dignum hoc magiſtratu rogare ipſum non eſt rectũ. Nam poteſtate dignum, ſiue nolit ſiue velit, eam capere oportet. At nunc, quod & aliis in Rebuſpublicis, videtur facere legum ſcriptor. Nam ciues reddens ambitioſos his ad Senum comportationem vtitur. Nemo enim magiſtratum ambiat non ambitioſus. At plæræque fraudes vel culpæ ſponte factæ exſiſtunt fere hominibus propter ambitionem & propter auaritiam.

COMMENTARII.

V. Vitium Reip. Spartanæ.

Ἔχει δὲ.] Quintum huius Reipublicæ vitium in ſenatu oſtendit, in quo tria fere peccata reprehendit; tempus, modum ſeu rationem creandi, & poteſtatem petendi. Vocabant

bant autem Spartani conſilium ſuum γερουσίαν, & ſenatores γέροντας, quorum magnam fuiſſe poteſtatem & imperium de maximis cauſis & hoc loco ait Ariſtoteles, & *Dionyſ. Halicarn. lib. 2.* adeo vt Reges non quod ipſis videretur, ſed quod ſenatui, ſuſcipere & gerere poſſent. Erant autem ſenatores numero XXIIX & cũ duobus Regibus XXX. Primum igitur, quod in ſenatu Spartano reprehendit, eſt, quod ſenatores ſint perpetui, duabus de cauſis: quarum prior, quod & mentis, vt corporis, ſua ſit ſenectus, hoc eſt, quod non eadem in decrepitis ſenibus conſtet mens & prudentia; & proinde non peræque ſemper ſint apti. Quod autem ait eleganter, ſuam quoque mentis eſſe ſenectutem: cum per ſe clarum eſt, tum philoſophorum rationibus eſt conſentaneum: qui animum & mentem cum corpore creſcere, minui atq; languescere volunt. *Lucret. lib 3.*

De γερουσία Spartanorum.

I Vitiũ ſpeciale.

1. Ratio reprehẽſionis.

Præterea gigni pariter cum corpore & vna
Creſcere ſentimus, pariterq; ſeneſcere mentem.
Nam velut infirmo pueri teneroq; vagantur
Corpore; ſic animi ſequitur ſententia tenuis.

Hanc igitur vnam eſſe cauſam, cur ſenatores non debeant eſſe perpetui, quia non peræque ſemper apti langueſcente mente & prudentia. Altera eſt; quia hac perpetuitate fiant ſenatores immunes à rationibus referendis: quę quidem immunitas ferri facile poſſit in hominibus abſolute probis & bonis, de quibus nulla ſit ſuſpicio corruptelæ. Verum quia huius generis hominum rarior eſt numerus; atque adeo in ipſa Republica Spartana ipſe ſenatus auctor ſenatores in eo numero non habuit optimorum virorum; melius profecto eſt eos rationibus referendis eſſe obnoxios. Quod autem diximus, eos ipſos ſenes in eo numero ne ab ipſo quidem auctore eſſe habitos; ex eo perſpici ait Ariſtoteles, quod multa quidem & magna (vt iudicia capitalia, *teſte Plut.* & de exiſtimatione) iis commiſerit, non tamen omnia, tanquam non perfecte bonis aut ſaltem, de quibus diffideret. Hoc igitur diffidentiæ argumento hos ſenes docet non fuiſſe optimos: Idem docet altero argumento: quia ex hiſtoriis doceri poſſit eos ſæpe vel auro vel gratia & ambitione multa feciſſe. Quare etſi *Plut. in Lycurgo* hoc ipſo argumento laudat conſilium Lycurgi, qui de rebus contrahendis nullas leges ſcripſerit; ſed eas controuerſias arbitrio virorum bonorum & bene

2. Ratio reprehẽſionis.

1. Argum. quo docet, Lycurgum non omnes ſenatores iudicaſſe viros optimos.

2. Argumẽtum.

bene inſtitutorum diiudicandas permiſerit: Ariſtotelis tamen ratio tutior videtur, Plutarchi magis lubrica & incertior. Atque hoc alterum huius perpetuitatis eſt malum, immunitas rationum referēdarum. Nam ſolemne fuit veterib. Græcis & Romanis à nemine rationem ſui muneris ſeu magiſtrátus repoſci, quamdiu eſſet in magiſtratu: qua re fiebat, vt hi ſenatores quia eſſent perpetui, rationibus referendis

Obiectio. non eſſent obnoxii. At Ephori, inquiet aliquis, in hos ſenatores inquirendi Ius & poteſtatem habebāt, vt in Romanos

Solutio. ſenatores Cenſores. Reſpondet Ariſtoteles, hanc rationem ſibi non probari, qua Ephororum poteſtas nimis augeatur.

2. Vitium ſpeciale. Ἔχει δὲ καὶ τὴν αἵρεσιν.] Alterum vitium ſenatus Spartani, modus ſeu ratio cooptandi, vtpote puerilis & pene ridicula: Κρίσιν proprie vocabant Lacedæmonii, nos fortaſſe examen & delectum. Quo verbo de hoc ſenatu agentes vſi & *Demoſth.* πρὸς λεπτίνην. Ἐπειδὰν δὲ, &c. & *Plutarch. ſæpe in Lycurgo*, vbi deſcribitur hūc in modum: populo in concionem

Modus legendi Senatum Spart. collecto, certi aliquot viri delecti, tanquam iudices aut cenſores, in propinqua domo includebantur: adeo vt populum audire, videre neminem poſſent. Competitores igitur Senatoriæ dignitatis per concionem ſinguli & taciti deducebantur: ex quibus cui à populo frequentius eſſet acclamatum, hoc Cenſores illi in tabellis annotabant; tandemq; omnibus perductis, cui à populo frequentiſſime acclamatum eſſet, ſenatorem renunciabant: qui deſignatus cōtinuo coronatus ad templa Deorum viſebat, comitantibus pueris &

Reprehēſio. mulieribus, eumq; in cœlum ferentibus. Hanc igitur delectus rationem Ariſtot. vt puerilem & re tam graui indignam Cenſuram, reprehendit, ex clamore ſcilicet populari totam fere conſtantem. Etſi alias quoque controuerſias Spartani clamoribus, vt alii Græci χειροτονίαις, ſeu porrigendis manibus, diiudicare ſolent.

3. Vitium ſpeciale. Καὶ τὸ αὐτὸν αἰτεῖσθαι.] Tertium hoc eſt, quod in ſenatoribus Spartanis reprehenſione ſit dignum, ambitus & petendi poteſtas; hinc namque ciues effici ambitioſos. Atq; ita duas omnium malorum humanorum peſtes & fontes, auaritiam & ambitionem, oſtendit Ariſtoteles in Repub Spartana reperiri. de his duabus peſtibus & *Liuius lib. 6.* Omnium igitur ſimul rerum, quarum immodica cupido inter mortales eſt agri, pecuniæ, honorum diſcrimine propoſito conterriti pa-

tres

tres cum trepidaſſent, &c. De iiſdem præclare & *Saluſtius initio Catilinæ, & Cic. libr. 1. Offic.* Maximam autem partem, &c. & princeps *Thucydid.* πάντων δ' αὐτῶν ἡ ἀρχὴ ἡ διὰ πλεονεξίαν καὶ φιλοτιμίαν. Eaſdem & *Timon Miſanthropus* duas partes exagitauit. Obſeruandus autem & hic eſt locus de petitione magiſtratuum & ordinis ſenatorii, quam Ariſtoteles, vt ciuibus ambitioſis reddendis idoneam & accommodatam, reprehendit. Nam in magiſtratibus & imperiis mandandis non tam voluntatem & petitionem, quam ἀντάρχειν eſſe ſpectandam. Sic & *Iſocr. in Panathenaico* de Antiquis Athenienſium moribus differens ait, Magiſtratus ab iis non ſolitos peti: quia onera potius & munera eſſent, quam rationes quæſtuariæ. Eiuſdem generis eſt quæſtio apud *Philippum*, an munus Eccleſiaſticum alicui petere liceat.

TEXTVS.

De regno autem, quod melius ne ſit eſſe in ciuitatibus, necne, alia ſit quæſtio. Verumtamen melius certe fuerit, non vt nunc: ſed Reges ex ſua quęque vita ſpectari. Bonos autem efficere poſſe ne ipſum quidem legum ſcriptorem exiſtimaſſe, perſpicuum. Diffidit igitur, tanquam non ſatis bonis viris. Quare legationis collegas mittebant inimicos, & Regum diſcordiam ſalutem putabant ciuitatis.

COMMENTARII.

Περὶ δὲ βασιλείας] Sextum Reipublicæ Spartanę vitium, in Regno, hoc videlicet, quod Regnum Spartanorum non ex virtute deferretur, ſed eſſet hæreditarium, ſeu iure hæreditario. Qua in re Carthaginenſes Lacedæmoniis anteponit, infra *cap. 9.* Nam Lacedæmone binos Reges fuiſſe, & quidem ex Heraclidarum genere omnes, notum eſt. Vt igitur, inquit Ariſtoteles, concedamus (de qua tamen quæſtione infra *lib. 3. in fi.*) regnum eſſe optimam Reipublicæ formam, tamen in hoc ipſo peccarunt Lacedæmonii, vt iam dictum. At enim dicet aliquis: Et virtuti Lacedæmone regnum deferri ſolitum, vbi Reges optime inſtituti etiam fue- *VI. Vitium Reip. Spart.* *Obiectio.*

Solutio. runt viri boni. Reſpondet Ariſtoteles, ipſius quoque eorum legum ſcriptoris teſtimonio non fuiſſe viros bonos. Teſtimonium & argumentum eſt à diffidentia: cuius duo affert

1. Argum. exempla. Alterum de legatione: Solent namq; Spartani Reges in expeditionem mittentes illis adiūgere inimicos ipſorum, ne, ſi amicos haberēt comites, omnia pro ſua libidine ſoli adminiſtrarent aut coitione facta Rempublicam oppri-

2. Argum. merent. Alterum diffidentiæ argumentum; quod in Regum diſcordia ſitam putabant ſalutem & incolumitatem ciuitatis: qui ſi eſſent viri boni, etiam de ſumme concordibus nihil erat metuendum.

TEXTVS.

De ſodalitatibus autem, quę Phiditia dicuntur, ne prima quidem legumſcriptoris inſtitutio eſt recta. Nam oportebat potius de communi ſumptu fieri conuentum, vt in Creta: apud Lacedæmonios autem quemque conferre oportet, vbi & multi valde ſunt pauperes, & qui hunc ſumptum facere nequeant: quare fit legumſcriptoris inſtituto contrarium. Nam vult ille quidem ſodalitatum inſtitutionem eſſe popularem: fit vero minime popularis ita conſtituta. Nam eſſe quidem participes valde pauperes, difficile factu: terminus vero Reipublicæ ipſis patrius hic eſt, eum qui hoc vectigal conferre nequeat, eius non eſſe participem.

COMMENTARII.

VII. Vitiū Reip. Spart. Οὐ καλῶς δὲ.] Septimum Spartanæ Reipublicæ vitium in ſodalitatibus, in quibus hoc vnum reprehendit, quod ſumptus ibi fierent non de publico, ſed de priuatis cuiuſque bonis & collationibus. Qua in re ſodalitates Cretenſes anteponit Spartanis infra *cap.8* Nam Lacedæmone moris erat, quinos & denos fere conuenire, & vna vti menſa, & ad ſumptum quemque de ſuo conferre in menſem farinæ medimnum, vini choas quinque, octo caſei libras, quinque ſelibras

bras ficuum totidem, & aliquot præterea aſſes ad opſonia, vt eſt apud *Plut. in Lycurgo.* Ariſtoteles igitur hunc Lacedæmoniorum in ſodalitatibus morem non tantum ſimpliciter eſſe malum, ſed ipſius quoque Reipublicæ Spartanæ ſcopo docet repugnare. nam hoc quidem ita docet: quod ſodalitatum inſtitutum Lycurgus voluerit eſſe Democraticum propter ſummam omnium ordinum æquationem, cum tamen ſit Oligarchicum potius: ꝓpterea quod tenuiores, qui ſumptum facere nequeant, neque ſodalitatum, neque Reipublicæ ſeu honorum & magiſtratuum ſint participes; ſed ſoli diuites, quod eſt Oligarchicum. imperia mandari ditioribus. At Lacedæmone lex erat & inſtitutum, qua lege cautum fuit, ne quis honorum eſſet particeps, qui non & ſodalitatum: cuius legis & hîc, ὅρος τῆς πολιτείας, &c. & infra *cap. prox.* εἰ δὲ μὴ μετέχοι, &c. meminit. Cæterum Lacedæmonij hæc publica conuiuia proprie ſolent vocare φειδίτια vel à φειδῶ, id eſt, parſimonia, vel quaſi φιλίτια. id eſt, amicitiæ efficientia, vt eſt apud *Plut. in Lycurgo.* Vocabant & olim ἀνδρεῖα à Cretibus mutuati, infra *cap. prox.* — *Refutatio.* — Φιδίτια. — Ἀνδρεῖα.

TEXTVS.

Inſtitutum autem de nauarchis & alii quidam reprehenderunt, recte reprehendentes. Nam ſeditionis eſt cauſa. Cum Regibus enim perpetuis imperatoribus nauium præfectura alterum quaſi regnum conſtitit.

COMMENTARII.

Τῶν δὲ περὶ τοὺς ναυάρχους.] Octauum huius Reipublicæ vitium in claſſis præfectura cum alij recte reprehenderunt, tum Ariſtot. hac de cauſa reprehendendum ait, quod Claſſis præfectura Spartana cauſa ſit motuum vel diſcordiarum. Quid ita? quia duo veluti Imperatores ſeu Exercitus Duces conſtituantur. Iam notum eſt, inter plures Duces plærunque exſiſtere ſimultates & diſſidia. Quare & Romani etſi alias duobus vterentur coſſ. in ſummis tamen periculis vnum creabant Dictatorem. Quare cum Lacedæmone bini eſſent Reges, ijque non tam abſolute Reges, quam Imperatores quidam & Exercitus Duces: Claſſis præfectura his tanquam — *IIX. Vitiū.* — *Ratio.*

ſocia adiuncta alterum quoddam fiebat regnum ſeu imperium à legitimo regno diſiunctum & diſſentiens. Nimia igitur fuit poteſtas & nimis diuturna, vtpote perpetua Claſſis præfectura. Quod diximus Reges Lacedæmoniorum fuiſſe potius bello Duces, explicabitur infra *lib 3.* vbi de Regnorum generibus. Ex quo loco fere auſim dicere, pro ἀΐδιος ſcribendum ἀϊδίοις, vt referatur ad ϛρατηγοῖς. Nam & ibi vocat perpetuos belli Duces Reges Lacedæmoniorum.

TEXTVS.

Iam vero & ſcopum legumſcriptoris ita quis reprehēdat, quod & Plato in legibus reprehendit. Omnis namque legum deſcriptio ad virtutis partem bellicam eſt collata: hæc enim ad viuendum eſt vtilis. Quare bellum quidem gerentes erant incolumes: imperio vero potiti perierunt: quia ocio & pace vti non didiciſſent, neque vllum ſtudium aliud bellico melius excoluiſſent. Hoc autem non leuius eſt peccatum. Nam putant quidem bona fortunæ, de quibus homines inter ſe concertant, paranda eſſe virtute potius quam vitio: & hoc quidem recte: ſed quod hæc virtute putant meliora, non recte.

COMMENTARII.

X. Vitium Reip. Spart. Καὶ αὐτὴ δὲ ὑπόθεσ.] IX. eaque grauiſſima Lycurgi reprehenſio, qua ſcopus ipſe ſeu hypotheſis & conſilium eius taxatur, vt vitioſum. Nam Lycurgi conſilium & ſcopus fuit imperii prolatio & dominatus; omnia eius inſtituta eo ſpectant, vt ciues ſui aliis dominentur. Omnia namque fere ſpectant ad rem militarem; omnia, inquam, eius exercitia. Quod quam graue ſit peccatum, hunc ſibi ſumere ſcopum, aliis dominari, & ciues in vna tantum virtute, fortitudine, non in omnibus exercere, docet Ariſtoteles, cum infra latius *lib.7. cap 14.* tum hîc, hac ratione ab ipſis rebus ſumpta; *Ratio.* nimirum, quod Lacedæmonii quamdiu quidem bellum gererent, eſſent incolumes & florentes; ſed imperium nacti,

quia

quia nullas pacis artes & ſtudia noſſent; ſuperbia, luxu, inſolētia & ſeditionibus inter ſe perierint. Quod idem vitium fere fuit & Reipublicæ Romanæ, quæ & ipſa ad dominatum & bellum tota fuit compoſita. Tenendæ igitur ſunt & belli & pacis artes; qua de re infra diſſeremus *lib.7.* *Romanæ Reip. vitiū idem.*

Ὅπερ καὶ Πλάτων.] Hunc Lycurgi ſcopum, & Spartanorum πλεονεξίαν, ſtudiumq; dominandi, & *Plato* grauiter reprehendit *lib.3. & 4. de legib. & in Lachete*, & grauiſſime *Iſocrat. in Panathenaico. & Cic lib.1. Offic.* Sed illud odioſum eſt, quod in hac relatione & magnitudine animi facillime pertinacia & nimia cupiditas principatus innaſcitur. Vt enim apud Platonem eſt, omnium morem Lacedæmoniorum inflatum eſſe cupiditate vincendi, ſic vt quiſque animi magnitudine excellat, ita maxime vult princeps vel potius ſolus eſſe.

Τἀγαθὰ τὰ περιμάχητα.] Sic vocat victoriam, imperia, diuitias. Sic enim Græce vocant bona fortunæ, vt ſupra *in Ethicis lib.8. vel 9. & lib.1. de arte dicendi.*

Καὶ τοῦτο μὲν καλῶς.] Ait, Lacedæmonios recte facere, qui non inſidiis aut flagitiis & improbis factis bellum gerant & imperia quærant, ſed virtute; verum in hoc peccare quod hæc ipſa imperia virtute putent potiora, & ea perſequantur tanquam ſcopum, virtute tanquam adiumento & medio.

TEXTVS.

Vitioſe autem ſe res habet Spartanis etiam in ærario publico. Nam & in communi ciuitatis ærario nihil eſt, cum magna bella cogantur gerere, & tributa male conferant: eo namque quod magna ſit Spartanorum Regio, tributa inter ſe non exquirunt, acciditq; legum ſcriptori contra atq; expediat. Nam ciuitatem quidem fecit pauperem, priuatos vero auaros. Itaq; de Spartanorum quidem Repub. hactenus ſit explicatum. Nam quæ reprehendat quis, maxime hæc ſunt.

COMMENTARII.

Φαύλως δ᾽ ἔχει.] Decimum Reipublicæ Spartanæ vitium in æra- *X. Vitium Reip. Spart.*

in ærario ſeu pecunia publica reprehenditur, idq; bifariam; primo quod Spartæ nullum eſſet ærarium publicum: quod cum omnibus eſt neceſſarium, tũ iis maxime, quibus multa gerenda ſunt bella, vt Spartanis cum propter innatam dominandi cupiditatem, tum propter vicinorum odia. Deinde cum bellum eſſet ſuſcipiendum, ipſæ tributorũ collationes item erant vitioſæ, hoc eſt, non ſatis diligenter conferebant. Cuius negligentiæ cauſam confert Ariſtoteles in amplitudinem agri Laconici, quem tantum tamque late patuiſſe ait, difficile vt fuerit in ſingulorum collationes inquirere; præſertim cum latiſſime patentis agri pauci eſſent Domini (vt ſupra eſt explicatum) qui maxima tenerent latifundia. Quam rem adiuuabat & Lacedæmoniorum inſtitutum, qui ipſi agros tenere conſuerint, non vt aliæ nationes per clientes, ſed per Helotas ſuos. Quapropter Lycurgo plane contra accidit, quam Reipublicæ conducat: cui vtile eſt, ciuitatem eſſe locupletem, & ciuium copias eſſe mediocres, eoſq; ſuis rebus contentos. At Lacedæmone & Reſpub. laborabat inopia, & ciues erant locupletes, ſaltem pauci; omnes ad rem augendam attenti, vt ſupra. Quod idem & Romæ tandem accidit, priuatorum vt reditus & vectigalia eſſent vberrima, Reipublicæ nulla vel exigua. Qua de re ſæpe conqueritur *Cic. lib 2. Offic. in Agrariis, & in Philippicis.* Sic hodie Auguſtani, Genuenſes, Colonienſes, Antuerpienſes priuatim ſunt diuites, publice pauperes. De communi igitur ærario hic locus obſeruatione eſt digniſſimus.

1. Pars.

2. Pars.

Romanæ Reip. idem vitium.

CAPVT. VIII.

TAXANTVR hoc capite 4. fere vitia Reipublicæ Cretenſis, priori geminæ & cognatæ & peræque celebris: de qua & *Plato in libris de legib.*

TEXTVS.

Cretenſis vero Reſpublica finitima quidem huic eſt, habet autem pauca quidem non peius, plæraque vero minus polite. Etenim videtur & vero dicitur magna parte Laconica Cretenſem imitata, at priſca plæraque minus ſunt exquiſita, quam recentiora. Nam ferunt, Lycurgum poſt-

quam tutela Charilai Regis omiſſa peregrinari cœpit, maximam temporis partem tum in Creta verſatum eſſe propter cognationem. Erant enim Lyctii Lacedæmoniorum coloni. In coloniam autē aſſcripti legum deſcriptionem apud incolas florentem ſuſceperunt. Quare hodieque pericœci item iis vtuntur, quaſi Minos primus huius legum deſcriptionis fuerit auctor. Videtur autem Inſula & ad Græciæ imperium natura facta & bene ſita. Imminet namque omni mari, omnibus fere Græcis ad mare accolentibus. Nam hac quidem parte exiguo interuallo diſtat à Peloponneſo, illa vero ab Aſia Verſus Triopium & Rhodum. Quare & maris imperiũ tenuit Minos & ex Inſulis has quidem ſubegit, illas vero incolis frequentauit, tandem & Siciliam aggreſſus prope Camicum vita exceſſit.

COMMENTARII.

H' δὲ κρητικὴ.] Prius has duas ciuitates Cretēſem & Spartanam inter ſe comparat. quam Cretenſis vitia & peccata cōmemoret Et quidem primo cauſam ſimilitudinis & cognationis inter has duas ciuitates exponit, hoc vniuerſe p̄monito: Cretenſis quidem Reipub. inſtituta non pauca meliora quidem eſſe Laconicis, ſed minus expolita. Cretica magis eſſe obſoleta, & barbariem redolentia. Cuius differentiæ rationem & cauſam hanc affert, quod recentiora pleraque vetuſtis ſint expolitiora, tempore nimirum & rerum vſu docente & res expoliente, vt ſupra dictum. Cur igitur hæ duæ ciuitates inſtituta multa habuerint ſimilia, cauſam exponit Ariſtoteles ex hiſtoria petitam, hanc, quod Lycurgus Reip. Spartanæ auctor in Creta diu ſit verſatus, iam tum bonis legibus florente, à Minoë latis antiquiſſimo legumſcriptore. Cur autem in Cretam potius profectus ſit Lycurgus, hanc affert cauſam, quod Lyctii, quæ eſt Cretæ ciuitas, Lacedæmoniorũ ſint coloni, fratres & amici. De hac Lycurgi peregrinatione *Plut. in Lycurgo & Cleomene.* Nam Lycurgi frater

Cretēſis & Spartana Reip. diſcrimen.

Ratio.

Cretenſ. & Spart. Reip. ſimilitudinis cauſa.

Cur Lycurgus in Cretam potius, quam alio, profectus.

ter Rex Lacedæmoniorum moriens cum vnum reliquiſſet hęredem Charilaum (ſic enim hîc legendum, nõ Cherillum) & Lycurgus pueri tutor Regnũ adminiſtraret, tandem puero adoleſcente, vt omnem à ſe auerteret ſuſpicionem occupandi Regni, poſtquam tutela abdicaſſet, & Regnum puero tradidiſſet: in Cretam abiit ad Lyctios colonos, qui & ipſi iam Minoica inſtituta ſuſceperant: quæ ille diligenter conquiſita & probata domum poſtea reuerſus in patriam attulit. Hæc igitur eſt cauſa cur hæ duæ ciuitates inſtitutis multis vtantur iiſdem & ſimilibus.

Διὸ καὶ νῦν οἱ περίοικοι.] Ait, *περιοίκους*, hoc eſt, Ruſticos & agrum Cretenſium colentes (hodie Græci vocant parœcos) ſua etiam ætate iiſdem vti inſtitutis: etſi vrbani aliis, fortaſſe nouis iam vterentur. Nam ſæpenumero morum veterum veſtigia in Ruſticis diutiſſime conſeruantur. Hæc autem eo pertinent vt doceat Ariſtoteles Cretenſium inſtituta eſſe antiquiſſima, & ab iis orta Laconica.

Δοκεῖ δ᾽ ἡ νῆσος.] Exorſus de Minoë & eius inſtitutis, attexit quædam de Minois & Cretenſium imperio & interitu. • Ait igitur, Cretam opportune eſſe ſitam ad totius maris mediterranei imperium obtinendum, atque adeo totius Græciæ: propterea quod Græcorum ciuitates pleræque eſſent maritimæ in vtroq; littore tam Aſiatico quam Europæo, à quibus vtrinq; non ita longo interuallo diſtet: etſi ab Aſiatico multo longiore. Situi igitur imperii cauſam tribuit, vt & tranquillitatis & incolumitatis diuturnæ, infra. Atq; hac de cauſa Minoëm quoq; mari imperaſſe: qui cum fines imperii lõgius proferre vellet, & Siciliam bello eſſet aggreſſus; tandem ad Camicum, Siciliæ vrbem, opera & inſidiis Cocali, Dædali, de quo malę Minos fuerat meritus, filii, interfectus eſt, vt eſt apud *Strabonem lib.6.*

TEXTVS.

Cretenſis autem inſtitutio Laconicæ reſpondet. Nam his quidem agros colunt Helotes, Cretibus vero Periœci: atque apud vtroſque ſunt ſodalitates. Et certe antiquitus Spartam vocabant non Phiditia, ſed Andria, vt Cretes: ex quo & intelligitur: illinc ortas. Præterea Reipublicæ deſcriptio,

ptio,id eſt,reſpondet. Nam Ephori quidem eandem habent poteſtatem, quam qui in Creta dicuntur Coſmi: præter quod Ephori quidem ſint numero quinque, Coſmi vero decem. Regnum vero prius quidem erat, poſtea ſuſtulerunt Cretes, atque in bello tenent imperium Coſmi. Concionis autem participes ſunt omnes: nullius vero rei eſt domina, quam vt ſuffragijs confirmet, quæ ſenibus & Coſmis fuerint probata.

COMMENTARII.

Ἔχει δ' ἀνάλογον.] Hoc loco exponit iam ſimilitudinẽ ſiue *Similitudo vtriuſque Reip.*
inſtituta ſimilia Reipub. Cretẽſis & Spartanæ, eaq; quinque,
primo Helotibus Lacedæmoniorum ſimiles eſſe Cretẽſium
periœcos: ſecundo quia vtriq; ciuitati ſuæ ſint ſodalitates, 2.
& quidem olim eodem nomine, Andriorum: quod ait eſſe
apertiſſimũ argumẽtum, ſodalitates Lacedæmonias à Cretenſibus ortas: quia Laconicæ antiquitus idem habuerint
nomen: tertio, quia eadem fuerit poteſtas & imperium E- 3.
phororum Lacedæmone, quæ Coſmorum in Creta, numero tantum differebant: quarto, quia & ſenatus vtrobique par 4.
fuerit: poſtremo, quia vt Lacedæmone erat Regnum, ita & 5.
in Creta olim fuerit; poſtea ſublatum, tradito imperio Coſmis, vt Romæ conſulibus.

TEXTVS.

Ergo de ſodalitatibus quidem melius eſt apud Cretes quam Spartanos. Nam Lacedæmone quidem in capita quiſque confert, quod eſt præfinitum: quod ſi non, vetat lex Reipublicæ eſſe participem, vt & prius dictum: in Creta vero communis. Nam ex omnibus & fructibus & pecoribus & vectigalibus, quæ Periœci penſitant, publicis, pars eſt præſcripta; hæc quidem ad Deos & publica munera, illa vero ad ſodalitates, vt de publico alantur omnes & mulieres, & pueri, & viri. Ad vi-

ctus autem tenuitatẽ, vt rem vtilem, multa commentus eſt legumſcriptor, atque ad mulierum diſiunctionem, ne multos procreent liberos, inducto puerorum concubitu; de quo recte ne an ſecus, alius erit diſputandi locus. Hoc certum, de ſodalitatibus melius deſcriptum eſſe apud Cretes, quam apud Spartanos.

COMMENTARII.

1. Reip. Cretum vitiũ. Expoſita iam cognatione & ſimilitudine harum duarum ciuitatum, nunc tria fere earundem inſtituta perpendit, melius ne ea ſe in Creta habeant, an Lacedæmone: qua collatione aperiuntur & Cretenſis Reipub. vitia. Primum igitur de ſodalitatibus; & has in Creta melius eſſe deſcriptas, quã Lacedæmone, docet hac ratione, quod Lacedæmone ſumptus fieret ex priuatis cuiuſque reditibus, in Creta ex publicis vectigalibus. Cur autem hoc illi præſtet, explicatum eſt ſupra capite priore.

De vectigalibus Cretenſium. Ἀπὸ πάντων γὰρ τῶν γινομένων.] Ait, periœcos in Creta vectigalia penſitare ſolitos partim ex fructibus, partim ex pecoribus, vt ruſtici alii ſunt agricolæ, alii paſtores: quæ præter duo vectigalium genera eſt & tertium ex mercibus & rebus importandis & exportandis. Horum autem vectigaliũ vſum facit triplicem; partim ad rem diuinam, partim ad vſus publicos, partim ad ſodalitatem. Hic igitur locus de vectigalium generibus & vſu licet breuis, tamen obſeruatione eſt dignus.

2. Inſtituta Minois quædam. Πρὸς δὲ τὴν ὀλιγοσιτίαν.] Interiicit Ariſtoteles duo Minois inſtituta, vel in quibus magnam poſuerit operam: prius de victus tenuitate, alterum de liberorum paucitate. Nam Minos hoc egit, vt ne liberorum multitudine agri tandem ciuibus alendis eſſent impares. Cui liberorum paucitati efficiendæ viam hanc & rationem adhibuit, puerorum cõcubitum, quo contenti mulieres non ita ſequerentur. De quo & conſilio & modo ſeu ratione Minois etſi diſputationem reiicit Ariſtoteles in aliud tempus ſeu alium locum: tamen & conſilium non ſatis Reipublicæ eſt vtile, cui ciuium multitudo, ſaltem modica, eſt neceſſaria, vt infra *lib. 7.* & modus ſeu ra-

tio

tio prorſus eſt flagitioſa & nefaria, ipſi naturæ & rationi inimica. De hac re & ſupra nonnihil, vbi de Celtis.

TEXTVS.

De Coſmis autem etiam deterius quam de Ephoris. Nam incommodum quidem, quod in Ephororum imperio, & in his ineſt. Fiunt enim quilibet: quod vero ibi ad Rempublicam conducit, hic non eſt. Nam ibi quidem, quia deſignatio ſit ex omnibus, populus ſummi imperij particeps Rempublicam ſaluam eſſe cupit: hic vero non deſignantur ex omnibus Coſmi, ſed ex quibuſdam gentibus & ſenes ex ijs qui Coſmi fuerint, de quibus eadem quis dicat, quæ de ſenibus Spartanis. Nam immunitas rationum referendarum, & perpetuitas, iuſto maiora ipſis ſunt præmia: atque imperare non ex ſcripto, ſed pro ſuo arbitratu plenum eſt periculi. Quod autem populus non particeps quieſcat, nullum eſt argumentum bonę deſcriptionis bonæ conſtitutionis. Neq; enim Coſmis aut Ephoris quæſtus aliquis ſuppetit, vt corruptoribus longe ab Inſula remotis. Medicina autem, quam huic vitio adhibent, abſurda eſt, eaque non ciuilis, ſed factioſa. Sæpe namque coitione facta Coſmos eijciunt vel ipſi collegæ vel priuati. Eſt autem poteſtas & Coſmis interea imperio abdicare. Hæc autem omnia lege præſtabat fieri, quam hominum arbitrio. Nam norma non eſt tuta. Omnium vero vitioſiſſima eſt potentum petulantia, qua ſæpe vtũtur, cum pœnas dare nolint. Qua ex re & perſpicitur, eſſe quidem aliquam Reipublicæ inſtitutionem, verum non eſſe Rempublicam, ſed factionem ſeu Dynaſtian potius. Con-

ſuerunt autem diſiunctis populo & amicis Regnum inducere & tumultuari,& inter ſe pugnare. Atqui quid differt hoc ab illo, quod tempore aliquo nulla amplius ſit ciuitas, ſed diſſoluta ſit ciuitatis ſocietas. Magno eſt autem cum periculo ciuitas,in qua qui velint,poſſint quoque eam inuadere. Cæterum loco,vt dictum eſt,manet incolumis. Nam peregrinorum eiectionem longe remouit. Quare & de Periœcis conſtitutio manet Cretenſibus: Helotes vero ſæpe deficiunt. Nam neque externa habent imperia Cretes, & recens bellum externum in Inſulam eſt illatum, quo legum earũ infirmitas fuit patefacta. Itaq; de hac quidem Repub. hæc à nobis ſint explicata.

COMMENTARII.

Coſmorum collatio cũ Ephoris.

Τὰ δὲ περὶ τοὺς κόσμους.] Comparat hoc loco Coſmos cum Ephoris. Nam vtriſq; quidem commune ineſſe vitium hoc, quod deſignentur & deligantur,non ex optimo quoque,ſed ex quolibet: verum hoc præcipuũ eſt in Coſmis peccatum, quod non ex omni populo, ſed ex certis tantum gentibus & familiis deligerentur: qua re fiebat, vt Lacedæmone plebs, vtpote ſummi imperii particeps, Rempub. ſaluam eſſe vellet, in Creta non item, vtpote ſummi magiſtratus expers; quemadmodum Romæ olim de conſulatu multas ſæpe ſeditiones mouit.

II. Vitium Reip. Cretenſium.

Καὶ τοὺς γέροντας ἐκ τῶν κεκοσμηκότων.] Alterum Reipublicæ Cretenſis vitium in ſenatu, idem fere, quod in Lacedæmonio ſupra reprehendit. Primo, quod ſenatores eſſent perpe-
1. tui, eaque re immunes à referendis rationibus. Fiebat dein-
2. de, vt cauſas ciuium diiudicarent non ex iure & legibus ſcriptis,ſed ex ſuo arbitrio.

Πρόληψις.

Τὸ δ' ἡσυχάζειν.] Occurrit Ariſtoteles tacitæ quæſtioni, de Coſmis, quos reprehendit Ariſtoteles, quia deligerentur ex certis familiis; qua ex re fieret, vt multi patriam non velint eſſe ſaluam. Cui Ariſtotelis reprehenſioni occurrẽs quis dicat, nullos tamen vnquam motus plebem in Creta excitaſſe.

taſſe. Reſpondet Ariſtoteles, hanc tranquillitatem & ſeditionum vacuitatem non ſatis magnum eſſe argumentũ bonæ Coſmorum conſtitutionis. Nam huius tranquillitatis aliæ poſſunt eſſe cauſæ. Affert autem hanc, quod Coſmis nõ eadem ſit corruptelæ occaſio, quæ Ephoris: propterea quod Coſmi ſint in inſula, & proinde ab aliis, qui eos corrumpere poſſint, diuiſi.

Ἦν δὲ ποιοῦνται.] Tertium hoc Reipublicæ vitium in iiſdem Coſmis, in quibus cum peccatum eſſe iam docuit, eius peccati & morbi medicinã alio peccato Cretes ſanare oſtendit, nimirum quod Coſmos magiſtratu non recta ratione & modo deturbent, vel abdicare cogant; Alias namque coitione & turba facta eos pellunt & eiiciunt, quod non tam ciuilem ſocietatem quam factionem redolet: alias vero ipſos ſuo arbitratu abdicare permittunt; quod lege & præſcriptione ſeu ordine certo præſtabat fieri. Nam, vt eleganter ait, voluntas & arbitrium hominis norma eſt non ſatis tuta. *III. Vitium*

Πάντων δὲ φαυλότατον.] Quartum huius Reipublicę peccatum in principum ſeu potentiorum impotentia & petulantia notat. Solitos namque ait, diſtracta in duas velut factiones multitudine ciuium, aſcitis vtrinque ſuis amicis & clientibus, inter ſe depugnare, vt & Romæ & Athenis, *Cic. lib.1. Offic.* Quod vitium Ariſtoteles ait omnium eſſe grauiſſimum, eoq; fieri vt dicere quis poſſit Cretenſem Rempub. vix mereri nomen Reipublicæ, ſed eſſe factionem potius quãdam ſeu dynaſtiam, quæ Oligarchiæ eſt pars deterrima, infra *lib.4.* Nam his diſſidiis & diſtractionibus gliſcentibus & vigentibus, nemo certe ciuitatem eſſe dixerit, id eſt, ciuilem ſocietatem. Eodem vitio accidere ait, vt ſummo ſemper in periculo & metu ſit Reſpub. ne his diſſidiis Rempublicam aliquis inuadat & tyrannus exſiſtat vt Romæ Cæſar. *IV. Vitium.*

Ἀλλὰ καθάπερ εἴρηται.] Occurrit tacitæ velut quæſtioni. Nam, cur ergo, inquiet aliquis, Cretenſis Reſpub. tamdiu manet incolumis? Reſpondet, hoc fieri non per ſe, id eſt, nõ propter ipſam Reipublicæ bonam inſtitutionem, ſed ex euentu, ratione nimirum loci & ſitus. Nam diuiſi à continente non ita metuunt ab externo hoſte, longius ab illis, mari interiecto, remoto. Quem loci ſitum cauſam quoque eſſe ait, cur eorum ruſtici ſeu periœci aduerſus illos non conſpirent, contra atque de Ephoris & peneſtis ſupra dictum eſt,

nimi-

nimirum quod hi vicinos habeant, quibus cum aduerſus ſuos conſpirent, illi non item. Obſeruandus eſt igitur hic locus de ſitu cauſa incolumitatis ex euentu. Quæ eadem cauſa conſeruat & Venetos, & Heluetios, & Anglos.

Νεωσὶ τε.] De hoc externo aduerſus Cretes bello amplius quærendum: poſtea certe à Romanis vno & breui bello ſunt domiti, duce Metello.

CAPVT IX.

EXPLICAT hoc cap. de Repub Carthaginenſium, vt quæ & ipſa ex numero celebriũ ea tempeſtate Rerumpubl. eſſet. Nam & *Iſocr. lib. 2. ad Nicoc.* duas tantum commemorat ciuitates, Spartam & Carthaginem, quarum inſtituta reliquis fuerint præſtantiora. Eius & Plato cõmeminit apud *Plut Laert. in vita Plat. in fi.* De eiuſdem Reipublicæ inſtitutis quædam reperiuntur apud *Polyb.* & apud *Liuium dec. 3. & 4. multis in locis*; maxime in quodam loco, vbi de ærario agit. Hoc igitur caput de ea explicat, & priore

1. Part. quidem parte eam cum Laconica comparat, poſteriore præ-

2. ter commmnia reliquarum etiam ciuitatum hic omiſſa, duo præcipua huius Reipub. peccata ſeu vitia exponit.

TEXTVS.

Videntur autem & Carthaginenſes præclaram conſtitutam habere Rempublicam, & multa præter alios egregie, quædam vero maxime Laconicis ſimilia. Nam tres hæ Reſpublic. cum inter ſe ſunt vicinæ quodammodo, tum alijs longe antecellunt, Cretenſis, Spartana, tertiaque harum Carthaginenſis. Atque multa apud eos præclare ſunt inſtituta, cui rei argumento eſt, quod, licet popularis, tamen permaneat in Reipubl. deſcriptione, & neq; ſeditio, quæ quidem ſit memoratu digna, exſtiterit, nec tyrannus Romæ.

COMMENTARII.

De præſtãtia Reipub. Carthag. Πολιτεύεσθαι δὲ δοκοῦσιν] Laudat Rempublicam Carthaginenſium à præclaris inſtitutis, cum tamen magnam partem eſſet

eſſet popularis : quæ præter cætera Rerumpub. genera ob populi mobilitatem & rerum nouarum auiditatem facile ab antiquis moribus & inſtitutis diſcedere ſolet, & in qua ſæpe maximi motus & diſſidia, & hinc tyrannides, vt Romæ, exſiſtere ſolent : quibus omnibus, mutatione, ſeditionibus & tyrannide quia caruit hæc Reſpub licet popularis : efficitur neceſſario, eam præclare fuiſſe temperatam Monet deinde has tres ciuitates, Cretenſem, Spartanam, & Carthaginenſem facile fuiſſe inter ſe ſimiles, vti mox docebit, & reliquis omnibus Rebuſpub. antecelluiſſe. *Similitudo Reip. Carthag. Cret. & Spart.*

TEXTVS.

Multa autem habet Reipublicæ Spartanæ ſimilia inſtituta : conuictus quidem, Collegiorum phiditijs, centum vero quatuor-virûm Magiſtratum Ephoris : præter quod melius. Nam hi quidem ſunt ex quibuslibet, illum vero magiſtratum deligunt viritim. Reges autem & Geruſian reſpondentem illorum Regibus & Senibus. Atque melius Reges non eſſe ex eodem genere, eoque non quolibet : etſi ex præſtante magis ſuffragio delectos, quam ex ętate. Nam humiles magnarum rerum facti domini magnopere nocent, & Reip. Lacedæmoniorum iam nocuerunt.

COMMENTARII.

Ἔχει δὲ παραπλήσια.] Exponit quibus in rebus hæ duæ ciuitates Carthaginenſium & Lacedæmoniorũ ſimiles fuerint. Nam phiditiis Laconicis non abſimiles fuiſſe ſodalitates Carthaginẽſium, quæ videntur fuiſſe certa quædam corpora ſeu collegia vel magiſtratuum, vel ciuium, vt opificum, mercatorum, &c. *Similitudo Reip. Carthagin. & Spart.*
1. ſecundo magiſtratum centum quatuor-virorum Ephoris fuiſſe ſimilem, poteſtate nimirum & imperio, non ratione ſeu modo creandi : nam hac parte Carthaginenſium magiſtratum Spartano præſtitiſſe, quod Ephori ex omni plebe, & quibuslibet, centum quatuor-viri ex optimo quoq; conſtituerentur. *2.*
Tertio, vt Lacedæmone Reges & Geruſian, ita & Carthagine fuiſſe & Reges & ſenes *3.*

illis

illis reſpondentes. Verum hac quoq; in re, de Regibus, in, quam, Carthaginenſem Spartanæ Reipubl. præfert: quod Lacedæmone Reges ex vno eodemque Heraclidarum genere Reges eſſent iure hæreditario: Carthagine non ex vno, ſed ex pluribus, iisq; præſtantioribus, & quidem non tam iure hæreditario, quam delectu & ſuffragiis. Nam ex optimis quidem quibuſque generibus Carthagine Reges ſumebantur, ſed non tam qui ætate, quam qui virtute reliquis eiuſdem generis præſtarent. Et hoc diſcrimen Regni Spartani & Carthaginenſis commemorat & *Plato apud Laertium*.

Cur plebi non ſint cõmittẽdi magni magiſtratus.

Μεγάλων γδ.] Præclara eſt hæc ſententia: humilibus ſeu de plebe & medio ſumptis hominibus magna imperia non eſſe committenda: quia magnorum compotes facti imperiorum, magna faciant peccata. Exemplum affert ex Ephoris Lacedæmoniis, qui homines fere de infima plebe propter ſummam imperii poteſtatem ciuitatem perdiderint, vt ſupra *cap. 7*.

TEXTVS.

Itaque præclara quidem, quę propter deflexiones reprehendantur, communia ſunt omnibus prioribus Rebuſpublicis: ex ijs vero quæ ad ſcopũ Ariſtocratiæ & Reipublicæ ſpectant, hæc quidem magis vergunt ad populum, illa vero ad Oligarchiam. Nam eorum, quę ad populum vel referuntur vel non referuntur, Domini ſunt Reges, ſi omnes conſentiant; ſin minus, horum & populus. Quæ autem hi retulerint, non tantum audiendi poteſtatem populo faciunt ea, quæ magiſtratibus viſa fuerint, ſed iudicandi quoque poteſtatem habent, & cuique volenti licet ijs, quæ ſint relata, contradicere: quod alijs in Rebuſpublicis non eſt receptum. Quinqueviratus autem multarum magnarumque rerum Dominos ex ipſis deligi, atq; hos à centumviratu, ſummum magiſtratum: longiore præterea tempore, quam cæteros durare (nam & præteriti & futuri imperant:) id vero eſt Oligar-

Oligarchicum : ſine mercede vero & non ſorte creatos, id & ſi quid eius generis aliud, Ariſtocraticum eſt ponendum : atque cauſas à magiſtratibus diiudicari omnes, non alias ab alijs, vt Lacedæmone.

COMMENTARII.

Τὰ μὲν οὖν πλεῖστα.] Altera huius capitis parte peccata Reipubl. Carthaginenſis duo aperit & refellit, quæ quidem huius Reipub. ſint propria. Nam quæ in prioribus duabus ciuitatibus reprehendit, ea tanquam communia & iam ſatis reprehenſa omittit. Prius igitur huius Reipublicæ proprium peccatum eſt in hypotheſi, ſcopo, & conſilio Reipublicæ ſeu eius forma. Nam cum huius Reipublicæ forma ex Ariſtocratia & Politia fuerit temperata, eaque propter omnia Reipublicæ inſtituta partim ad Ariſtocratiam, partim ad Politiam ſpectare debeant; docet Ariſtoteles ex inſtitutis quædam non ad Ariſtocratiam, ſed ad huius deflexionem, oligarchiam; quædam non ad politiam, ſed ad huius deflexionem Democratiam fuiſſe accommodata; atque ita à ſcopo aberratum, idq; culpa ipſius legumſcriptoris. Nam oligarchica quidem ſeu oligarchiam redolere magiſtratuum ſummorum & deſignationem & diuturnitatem. Erant namque Carthagine duo ſummi magiſtratus, Quinqueuiratus & Centumuiratus, quorum hæc erat ratio deſignandorum, vt quinqueuiri non ex optimo quoque, neq; ab omni ciuitate, ſed ex ipſis Centumuiris, & ab iiſdem, id eſt, eorum arbitratu deligerentur : quod oligarchicum eſſe intelligetur ex libro 4. Deinde oligarchicum & hoc eſt, quod iidem in perpetuo fere ſint magiſtratu, adminiſtrato ſcilicet centumuiratu, quia fiant poſt quinqueuiri: qua continuatione fit, vt diutius in magiſtratu hi ſint, quam reliqui omnes in eadem Repub. quod ipſum eſt oligarchicum, prorogare ſibi imperia, & continuare magiſtratus. His igitur duabus in rebus Reſpub. Carthaginenſis ad oligarchiam potius quam ad Ariſtocratiam ſpectare videtur. Iã vero ad Democratiam hac in Republica ſpectat, quod nimiam populo faciat poteſtatem probandi vel improbandi à Senatu & Regibus ante decreta. Nam ita Ius fuit Carthagine, vt ſi qua Senatus cum

1. Vitiũ peculiare huic Reip.

1. Inſtitutũ Oligarchicum.

2. Inſtitutũ Oligarchicum.

Inſtitutum Democraticum.

Regibus ante deliberarit, ſiquidem de his omnes conſentiant Reges & Senatores, iam ea erant rata & firma, neq; ad concionem ea neceſſe erat referre; ſed ſi diſſentirent, tum ad populum & concionem referri oportebat, non tantum vt ea populus audiret, ſed etiam vt diiudicaret, & de iis ſtatueret, quemadmodũ & Romæ in conuitiis populus probabat vel abrogabat. Verum hæc nimia populi eſt poteſtas, in aliis, inquit Ariſtoteles, ciuitatibus vix nota. Atque ita hunc obſcuriſſimum locum, τοῦ μὲν γὰρ τὰ μὲν προσάγειν, accipiendum puto. vbi in his verbis, ἂν ὁμογνωμονοῦσι πάντες, ἔλλειψιν quandam ineſſe putant *Budæus*, *Duarenus lib. 1. diſput. cap. 30. &* *Sepulueda*, *& Lambin.* vt intelligantur hæc verba, κύριόν ἐστι id eſt, ratum eſt, nimirum quod Senatores & Reges cõmuni ſentẽtia & cõcorde conſtituerint. Verũ ea ἔλλειψις mihi non videtur neceſſaria, ꝙ his verbis, οἱ βασιλεῖς κύριοι, id ſatis cõtineatur. Quam autem Ariſt. populi Carthaginẽſis nimiam poteſtatem hic reprehendit, eam ſuo tempore multo iam auctiorem grauiſſime taxat *Polyb. lib. 6.* vbi Rempub. Carthaginenſem cum Romana comparat. Nam Cretenſem, etſi à multis laudatam, vix idoneam tamen & ſatis dignam iudicat, quæ cum iis tribus comparetur.

Τὸ δὲ ἀμίσθους καὶ μὴ κληρωτὰς] Etſi iam docuit inſtituta huius Reipubl. partim eſſe Democratica, partim Oligarchica, quædam tamen & Ariſtocratica ſupereſſe monet: primũ, quod magiſtratus capiantur & gerantur ſine ſtipendio, vel honorario, vt & Romæ. Cur autem hoc ſit Ariſtocraticum, hæc, ni fallor, eſt cauſa: quia in Ariſtocratia virtutis tantum, & eius præmii, honoris & gloriæ, habeatur ratio, non quæſtus. Deinde, quod magiſtratus nõ ſorte, ſed ſuffragiis mandarentur: in ſorte eadem eſt boni & improbi ratio, in ſuffragiis non item, in quibus vel virtutis, vel diuitiarum & generis ratio haberi poteſt. Præterea quod iudicia non eſſent diuiſa, vt Lacedæmone, vbi de capite iudicabat Senatus: Ciuiles cauſas Ephori, & quidem alius aliam, id eſt, hic de nuptiis, ille de teſtamentis, ille de cõtractibus, infra *lib. 9. cap. 1.* At Carthagine omnes cauſæ tam ciuiles quam capitales ab iiſdem iudicabantur. Erant & alia quædam Ariſtocratiam redolentia, quæ prætermittit.

1. Inſtitutũ Ariſtocraticum.
Ratio.
Vnde & Plutarch. præcept. Polit. pa. 1466 χρηστὸν μὲν εἰς ἔνια *&c.*
2. Inſtitutũ Ariſtoc.
Ratio.
3. Inſtitutũ Ariſtocraticum.
Cætera.

TEX-

TEXTVS.

Carthaginenſium autem deſcriptio ab Ariſtocratia ad Oligarchiam deflectit, maxime opinione quadam, quæ eſt in multis. Opinantur namque, magiſtratus deſignandos eſſe non virtutis tãtum, ſed diuitiarum quoque habita ratione; quia fieri nequeat, vt egens bene præſit & otium agat. Si igitur deſignari ex diuitijs quidem eſt Oligarchicũ, ex virtute vero eſt Ariſtocraticum: tertia hæc ſit deſcriptio, qua Carthaginenſium Reſp. eſt temperata: nam habita ratione horum duorum, deſignant & maxime ſummos magiſtratus, Reges, inquam, & Imperatores. Exiſtimandum eſt igitur, hanc ab Ariſtocratia deflexionem culpa eſſe legum ſcriptoris. Nam principio hoc, vt maxime neceſſarium, videndum fuerat, vt optimi in otio eſſe ſine fœditate poſſent, non ſolum in magiſtratu, ſed priuatim quoque. Quod ſi otij cauſa & diuitiarum eſt habenda ratio; vitioſum certe, ſummos magiſtratus eſſe venales, Regnum & belli præturam. Nam hæc lex facit, vt diuitiæ maiore ſint in precio, quam virtus, totaque ciuitas vt auaritijs ſit dedita. Quod autem apud Principes in precio fuerit, neceſſario & aliorum ciuium exiſtimatio his conſequetur. Iam vero vbi virtus non ſummo fuerit in honore, fieri non poteſt, vt hæc Reſp. conſtanter ſit Ariſtocratica. Rationi autem eſt conſentaneum, eos lucro aſſuefieri, qui magiſtratum emerint, & cum ſumptu adminiſtrarint. Abſurdum namque, pauperem quidem, ſed virum bonum, quæſtui operam daturum: improbum vero, & quidem ſumptu facto, non item,

Quare oportet eos qui ex virtute præeſſe poſſint, præeſſe. Melius autem fuerat, quando legumſcriptor bonorum paupertatem neglexerat, ſaltem magiſtratuum otij curam habuiſſe.

COMMENTARII.

Excuſatio quorūdam, cur magiſtratus non tantum bonis, ſed diuitibus quoq; mandandi.
Ratio.
Refutatio.

Παρεκβαίνει.] Quod ſupra docuit, Rempublicam Carthaginenſium quadam parte ab Ariſtocratia deflectere ad Oligarchiam, & reprehendit: id hoc loco monet à quibuſdam excuſari, hac quidem ratione & cauſa; quod in magiſtratibus mandandis habenda ſit ratio non virtutis tantum, ſed diuitiarum quoque. Quid ita? Quia tenuioribus tantum non ſit otij, vt relictis ſuis rebus priuatis, publicis tantum dent operam: hac opinione fieri ait Ariſtoteles, vt Carthagine ſi non omnes, ſaltem ſummos magiſtratus, Reges & Imperatores, crearent, tam virtutis quam diuitiarum habita ratione. Verum Ariſtoteles hanc opinionem Reipublicæ pernitioſam eſſe oſtendit: propterea quod ea ratione magiſtratus, & quidem ſummi fiant venales, hoc eſt, non mandentur tenuioribus, licet optimis viris. Iam vero magiſtratuum venditio cum alia habet incommoda & mala, tum hoc non minimum, quod ciuibus ingeneret auaritiam ſeu pecuniæ ſtudium. Nam vbi magiſtratus ſunt venales, ibi proculdubio diuitiæ maiore ſunt in precio quam virtus: quibus diuitijs parandis cum reliqui ciues principes deditos eſſe viderint, & ipſi eorum exemplo idem ſtudium ſequentur. Nam, vt præclare *Cic.lib.3.de legib.* ſi memoriam, inquit, temporum replicare velimus; reperiemus, tales fuiſſe ciues, quales in Rep. fuerint principes.

Δεῖ δὲ νομίζειν.] Fatetur Ariſtoteles, ijs qui in magiſtratu ſint futuri omnia ad vſus vitæ neceſſarios vtilia ſuppeditare oportere, ne diſtineantur vel inquinentur ſordidis artibus exercendo victum, quibus partim negligitur Reſpubl. partim dignitas eius imminuitur. Hæc igitur his de cauſis ſuppeditare ijs debere fatetur: qua tamen ex re non effici, vt diuitiarum habenda ſit ratio in mandādis magiſtratibus, cum legumſcriptor prouidere hoc ipſe potuerit, viris bonis vt tātum ſuppeditet, quo magiſtratui gerēdo vacare poſſint: quin etiam legisſcriptor curare debet, vt viri boni ſi non ſint copioſi,

pioſi, cum erunt priuati, ſaltem vt ne egeant, cum magiſtratum erunt adminiſtraturi: etſi boni legum ſcriptoris officium eſt curare, cum vt nemo egeat, tum minime viri boni. Quod quia Carthaginenſium legiſſcriptor neglexit, merito eum accuſat Ariſtoteles, vt auctorem auaritiæ & ſtudij quæſtus.

Ὅτι δ᾽ ἂν ὑπολάβῃ.] De hac ſententia, qua Principum mores & vitam reliqui ciues fere ſequuntur, iam dictum. Alluſum autem hîc mihi videtur ad verba *Platonis lib. 8. de Rep ub.* τιμωμένου δὲ τοῦ πλούτου Qua in ciuitate diuitiæ ſint in precio, in ea iacere virtutem.

TEXTVS.

Vitioſum autem & hoc eſſe videatur, multos eundem gerere magiſtratum, quod apud Carthaginenſes eſt in vſu. Opus namque ab vno optime perficitur; quod vt fieri poſſit, videndum eſt legumſcriptori: neque iubendum, vt vnus idemque ſit tibicen & ſutor. Itaque vbi ciuitas non erit parua; ciuilius eſt & popularius, plures eſſe magiſtratuum participes. Nam & communius, vt diximus, & melius, pulcrius ac citius eorum quidque perficitur; quod perſpicuum in rebus bellicis & nauticis. In his namque vtriſq; per omnes, vt ita dicam, commeat imperare & parere.

COMMENTARII.

Φαῦλον δ᾽ ἂν δόξειεν εἶναι.] Alterum Carthaginenſis Reipublicæ vitium, quod vni eidemque plures magiſtratus eodem tempore mandarentur. Nam in magna certe ciuitate, vbi propter ciuium multitudinem facile reperiri poſſint multi idonei, quibus ſinguli mandentur magiſtratus: In magna, inquam, ciuitate & frequẽte melius eſſe ait, vt non vni multa, ſed ſingulis ſingula mandentur imperia: idque duabus rationibus. Prior eſt, quia ea rerum eſt natura, vt ſingulæ à ſingulis melius & exquiſitius perficiantur: argumento ſint artes vulgares, quas qui multas vnus diſcit, nullũ fere apoteleſma & perfectum opus relinquere ſolet. Quare & *Plato in lib. de Rep.*

II. Vitium huic Reip. peculiare.

1. Ratio.

Rep. hoc crebro monet & cauet, ne quis multas artes vnus colat. Nam & *in Eraſtis* fere ait eſſe ἀδύνατον, non vt multas & præclaras, ſed vel vt duas quis artes plene poſſit cognoſcere. Quare & in re militari & in re nautica hoc diligenter obſeruari ait: adeo quidem, vt potius viciſſim imperent & pareant, quam vt multa vnus habeat munera. Altera ratio: quia ad ciuilem ſocietatem accommodatior hæc ſit ratio, qua ſinguli ſingulis mandentur magiſtratus. Quid ita? quia hac ratione fit, vt omnes tandem magiſtratuum & honorum fiant participes. Cæterum in parua ciuitate & infrequente neceſſario ſæpe vni multa mandantur imperia, infra *libro quarto*.

2. Ratio.

TEXTVS.

Republicâ autem Oligarchicâ, facile effugiunt diuitijs, ſemper partem aliquam populi emittentes ad oppida. Hoc enim ſanant & ſtabilem reddũt Rempublicam. at hoc fortunæ eſt opus. Oportet autem à ſeditione liberos eſſe legumlatoris operâ. Nunc vero ſi qua calamitas euenerit, & multitudo parentium defecerit; nulla eſt à legibus medicina tranquillitatis. Ad hunc igitur modum affectæ ſunt Reſpublicæ, merito quidem celebres, Spartana, Cretenſis & Carthaginenſis.

COMMENTARII.

Obiectio.

Ὀλιγαρχικῆς δ'] Docet, motus & ſeditiones in Republ. Oligarchica facile vitari & caueri poſſe, nimirum ditando tenuiores de plebe, quos ditari hac ratione docet, ſi interdum in colonias emittantur, in vrbes, inquam, occupatas, & in his bona ijs attribuantur. Quam rationem cum aliæ quædam nationes tenuerunt, tum Romani maxime celebrarunt. Verum Ariſtoteles hanc rationem non ſatis probam eſſe oſtendit, qua motus vitentur: propterea quod ex fortuna potius pendeat, quam ex Reipublicæ bona conſtitutione & legumſcriptoris ſapientia. Quid enim ſi nullæ occupentur vrbes, vel potius ſi amittantur, & clades accipiatur? Iam certe hæc nulla erit aduerſus motus medicina; quæ melius eſſe

Refutatio.

con-

concludit, otij & concordiæ vias & rationes non à fortunæ, ſed à legum ſcriptorum prudentia & ſtudio peti.

CAPVT X.

IN hoc caput varii Rerumpub. auctores legumq; ſcriptores coniiciuntur. Et primum quidem eorum exponit diſcrimina: deinde de Solone & Republica Athenienſium: poſtremo de aliis legumſcriptoribus, Zaleuco, Charonda, Onomacrito, Philolao, Dracone, Pittaco, & Androdamante Rhegino, etiam de Platone, maximè ſi quid noui & proprii quiſque habeat, exponit.

TEXTVS.

Eorum autem, qui de Rep. quid attulerunt, alij quidem rerum ciuilium ne vllarum quidem fuerunt participes, ſed vitam priuati tranſegerunt: de quibus ſi quid memoratu dignum, explicatum eſt fere de omnibus. Alij vero legumſcriptores fuerunt, quorum hi quidem ſuis ciuitatibus, illi vero externis, ſemper ipſi in Republica verſantes: & ex his hi quidem legum tantum fuerunt auctores, illi vero & Politiæ & Reipublicæ, vt & Lycurgus & Solo: hi namque & leges & Reſpublicas deſcripſerunt.

COMMENTARII.

Τῶν δὲ ἀποφηναμένων.] Eorum qui de Republica & ciuitatibus temperandis egerũt, duo ſumma facit genera, vt & ſupra *cap. 5.* alios namq; ex iis in Repub. verſatos eſſe, alios non item, ſed priuatos vixiſſe: & de his, priuatis, inquam, vt Phalea, Hippodamo & Platone, ſupra ſatis dictum & explicatum. Qui autem ipſi quoque in Repub. ſint verſati, hos rurſus partitur in duo genera: alios namque ex iis leges tantum ſcripſiſſe partim ſuis ciuitatibus & patriis, partim alienis, quo in numero plerique ſunt, quos infra commemorat, Zaleucus, Charondas, &c. qui nullam quidem ipſi nouam Reipublicæ formam induxerunt, ſed inſtitutæ iam Reipublicæ leges præſcripſerunt: alii vero & leges & Reſpublicas inſti- *Diſcrim Politicæ ſcriptorum.*

 tuerunt:

tuerunt: vt Lycurgus, & Solo, & Minos. De priuatis igitur iam eſt explicatum, reliquum de verſatis in Republica politicis iam explicare.

TEXTVS.

Et de Republica quidem Lacedæmoniorum iam eſt explicatum: Solonem autem alij quidem bonum fuiſſe legumſcriptorem putant, vt qui & Oligarchiam diſſoluerit nimis intemperantem, & populum ſeruitute liberarit, & Democratiam cõſtituerit patriam, pulcre temperata Republ. Nam Areopagiticum quidem Senatum eſſe Oligarchicum, magiſtratus vero ſuffragijs deſignari eſſe Ariſtocraticum, iudicia denique eſſe popularia. Videtur autem Solo illa quidem etiam ante recepta non ſuſtuliſſe, Senatum & Magiſtratuum deſignationem; populum vero ex omnibus conſtituendo iudicia inſtituiſſe. Quare & illum quidam accuſant, quod alterum ſuſtulerit, poſtquam iudicijs ſorte deligendis rerum omnium poteſtatem fecit. Nam ex quo hoc inualuit, populo tanquam tyrãno blandientes, Rempublicam in eam, quæ nunc eſt, Democratiam conuerterunt. Atque Senatum quidem Areopagiticum deminuit Ephialtes & Pericles: iudicia vero mercenaria fecit Pericles. Eoque modo quiq; fere Demagogi vſi auxerunt & produxerunt in eam, qua nunc vtuntur, Democratiam. Videtur autem non ex conſilio & mẽte Solonis, ſed caſu quodam id accidiſſe. Nam Medicis temporibus populus imperij naualis auctor magnos ſumpſit ſpiritus, & Demagogos nactus eſt improbos, bonis aduerſantibus. Siquidem Solo certe populo videtur tribuiſſe poteſtatem maxime neceſſariam, magiſtratus & deſignandi, &

rationes

rationes ab ijs repoſcendi. Nam ſi ne huius quidem rei Dominus ſit populus, ſeruus ſit & hoſtis neceſſe eſt. Magiſtratus autem ex honeſtis & locupletibus conſtituit omnes ex Pētacoſiomedimnis & Zeugitis & tertio cenſu, quem vocat Equitum: nam quarto opificum ſeu mercenariorum nullus patebat magiſtratus.

COMMENTARII.

Περὶ μ̀ ἦν τῆς.] Expoſitis tribus Politicorum generibus, quorum de primo iam ſit explicatum, reliquum eſt de aliis duobus iam explicare. iis, inquam, qui vel Reſpublic. quoque vel leges tantum deſcripſerint: horum autem principes fuiſſe Minoem, Lycurgum & Solonem conſtat: quorum de duobus prioribus quia ſupra explicatum, nunc de Solone & Repub. Athenienſium ab eo deſcripta. De Solone igitur aliter alios exiſtimare ait: nam ab his quidem laudari illum vt bonum legum ſcriptorem, ab aliis vituperari & reprehendi. Laudationis cauſas has affert, quod vetere diſſoluta Oligarchia, qua ſub paucorum tyrannide premerentur, tanquam ſerui, cæteri ciues, ciuitatem in moderatiorem Reipublicæ formam adduxerit, hanc nimirum, quæ popularis quidem videatur Athenienſibus iam antiquitus vſitata & probata, temperata tamen fuerit & mixta ex omnibus Reipublicæ generibus, oligarchica in ſenatu Areopagitico in quem cooptari ſolent non omnes, neq; optimi quique, ſed qui certis prius functi eſſent magiſtratibus, *teſte Polluce libr. 8. & Plut. in Pericle:* Ariſtocratica vero in modo & ratione deſignandorum magiſtratuum, ſuffragiis, non ſorte: quarum rationum hæc quidem eſt Democratica, illa vero Ariſtocratica, infra *lib. 4.* Democratica deniq; in iudiciis, quorum participes fecerit omnes ciues etiam de infima plebe. Hæ igitur ſunt cauſæ, cur multi Solonem laudarent, quia (inquam) ſublata paucorum tyrannide & populo in libertatem vindicato Rempublicam deſcripſerit æquabiliorem & modice temperatam. In his laudatoribus cum multi ſunt alii, tum maxime *Iſocr. in Areopagit.* vbi eadem & iiſdem pene verbis, quæ hîc, ſed vberius explicantur. Reprehenſorum autem hæc fuit cauſa & ratio; quod populo nimiam poteſtatem

Iudiciū aliorum de Solone.

Laudes.

Inſtitutum Solonis Oligarchicum.

Inſtit. Ariſtocrat.

Inſtit. Democrat.

Vituperantiū rationes

ſtatem largitus videatur in Iudiciis, in quibus omnium pene rerum poteſtatem eſſe voluit. Nam hac ratione tandem effectum, vt Reſpub. ad extremam & deterrimam Democratiam prolaberetur, Demagogis populo blandiri ſtudentibus, & diminuta principum auctoritate populi poteſtatem paulatim amplificantibus. In his Demagogis fuerunt Pericles & eius collega & amicus Ephialtes, qui Areopagi auctoritatem magnopere labefactarunt, vt ait Ariſtoteles & *Plut. in Pericle.* Idem Pericles & iudicia quæ erant penes populum fecit mercenaria: ſportulas, inquam, illis decreuit, mercedem procuratorum: vt hac quoq; ratione auxerit populi opes. Themiſtocles quoque Piræi ædificatióne populi poteſtatem auxit, vt eſt apud *Plut in Themiſt.* Tales Demagogi fuerunt & Cleon, Hyperbolus, & ipſe Demoſthenes. Huius igitur inclinationis ad extremã Democratiam quia primus auctor videtur Solo, communicandis cum populo iudiciis: ea re in aliorum reprehenſiones incurrit: Ariſtoteles Solonem excuſat, atque adeo laudat eius deſcriptionem temperatiorem. Excuſat; quia cauſa, cur ciuitas Athenienſium ad extremam Democratiam recideret, non tam ex Solonis cõſilio & voluntate, quam ex fortuna & caſu quodam pendeat. Nam Athenienſes, Medis & Perſis magna illa nauali victoria ad Salaminem ſuperatis, hac victoria elati, cuius maxime fuerit auctor populus, magnos ſibi ſpiritus & arrogantiam ſumpſerunt, vt ex hac victoria maris quoq; & triremium Græcarum imperium ab omni Græcia ſint conſecuti, à Lacedæmoniis ad illos translatum. Hanc igitur victoriam & imperium nauale cauſam potius licentiæ & inſolentiæ popularis quam Solonem fuiſſe ait Ariſtoteles: quod ex eo præterea oſtendit, quia Solo infimæ plebi nullam fere poteſtatem conceſſerit, nihil cum illa communicarit, præterquam neceſſaria. Nam cum quatuor fuerint claſſes Athenis, quarum in prima qui erant, Pentacoſiomedimni à reditu quingentorum medimnorum dicebantur: in ſecunda equites, quorum reditus erat trecentorum medimnorum: in tertia Zeugitæ quaſi iugales, quorum reditus erat ducentorum medimnorum: in vltima qui erant, Thetes nullo cenſu æſtimati vt baiuli, mercenarii, & tenuiſſimi opifices, fex denique ciuitatis dicebantur. *Plut. in Solone, & Pollux lib. 8.* Ariſtoteles hoc loco equitum claſſem & cenſum tertio loco conſti-

Sportula in dicum.

Ariſtotelis iudicium.

1. Argum. ab hiſtoria & re geſta.

2. Ratio.

conſtituit. Cum igitur in tribus primis claſſibus eſſent honeſtiores & ditiores, in quarta tenuiores: Solo ita Rempublicam ſuam temperauit, vt tribus primis claſſibus Ius dederit capiendi magiſtratus, vltimæ non item, ſed creandi tantum, & rationes ab iis repoſcendi: quæ duo neceſſario vltimæ claſſi dedit: nam alioqui plane fuiſſet ſerua, atq; adeo Reipublicæ hoſtis & infenſa, vt nullius in Republica rei vel honoris particeps. Quam rationem & Norimbergæ vſitatam videmus, vbi magiſtratus capiunt illi tantum qui ſint ex 28. familiis, reliqui tamen Ius habeant creandi magiſtratus: Veneti aliter, vbi ſexcentæ fere ſunt familiæ, quibus ſolis ius eſt capiendi magiſtratus, reliquis tamen munera quædam humiliora permittunt vt ſcribarũ maxime. Sic primis temporibus & Romæ maiores magiſtratus capiebant patricii, minores etiam plebei. *Norimberga.*

Ἐκόλουσε καὶ περικλεὶς] Sic ſcribendum, itaq; habent meliores libri non ἐκώλυσε. Κολούειν, quod proprie eſt præſcindere aut decurtare, tralate valet minuere μειοῦν, ἐλαττοῦν. quo modo & infra eo verbo eſt vſus *libr. 3. & libr. 5.* vbi de Thraſybulo.

Τῆς ναυαρχίας γὰρ.] Sepulueda legendum putat ναυαγίας, id eſt, naufragii ſcilicet hoſtium, & per conſequens ſuorum victoria: non recte. Nam intelligitur nauarchia ſeu præfectura triremium Græcarum, quæ antea quidem erat penes Lacedæmonios, poſt victoriam vero Salaminiam omnis conſenſu Græciæ ad Athenienſes fuit delata, qui eius victoriæ maxime fuerant auctores, vt eſt apud *Herodotum*. Hoc igitur imperio populum Athenienſem maiores ſpiritus ſumpſiſſe & impotenter dominari cœpiſſe ait: quo modo & infra *lib. 5. cap. 4.* Nautica, inquit, turba victoriæ Salaminiæ, & per hanc præfecturæ naualis, quia maxime cauſa fuiſſet, Democratiam fecit maiorem: quod hîc Nauarchiam, ibi vocat ἡγεμονίαν, præfecturam. Eiuſdem rei meminit & infra *lib. 8. cap. 6.*

TEXTVS.

Fuerunt autem legumſcriptores & Zaleucus Locris Epizephyrijs, & Charondas Catanæus ſuis ciuibus, alijſque ciuitatibus Chalcidicis, & Italiæ & Sici-

& Siciliæ. Conantur autem quidam & Onomacritum multis collectis oſtendere, primum quidem fuiſſe, qui legum fuerit peritus; exercuiſſe autem ſe in Creta, cum eſſet Locrus, & propter artem diuinandi ibi commoraretur: huius autem ſodalem fuiſſe Thaletem, Thaletis vero auditorem Lycurgum & Zaleucum, Zaleuci vero Charondam. Verum hæc dicunt quidem non ſatis tempori congruenter. Fuit autem & Philolaus Corinthius Thebanorum legislator. Erat autem Philolaus genere quidem Bacchiadarum natus, amator vero Dioclis eius, qui olympia vicit: qui vt vrbem reliquit deteſtatus matris Halcyones amorem vna abijt Thebas; atque ibi ambo diem ſuum obierunt; etiamque nunc eorum oſtendunt ſepulcra: quæ alterum quidem ab altero proſpici poſſit: ad Corinthiorum vero agrum verſus alterum quidem proſpici poſſit, alterum non item. Sic enim aiunt eos ſua ſepulcra locaſſe, Dioclem quidem propter odium ex eo caſu, vt ne Corinthiorum ager ex tumulo proſpici poſſit; Philolaum vero, vt poſſet. Hac igitur de cauſa habitarunt quidem apud Thebanos, legumlator vero eorum fuit Philolaus cum alijs de rebus quibuſdam, tum de adoptione, quas illi vocant leges theticas. Item hoc eſt præcipue ab eo cautum, vt ſortium numerus conſeruetur. Charondæ autem nullum quidem eſt præcipuum, niſi iudicia de falſis teſtimonijs: Primus enim de his cõſiderauit: diligẽtia vero exquiſita in legibus etiam noſtri temporis legumſcriptoribus eſt politior. Philolai autem propria eſt bonorum inæqualitas: Platonis autem

autem & communitas mulierum & liberorum & bonorum, & ſodalitates mulierum: præterea lex de ebrietate, vt ſicci epularum ſint præfecti, & vt in exercitatione militari ſint ambidextri, quaſi oporteat non hanc quidem ex manibus eſſe vtilem, illam vero inutilem. Draconis autem leges quidem ſunt, Reipublicæ vero iam inſtitutæ leges dedit: in his autem legibus nihil eſt præcipuũ, quod quidem memoratu ſit dignum præter acerbitatem in magnitudine pœnarum. Fuit autem & Pittacus legum, non vero Reipublicæ auctor. Eius autem hæc lex eſt propria, vt ebrij duplo maiorem quam ſicci pœnam luant, ſi quem pulſarint: nam eo quod plures ſint ebrij, quam ſicci, qui petulanter alios lædant, non ad veniam ſpectauit, quæ ebrijs potius ſit habenda, ſed vtilitatem. Fuit autem & Androdamas Rheginus Chalcidenſium legumlator, eorum qui in Thracia, cuius & de cædibus & de Epicleris ſunt leges. Nihil tamen eius, quod ſit proprium, afferri poteſt. Ad hunc igitur modum de Rebuſpublicis & veris, & ijs, quas quidam attulerunt, ſit explicatum.

COMMENTARII.

Νομοθέται δ' ἐγένοντο.] Exponit breuiter de octo legumſcriptoribus, quæ horum præcipua & propria fuerint inſtituta, & quibus leges ſcripſerint. Et de Zaleuco quidem Locris Epizephyriis, populo magnæ Græciæ, eum leges ſcripſiſſe ait: cuius nullum affert proprium inſtitutum. *Strabo libr. 6. ex Ephoro* hoc affert, quo cautum fuit, vt delictorum pœnæ non iudicum arbitrio permittantur, id eſt, non eſſent arbitrariæ, ſed certæ & definitæ ſuo quæque crimini, vt furi laqueus. Floruit autem regnãte Romæ Tullo Hoſtilio, *teſte Euſebio.* Charondæ, cuius & *Cic. lib. 2. & 3. de legib.* meminit, Siculi, & Siculorum Italorumque legumſcriptoris, hoc affert

Zaleucus. Meminit aliquot ipſius legum & Diod. Sicul. lib. 12. Bibl. Vnius quoque Ælian. var. hiſtor.

lib. 2. c. 37. & lib. 13. c. 24. & Stob. cap. 62.

Charōdas.

Nouē Charondæ leges cōmemorat Diod. Sicul. Biblioth. li. 12. & Stob. cap. 62.

Onomacritus.

Philolaus.

Adoptio.

Plato.

fert proprium Ariſtot. iudicium falſi teſtimonii: quod imitati Romanorum Decemuiri fecerunt capitale, *Gellius lib. 20. cap. 1* Hunc Charondam laudat quoque Ariſtoteles vt in legibus ſcribendis accuratiſſimum, etiam iis qui ſua ætate ſibi viderentur omnium exquiſitiſſimi (γλαφυρώτερ۞, hic Platonem perſtringit.) Exſtant eius quædam fragmenta apud Stob. De Onomacrito quæ vulgo ferantur, commemorat: hoc inprimis, eum fuiſſe omnium legumſcriptorum antiquiſſimum, patria quidem Locrum, ſed qui in Creta diu ſit peregrinatus, cuius familiaris fuerit Thales, Thaletis auditor Lycurgus & Zaleucus, Zaleuci Charondas, magna profecto temporum perturbatione & ἀνισορίᾳ. Nam vt Onomacritum, de quo nihil certi, omittamus, Lycurgus fuit ante Romam conditam, *Cic. Tuſcul. 5.* Zaleucus Rege Tullo; & paulo poſt, Charondas, Thales Rege Seruio. De Philolao patria Corinthio, ſed Thebanorum legumſcriptore cauſam primum exponit qua factum ſit, vt Thebanis leges ſcripſerit: deinde hoc eius propriū inſtitutum, de adoptione, quam Græci vocant παιδοποιίαν & παίδων θέσιν, quare & leges de adoptione Thebis dicebantur νόμοι θετικοί, quaſi Latine dicas, leges adoptiuæ, non, vt vulgo vertunt, poſitiuæ. Philolaus igitur adoptionis apud Græcos auctor fuiſſe videtur, idque hac de cauſa, vt ſortium ſeu agri partium ab illo deſcriptarum numerus conſeruaretur. Adoptionibus ſolent conſeruari familiæ: quod tamen hîc non ſpectauit Philolaus, vt perperam putauit *Victorius*, ſed ὅπως ὁ ἀριθμὸς, &c. vt idem numerus ſortium, qui initio fuit inſtitutus, permaneret: de qua ratione partiendi agros & ſortium attributione explicatum ſupra. Adoptio igitur proprium & præcipuum huius Philolai fuit inuentum & inſtitutum. Quod autem paulo infra φιλολάε δ' ἴδιον, item de Philolao adiungitur, eius & hoc proprium eſſe inſtitutum bonorum inæqualitatem; valde mihi eſt ſuſpectum; tum quia vbi de adoptione, perſpicue videatur dicere, hoc tantum eius eſſe proprium inſtitutum: tum quia hoc alterum de bonorum inæqualitate priori potius adiungendum fuerit, quam alieno loco, vbi de Charonda, fuit inculcandum. De Platone quatuor affert eius propria & præcipua inſtituta: primum, communitatem liberorum, vxorum & bonorum: alterum, ſodalitates mulierum: tertium, vt ſicci ſint ſympoſiarchæ. Nam ſympoſiarchæ, id eſt, vt

eſt; vt Latine vocant, Domini conuiuiorum, à ſodalibus legi ſolēt eodem modo affecti & eiuſdem modi: quartum, vt milites ſint ambidextri, & vt ita exerceantur: quæ partim extant *in lib. de Repub. & lib. de legib.* Pittacus autem vnus de ſeptem ſapientibus, patriæ ſuæ Mitylenarum princeps deſignatus, leges eidem dedit. Cuius hanc legem affert præcipuam, qua ebrios, qui alios iniuria pulſaſſent, duplione multandos cauerit, cōtra aliorum opinionem qui ebriis veniam potius deberi dixerint. Cauſam tamen Pittaco fuiſſe hanc ait Ariſtoteles; quia ebrii ſæpius alios pulſent, quam ſicci. Iam regula eſt Iuris: Quo frequentiora ſunt delicta, eo grauius punienda. *l. lex autem facta, ff. de pœnis.* Huius paradoxæ legis meminit & *Laertius in Pittaco.* Nomotheſiæ eiuſdem meminerunt & *Dionyſ. lib. 2.* vbi de patria poteſtate, & *Cic. lib. 2. de legib.* vbi de ſepulcris, & *Plut. in lib. πολιτικῶν παραγγελμάτων, de præceptis politicis.* Poſtremo fuit & Androdamus (ſic enim potius legendum putem, non Androdamas) patria Italus ex vrbe Rhegio, cuius cum leges fuerunt de cauſis capitalibus & de Epicleris, tum nullæ fuerunt præcipuæ & propriæ. Omiſimus Draconem tempore nonnihil Solone priorem: cuius hoc proprium & præcipuum eſſe ait, pœnarum & ſuppliciorum acerbitatem. Nam omnibus fere delictis capitalem pœnam propoſuit. Quare & Demades leges Draconis non atramento, ſed ſanguine ſcriptas eſſe dicebat, vt eſt apud *Ariſtotelem lib. 3. Rhetoric.* eas abrogauit omnes Solo, præterquam de cæde, *teſte Plutarcho.*

Pittacus. *Androdamus.* *Draco.*

FINIS LIBRI II.

LIBER III.

ARGVMENTVM.

Συνεχείας ratio. Argumenta ſeqq.

EXPOSITIS *primo lib. ciuitatis partibus, & reprehenſis lib.2.aliorum Rebuspublicis: hoc tandem libro ſuam de Repub. inſtituenda ſententiam explicare orditur. Cuius de Repub. diſputationis exordium quia ab ciuitate eſt capiendum, exponit primo*
1. Cap. *quid ſit & ciuis & ciuitas, cap.1. quo pertinet & quæſtio;*
2. Cap. *Quando & quamdiu eadem ſit ciuitas, cap.2. Nam 3.cap.*
3. Cap. *huic affinis quæſtio adiungitur; Ciuis & viri boni virtus an ſit eadem, nec ne? Vbi multa præclara de virtutibus imperantium & parentium. Quibus explicatis ad Ciuis definitionem ciuiumq́ genera redit, & an opifices in ciuium numero eſſe debeant, exquirit cap.3.extr. Ad hunc modum ciuis & ciuitatis, ipſius deniq́ Reipub. cognita definitione, mox eam diuidit, mox, inquam, ad Reipubl. genera explicanda accedit. Prius tamen de ſcopo & fine ciuitatum & Imperiorum generibus quædam præmunit cap.4. eadem*
4. Cap.
5. Cap. *fere quæ initio libr.1. Poſt deinde cap.5. formas & genera Rerumpub. inueſtigat: quibus explicandis admiſcet diſputationes: & de ſcopo rurſus cap.6. & de Magiſtratibus,*
6. Cap.
quibus illi mandari debeant, bonis an nobilibus, aut diuiti-
7.&8.Cap. *bus, aut infimæ ēt plebi, cap.7. & 8. qua diſputatione planior ſit & illa de iure ciuium diſputatio cap.1. explicata.*
9. Cap. *Quo pertinet cap.9. quæſtio, an iuſtum ſit natura, vt vel vni omnes, vel paucis reliqui pareant, illis, inquam, qui virtute cæteros ſuperent. Ad hunc modum Reipub. & definitione & diuiſione explicata, poſtea ſingula Rerumpubl. genera deinceps & ordine perſequitur vſq́ ad lib.7. & pri-*
10.11.12.C. *mo quidem de Regno & Ariſtocratia huius lib.cap.10.11.& 12. Nam*

12. Nam tametſi externa ſpecie de Regno tantum agi videtur: quia tamen Ariſtocratiæ & Regni idem eſt ſcopus; quæ de Regno dicuntur, eadem & de Ariſtocratia intelligenda ſunt, vt ait cap. vlt. in fin. Præterea copioſe diſſeritur, vtra Reipubl. forma humano generi & ciuitatibus ſit vtilior & naturæ coniunctior, Regnum ne an Ariſtocratia, toto cap. 11. & 12. vbi & multa præclara de legibus explicantur. Nam cap. 10. præcipue agitur de Regno, id eſt, de Regni generibus.

TEXTVS.

Diſſerenti de Republica, prima fere quæſtio eſt de ciuitate, vt videat, quid ſit ciuitas. Iam enim in controuerſiam vocant, dum hi quidem ciuitatem id egiſſe aiunt: illi vero non ciuitatem, ſed Oligarchiam vel tyrannum. Videmus autem Politici & Legumſcriptoris omnem operam in ciuitate poni. Reſpublica autem quædam eſt ciuitatem incolentium deſcriptio. Quia autem ciuitas eſt ex numero rerum ex multis conflatarum, vt alia quidem tota, conflata vero ex multis ſunt partibus: perſpicuum eſt, de ciue eſſe primum quærendum. Ciuitas namq; ciuium eſt multitudo. Videndum eſt igitur, quem ciuem appellare oporteat, & quis ſit ciuis. Nam & de ciue ſæpenumero quæritur. Neque enim eundem omnes ciuem eſſe conſentiunt. Nam eſt, vt qui in Democratia quidem ſit ciuis, in Oligarchia ſæpe non ſit ciuis.

COMMENTARII.

Τῷ περὶ πολιτείας ἐπισκοποῦντι.] Diſputationis de Republ. exordium à ciuitate ducendum & capiendũ eſſe docet duabus rationibus: quarum prior hæc eſt; Quia ſæpe controuerſia exoriatur de ciuitate: nimirum in fœderibus & pactis ciuitatum & Rerumpubl. quæ fœdera ſi forte ſint facta prio- *Cur diſputatio de Repub. ſit à ciuitate ordienda.*

 1. Ratio

ribus temporibus; poſteri negant ſæpe, ſe iis teneri; quia ſint, inquiunt, facta non à ciuitate, id eſt, non à ſui temporis Rep. publ. verbi gratia, Democratica, ſed olim ab oligarchia vel Tyranno. De quibus controuerſiis infra latius *in fi. huius capitis*. Altera ratio; Quia plerique politici & legum ſcriptores omnem fere curam & operam ſuam in ciuitate deſcribenda conſumant: nimirum in ciuitatis ſitu, partibus, & exercitationibus. Quare cum Reſpublica quædam ſit deſcriptio & ordo eorum, qui ciuitatem incolunt: (Nam politia ſeu Latine Reſpubl. eſt ipſa ciuitatis informatio & deſcriptio ſeu temperatio) efficitur, de Republ. diſſerenti neceſſariam eſſe de ciuitate diſputationem. Et hæc tertia poteſt eſſe ratio; Quia Reſpub. ciuitatem incolentium ſit deſcriptio.

2. Ratio. *Πολιτεία.* *3. Ratio.*

Ἐπεὶ δὲ ἡ πόλις.] Expoſito, politico eſſe neceſſariam de ciuitate diſputationem; hoc amplius hîc adiungit, ciuitatis diſputationẽ ſine ciuis natura & deſcriptione cognoſci non poſſe. Docet igitur, de ciue prius explicandum, duabus his rationibus. Primum; Quia tota cognoſcantur ex ſuis partibus, vt ſup. explicatum, *lib. 1.* Atqui ciuitas eſt totum quoddam & ciuium quædam multitudo. Ergo ex ciuium definitione & natura ipſa quoq; ciuitas erit cognoſcenda. Altera ratio, cur de ciue ſit explicandum, hæc eſt; Quia & de ciue multæ ſæpe exſiſtant controuerſiæ, quis vere ſit ciuis. Nam ſæpe fit, vt vna in Republ. quis ſit ciuis, qui idem in alia non ſit, vt pauper ſi liber, in Democratia quidem eſt ciuis, in Oligarchia non item. Sic opifices in Democratia quidem ſunt ciues, in Ariſtocratia non item. Sic mercenarii & θῆτες in Oligarchia ciues eſſe nequeunt, opifices poſſunt.

De ciue cur prius explicandum. *1. Ratio.* *2. Ratio.* *Qua de re infra, lib. 7. cap. 9.*

TEXTVS.

Ergo illi quidem, qui alio quo modo huius appellationis ſunt participes, vt ciues factitij ſunt omittendi. Ciuis vero non domicilio eſt ciuis. Nam & inquilini & ſerui domicilij ſunt participes. Neque iuris ita participes, vt in ius vocare aut vocari poſſint. Hoc namque competit & ijs, quos inter eſt commercium: nam & hæc ijs competunt. Nam Inquilini quidẽ neque horum plane ſunt partici-

pes,

pes, ſed coguntur auctorem ſumere vel capere: quare imperfecte quodammodo huius ſocietatis ſunt participes. Verum, vt & pueri, qui propter ætatem nondum ſint profeſſi, & ſenes dimiſſi, dicendi quidem ſunt ciues quodammodo, non ſimpliciter tamen plane, ſed addendo his quidem imperfectos, illis vero effœtos, aut quid aliud ſimile: nihil enim refert: planum eſt enim quod dicitur. Nam ciuem quærimus ſimpliciter, & de quo nulla talis ſit reprehenſio, correctionis egens. Siquidem & de infamibus, & exulibus talia licet & quęrere & explicare. Simpliciter autem ciuis nulla re alia magis definitur quam participatione iudicij & magiſtratus. Magiſtratus autem alij quidem tempore ſunt circumſcripti, vt quoſdam plane nõ liceat eidem bis capere, aut certis quibuſdam temporibus interiectis: alius eſt infinitus, vt Iudex & Concionator. Fortaſſe igitur dicat quis, tales ne eſſe quidem magiſtratus: eaque propter ne magiſtratus quidem eſſe participes. At ridiculum ſit, quorum maxima ſit poteſtas, eos magiſtratu orbare. Verum nihil interſit. Eſt enim diſputatio de nomine. Nam commune iudicis & concionatoris nullum eſt verbum, quo ambos hos appellare oporteat. Sit igitur, planioris explicationis cauſa, magiſtratus infinitus. Itaque ciues ponimus eos, qui ita ſint participes. Ciuis igitur, qui maxime ad omnes iam allatos ciues quadret, talis fere eſt.

COMMENTARII.

Τοὺς μὲν οὖν.] Ciuis definitionem hoc tandem loco inueſtigat, adhibita quadam diſtinctione. Nam alios ait ſimpliciter & abſolute eſſe ciues, quos Romani vocant *ciues optimo iure & optima lege*, de quibus, cum de ciuis definitione quæ- *Ciuis alius ἁπλῶς, ali-*

ritur, eſt agendum: alii ſunt ciues πως, quodam modo, non optimo iure: quorum tria facit genera. Nam alii ſunt ciues
ὑποδιαφέ-ροις. facti ſeu ποιητοὶ, quos Athenienſes vocare ſolent δημοποιήτους, de quibus *Demoſth. in oratione aduerſus Nearam*: Ro-
2. mani vocant ciuitate donatos: alii ſunt pueri, illi, inquam, qui nondum ſint in perfectorum numerum ciuium relati: quod Romæ fieri ſolet anno ætatis XVII. ſumpta virili toga: Athenis anno viceſimo vertente profeſſione Lexiarchica. Nam annos 20. nati nomina profiteri ſolent adoleſcentes, apud ſuos quique populares, quorum in tabulas Lexiarchicas ea referebantur. Qua demum profeſſione facta virorum in numero & vere ciues habebantur, vt eſt apud *Pollucem lib. 8. Suidam, Vlp. & alios*. Et hoc eſt, quod ait, μήπω δι' ἡλικίαν ἐγγεγραμμένους, id eſt, quorum nomina per minorem 20. annis ætatem nondum eſſent inſcripta ſeu relata in tabulas Lexiarchicas. Perperam alii interpretes: Hi igitur non perfecti,
3. ſed incoati potius ciues dici poſſunt. Alii denique ſunt ſenes depontani ſeu de ponte deiiciendi, vt vocabant Romani, qui propter ætatem immunitatem & vacationem à muneribus publicis impetrarunt: quos Ariſtoteles hic vocat ἀφειμένους, id eſt, dimiſſos & ſolutos muneribus publicis, quos idem negat abſolute eſſe ciues, vt ab honoribus remotos, ſed poſſe dici ciues παρηκμακότας, id eſt, effœtos. Nam vt corpori, ita & menti & conſilio ſua quædam eſt maturitas & ſenectus, vt ſupra *lib. 2. dictum*, vbi de Platone.

Qui veri ciues. Ὁ δὲ πολίτης.] Adhuc de iis, qui aliqua ex parte ſunt ciues: nunc de iis qui omnino, quique optimo iure ſunt ciues. Hi igitur qua re maxime cernantur, quæque eorum veriſſima ſit nota, difficilima eſt quæſtio. Ariſtotelis ſententia, ea nota eſt iudiciorum, concionum & Magiſtratuum communicatio, vt is vere & optimo iure ſit ciuis, cui ad hæc tria pa-

Domicilio ciuis non cernitur. teat aditus. Nam domicilio ciuem nō cerni docet argumento inquilinorum & ſeruorum, qui in eadem illi quidem vrbe & loco habitant, certiſſime tamen non ſunt ciues. Domicilium quidem eſt neceſſarium, vt infra ait, & *Cic. in Bruto* negat ingenuos eſſe ciues, qui in ipſa vrbe Roma non habitant, ſed vel in municipiis, vel in coloniis: non tamen ex eo

Iure connubii vel commercii ciuis nō cernitur. efficitur ius ciuitatis hinc æſtimandum. Multa namque ciuibus inter ſe ſunt neceſſaria, in quibus tamen vera ciuis nota non verſetur, vt connubia & commercia. Nam ne in his qui-

quidem, iure, inquam, vel connubii vel commercii, ciuem æſtimandum, & infra *cap.6.* monet latius, & hic de commerciorum iure attingit. Non eſt igitur locus vel domicilium vera ciuis nota. Iuris quoque & iudiciorum communicatio cur non ſit vera ciuis nota, docet eorum argumēto; quos inter eſt ius commercii aut fœdus aliquod. Olim namque ciuitates aut gentes pacta aut fœdera commerciorum cauſa facere ſolent: quibus cauebatur, primum, ne ciues earum ciuitatum inter ſe læderent: deinde vt ſi quam iniuriam vel damnum vnius ciuitatis ciuis à ciue alterius ciuitatis cepiſſet, poſſet illum iure iudicioq; perſequi: quæ iudicia Græce dicebantur συμβολικὰ, (quorum & *Thucyd.* meminit, & copioſe *Demoſth: in oratione de Haloneſo 7. Philippica.* Eadem iudicia ſeu δίκαι vſitatius dicebantur) ἀπὸ συμβόλων, *in Suida, Heſychio, Polluce lib.8.* & hic, & infra *cap.6.* Symbola, non hîc ſunt teſſeræ, vt interpretes, vno excepto *Sepulueda*, reddunt, ſed pacta & συνθῆκαι, vt recte *Suidas*, & Ariſtoteles aperte infra *cap.6.* Neque locus igitur, neq; iuris & iudiciorum communicatio ciuem facit.

Iuris & iudiciorū cōmunicatio nō eſt vera nota ciuis.

σύμβολα.

Πολλαχοῦ μὲν οὖν.] De inquilinis, eos non eſſe in ciuium numero, cum per ſe eſt perſpicuum, tum ex eo quod multis in locis ne id quidem habeant quod illi quos inter ius eſt commercii, iuris, inquam, ſui perſecutionem. Nam pleriſque in locis inquilini ius ipſi ſuum perſequi non poterant, ſed auctore ſumpto; qui mos & Athenis viguit, vbi inquilini nihil agere publice poterant ſine auctore: alioqui venum ibant, & ſerui fiebant. Auctorem voco, quem Græci προστάτην. Sic enim Iuriſconſulti vocant; Fœmina, inquiunt, non poteſt quicquam agere publice ſine auctore. Et *Cornel. Nepos in vita Attici* auctorem vocat Phidiam. Huius moris de ſumendo auctore meminit hoc loco Ariſtoteles: qui vulgo deprauatus ita eſt ſcribendus; *οἱ μέτοικοι μετέχουσιν, ἀλλ' ἀνάγκη νέμειν προστάτην. διὸ ἀτελῶς.* Quæ verba *Petrus Victorius* primus hic interiecit ex veteribus lib. & veteri tralatione ſumpta: & plenius confirmauit *lib.7. variar. lect. cap.22.* vbi & de hoc more latius: Videatur & *Heſych.* in προστάτης. etſi in editione Baſilienſi eſt, ἀλλὰ χρὴ παρέχειν παραστάτην. διὸ ἀτελῶς πως μετέχουσι τῆς τοιαύτης, &c. Nā & hæc verba, διὸ ἀτελῶς πως μετέχουσι, quæ in pleriſque locis deſunt, ex vetere tralatione ſunt adiicienda. Nihil autem intereſt, legatur παρέχειν προ-

Inquilini non ſunt ciues.

Auctor.

προστάτην, an νέμειν. etſi νέμειν προστάτην phraſis erat vſitatior.

Exules vtrū in numero ciuiū. Ἐπὶ καὶ περὶ τῶν ἀτίμων.] Quæri quoque poteſt, inquit, de exulibus & ignominia notatis, an etiam non ſint in ciuium numero. De exulibus notum negotium, eos non eſſe. quanquam Romæ multa erant exulum genera, ex quibus quidam, vt relegati, nō deſinebant eſſe ciues. De ignominia notatis res eſt difficilior, quos Romani veteres vocant Inteſtatos & Improbos. Hos tamen & ipſos, vt ſenes, deſiiſſe eſſe in verorum numero ciuium, ex eo intelligi poteſt, quod magiſtratuum capiendorum poteſtas illis ſit adempta.

Ignominia notati.

Veri ciuis nota. Πολίτης δ' ἁπλῶς.] Expoſitis adhuc & ciuibus non optimo iure, & ciuium optimo iure notis non veris: concludit tandem, optimo iure ciuem hunc eſſe, qui & imperiorum & iudiciorum ſit particeps; vel breuius, qui Imperiorum ſeu Magiſtratuum. Nam Magiſtratuum duo eſſe genera; finitum vnum ſeu tempore circumſcriptum, cuius generis Romæ erant omnis generis Magiſtratus, certo tempore definiti: alium eſſe infinitum & perpetuum, cuius generis apud Græcos erant Concionatores & Iudices; Romæ tantum iudices, vbi erant quidem conciones & comitia; ſed concionatores ſeu Eccleſiaſtæ, de quibus hic agitur, nō erant. Nam Eccleſiaſta is eſt, qui ius habet deliberandi & ſententiæ dicendæ in concione: quod nemini præterquam vero ciui patebat. Solent autem Græci de ſumma Republica in concione deliberare; eaq; re Eccleſiaſtæ quodammodo erant conſiliarii. & *lib. 1. Rhet.* orationes in hoc conuentu habitas Ariſtoteles ait dici συμβουλευτικοὺς λόγους, vt in foro apud iudices δικανικούς, Romæ in ſenatu potius & curia ea deliberabantur. Concionator, inquit Ariſtoteles, de rebus futuris: Iudex de præteritis deliberat ac ſtatuit, *lib. 1. Rhetor.* Vterque erat perpetuus vt & Romæ iudices. Sed enim, dicet aliquis, perperam facere Ariſtotelem, qui Concionatorem & Iudicem vocat Magiſtratum, cum inter hos, Magiſtratum, inquam, & iudicem ſeu cōcionatorem magna videatur eſſe differentia. Nam Magiſtratuum eſt imperium, iudicum & concionatorum non item; ſed ſententiæ tantum dictio & deliberatio. Quare & *Plato lib 6. de legib. & Cic.* multis in locis, & diligenter Iuriſconſulti (de quibus videantur *Duarenus libr. 1. diſputationum, cap. 23. Antonius Goueanus lib. 1. & 2. de Iuriſdictio-*

Magiſtratus duplex, temporaneus & perpetuus.

ἐκκλησιαστής.

Λόγοι συμβουλευτικοί.

Obiectio.

riſdictione) diligenter Magiſtratus à iudicibus diſtinguunt. Iudices ſunt priuati omnes, magiſtratus ſunt publicæ perſonæ. Ariſtoteles igitur, huic quæſtioni occurrens, ait, non admodum probari ſibi hanc differẽtiam, & ridiculum eſſe, iudices & concionatores non poſſe dici Magiſtratus, cum tamen eorum maxima ſit poteſtas. Verum, inquit, ſiue ita ſit, ſiue non, nihil ad rẽ; nos diſputationis, inquit, cauſa & commoditatis omnes vocabulo Magiſtratus cõplectamur. Nam alioqui nullum eſt aliud vocabulum commodius concionatori & iudici cõmune. Vt tamen ab aliis Magiſtratibus proprie dictis hos ſeparemus: ea propter Magiſtratum aliũ fecimus finitum, alium infinitum. Veri igitur ciuis nota veriſſima eſt Magiſtratus & imperium, quam & *Plato lib.6.de legib.* probat, ὁ γὰρ ἀκοινώνητος ὤν. Cui namque poteſtas vna iudicandi non patet, tanquam plane peregrinus habetur. *Refutatio ſeu ſolutio.*

TEXTVS.

Sciendum autem, earum rerum, in quibus res ſubiectæ ſpecie differunt, & ex his hæc quidem eſt prima, illa vero ſecunda, illa denique proxima; qua parte ſunt tales, aut nihil omnino, aut vix eſſe commune. Reſpublicas autem ſpecie inter ſe differre videmus, & has quidem eſſe poſteriores, illas vero priores. Nam vitioſas & deflexas neceſſe eſt non vitioſis eſſe poſteriores. Deflexas autem quẽadmodum dicamus, infra intelligetur. Itaque & ciuem pro ſingulis Rebuſpublicis alium eſſe oportet. Quare explicatus maxime quidem in Democratia eſt ciuis: in alijs vero fieri quidem poteſt, vt ſit, non tamen eſt neceſſe. Nam quibuſdam non eſt populus, neque concio legitima, ſed extraordinaria: Iudicia quoque ſeparatim fiunt, vt Lacedæmone iudicia de contractibus fiunt apud Ephoros, alia apud alios, apud ſenes vero capitalia, apud alium denique magiſtratum fortaſſe alia. Item & Carthagine omnia iudicia à magiſtrati-

bus quibuſdam adminiſtrantur. Sed enim ciuis definitio correctionem habet. Nam in alijs Rebuſpublicis non eſt infinitus magiſtratus concionator & iudex, ſed finitus; his namque vel omnibus vel quibuſdam poteſtas eſt deliberandi & iudicandi de rebus vel omnibus vel quibuſdam. Ex his igitur, quis ſit ciuis, perſpicuum eſt, cui namque poteſtas eſt capiendi magiſtratum vel deliberatiuum, vel iudicialem, ciuem iam eſſe dicimus huius ciuitatis; Ciuitatem vero talium multitudinem, cui ad vitæ vſus neceſſarios ſatis ſuppeditet, vt ſummatim dicam.

COMMENTARII.

Ciuis definitio præcedẽs cui ciui cõpetat.

Δεῖ δὲ μὴ λανθάνειν.] Docet, priorem ciuis definitionem non omni Reipubl. ſed Democratiæ tantum conuenire, ita quidem vt primo Democratiæ conueniat illa quidem, accommodari tamen & aliis Rebuſpub. poſſit: nam pro varietate Rerumpub. ciuium quoque definitiones & notas variare.

Ciues variant pro Rerump. varietate.

Iam vero ciues pro variis Rebuſpub. eſſe varios docet hac ratione; Quia variæ quoque ſint Reſpub. Sic & infra *cap.3.* Ciuium virtutes varias eſſe docet; Quia variæ ſint Reſpubl. Formula ſit iſta: Vbi res ſubiectæ ſpecie ita differunt, vt earum vna ſit prima, altera ſecunda, alia tertia, &c. ibi nullum commune nomen, niſi homonymon, reperitur; nullum, inquam, genus idem commune. De quo axiomate erudite *D. Schegkius in categorias Ariſtotelis, & libr.13.* Demonſtrationum, *& Top. lib.1.cap.13.tex.1.* Oſtendens ea vocari ἐγγὺς τοῦ γένους: quæ dialecticum quidem genus vnum habeant, ſed no phyſicũ. Atqui Reſp. ita ſpecie differũt, aliæ vt ſint priores, aliæ poſteriores: nam rectas vitioſis eſſe priores (verbi gratia, Regnũ prius eſt Tyrannide) ex eo intelligitur, quod omnia recta vitioſis ſint priora: quæ autem ſint rectæ, quæ vitioſæ & deflexæ, cur, inquam, ita dictæ, explicabitur infra *cap.5.* Ergo politiarum ſeu Rerumpubl. & proinde πολιτῶν, id eſt, ciuium (nam coniugatorum eadem eſt ratio) nullum erit idem & commune genus, nulla communis ratio, aut vocabulum, niſi homonymon. Ex quibus neceſſario ſequitur,

tur, alium in alia Republica eſſe ciuem. Eum autem, quem ſupra definiuit Ariſtoteles, Democratiæ eſſe accommodatum ſeu politiæ, ex eo intelligitur, quod notæ illæ ſint Democraticæ, concionum, inquam, iudiciorum & magiſtratuum communicatio, quæ notæ in aliis Rebuſpub. fere non inueniuntur. Nam in aliis quidem nullæ ſunt conciones ordinariæ & legitimæ, νόμιμοι, ſed tantum indictiuæ σύγκλητοι, quę ſubito poſtulante neceſſitate conuocentur. Sic enim hæc, οὐκ ἐκκλησίαν νομίζουσιν, ſunt intelligenda, perperam ab interpretibus accepta. Nam verbo, νομίζουσιν, eleganter indicat conciones νομίμους. De his duobus concionum generibus *Budæus in comment. Græcæ Ling.* In aliis ciuitatibus vt ſit concionum, non tamen eſt iudiciorum communicatio, vt Lacedæmone & Carthagine, vbi iudicia erant penes certos homines; Lacedæmone quidem ciuilia penes Ephoros, capitalia penes ſenes; Carthagine vero erant omnia penes ſolos Magiſtratus, quæ in aliis vrbibus etiam ſunt penes priuatos. Sic & Romæ ante legem Semproniam non omnibus ciuibus communia erant iudicia, ſed tantum penes ſenatores, *Appianus lib. 1. de bell. ciuil.* In omnibus igitur ciuitatibus, vbi concionum vel iudiciorum ſiue non eſt vſus, ſiue non eſt communicatio libera, iis prior ciuis definitio non conuenit.

Priorē definitionē ciuib. Democraticis tātum conuenire.

1. Ratio.

2. Ratio.

Ἀλλ᾽ ἔχει τὸ διόρθωσιν.] Docet eandem ciuis definitionem non habere locum in iis Rebuſpub. vbi concionandi, id eſt, deliberandi & iudicandi poteſtas non eſt penes populū, ſed penes certos magiſtratus, quemadmodum in regno & ariſtocratia ſenatus & iudicia nō communicantur populo, ſed certis; quod idem iam dictum eſt. Ad ſummam igitur, ciuis ſupra definitus eſt politicus ſeu Democraticus, non Baſilicus aut Ariſtocraticus. Quid ergo, dicet aliquis, nulla ne poteſt communis definitio reperiri? Iam docuimus, non poſſe; Quia res ſubiectæ ſpecie differant, ita vt altera ſit prima, altera ſecunda: accommodari tamen hæc poterit: nam nota magiſtratuum omnibus Rebuſpub. videtur eſſe communis, adeo vt in quacunque Republ. negari poſſit ciuis eſſe, cui ad magiſtratus nō pateat aditus. Hanc igitur Ariſtotelicam ciuis definitionem laudant doctiſſimi viri, *Contarenus in libr. de Rep. Veneta. Garymbertus Italus in lib. de Regno. Sigonius lib. 1. & 2. de iure ciuium Romanorum, & initio libr. 1. de Repub.*

Nulla communis omnium ciuiū definitio inueniri poteſt.

pub Athenienſium. Paulus Manutius & alii. Eam tamẽ grauiter exagitat *Ioh. Bodinus in lib. de methodo hiſtorica, cap. 6.* latiſſime, vbi contendit, ciuem non magiſtratu, ſed imperio, id eſt, qui ſub eodem ſint principe vel Repub. definiendum, magno errore confundens ciuem cum ſubdito, vt vocant.

Bodin. Iuriſc. Gallus.

Ciuitatis definitio.

Πόλιν δὲ, τὸ τῶν τοιούτων πλῆθος.] Cognita ciuis definitione, facilis eſt & ciuitatis definitio, vt eadem coniugatorum eſt ratio. Ciuitas igitur eſt eorum, quibus & concionum & iudiciorum & Magiſtratuum eſt poteſtas, multitudo, rebus ad vſus vitæ neceſſarios ſatis inſtructa: quam ciuitatis definitionem & infra aliquoties, & *libr. 1. Oeconom.* iterat: eſſe multitudinem, & quidem talium, ex prioribus intelligitur, & ex initio *lib. 1.* vbi & tertia definitionis pars de rerum copia eſt explicata, de qua tamen & infra latius *lib. 7.*

TEXTVS.

Definiunt autem ciuem ex vſu, eum qui ex vtroque parente ciue, non ex altero, vt patre aut matre: hi vero & hoc amplius quærunt, vt ad auos vſque duos vel tres vel plures. Sic igitur dum ciuiliter & cito definiunt, quærunt quidam de tertio vel quarto, quemadmodum ſit ciuis. Et Gorgias quidem Leontinus partim fortaſſe dubitans, partim ludens, vt mortaria, quæ ab mortariorum opificibus efficiuntur; ita & Lariſſæos aiebat eſſe eos, qui ab auctoribus eſſent facti. Eſſe namque & Lariſſęorum quoſdam opifices. Eſt autem rude. nam ſi ex definitione priore Reip. ſint participes, ſint ciues. Etenim ne quidem id ex ciue viro aut fœmina accommodari poteſt ad eos, qui primi incoluerint vel condiderint ciuitates.

COMMENTARII.

2 Ciuis definitio.

Ὁρίζονται.] Altera hoc loco ciuis definitio vulgo vſitatior affertur & refellitur ab Ariſtotele. Nam ciuem vulgo definiebant, non, vt Ariſtoteles, imperio, ſed natalibus & ortu; eum, inquam, qui ex vtroque parente ciue ſit natus: quo

modo

modo & Pericles lege lata conſtituit Athenis, illos demum veros Athenienſes eſſe cenſendos, non qui ex altero tantum, ſed qui ex vtroque parente ciui eſſet natus, *teſte Plut. in vita Periclis*: quo pertinet & hæc quæſtio, An nobili genere haberi debeat, qui ex altero parente tantum nobili ſit natus. Adeo autem natalium in ciue habendam rationem vulgo putaſſe ait Ariſtoteles, vt quidam non tantum patrem, & matrem, ſed vlteriores gradus requirerent, tertiũ & quartum, auos, proauos, attauos, trittauos, &c. Hęc igitur eſt vulgata ciuis definitio, quo pertinere ait & Gorgiæ Leontini dictum de Lariſſæis incolis vrbis Theſſaliæ, quos ille mortariis comparabat. Nam vt mortariorum, ita & Lariſſæorum ſuos quoſdam fuiſſe opifices, id eſt, Lariſſæos ex parentibus tanquam opificibus procreatos & factos. Gorgias igitur hac ſimilitudine vſus dicitur, ſiue ioco (vt ſæpe ſolet, *teſte Ariſtotele lib. 3. Rhetor. initio.* εἰρωνευόμενος) ſiue ſerio, id eſt, agens de hac ipſa quæſtione, An ciuis ortu an imperio ſit definiendus, Ariſtoteles autem clare & abſque omni diſſimulatione hanc ciuis definitionem non conuenire neq; accommodari poſſe ait ad omnes. Quid ita? nempe ad primos ciuitatis vel incolas vel conditores, qui cum ſint primi eius ciuitatis ciues, fieri non poteſt vt ex parentibus quoq; ciuibus ſint nati; alioqui primis aliqui eſſent priores. Hæc igitur vna eſt ratio, qua vſitata hæc ciuis definitio refellatur. Altera eſt; Quia ſequeretur, priorem eſſe falſam, ſi hæc ſit vera. Quid ita? Nam ex priore eum eſſe ciuem diximus, qui modo Reipublicæ & honorum ſit particeps. Iam ſæpe vſuuenire poteſt, vt idem iſte ex neutro parente ciue ſit natus, ſed ciuitate donatus. Itaque ſi prior definitio eſt vera, efficitur neceſſario hanc eſſe falſam.

Lex Periclis.

Opinio quorundam.

Exemplũ.

Ariſtot. iudiciũ & refutatio huius ſecundæ definitionis.

1. Ratio.

2. Ratio.

TEXTVS.

Verum de illis maior fortaſſe ſit controuerſia, qui Reipublicæ facta mutatione ciuitatis fiant participes, vt Athenis fecit Cliſthenes eiectis tyrannis. Multos namque peregrinos & ſeruos & inquilinos in tribus aſſcripſit. Controuerſia autem aduerſus hos eſt, non qui ciuis, ſed an iniuria, an iure.

an iure. Atque & hoc amplius quærat aliquis, vtrum qui non iure eſt ciuis, ne ciuis quidem ſit quaſi eadem vis & poteſtas ſit iniuſti & falſi. Quia autem videmus & magiſtratus quoſdam eſſe iniuſte, quos imperare quidem dicimus, ſed non iuſte: Ciuis autem imperio quodam eſt definitus (nam, vt diximus, qui talis imperij eſt particeps, eſt ciuis) perſpicuum eſt, & hos ciues quidem eſſe dicendos: de iure vero vel non iure aptum eſt, & pertinet ad quæſtionem prius expoſitam. Nam quærunt quidam, quando ciuitas egerit, & quando non ciuitas, vt cum ex Oligarchia vel tyrannide exſtiterit Democratia. Tunc enim neque pacta quidem ſeruare volunt, vt non à ciuitate, ſed à tyranno facta, neque alia multa eius generis: quaſi quædam Reſpublicæ dominandi, non communis vtilitatis, cauſa conſiſtant. Quod ſi igitur quædam hoc modo Democratia vtuntur, acta huius Reip. perinde dicenda erunt huius eſſe ciuitatis, & quæ ex Oligarchia & ex tyrannide.

COMMENTARII.

An qui mutata Reip. forma ciues fiũt, reuera ciues ſint.

Ἀλλ' ἴσως ἐκεῖνοι μᾶλλον.] Aliam de ciue quæſtionẽ paulo ante expoſita meliorem & magis controuerſam (nam prior rudior & ſimplicior ac facilior fuit) affert hoc loco Ariſtoteles hanc, An mutata ciuitatis ſeu Reipublicæ forma ciues facti veri ſint ciues: quod Athenis accidiſſe narrat. Nã Athenis cum Reipublicæ forma, à Solone conſtituta, à Piſiſtrato & Piſiſtratidis in tyrannidem eſſet conuerſa; Cliſthenes, Reipub. princeps, pulſis tandem Piſiſtratidis, & Solonia Reipubl. forma reſtituta, cum bellis ciuilibus aduerſus Piſiſtratidas exhauſta eſſet ciuitas, & minor factus ciuium numerus; frequentandæ ciuitatis cauſa multos ciuitate donauit peregrinos, inquilinos, & ſeruos manumiſſos: quod copioſius exponit *Herod. lib. 5.* De his igitur ciuitate donatis & nouis

nouis ciuibus quæri continuo cœptum Athenis, an veri eſſent ciues? Ariſtoteles quærendum potius ait, an iure facti & iuſti ciues? Nam diſcrepat verum à iuſto, falſum ab iniuſto: quanquam vulgo idem ſonare & valere videntur, adeo quidem vt & *Cic.* grauiter diſputet *de legibus*, An iniuſtæ leges etiam leges ſint dicendæ, & negat dicendas *initio lib.3. de legibus*. Ariſtoteles contra ciues non iure factos, tamen ciues poſſe dici ait, argumento magiſtratuum, qui licet improbi & aduerſus cõmunem vtilitatem imperent, nihilominus magiſtratus dicuntur. Atque hæc de veritate & iure diſtinctio etiam Iuriſconſultorum diſputationibus eſt conſentanea, qui diligenter inter ius & factum ſiue inter quæſtionem iuris & facti, id eſt, definitionis & veritatis diſtinguere ſolent. De ijs igitur nouis ciuibus quæſtio iuris fuit potius quam facti quæſtio. Huic autem iuris quæſtioni adiunctam & finitimam ait eſſe alteram quæſtionem, cuius & ſupra initio huius capitis facta eſt mentio, non de ciue, ſed de ciuitate. Cuius ciuitatis cauſa omnis hæc de ciue ipſo diſputatio allata eſt. Quæſtio igitur hæc eſt de ciuitate, quando ciuitas quid feciſſe vel egiſſe cenſenda ſit, quando non. Cuius quæſtionis vtilitas in eo cernitur, quod in fœderibus aut aliis publicis pactionibus ſæpe quæri ſolet, an ratæ ſint habendæ mutata Reipublicæ forma: quod & Athenis & Romæ tempore Ciceronis diligenter agitatum fuit: An ciuibus à Cæſare donatæ immunitates ratæ ſint habendæ. Cuius controuerſiæ multa eſt mentio apud *Ciceronem in epiſtolis ad Attic. Xenophontem libr.2. rerum Græcarum, & Antocidem de myſteriis*, vbi de ἀμνηςία ſeu de lege obliuionis, *teſte Corn. Nepote in vita Thraſybuli*. Huic cõtrouerſiæ non abſimilis eſt ea quæſtio; An quæ Reges aut principes viri ſint pacti, iis & hæredes eorum aſtringantur nec ne; quod in ſuo Rege negant Galli, vt eſt apud *Franciſcum Connanum, lib.1. Commentariorum iuris ciuilis*. De aliis Regibus videantur interpretes iuris ad *l. prohibere, ff. quod vi aut clam*. De hac autem quæſtione, An mutata Republ. veteribus pactis & fœderibus ſit ſtandum; quid de ea, inquam, ſit ſtatuendum, non definit Ariſtoteles; neque enim id hoc loco agitur, ſed ea quæſtio hîc interiicitur, vt cernatur vtilitas quæſtionis huius loci, quando ciuitas quid egiſſe dicenda ſit. Nam de fœderibus, inquit Ariſtoteles, ἕτερος λόγος, *infra cap.2. in fi.* Perperam

Ariſtotelis iudicium.

Quando ciuitas quidpiam feciſſe cenſeatur.

An regum principumque pactis hæredes aſtringantur

An mutata Rep. veterib. pactis & fœderib. ſit ſtãdum.

igitur Martinus Borraus putat his verbis, *εἴπερ οὖν καὶ δημοκρατοῦνται*, quæſtionem de fœderibus & pactis definiri, quibus princeps potius huius loci quæſtio diſſoluitur. Verba quidem illa, vt obſcura, alii aliter reddunt; eorum tamen hæc mihi videtur eſſe ſententia; Quemadmodum acta in Republ. Democratica habenda ſunt acta ciuitatis Democratia vtentis, ita & acta Reipub. oligarchicæ habenda eſſe ciuitatis oligarchia vtentis, eademq; eſt & tyrannidis & aliarum ciuitatum ratio, nimirum vt ex Reipublicæ forma ciuitatis acta æſtimentur. Verum his nondum ſatis quæſtio diſſoluitur, quæ ſint acta ciuitatis, Repub. mutata. Videtur igitur ſubindicare Ariſtoteles, etiam Republica mutata, ciuitatis nihilominus acta dici poſſe. Nam & prior, & quæ ſucceſſit, eſt ciuitas. Itaque acta ciuitatis dici poſſunt etiam poſt mutatam Rempubl. Sed enim hoc diligentius quæri ſolet, an eiuſdem ciuitatis acta eſſe videantur, mutata Republ. Atq; ita princeps illa quæſtio de actis ciuitatis non ſatis explicari poteſt, niſi cognita & hac quæſtione, quando eadem ciuitas vel alia ſit dicenda; de qua cap. proximo.

CAPVT II.

EXPLICATVR quæſtio, qua re ſeu nota ciuitas eadem vel alia ſit æſtimanda; mœnibus ne & loco, an Reipublicæ forma. Huic quæſtioni ſimilis & pene gemina eſt ea *Iuriſconſulti Alpheni*, quando idem iudicium ſit dicendum, an mutatis iudicibus nihilominus eadem res & iudicium ſit habendum, *l. proponebatur, ff. de iudi.* vbi exemplo legionis, nauis, populi, ipſius denique hominis docet, mutatis licet iudicibus, idem nihilominus permanere iudicium. Eadem eſt quæſtio de grege, mutatis capitibus, *l. grege, ff. de leg. 1.* de homine, cuius de corpore, ex *Democriti & Epicuri* Philoſophorum ſententia, minimæ illæ particulæ, id eſt, atomi, & corpora illa inſecabilia, ex quibus omnia ſint concreta, cotidie defluant & decedant: an, inquam, homo, cuius particulæ ita paulatim mutentur, alijs defluentibus, alijs rurſus accedentibus, nihilominus idem maneat: de hac, inquam, quæſtione *Plutarch. lib. 9. συμποσιακῶν*: (quod tamen problema intercidit) vbi quærit, an homo, qui cotidie mutatur, idem ſit dicendus. Eadem fuit quæſtio de naue Theſei inter Philoſophos, *teſte Plutarcho in vita Theſei.* De hac tota diſ-

Conſimiles apud alios quæſtiones.

putatione & *Hermolaus Barbarus apud Alexandrum, genialium dierum lib.3 cap.1.*

Franc. Hotoman. Illuſt. quæſt. 8.

TEXTVS.

Hæc autem diſputatio ad hãc quæſtionem pertinere videtur, quemadmodum ciuitas eadem eſſe, vel non eadem, ſed alia ſit dicenda, cuius quæſtionis explicatio ea quidem, quæ maxime ſit in promptu de loco & de hominibus. Fit enim vt diuidantur locus & homines, & hi quidem alium, illi vero alium locum incolant. Atque hæc quidem quæſtio facilior eſt iudicanda: nam cum ciuitas multifariam dicatur, facilis quodammodo hæc eſt explicatio. Ad eundem vero modum, & hominibus eundem locum incolentibus, quando eandem ciuitatem arbitrari oporteat: neque enim vtique mœnibus: nam & Peloponneſum mœnibus circummunire licet. Talis forte eſt & Babylon & omnis, quæ ambitum habeat gentis potius quam ciuitatis, quam captam ab hoſtibus aiunt triduo nondum ſenſiſſe quandam ciuitatis partem. Sed de hac quidem controuerſia diſputatio alij tempori eſt vtilior. nam de magnitudine ciuitatis, & quanta eſſe debeat, & vtrum vna gens aut plures conducant, ſcire oportet politicum. Verum iiſdem eundem incolentibus locum vtrum quamdiu erit genus incolentium, eadem dicenda ſit ciuitas, multis licet & morientibus & naſcentibus, quemadmodum & flumina eadem dicere ſolemus & fontes eoſdem, aqua licet ſemper alia affluente, alia defluente: an homines quidem ijdem ſint dicendi hac de cauſa, ciuitas vero alia. Nam ciuitas ſi quidem eſt ſocietas quædam, ſocietas

vero

vero ciuium cum Republica alia ſit ſpecie, & diſcrepat Reſp. neceſſario videatur ciuitas non eſſe eadem, quemadmodum & chorum nunc quidem Comicum, nunc vero Tragicum, alium eſſe dicimus, ijſdem ſæpe hominibus: ad eũdem vero modum & aliam omnem ſocietatem, ſi compoſitionis alia ſit ſpecies, vt concentum earundem vocum, ſonorum ſiue modulorum alium eſſe dicamus. vbi ſit partim Dorius, partim Phrygius. Quæ ſi ita ſe habent, perſpicuum eſt, oportere maxime dici eandem ciuitatem ſpectantes Rempublicam. Nomine autem appellare alio vel eodem licet & ijſdem eadem inhabitantibus, & omnino alijs hominibus. An autem pacta ſeruari aut non ſeruari, ciuitate in aliam Reipublicæ formam mutata, ſit iuſtum; alia eſt quæſtio.

COMMENTARII.

Ἔοικε δὲ οἰκεῖον.] Quæſtio huius loci, qua nota ciuitas eadem vel alia dici debeat, locone an perſonis ſeu mœnibus, an Republ. ſeu politia, hîc explicatur, vt ſupra monuimus. Atque de duabus quidem illis notis, loco & hominibus, in promptu poſitum eſſe ait, hoc eſt, illæ duæ notæ in hac quæſtione plerunq; occurrere ſolent, propterea quod duæ ſummæ ciuitatum ſunt partes, ager & ciuis ſiue perſona; de his, inquam, duobus maxime diſputant politici, vt ſupra *libr. 2. Ethicor.* & infra *lib.7.* vbi dicetur latius. Ariſtoteles de his duabus notis quæſtionem ait eſſe facilem, adhibita ipſius verbi ciuitatis diſtinctione. Nam πόλις Græce ſæpius, ciuitas Latine rarius, duo valet; locum ſeu ædificia & mœnia, & ipſam hominum multitudinem iure conſociatam; Latine prius fere vrbs, poſterius dicitur ciuitas, vt eleganter *Cic. in frag. de Repub.* Hac igitur verbi diſtinctione facilis eſt quæſtio. Nam ſi ciues ſeu homines iidem maneant, loco tamen diuidantur, vrbs certe erit alia, vt quæ loco cernatur, ciuitas autem non continuo erit alia. Nam fieri poteſt, vt, vrbe ipſa diruta

Ciuitatem non cerni mœnibus.

diruta & ſolo æquata, nihilominus eadem ſit ciuitas. Ex quibus intelligitur, ciuitatem loco non dici eandem vel aliam, ſed vrbem duntaxat, quod idem Ariſtoteles confirmat hac ratione: quia alioqui ſequeretur, vt ſæpe nulla inter gentes & ciuitates eſſet differentia, ſi ciuitas loco & mœnibus cerneretur. Fieri namque poteſt, vt gens tota vel Regio vnis mœnibus concludatur, vt inſula vel peninſula, vt Peloponneſus, cui ſimilem ait eſſe Babylonem, cuius tantus fuerit ambitus, vt gens potius quam ciuitas videretur. Nam *teſte Herodo. lib. 1. & Strab. lib. 10.* ambitus Babylonis 60000. paſſuum complectitur, Roma vetus 14000. adeo quidem, vt à Cyro extremæ Babylonis partes iam captæ eſſent, priuſquam captam ſentirent, qui in media vrbe habitarent, *teſte Herodoto*, & quidem triduo ante, vt hic Ariſtoteles. Hanc vrbis aut ciuitatis magnitudinē ſemper reprehendit Ariſtoteles: Sed de ciuitatum magnitudine alia eſt quæſtio, de qua infra *lib. 7. cap. 4.* Si igitur loco & mœnibus iudicanda ſit ciuitas eadem vel alia; ſequeretur ſæpe, nullam eſſe gentis & ciuitatis differentiam. *Ratio ab abſurdo.*

Ἀλλὰ τ̃ αὐτῶν.] Expoſito, ciuitatem non dicendam vel eandem vel aliam loco aut mœnibus: nunc de hominibus & vera nota Politiæ ſeu Reipublicæ. Quæſtio eſt igitur, an iiſdem eodem loco manentibus hominibus, partim tamen morientibus, partim rurſus agnaſcentibus, eadem ciuitas vel alia ſit dicenda. Et quidem de hominibus, qui partim vel decedunt vel rurſus agnaſcuntur, quæri quoque poteſt, an iidem ſint, an alii. Ait igitur, hac permutatione hominum morientium & naſcentium eoſdem nihilominus homines dici poſſe exemplo fluminum & fontium; quod idem confirmat aliis exemplis *Iuriſconſ. Alphenus*, vt ſupradiximus. Verum alia eſt quæſtio de ciuitate, an & hæc eadem permanere ſit dicenda ex eo tantum, quia iidem ſunt homines in eodem loco. Et oſtendit, propterea non effici, vt eadem ſit ciuitas, quia iidem ſunt homines, ſed ex eo potius, ſi eadem permaneat Reſpubl. ſeu politia, id eſt, idem ciuitatis ſtatus: contra, ciuitatem dicendam eſſe aliam, mutato eius ſtatu. Formula ſit iſta: Omnis ſocietas ex eius ſtatu & forma dicenda eſt vel eadem vel alia. Ciuitas autem eſt ſocietas. Ergo è ſtatu dicenda eſt eadem vel alia, non è loco vel hominibus. Propoſitionem docet inductione, allatis duobus exemplis *Ciuib. morte mutatis eoſdem tamen manere. Iiſdem hominib. permanentib. ſtatu vero mutato nō eſſe eandem ciuitatē ſeu Rempub. Ratio à genere.*

chori & concentus, in quibus ijſdem licet actoribus & cantoribus, tamen alius atque alius eſt chorus atque concentus. Ad eundem igitur modum & ciuitatis ſtatu eodem manente, vt manente Democratia vel regno, &c. eadem dicenda erit ciuitas: ſtatu mutato, vt Democratia in Regnum cōuerſa, vel contra, &c. dicenda erit alia. Et hoc eſt, quod *Alphenus* quoque eleganter inductione quadam oſtendit; partibus licet commutatis, rem nihilominus eandem permanere, modo eadem rei ſpecies conſiſtat. Ad ſummam, ciuitas eadem ne ſit an alia, ex forma potius, id eſt, ſtatu, vtpote potiore parte, quam ex materia, id eſt, hominibus, merito eſt diiudicanda.

CAPVT III.

ALIAM de ciue quæſtionem priori non abſimilem hic explicat. Vt enim priore capite eadem ne ſit ciuitas an alia: ſic hoc eadem ne ſit ciuis, quæ viri boni, virtus, an alia, differit, vbi multa præclara de virtutibus ciuium, magiſtratuum & priuatorum. Altera cap. parte quærit, an opifices in numero ciuium eſſe debeant.

TEXTVS.

Quę autem modo ſunt expoſita, his proximum eſt videre, vtrum eadem ſtatuenda ſit virtus boni viri & ciuis boni, an non eadem. Sed enim ſiquidem hoc explicatione opus habet, primum ciuis virtus erit adumbranda. Quemadmodum igitur ſociorum vnus eſt nauta, ita & ciuem dicimus. Nautarum autem etſi vi & poteſtate diſſimilium (nam hic quidem eſt Remex, ille vero Gubernator, ille proreta, ille aliud eius generis habens nomen) perſpicuum eſt, ſubtiliſſimam quidem ſingulorum rationem propriam eſſe virtutis, eſſe tamen & communem omnibus conuenientem. Omnium namque ipſorum opus & munus eſt nauigationis ſalus: id enim ſinguli nautæ expetunt. Ad eundem igitur modum & ciuium, etſi diſſimilium

lium, opus & munus eſt ſocietatis ſalus, Reſpublica autem ſocietas eſt.

COMMENTARII.

Τῶν δὲ νῦν.] Quæſtio eſt, eadem ne ſit ciuis boni, quæ viri boni, virtus, an alia; an inter virum bonum & bonum ciuem ſit differentia, necne. Cuius diſputationis hæc eſt ſumma, non eſſe eandem ciuis & viri boni virtutem ἁπλῶς, id eſt, vniuerſe & abſolute; ſiue, alium eſſe virum bonum, alium bonum ciuem plærumque: Nam in Ariſtocratia accidere, vt vt vnus idemque ſit vir bonus, & ciuis bonus; non quidem omnis in Ariſtocratia ciuis, id eſt, non priuatus quilibet, ſed magiſtratus. Generatim igitur alius eſt vir bonus, alius ciuis bonus. Quare & apud ſcriptores veteres vt *Cic. li. 10. Epiſt. ad Att.* Ciuis bonus à viro bono ſeparari ſolet, vt de Trebatio Iuriſc. boni viri & ciuis verbis te gaudeo delectatum. Sic M. Cato fuit ille quidem vir bonus, ciuis non ſatis bonus: Demoſthenes ciuis bonus, vir non item. *Non eſſe ἁπλῶς eandem ciuis & viri boni virtutẽ.*

Ἀλλὰ μὴν εἴχε τοῦτο.] Exordium diſputationis de viro & ciue bono, an eadem ſit virtus, capit à virtute boni ciuis, quam prius cognitam eſſe oporteat. Nam viri boni virtus quæ ſit, notum negocium; perfecta, inquam, virtus, id eſt, καλοκαγαθία, complexus nimirum virtutum moralium, de quibus *in Ethicis*. viri boni, inquit *Cic lib. 4. Offic.* nomen innumerabilibus officijs continetur. Docet igitur, boni ciuis quæ ſit virtus. Et quidem de virtute ciuium ſeu boni ciuis duas eſſe rationes ſpectandas ait, quarum vna ciues vniuerſi, altera ſinguli conſiderentur. Iam ſi vniuerſos ſpectes, virtutem vniuerſorum docet eſſe poſitam in ſalute & incolumitate ciuitatis. Officium bonorum ciuium omnium eſt dare operam, vt Reſpublica maneat ſalua & incolumis: hoc eſt, bonorum ciuium munus & opus, id eſt, ἔργον. Si hoc eſt ἔργον, tueri ſalutem Reipublicæ: Ergo & eadem eſt virtus ad ſalutem Reipublicæ ſpectans. Nam opus & munus ex virtute, tanquam ex fonte, promanat. Et hoc eſt quod ait paulo infra: δεῖ δ᾽ ἕκαστον τὸ καθ᾽ αὑτὸν ἔργον εὖ ποιεῖν, τοῦτο δὲ ἀπ᾽ ἀρετῆς. Communis igitur ciuium virtus eſt in ſalute & incolumitate Reipublicæ, ſingulorum autem ciuium virtutes docet eſſe multiplices, vt multa ſunt ciuium genera; alij priuati, alij *Viri boni virtus.* *Vniuerſorũ ciuiũ virtus.* *Singulorum ciuiũ virtus.*

magiſtratus: & ex his alij ciuiles, alij militares: alij cum maiore, alij cum minore imperio: rurſus alij ſunt ciues in Democratia, alij in Regno, &c. De his igitur ſingulorum ciuiũ virtutibus diſputatio, vt longior, hic omittitur, paulo infra explicatur. Hanc autem virtutis ciuium diſtinctionem confirmat & explanat Ariſtoteles ſimilitudine quadam à nautis ſumpta: nam ſolet & alias Reſpubl. rei nauticæ comparari. *Cic.lib.12.Ep.ad Qu.Cornificium*; Quamobrem mi Quincte conſcende nobiſcum ad puppim: vna nauis eſt iam bonorum omnium, quam quidem, nos damus operam, vt rectã teneamus, vtinam proſpero curſu. Sed quicunque venti erunt, ars noſtra certe non deerit. Eſt igitur nautarum quoque duplex ratio, duplex officium & virtus; aliud commune omnium nautarum officium, in proſpero curſu & ſalute nauis poſitum; aliud ſingulorum proprium, vt remigis, remos ducere, gubernatoris, clauum tenere; proretæ, proram & nauim gubernare. De his nautarum officijs & *Cic. in lib. de ſenectute*; vt ſi quis gubernatorem in nauigando nihil agere dicat, cum alij malos ſcandant, alij per foros curſent, alij ſentinam exhauriant, ille autem clauum tenens ſedeat in puppi. Eadem eſt igitur nautarum & ciuium ratio.

Ratio à ſimili.

Ὁμοίως δὲ.] Aſſentior *Petro Victorio*, qui *lib 36. variar. lect. cap. 15.* docet ſcribendum, ὅμως δὲ: quo modo & nos vertimus, quaſi dicat, etſi ſubtiliter & exquiſite intuenti nautarum ſua & propria ſingulorum ſunt officia & virtutes, eſt tamen & commune omnium quoddam, vt ſupra explicatum, nimirum ſalus & proſper curſus nauis.

TEXTVS.

Quare virtutem neceſſe eſt eſſe ciuis ad ciuitatis ſtatum.

COMMENTARII.

Ciuis boni virtus Reipubl. ſtatui accommodata eſt.

Docet, ciuis virtutem ciuitatis ſtatui accommodatam eſſe debere, id eſt, aliam eſſe ciuis in Democratia virtutem, aliam in Regno, &c. Docet id hac ratione; Quia ciuis virtus in ciuilis ſocietatis ſalute & incolumitate cernitur, vt ſupra diximus. Formula: Si ciuis virtus eſt in ſalute ciuilis ſocietatis, hæc autem eſt politia ſeu ſtatus ciuitatis: nam politia eſt ciuilis ſocietatis velut anima (τάξις, διάταξία etiam ψυχὴ dicitur

ciſur *ab Iſocr. in Areopag.*) Ergo ciuis virtus vt ad ſocietatem, ita & ſtatum, id eſt, ad politiam eius, eſt accommodanda & referenda: eaque propter quot ſtatuum erunt genera, tot & virtutum. Et hoc eſt quod diximus, alias eſſe ciuis popularis, alias Ariſtocratici virtutes. De quibus virtutum generibus, copioſiſſime Plato in lib. de Repub.

TEXTVS.

Si igitur plura ſunt Reipublicæ genera; perſpicuum eſt, non vſuuenire, vt boni ciuis vna ſit virtus perfecta: virum bonum autem ex perfecta virtute dicimus. Vſuvenire igitur, vt ciuis bonus ſit, qui virtutem, quam vir bonus, non habeat, perſpicuum eſt.

COMMENTARII.

Εἴπερ οὖν ἐστὶ πλείω πολιτειῶν.] His præmunitis de duplici ciuium virtute, nunc de ipſa quæſtione. Docet igitur tribus fere rationibus aliam eſſe ciuis boni, aliam viri boni virtutem. Prima ratio hoc loco hæc eſt; Quia virtus viri boni vna eſt perfecta, ciuis non item. Formula: Ciuis boni virtus non eſt vna perfecta. At viri boni virtus vna eſt perfecta. Ergo vtriuſque non eadem eſt virtus. Aſſumptio nota eſt *ex Ethicis*, omnium bonorum virorum virtutem eſſe vnam, eámq; perfectam, καλοκαγαθίαν. Propoſitionem igitur confirmat duabus rationibus: quarum prior his verbis, εἴπερ ἐστὶ πλείω, hæc eſt; Quia multa ſunt Rerumpubl. genera. Ergo multæ quoque ſunt ciuium virtutes ſpecie diſcrepantes, non vna. Nam alia eſt virtus ciuiũ in Democratia, alia in Regno, &c. Altera ratio eſt paulo infra, ἔτι ἐπεὶ ἐξ ἀνομοίων: *quia ex diſparibus ciuitas*, &c. id eſt: Quia ciues ipſi non ſunt iidem, ſed diſpares; ſeu quia partes ciuitatis non ſunt vnæ eædemque, ſed diſſimiles: verbi gratia, differt mulier à viro, Dominus à ſeruo, ex quibus, tanquam partibus, conflatur ciuitas: quin etiam præter has differentias partium ciuitatis eſt & alia, nempe quia ciues alii ſint priuati, alii cum imperio, alii ſenatores, alii milites. Et hoc eſt, quod ait, καὶ ταῦτα τούτοις. Ex quibus intelligitur ciuium non poſſe eſſe vnam eandemq; virtutem omnium.

1. Ratio. *Aſſumptionis confirmatio.* *1. Ratio.* *2. Ratio.*

TEXTVS.

Sed enim alio quoque modo licet quærere & eadem diſputatione vti in optima Republ. Nam ſi fieri nequit, vt ciuitas ex omnibus bonis conſiſtat, vnumquemq; autem oportet ſuum officium recte facere, quod eſt ex virtute: quia autem fieri nequit, vt ciues omnes ſint ſimiles, certe ciuis & viri boni non eadem ſit virtus. Nam boni quidem ciuis virtutem in omnibus ineſſe oportet. Sic enim optimam eſſe neceſſe eſt. Viri boni vero virtutem, eſt nefas: niſi ſi omnes neceſſe eſt eſſe bonos eos, qui in bona ciuitate ſint ciues.

COMMENTARII.

II. Ratio, qua docetur, aliam eſſe boni ciuis & viri boni virtutem.

Οὐ μὴν ἀλλά.] Altera ratio, non tamen communis, vt prior, omnium Rerumpub. ſed propria optimæ Reipublicæ, ab hac inquam ſumpta, hæc eſt; Quia in optima Republica omnes ciues eſſe poſſint & debeant ciues quidem boni, viri vero non item Formula: In optima Republica omnes ciues eſſe poſſunt & debent (nam alioqui non eſſet optima Reſp.) eſſe ciues boni. Optimam Rempublicam docet infra eſſe optimatum ἀριστοκρατίαν, *lib.3.in fi.* At in eadem Republica vt omnes quoque ſint viri boni, eſt ἀδύνατον. Ergo viri boni & boni ciuis virtus non eſt eadem.

TEXTVS.

Præterea quia ex diſſimilibus ciuitas, vt ſtatim animal ex anima & corpore, & anima ex ratione & cupiditate, & domus ex viro & muliere, & Res (familiaris) ex domino & ſeruo: eodem modo & ciuitas & ex his omnibus, & præter hæc ex alijs diſſimilibus generibus cõſtat: neceſſe eſt, omnium ciuium non eſſe eandem virtutem, quemadmodum neque ſaltatorum, præſultoris & proximi. Ex his igitur apparet, non eſſe eandem omnino virtutem.

COM-

COMMENTARII.

Ἔπι ἐπεὶ.] Hęc verba quo pertineant, ſupra explicauimus. Non eſt argumentum, ſed eſt ratio cur ipſorum ciuium virtutes ſint diſſimiles. *Similitudo.*

Ὥσπερ οὐδὲ τῶν.] Eleganti ſimilitudine docet ciuium virtutes inter ſe eſſe diſſimiles à ſaltatoribus ducta. Nam vt præſultoris, quem Græci κορυφαῖον vocant, virtus eſt perfectior, quam proximi ſeu παραστάτου & adiutoris: ita & eius, qui præeſt, perfectior eſt virtus, quam priuati.

TEXTVS.

Verum an cuiuſquã eadẽ erit virtus, & boni ciuis & viri boni? Dicimus igitur, bonũ magiſtratũ virũ eſſe bonũ & prudentẽ, politicũ vero neceſſe eſt eſſe prudentem: & vero diſciplinã ſtatim aliam eſſe magiſtratui quidam aiunt; quemadmodum & in Regum liberis apparet, qui in arte equeſtri & re militari inſtituuntur. Et Euripides ait: *Ne mihi cuncta, ſed quorum ciuitati ſit vſus*; tanquam magiſtratus quædam ſit diſciplina. Si autem eadem eſt virtus & magiſtratus boni & viri boni, Ciuis autem eſt & is qui paret, non eadem omnino ſit ciuis & viri, cuiuſdam vtique ciuis. Neque enim eadem magiſtratus & ciuis: eaque propter Iaſon fortaſſe dixit eſurire, quando non imperaret, vt qui priuatus eſſe neſciret.

COMMENTARII.

Ἀλλ' ἆρ' ἔσται.] Explicato, non eſſe eandem viri boni & boni ciuis virtutem ἁπλῶς, id eſt, generaliter & omnino: quærit amplius, an non ſaltem alicuius ciuis eadem ſit, quæ viri boni, virtus. Et docet, cum ciuium duo ſint genera, alii priuati, alii in magiſtratu, horum eandem eſſe virtutem, quæ eſt viri boni, non tamen in omnibus Rebuſpubl. ſed in opti- *Quatenus vir bonus idem ſit cũ bono ciue.*

ma duntaxat, nimirum Ariſtocratia. quod & infra iterat *lib.* 4. in hac, inquam, vſuuenire, vt eadem ciuis imperantis tamen ſit virtus, quæ viri boni. His autem explicandis propter duo ciuium genera præclare diſſerit de vtriuſque ciuis virtutum diſcrimine.

Magiſtratus bonus debet quoque vir bonus eſſe. *1. Ratio.*

Φαμὲν δὴ τὸν ἄρχοντα τὸν σπουδαῖον.] Docet, eum qui præeſt bene, ſeu magiſtratum bonum debere eſſe virum bonum argumento ſumpto à communi hominum opinione & ſermonibus. Nam & vulgo dicimus, non poſſe quem eſſe magiſtratum qui non idem ſit vir bonus & prudens. De prudentia res eſt perſpicua, vt quæ ſit virtus maxime ἀρχικὴ, vt paulo infra. Idem & de Politico dici ſolet, eſſe eum virum prudentem & ſapientem; adeo quidem, vt vulgo alios ſapientes vix norint quam politicos. Iam vero in quibus eſt prudentia, in iiſdem vt reliquæ virtutes inſint, neceſſe eſt propter virtutum connexum, de quo ſupra *lib. 6. Ethic. cap. vlt.* *2. Ratio.* Præterea ni magiſtratus ſit idem vir bonus & iuſtus; non erit magiſtratus bonus, ſed tyrannus & pleonectes. *Obiectio.* Sed enim dicet aliquis, non magiſtratum tantum, ſed alios quoque ciues bonos oportet eſſe viros quoque bonos. *Solutio.* Reſpondeo, magnum inter eos, qui præſunt, & eos, qui parẽt, eſſe diſcrimen: quod Ariſtoteles docet, & ex vulgi iudicio, & Euripidis teſtimonio. *1. Ratio.* Nam & vulgo aliam ſtatuunt diſciplinam & inſtitutionem principum, aliam reliquorũ ciuium eſſe debere. Quam ſententiam de diſſimili inſtitutione etiam vſu comprobari adiungit. Nam Regum & principum virorum liberos artem equeſtrem & rem militarem diſcere, aliorum ciuium liberos non item. *2. Ratio à teſtimonio.* Apud Euripidem autem dicitur, viros principes & in bello & in Republica non tam verborum & orationis lenocinia & elegantiam, quam res ipſas curare & his ſtudere debere: quaſi dicat: Alii ciues ſtudent eloquentiæ: principes ſtudeant, quemadmodum & in pace & in bello bene Rempublicam adminiſtrent. Hæc enim Euripidis eſt ſententia, cuius verba conciſius hîc afferuntur, extant integriora *apud Stobæum cap 33. de principib. ciuitatum.* Hoc diſcrimen ſtudiorum inter principes & alios ciues expreſſit & *Virg. libr. 6. Deſcribent alii melius*, &c. Ex his perſpicuum eſt, aliam eſſe virtutem eius qui præeſt, aliam eius qui paret, & eandem eſſe virtutem eius qui præeſt, & viri boni.

III. Ratio,

Εἰ δ' ἡ αὐτὴ ἀρετὴ.] His verbis Ariſtoteles concludit hæc

duo

duo coniunctę & implicatę, virtutem viri boni & boni ciuis non eſſe eandem: atq; virtutem viri boni & cuiuſdam ciuis, id eſt, eius qui præeſt, eſſe eandem. Prioris hæc ſit formula: Si virtus eadem eſt viri boni & ex ciuibus eius tantum qui præeſt: Ergo virtus non eſt eadem viri boni & ciuis omnino, id eſt, ἁπλῶς, abſolute. Nam ſi πολίτης tantum eſt partis, id eſt, eius qui præeſt: Ergo non rei vniuerſæ. Certum eſt autem, præter eos, qui præſunt, alios quoque eſſe ciues, eos qui parent. Atque ita tertia hæc eſt ratio, qua princeps quæſtio viri boni & boni ciuis virtutem non eſſe eandem confirmetur. Antecedens, quod dixi, eſſe poſterius, τινὸς μὲν τοι πολίτου, ex prioribus iam eſt certum. Neq; vero mouere quem debet, quod & hi, qui præſunt, ſint in numero ciuiũ; & propterea ſi eius qui præeſt, & viri boni eadem eſt virtus, ciuium quoque eadem virtus eſſe debeat. Nam alia eſt virtus eius qui præeſt, alia eſt reliquorum ciuium, alia eſt ratio principum, alia priuatorum: quo pertinet & Iaſonis dictum, cuius tanta fuit magnitudo animi & regnandi cupiditas, eſurire & fame necari vt ſe diceret, vbi non imperaret, quaſi qui priuatus & abſque imperio non ſuſtineret viuere, quemadmodum nec Cæſar, & multi magnorum virorum liberi, qui vix poſſint cum reliquis viuere, inquit *Cic. lib. 1. Offic.* quo ingenio fuit & mulier Agrippina, ad quam Tiberius Imperator Græco verſu ex poeta aliquo ſumpto, *teſte Suetonio*, ſi non dominaris filiola, iniuriam te accipere exiſtimas; & *Tacit. lib. 4.* eadem de re. Audita hæc raram occulti pectoris vocem elicuere, correptamq; Græco verſu admonuit, ideo lædi, quia non regnaret. Verſus Græcus à *Sueton. & Tacito* Latine prolatus qui fuerit, non ſatis conſtat. *Gulielmus Canterus libr. 6. nouar. lect. cap. 26.* hæc verba fuiſſe coniicit: εἰ μὴ κρατεῖς τεκνίον, ὑβρίζεσθαι δοκεῖς. congruenter Suetonio, ſed Tacito congruentiora & accommodatiora videntur hęc Iaſonis verba ſi pro πεινῆν ſcribatur ποινᾶν, & ποινᾶν valeat pœna affici, vt quemadmodum Iaſon dixerit ſe velut puniri, ſi non regnaret, τυραννοῖ: ita & Tiberius de Agrippina, ideo lædi, quia non regnaret: atque ita & pro ὅτε ſcribendum eſſet ὅτι.

qua docetur nō eandem eſſe viri ciuisq; boni virtutem.

ἀπάντησις.

Ratio.

Iaſ. dictum.

TEXTVS.

Verum enimuero laudatur poſſe imperare & poſſe parere: & ſpectati ciuis virtus eſſe videtur poſſe bene imperare & parere. Quod ſi igitur viri quidem boni virtutem facimus ad imperandum aptam, ciuis vero vtrumque, non peræque vtrumque ſit laudabile. Quia igitur videtur is qui præeſt, vtraque debere diſcere, & non eadem quæ is qui paret; Ciuis autem vtraque ſcire, & vtraque participare: hinc id quis intelligat. Eſt namque imperium ſeruile ſitum in rebus neceſſarijs, vt dicuntur, quas eum, qui præeſt, non eſt neceſſe ſcire, ſed potius vti. Altera vero res eſt & ſeruilis: alteram dico, poſſe & ſeruiles actiones facere: plura autem ſeruorum genera dicimus. Sunt enim plures operæ, quarum partem vnam tenent opifices: hi autem ſunt, vt & nomen ipſum indicat, qui manibus victum quærunt, in quibus & ſordidi artifices. Quare olim apud quoſdam opificibus non communicabantur magiſtratus, priuſquam extremus factus eſt populus. Eorum igitur, qui ita parent, opera non oportet bonum neque politicum neque ciuem diſcere, niſi forte vſus ſui ſecum cauſa: nam ſic non fiet amplius, vt hic quidem ſit dominus, ille vero ſeruus. Verum eſt imperium quoddam in genere pares & liberos: hoc enim ciuile eſſe dicimus imperium, quod eum, qui præeſt, oportet parendo diſcere; vt præfecturam equeſtrem, qui præfecto paruerit; præturam belli, qui prætori; & tribunatum, qui tribuno; & centuriatum, qui Centurioni: horum autem virtus eſt quidem alia; bonum vero ciuem oportet noſſe & poſſe

poſſe & parere & imperare. Et hæc virtus eſt ciuis liberorum imperium noſſe vtrinque, & viri adeo boni vtrumque: etſi alia eſt ſpecies temperantiæ & iuſtitiæ ad imperandum aptæ. Etenim eius qui paret quidem, liber vero eſt, perſpicuum non vnã eſſe virtutem, vt iuſtitiam; ſed quæ ſpecies habeat, quibus præſit & pareat, quemadmodum viri & mulieris alia eſt temperantia & fortitudo. Nam vir timidus videatur eſſe, ſi ſic fortis ſit, vt mulier fortis; & mulier alia, ſi ſic modeſta ſit vt vir bonus. Siquidem & Oeconomia alia eſt viri quam mulieris: nam illius quidem quærere, huius vero conſeruare eſt officium. Prudentia autem ſola virtus eſt eius, qui præeſt propria: aliæ namque neceſſario videntur eſſe communes & parentium & imperantium. Parentis certe virtus non eſt prudentia, ſed bona opinio: parens namque eſt velut tibiarum opifex; imperans vero tibicen, qui vtitur (ſcilicet tibijs.) Vtrum igitur eadẽ quidem ſit virtus viri boni, & boni ciuis, an alia, & quomodo alia, ex his intelligitur.

COMMENTARII.

Ἀλλὰ μὴν ἐπαινεῖταί γε.] Reprehendit quodammodo Iaſonem & eius ambitioſum ingenium, qui nihil aliud quam imperare noſſet aut vellet, cum vtrunque, bene & parere & imperare, ſit laudabile. Et hæc præſtantis ciuis virtus & officium eſſe videatur, vtrumque vt norit & poſſit: quæ duo, id eſt, vtrumque hoc & eſſe laudabile, & ciuis præclari eſſe officium, paulo infra docebitur.

Εἰ οὖν τὴν μὲν.] Obſcura verba, quibus tamen differentia ciuis & viri boni confirmari videtur, hunc in modum: viri boni virtus eſt *ἀρχικὴ*, in imperando poſita. Ciuis boni virtus non tantum in imperando, ſed & parendo. Ergo vtriuſq; non eadem eſt virtus, ſiue, vt Ariſtoteles, non peræque laudantur, *IV. Ratio.*

dantur, quæ in viro bono & in bono ciue. Laus virtutum eſt propria, *ſupra lib. 1. Ethic. cap. 12.* laudis nomine virtutes indicantur. Atque ita hæc velut quarta ſit ratio, qua doceri poſſit, aliam eſſe virtutem viri boni, aliam boni ciuis: etſi hæc ex tertia manat, vbi boni viri & boni principis virtutem eandem eſſe oſtendimus, boni ciuis non item. *Obiectio.* At boni viri virtus, inquiet aliquis, non tantum eſt in parendo, ſed etiam in imperando, vt inf. dicetur. *Solutio.* Reſpõdeo maxime eſſe in imperando: propterea quod cum virtutes duorum ſint generum, aliæ ad parendum, aliæ ad imperandum aptæ, & ex his duabus ἀρχικαὶ aliis ſint præſtantiores, omnium autem virtutum præſtantiſſimæ bonorum virorum ſint propriæ: efficitur, quod diximus, boni viri virtutem, etſi in parendo quoque cernitur, tamen in imperando maxime conſiſtere.

Ἐπεὶ οὖν ποτε.] Interpretes ita reddunt, quaſi verbum, ἀμφότερα, tanquam genus primo ponatur, cuius partes duæ mox ſequantur, καὶ οὐ ταὐτὰ, & τὸν δὲ πολίτην, hunc in modum: Quemadmodum igitur interdum vtrumque horum videtur, nempe, & non eadem oportere diſcere parentem & imperantem, & ciuem vtrumque oportere diſcere. Nos aliter expreſſimus, verius quidem meo iudicio. Nam Ariſtoteles hoc loco exponit, de quibus rebus ſit explicaturus. Docet autem non duo, vt illi putant, ſed tria, hæc videlicet, eum qui præeſt, vtrumque ſcire oportere, & non eadem tamen, quæ debeat is qui paret: Ciuem denique & ipſum vtrumq; ſcire oportere, parere & imperare. Eſt autem tota hæc diſputatio propter Ariſtotelis verba (haud ſcio an non ſæpe mendoſa) obſcurior. Nos eam in duas partes tribuamus, quarum priore de iis quæ ſint diſcenda, altera de virtutibus explicetur. Quatuor autem hi ſunt attente diſtinguendi; vir bonus, bonus ciuis, bonus princeps, & bonus ſubditus ſeu parens. De his igitur videamus, quæ & quiſque diſcere debeat, & quæ cuiuſque ſit virtus, quorum hoc ex illo intelligitur, & manat. De his igitur quæ diſcenda ſint, imperii adhibita diſtinctione docet Ariſtoteles. Nam imperium aliud eſt herile, aliud ciuile: herile in rebus neceſſariis ad vitæ cultum cernitur, quo pertinent & operæ ſeruiles opificum: Ciuile autem imperium non eſt in ſeruos, ſed in liberos, ſeu genere pares. Hoc diſcrimine cognito & præmunito, Ariſtoteles ait, in herili quidem imperio diſcrimen eſſe inter illos

qua-

quatuor, in ciuili non item, id eſt, in ciuili omnes eadem debere diſcere & noſſe, nempe bene parere & imperare, in herili non omnes eadem debere noſſe. Nam ſubditos poſſe diſcere artes ſeruiles, reliquos tres, virum bonum, bonum ciuem & principem non item. de principe viro res eſt certa: de ciue & viro bono hæc videtur eſſe ratio: quia impedimento ſint virtutibus boni viri & boni ciuis. Nam qui opificum artibus diſtinetur, ei non ſatis eſt otii vel ad virtutes bene acquirendas, quod eſt viri boni, vel ad ciuis officium recte obeundum, in parendo & imperando poſitum. Hi igitur tres neque ſeruilia munera, neq; opificum artes diſcere debent, niſi forte ſui vſus cauſa, hoc eſt, quia quæſtum ex iis non faciant, ſed vel animi cauſa, vel ad proprium vſum: tunc enim non fit, vt alter ſit Dominus, alter ſeruus, id eſt, cum ſui vſus vel animi cauſa opificis artem diſcit, non ſeruum ſe facit, vel vendit aut locat ſuam operam; quod faciunt plerique opifices, eaque propter quodammodo ſunt ſerui, *ſupra cap. vlt. & paulo infra.* Cuius generis Fabius pingendi Romæ olim, & nuper Carolus V. Imperator ſphæras & horologia conficiendi artem, Alfonſus Dux Ferrarienſis fundendi tormenta bellica, Turca Solymannus conficiendi acus didicerant. Seruilia autem munera nunquam hi diſcere debent, ſed ſeruilium munerum peritis vti: hoc ab iis poſtulatur, vt vti norint, ſcire non item, *vt hic, & ſupra latius lib. 1.* Et hæc quidem de herili imperio. De ciuili, ait omnes eadem diſcere & ſcire oportere, parere videlicet & imperare. De principe, cur ſcire debeat imperare, res eſt facilis: cur idem parere noſſe debeat, docet bifariam. Primo quia imperare diſcatur parendo, quod confirmat ab imperiis & magiſtratibus militaribus. Nam hunc demum optimum fore imperatorem, id eſt, prætorem belli, qui imperatori aliquando paruerit. Eadem eſt & præfecti equitum & tribuni & centurionis ratio. Deinde confirmat idem communi quodam dicto, difficile eſſe factu, vt qui nunquam paruerit, bene imperet. Quod præclarum veterum dictum, tanquam prouerbium, eſt & *apud Platonem,* δεῖ δὴ πάντα: oportet autem, inquit, de omnibus hominibus ita quemque exiſtimare, nunquam laude dignum fore Dominum, qui ipſe non ſeruierit. Et *apud Cic. lib. 3. de legib.* vbi de magiſtratibus: neque ſolum iis, inquit, præſcribendus eſt imperandi, ſed etiam ciuibus obtemperandi

Princeps cur imperare & parere poſſe debeat.

1. Ratio.

2. Ratio.

perandi modus. Nam & qui bene imperat, paruerit aliquando neceſſe eſt, & qui modeſte paret, videtur, qui aliquando imperet, dignus eſſe. Princeps igitur noſſe debet non tantum imperare, ſed etiam parere. Contra de parente ſeu ſubdito, cur noſſe debeat parere, facile eſt: cur imperare, hæc fortaſſe eſt ratio, quia aliquando ad magiſtratus & imperia promoueri poſſint. De viro bono, cur vtrumque noſſe debeat, parere quidem, hæc videtur ratio; quia cum principe viro bono magna ſit affinitas, vt ſupra explicatum: imperare quidem, quia virtuti debeatur imperium, *ſupra lib 1.* parere vero; quia vt bene quis imperet, paruerit aliquando neceſſe eſt, *inquit Cic.* Ciuis denique cur vtrumque noſſe debeat, hæc videtur ratio; quia hoc vſuuenire ſoleat, vt nunc pareat, nunc idem imperet. Ex his intelligitur, quæ his quatuor ſint diſcenda, quæ non. Ex quibus item & eorum quatuor quæ ſint virtutes, cognoſci poteſt; quæ erat altera huius diſputationis pars. Vniuerſe igitur horum quatuor eædem ſunt virtutes, vna imperandi, altera parendi, ita vt aliæ virtutes morales ſint ad imperandum aptæ ſeu ἀρχικαί, aliæ ad parendum: quæ virtutes ſpecie inter ſe differunt, vt ſupra latius eſt explicatum *lib 1. cap. vlt.* In eo igitur, qui paret & in eo qui imperat, ineſt quidem fortitudo, ſed alia in imperante, alia in parente; in hoc minor, in illo maior & ſplendidior; vt omnes virtutes imperantium debent eſſe excellentiores: quia virtutum præſtantia imperantibus, vt præſtantioribus, conueniat. Hoc virtutum diſcrimen explanat Ariſtoteles exemplo virtutum viri & mulieris. Nam & horum virtutes ſpecie diſcrepare. Longe namque maior fortitudo viri debet eſſe, quam mulieris. Contra maior temperantia & modeſtia mulieris, quam viri; adeo quidem, vt ſi vir muliebri fortitudine ſit præditus, ignauus potius, quam fortis haberi debeat: & mulier ſi ad modum viri ſit modeſta, alia potius, id eſt, immodeſta potius & petulans cenſeri debeat, quam modeſta. Neque vero mirum eſt, tantam virtutum in viro & muliere eſſe differentiam, cum & officium vtriuſque in re domeſtica longe ſit diſſimile; viri in re quærenda & paranda, mulieris in eadem tuenda. Etſi igitur eædem in his virtutes reperiuntur, non tamen prorſus ſunt eædem, ſed ſpecie inter ſe diſſimiles, qua de re explicatum ſupra *vberius lib 1. cap. vlt.* Cæterum virtutes eius, qui imperat, & eius qui paret,

Subditus cur vtrumque noſſe debeat.

Vir bonus cur?

Ciuis cur?

Principis, ſubditi, viri boni & ciuis quatenus eadem virtus aut diuerſa.

Exemplũ.

Imperantis,

paret, reliquæ quidem omnes ſunt communes: fortitudo, liberalitas, iuſtitia, temperantia, humanitas, magnificentia, &c. ſola prudentia imperantis eſt propria. Nam in eo, qui paret, non tam prudentia, quam bona duntaxat opinio eſt neceſſaria: qua videlicet bene exiſtimet de magiſtratu ſeu principe, eiuſque legibus & decretis: vt hac opinione ductus magiſtratui ne repugnet, ſed modeſte & alacriter eius iuſſa ſequatur. Eleganter autem eum, qui paret, tibiarum opifici, eum, qui præeſt, ipſi comparat tibicini, vt quemadmodum huic ille, ita & is qui paret ei, qui imperat, ſe accommodet, & quaſi monentem ſequatur. *propria vir tus prudẽtia.* *Cõparatio.*

Καὶ γυνὴ ἄλλως.] In quibuſdam libris eſt ἄλλως, aliter; in aliis ἄλλος, alia; in aliis deniq; λάλος, loquax & garrula Poſtremam probant *Sepulueda & Lambinus*. Ego, quia priora in libris & veteribus & vſitatis ſunt recepta, nihil puto mutandum, & legendum per ο. non ω. ἄλλος, id eſt, ſi ad modum viri mulier ſit modeſta, alia videtur eſſe, id eſt, immodeſta potius quam modeſta.

Τοῦ ἀγαθοῦ ἀρετή.] Verbum ἀγαθοῦ, vt ſpurium, prætermiſit Sepulueda, recte Nam his verbis eius quoque, qui paret, duas eſſe ait virtutes in parendo & imperando poſitas non vnam duntaxat, eius, inquam, qui paret, & non ſeruus, ſed ſit liber. Nam & ſeruus paret, cuius tamen vna tantum eſt virtus in parendo poſita: qua autem parte eius qui paret ſunt virtutes, neceſſario is eſt vir bonus. Nam virtutes virorum bonorum ſunt propriæ. quare ſuperuacaneum eſt τὸ τοῦ ἀγαθοῦ.

TEXTVS.

De ciue autem quædam præterea ſupereſt vel reliqua eſt quæſtio. vere namque vtrum ciuis eſt, qui particeps eſſe poſſit imperii, an & opifices dicendi ſint ciues. Ergo ſiquidem & hi ſunt dicendi, quibus nulla eſt magiſtratuum communio; fieri nõ poteſt, omnis vt ciuis ea ſit virtus. Hic enim ciuis. Si vero eorum nemo eſt ciuis, qua in parte quiſque erit collocandus? Neque enim inquilinus, neq; peregrinus eſt. aut propterea nihil ab-

ſurdi

ſurdi dicemus effici : neque enim eorum quæ dicta, quicquam ſunt ſerui aut libertini. nam hoc verum, non omnes dicendos ciues, quibus abſq; non ſit ciuitas; ſiquidem ne pueri quidem iidem ſunt ciues & viri; ſed hi quidem omnino, illi vero cum adiunctione : nam ſunt illi quidem ciues, ſed incoati.

COMMENTARII.

Vtrum opifices in ciuium numero eſſe debeāt.

Mercatores

I. Argum. ἀνασκευαστικὸν.

Περὶ δὲ τὸν πολίτην.] Diſputationis de ciue vltima quæſtio hoc loco explicatur, an opifices in ciuium numero eſſe debeant nec ne : in qua quæſtione in vtramque partem explicanda varia ciuium genera exponit. De eadem quæſtione & ſupra *lib.2.cap.6.& lib.7.cap.8. & maxime cap.9.* Quod de opificibus, idem & de mercatoribus eſt intelligendum, Primum igitur argumentum affert, quo doceat opifices ciuium quoque in numero eſſe collocandos hac diſiunctione, quæ tamen in vtramque partem valeat, id eſt, affirmatiue & negatiue. Nam ſiue eos ciues eſſe aias ſiue neges, vtrinq; eſt incommodum. Si aias, falſum erit, quod paulo ante eſt explicatum, virtutem videlicet boni ciuis in parendo & imperando eſſe poſitam. Nam hæ virtutes in opificem non cadunt : propterea quod hæ artes ſordidæ virtutum actiones, ex quibus ipſæ tandem virtutes oriuntur, impediant, *vt infra latius lib.7.cap.9.* Si neges, hoc ſequetur incommodum, quod vix reperias, quo in numero ergo ſint collocandi. Sic enim argumentatur; opifices neque ſunt inquilini, neque ſunt peregrini : ergo ſunt ciues. At hoc incommodum poſterius eleganter refellit, & docet id non effici, hac ratione; Quia neque ſerui neq; libertini ſint vel inquilini vel peregrini, & tamen non ſunt ciues. Quod autem quidam afferunt argumentum, quo doceant opifices eſſe ciues; quia ſcilicet ciuitas abſque opificibus conſiſtere nequeat: Ariſtoteles negat eſſe idoneum hac ratione; Quia non omnes, ſine quibus ciuitas eſſe nequit, continuo ſunt ciues, vt pueri, ſine quibus ciuitas eſſe nequit, tanquam ciuium ſeminario, tamen vere & omnino non ſunt ciues, ſed cum adiunctione, id eſt, ſunt ciues imperfecti, cum viri ſint abſolute ciues. Ex his intelligitur, quid in vtramque partem afferri poſſit & ſoleat.

1. Argum. κατασκευαστικὸν.

Solutio.

2. Argum. κατασκευαστικὸν.

Solutio.

TEX-

TEXTVS.

Priſcis igitur temporibus apud quoſdam opifices vel erant ſerui vel peregrini, quare hodieque multi tales. Optima autem ciuitas opificem non facit ciuem. Si vero & hic ciuis, certe virtus ciuis, quam diximus, non omnis neque liberi tantum erit dicenda, ſed qui ab operibus neceſſarijs erunt immunes. Talia autem neceſſaria obeuntes vni quidem ſunt ſerui, communiter vero opifices & mercenarij.

COMMENTARII.

Ἐν μὲν οὖν τοῖς ἀρχαίοις χρόνοις] Ait, olim opifices fuiſſe vel *Græci veteres.* ſeruos vel peregrinos, nullos ciues. Sic enim hic locus eſt latine reddendus. Quod idem *Plutar.* Lycurgum conſtituiſſe *Lycurgus.* memorat *in Lycurgo:* & indicat *Xenophon in lib. de Rep. Lacedæmoniorum.* Lacedæmonios, vt aliis in rebus, ita & in hoc quoque inſtituto ſecuti ſunt Romani, præter quod antiquiſſimi Romani etiam eſſent agricolæ, Spartani non item. Idem *Romani.* inſtitutum & in ſua Repub. probat *Plato lib. 8. de leg.* in ſe- *Dionyſ. Halicar. lib. 9. antiqui. ſub anno V. C. 278.* cunda ſua Republica, *τὸ δὲ τῶν ἄλλων δημιουργῶν.* Hæc autem ab Ariſtotele ea de cauſa commemorantur, vt horum velut argumento doceat, an opifex debeat eſſe ciuis, nec ne. Et ait quidem hoc loco, in optima ciuitate opificem ciuem eſſe nõ debere, quod paulo infra explicabit diſtinctius. Quod ſi vero & opifices in ciuium numero erunt, diſputatio prior de virtute veri ciuis, quam diximus poſitam eſſe in bene & parendo & imperando, nonnihil erit immutanda. Nam prius oſtendimus, hanc eſſe virtutem omnium verorum ciuium; at, opificibus quoque in ciuium numerum admiſſis, neceſſario conſequetur eam virtutem non eſſe omnium ciuium, ſed eorum duntaxat, qui neceſſariis operibus ſint ſoluti & liberi. Neque enim ea virtus bene & parendi & imperandi in opifices cadit, vt parendi, certe minime imperandi cadit: hac de cauſa, quia eum, qui aliis ſit imperaturus, virum bonum eſſe oporteat, quod in opificem non cadit, vt ſit vir bonus, vtpote operis & artibus ſordidis vſum & actiones virtutum impedientibus, vt paulo infra. Opera autem & munera hæc ne- *Diſcrimen*

inter ſeruorum & opificũ operas. ceſſaria (quibus, velut contrariæ, reſpondent actiones liberales & ingenuæ) duorum facit generum, quorum alia vni priuatim, alia omnibus vel multis præſtentur. Illius generis opera præſtant ſerui: huius, opifices & operarii.

TEXTVS.

De ijs autem, quemadmodum ſe habeant, paulo amplius conſiderantibus hinc erit perſpicuum. Quod enim eſt expoſitum, ſi explicetur, erit planum. Nam cum plures ſint Reſpub. plura quoque ciuium genera eſſe neceſſe eſt, maximeq; eorum, qui parent; adeo vt in quadam quidem Republic. opificem & operarium neceſſe ſit eſſe ciues, in quibuſdam vero nefas, vt quam vocant Ariſtocratiam, ſi qua eſt, & in qua honores tribuuntur ex virtute & dignitate. Neque enim fieri poteſt, vt qui vitam agit opificis vel operarij, ſtudia virtutis excolat. In Oligarchijs autem operarius quidem ciuis eſſe non poteſt: pro magno namque cenſu magiſtratus communicantur; opifex vero poteſt. Nam & multi opifices ſunt diuites. Thebis autem lex erat, ne cui ad magiſtratum aditus pateret, qui non decennio foro, id eſt, taberna abſtinuiſſet. In multis autem Rebuſpublicis & peregrini lege aſciſcuntur. Nam ex ciue matre natus quibuſdam in Democratijs eſt ciuis. Eadem vero ratio eſt de nothis quoque apud multos. Verum quia germanorum ciuium inopia tales faciunt ciues (hominum namque penuria has leges ferunt) abundantes multitudine paulatim remouent, primum ex ſeruo & ancilla natos, deinde ex mulieribus, tandem vero ex vtroque tantum parente ciue natos ciues faciunt. Ex his intelligitur, plura eſſe ciuium genera: & hunc maxime ciuem dici,

dici, cui magiſtratus communicentur, vt Homerus quoque ſuo poëmate expreſſit. Hoc. a. vbi occultum eſt, ad decipiendos eos, qui vna commorantur, fieri ſolet, tanquam in honorum quendam aduenam: nam cui ad honores non patet aditus, eſt velut inquilinus. Vtrum igitur eadem an alia ſit virtus, qua vir bonus & bonus ciuis definiatur; ex prioribus intelligitur. Cuiuſdam quidem ciuitatis eſſe eundem, cuiuſdam vero alium, & illum non omnem, ſed eum qui in Rep. verſatur & dominatur aut dominari poteſt vel ſolus, vel cum alijs Reipublicæ.

COMMENTARII.

Ἐπεὶ γὰρ πλείους εἰσὶ αἱ πολιτεῖαι.] Quæſtio ſumma huius loci, an opifices ciuium in numero eſſe debeant, diſtinctis ciuium generibus diligentius hîc explicatur. Nam multa eſſe ciuium genera hoc argumento cognoſci poteſt, quod Rerumpub. ſeu ciuitatum multa quoque ſint genera. Si ciuitatum, ergo & ciuium. Quid ita? Quia ciues ad ciuitatem, tanquam partes ad totum, referendos eſſe, ſupra docuimus *cap. 1* Itaq; cum pro ciuitatum generibus variant ciues, tum opifices & operarii: efficietur, vt alias ſint ciues, alias non: quemadmodũ & aliis accidit, vt alias ſint ciues, alias nõ ſint; vt pauperes ſeu tenuiores in Democratia ciues eſſe poſſunt, in qua libertatis tantum, non vero diuitiarũ, habetur ratio, non vero in oligarchia, vbi ciues ex cenſu æſtimantur: vt improbi in Democratia & Oligarchia ciues eſſe poſſunt, in Ariſtocratia non item. Neque vero pro ciuitatum tantum generibus variant, ſed in eadem ſæpe fit ciuitate, vt idem alias ſit ciuis, alias non ſit, vt ſæpe fit, vt libertini, id eſt, non ingenui, vt non ex vtroque parente, ſed ex altero tantum ciue, ſiue patre ſiue matre, nati alias ſint ciues, alias non ſint; cuius rei & varietatis cum aliæ ſunt cauſæ, tum plærunque ὀλιγανθρωπία, id eſt, hominum & ciuium penuria ſeu inopia, qua coacti ad ſupplendum ciuium numerum ſæpe coguntur ciues facere peregrinos, ſemiſeruos, id eſt, libertinos, & pro ciuibus agnoſcere, qui vel alterum parentem ciuem ha-

Opifices interdũ ciues, interdũ vero nõ item.

In eadẽ ſæpe ciuitate idẽ alias ciuis eſt, aliâs nõ eſt.

beant, qui alioqui ciues non ſint geniti ſeu veri, ſed nothi ſeu ſpurii & adulterini. Hos namque veros ciues vulgo plæriq; veteres exiſtimabant eſſe, qui vtroque ciue parente eſſent nati; alios vocabant nothos: quo in nothorum numero ciuium habitus eſt & Themiſtocles Athenis, *teſte Plut. initio Themiſt.* Quæ ciuium verorum & nothorum diſtinctio Athenis cum paulatim exoleſceret, lege lata tandem à Pericle eſt reſtituta & confirmata & ab eodem rurſus infirmata, *teſte Plut. in Pericle extremo.* Romæ eadem ciuium diſtinctio etiam lege confirmata fuit. Nam lege Menſia cautum fuit, vt qui ex parentibus ciue & peregrino ſeu peregrina eſſet natus, deterioris conditionem ſequeretur, id eſt, eſſet peregrinus, non ciuis, ſi vel alteruter parentum eſſet peregrinus, *teſte Vlp. in frag. cap 5.* Hodie alio fere iure vtimur, & ſolum patrem ſpectare conſueuimus recte: Propterea quod in rebus ciuilibus (vt eſt quæſtio de ciue, vt eſt agnatio, vt eſt officium, dignitas, conſulatus) pater, non mater, cuius in naturalibus quæſtionibus, vt in libertate ratio haberi ſolet, ſpectatur: qua de re diſputant Iuriſconſulti *ſub tit. de ſtatu hominum.* De ὀλιγανθρωπίᾳ dictum eſt *ſupra lib. 2. cap. 7.* vbi de Laconica ὀλιγανθρωπίᾳ & Rege Cleom. qua ratione Romæ quoque veteres in ſeruis armandis & libertinis ciuitate iuſta donandis ſæpe vſos fuiſſe conſtat. Ex quibus intelligitur, cum multa eſſe ciuium genera, tum alium alias eſſe ciuem, alias non. Ad eundem igitur modum de opificibus quoque, operariis & mercatoribus erit ſentiendum, alias vt iidem ſint ciues, alias vt non ſint. Nam in Ariſtocratia quidem tres hi ciues eſſe nequeunt, propterea quod in hac ciues ex virtute ſpectentur, cui virtuti impedimento ſint opificia, operæ, & mercatura. quam rationem non tantum Ariſtoteles hoc loco, & *infra libr. 7. cap 9.* ſed ipſe *Plato* attulit *lib. 8. de leg.* & res ipſa, vitæq; vſus communis confirmat, quam parum hæc hominum genera virtutis ſtudia curent, quæſtui tantum & auaritiæ dediti. In Democratia autem, vbi mera libertas ſpectatur, ciues hi eſſe poſſunt. In Oligarchia vero, vbi diuitiæ ſpectantur, mercator quidem & opifex, quia ſæpe hi ſunt diuites, ciues eſſe poſſunt; operarius non item, quia plærunque egenus. Thebani certe & ipſi hos tres ad magiſtratus non admiſerunt: quin etiam hoc amplius poſtularunt, vt decennio talem artem non exercuiſſet, vt & hoc loco,

Athenienſium mos.

Romanorũ mos.

Mutatio.

Opifices alias ciues, alias vero non item.

In Ariſtocratia.

In Democratia.

In Oligarchia.

loco, & *infra libro ſexto capite ſeptimo* commemorat Ariſtoteles.

Οἷος εἴ τις ἐστιν.] Obſeruandus hic eſt locus de raritate Ariſtocratiæ: eaque propter Ariſtoteles de Republ. diſſerens, duo tantum Rerumpubl. genera commemorare ſolet, Democratiam & Oligarchiam, & in his explicandis immorari; & hac quoque de cauſa ridet *Bodinus cap. 6. methodi hiſtoricæ* eos, qui de Ariſtocratia diſputant, vt quę nuſquam reperiatur. *Ariſtocratia raritas.*

Οὐ γὰρ οἷόν τε.] Inſignis locus aduerſus opifices & mercatores; in eorum vita ſtudio virtutis non eſſe locum. Cauſam ſupra attulimus.

Ἀπὸ τιμημάτων γὰρ μακρῶν.] Attica phraſi τιμήματα & οὐσίαι μακραὶ, magnæ diuitiæ ſeu copiæ, vt & *infra lib. 4. cap. 4.* & contra βραχεῖαι, exiguæ copiæ, vt *ſupra lib. 2. cap. 5.* diximus.

Ὅτι μὲν οὖν.] Ciuium genera, pueri, viri, libertini, opifices, mercatores, & operæ, facti, nati ex parente ciue vel vtroque vel altero ciue, patre ſiue matre: ex quibus alii ſunt perfecti, alii incoati, vt pueri; alii veri & germani, alii nothi, alii facti, alii nati, alii deniq; alias ciues, alias non.

Καὶ ὅτι λέγεται μάλιστα.] Docuit *ſupra cap. 1.* ciuem eſſe eum, cui ad honores pateat aditus; quod idem hoc loco, concludens totam priorem de ciue diſputationem, confirmat & *Homeri* auctoritate; nam *Iliad. ι.* Achilles Aiaci de Agamemnone conqueritur, à quo habeatur, non vt Græcus & ciuis, ſed vt peregrinus. Quid ita? Quia nullo ab Agamemnone afficiatur honore, quia ſpolietur honoribus, tanquam peregrinus & aduena. Peregrino igitur non communicantur honores, *teſte Homero*. Hinc Ariſtoteles è contrario: Ergo cui honores communicantur, non eſt peregrinus, ſed ciuis.

Ἀλλ᾽ ὅπου τὸ τοιοῦτον.] Ait, vbi hæc diſtinctio honorũ communicationis & ciuium obſcuratur, hoc fieri in fraudem verorum ciuium, quorum loco & falſi obrepant ad honores: quemadmodum & Romæ multi obreptitii ciues tandem à veris fuerunt L. Mutia Licinia ſecreti. *Cic. lib. 3. Offic.*

CAPVT IV.

EX ciue cognita ciuitatis vi & natura ſeu definitione; proximū eſt explicare ciuitatis diuiſionem ſeu Rerumpubl. genera; quæ prius quam explicat, pauca hîc præmunit, duo potiſſimum, & quidem ex 1. lib. repetita. 1. Ciuitatum originem. 2. imperiorum genera ſeu diſcrimina.

TEXTVS.

Quoniam autem hæc ſunt explicata: quod his proximum, videndum, vtrum vna ſtatuenda ſit Reſpublica an plures: & ſi plures, quæ & quot, & earum quæ ſint diſcrimina. Eſt autem Reſpublica Ciuitatis ordo cum in alijs magiſtratibus tum in eo maxime, qui omnium eſt princeps. Nam ordo ciuitatis eſt vbique eius princeps. Ordo autem eſt Reſpublica, verbi gratia in Democratijs quidem princeps eſt populus, in Oligarchijs vero cōtra pauci, dicimus autem & Rempublicam harum eſſe aliam. Eodem autem modo dicemus & de alijs.

COMMENTARII.

Ἐπεὶ δὲ ταῦτα.] Affert initio quæſtionem priori proximam optimo ordine, vna ne ſit Reſpubl. an plures; & ſi plures, quæ, &c. quam quæſtionem, vt modo monui, proximo quidē cap. 5. explicat & perſequitur: hîc tamen velut ſemina quædam, ex quibus illa ſit explicanda, iacit. πολιτεία, inquit, eſt ordo πόλεως, id eſt, Reſpublica eſt ordo ciuitatis, eſt anima, forma & deſcriptio ciuitatis. Ea autem politia quæ ſit, cùm ex aliis magiſtratibus, tum ex eo maxime, penes quem ſumma eſt poteſtas & imperium, cognoſci poteſt. Itaque ad inueſtigandum Reipublicæ genus neceſſario cognoſcendus eſt is, penes quem ſummum eſt imperium. Formula: Politia cognita, cognoſcitur & ciuitatis genus. At politia ex ſummo imperio cognoſcitur. Ergo ex ſummo imperio & ciuitatis genus cognoſci poteſt. verbi gratia, ſi ſummum imperium in populo eſſe cernas, ciuitatis gen⁹ noris eſſe Democraticū; ſi penes paucos, Oligarchiçum; ſi penes vnum, Regnum.

TEX-

TEXTVS.

Supponendum autem eſt primo cuius rei cauſa ciuitas conſtiterit, ac imperij quot ſint genera humani, ac de vitæ ſocietate. In primis igitur diſputationibus, in quibus explicatum de re domeſtica ac re herili, dictum eſt, hominem eſſe quidem animal natura ciuile. Quare etſi nihil aliorum auxilio egeret, nihilominus conuictũ expetũt: quin ẽt & communis vtilitas, quatenus ad quemq; pertinet pars bene viuendi, cogit, conſociat, vel coniũgit. Maxime igitur hic quidẽ eſt finis & publice omnib. & ſingulatim. Cõueniunt autem & ipſius viuere cauſa. Nã fortaſſe honeſti pars aliqua ineſt, ſocietatemq; ciuilem retinent etiam in viuendo tantum, niſi res aduerſæ in vita ſint nimiæ. Perſpicuum autem, multos mortales mala perpeti vitæ cupiditate, tanquam in ea inſit quædam fœlicitas & ſuauitas naturalis.

COMMENTARII.

Ὑποθετέον δὲ πρῶτον.] Duo diximus hic velut præmuniri & ſupponi: Ciuitatis cauſas & imperiorum diſcrimina. Tres igitur ciuitatum cauſas hoc loco breuiter commemorat, de quibus copioſius *ſupra lib 1. cap. 2.* Prima eſt natura ipſa, qua homo ad ſocietatem ciuilem ſit factus, adeo quidem, vt etiam cui omnia ad vitæ cultum abunde ſuppeditent, ſolitudinem nihilominus auerſetur, & ſocietatem quærat, vt eleganter *Cic. lib. 1. Offic. extr.* Altera cauſa eſt communis vtilitas idonea ad bene viuendum, ſiue, quod idem valet, indigentia, qua fit, vt ad bene beateq; viuendum alter alterius opera & rebus adiuuari & inſtrui cupiat, cum nemo per ſe ſit αὐτάρκης, ſed alii plus ſuppeditet, alii minus, & omnes tamen bene viuere expetant: ita tamen, vt ad bene viuendum alii plus, alii minus ſit neceſſarium: hæc cauſa eſt, ſcopus & finis & ciuitatum & ſingulorum hominum; bene, inquam, beateq; viuere, hoc agunt & ciuitates & ſinguli, *vt ſupra ſæpiſſime dictum initio lib. 1. cap. 2. in princ.* Eandem cauſam ſolam

Cauſa ciuilis ſocietatis.

1. Natura.

2. Communis vtilitas

lam cõmemorat *Plato lib.2.de Repub.* indigentiam, inquam, videatur & pulcerrima diſputatio *Polyb. lib. 6.* Tertia cauſa eſt vita ipſa, quæ cum ab omnibus expetatur, mirum non eſt, ſi & ipſa ſit cauſa ciuilis ſocietatis, vtpote cum vita ipſa hac ſocietate conſeruetur. Vitam autem ab omnibus cupidiſſime expeti, vel ex eo perſpici ait Ariſtoteles, quod plæriq; etiam maximis calamitatibus preſſi tamen viuere gaudeant, quaſi, inquit, in ipſa vita aliqua inſit ſuauitas & dulcedo, in ipſa, inquam, vita ſecreta & ſeparatim conſiderata, abſque fortunæ proſperitate: etſi interdum nimiis calamitatibus fracti quidam manus ſibi ipſi afferunt. In ipſa igitur vita bonum ineſt & ſuauitas naturalis, *vt & in Ethic. dictum ſupra lib.8. Cic. quoq; lib.5. de finib.* de hac viuendi cupiditate. Maxime autem in hoc quidem genere vis eſt perſpicua naturæ: cum & mendicitatem multi perpetiantur, vt viuant, & angantur appropinquatione mortis confecti homines ſenectute, & ea perferant, quæ Philoctetem videmus in fabulis, qui cum cruciaretur non ferendis laboribus, propagabat tamen vitam aucupio ſagittarum. Societas igitur ciuilis non tantum bene viuendi, ſed ipſius quoq; viuendi cauſa cœpit. Nam ne viuere quidem, non tantum commode & bene viuere, ſolus poſſet homo.

3. Cauſa.

Hom. Iliad. β verſ. 715. & peculiarem ea de re ſcripſit Tragœdiam Sophocles.

TEXTVS.

Iam vero facile eſt exponere modos, qui dicuntur imperij: nam & in exotericis diſputationibus ſæpe de ijs explicauimus. Nam herilis quidem poteſtas, etſi reuera eadem eius, & qui natura ſeruus & qui natura dominus, eſt vtilitas, nihilo tamen minus ad vtilitatem domini ſpectat, ad ſerui vero ex euentu. Neque enim fit, vt ſerui interitu herilis conſeruetur poteſtas. Liberorum vero imperium & vxoris & omnis domus, quod domeſticum vocamus, vel eſt parentium cauſa, vel rei cuiuſdam vtrique communis: per ſe quidem parentium, vt videmus, alias quoque artes, vt medendi & palæſtræ: ex euentu vero & ipſorum ſint gratia. nihil enim

enim vetat, palæſtræ magiſtrũ aliquando & ipſum eſſe vnum ex ijs, qui exerceantur, quemadmodum Gubernator ſemper vnus eſt nautarum. Itaque magiſter quidem vel Gubernator parentium ſpectat bonum: horum autem cum & ipſe vnus fuerit; incolumitatis ex euentu fit particeps: nam hic quidem nauta; ille vero cum ſit magiſter, eorum, qui exercentur, fit vnus. quare & ciuilia imperia, cum æqualitas & ſimilitudo eſt inter ciues, viciſſim cupiunt gerere, prius quidem pro rei natura cupientes viciſſim deſeruire & ſpectare viciſſim quod ſibi ſit bonum, quemadmodum ante ipſe imperans illius bonum ſpectabat. Nũc vero propter commoda, quæ ex Rep. & magiſtratibus capiuntur, perpetuo magiſtratus gerere volunt, tanquam ſi accideret, vt qui ſint infirmi, ſemper magiſtratus gerendo bene valeant. Etenim ſic fortaſſe imperia perſequantur. Perſpicuum eſt igitur, Reſpub. eas quidem, quę commune bonum ſpectent, rectas eſſe iure, eo quod omnino; eas vero, quæ imperantium tantum, omnes eſſe deprauatas, & à bonis Rebuſpubl. aberrantes: Seruiles enim, ciuitas autem liberorum eſt ſocietas.

COMMENTARII.

Ἀλλὰ μὴν.] Altera præmunitio de imperiorum generibus hîc explicatur, de quibus & *ſupra lib. 1* copioſius; & pulcerrime *lib 8. Ethic. cap. 10.* Modos igitur ſeu rationes & fines imperiorum duos eſſe ait, vtilitatem vnam communem, alteram ſuam & priuatam; ſeu (quod idem valet) vnam parentium, alteram imperantium ipſorum: huius vtilitatis differentia imperia diſtingui. Illud igitur, cui priuata propoſita ſit vtilitas, imperium eſſe herile: Cui communis ſeu parentium, eſſe liberorum, domi domeſticum, in ciuitate ciuile. Nam in herili imperio omnia ad imperantis, id eſt, Domini vtili-

Imperiorũ diuiſio à fine.

Herile im-

perium finẽ habere imperãtis tãtum vtilitatem.

vtilitatem referri, nihil ad ſeruorum, niſi forte ex euentu, quia videlicet ſeruorum interitu ipſum quoq; herile imperium collabatur & intereat. Curat igitur & ſeruum Dominus, non propter ipſum, ſed propter ſe, id eſt, curat ſeruum ex euentu; quia quo melius ſe habeat ſeruus, eo meliore quoq; in loco ſit futurus Dominus. Ex quibus perſpicuum eſt, in imperio herili omnia ad Dominorum commoditates pertinere: etſi negari non poteſt, quin vtriuſque gratia, Domini, inquam, & ſerui, hoc imperium natura ſit inſtitutum, & vtriuſque in eo vertatur vtilitas, Domini quidem ex operis ſerui, ſerui ex prudentia & conſilio Domini. Et hoc eſt, quod ait, καίπερ ὄντος, &c. quod & ſupra explicauimus, *lib. 1. cap. 1.*

Imperio patrio, vxorio & ciuili cõmunem vtilitatẽ eſſe propoſitam.

In imperio autem aduerſus liberos, vt eſt patrium, vxorium & ciuile, non priuatũm & imperantis, ſed parentium potius vtilitatem publicam ac communem ſpectari docet & eo loco Ethicorũ & hoc loco argumento reliquarum artium; quæ & ipſæ eorum, quorũm ſint cauſa inſtitutæ, vtilitatem, non doctorum ſeu magiſtrorum ſpectent, niſi ex euentu. verbi gratia, medendi arti propoſita eſt aliorum ſalus & bona valetudo: palæſtræ, vires eorum, qui exercentur: nauticæ arti, curſus proſper & vectorum ſalus. Fit tamen interdum, vt harum artium periti ſibi ipſi quoq; conſulant, quod in arte nautica ſemper vſuuenire ſolet; quia gubernator ſemper vnus ſit ex numero nautarum & vectorum; in palæſtra interdum & in arte medendi; ſed hæc ſunt ex euentu: aliorum proprie & vere quæritur vtilitas & ſalus. Eadem igitur & imperii aduerſus liberos eſt ratio, in quo parentium vtilitas per ſe, imperantis ex euentu vtilitas ſpectatur & quæritur: de vxorio quidem & patrio imperio quod vno nomine domeſticum dici ſolet, latius eo loco Ethicorum: de ciuili argumentum capit ipſe Ariſtoteles, imperia aduerſus liberos & inter pares non priuatam, ſed publicam ſpectare vtilitatem, hoc; Quia veteres æquum eſſe cenſuerint, vt inter pares imperii eſſet viciſſitudo.

Ratio.

Quid ita? nimirum quia æquum ſit qui tuæ aliquando vtilitati conſuluerit imperans, eius viciſſim vtilitati iam parentis tu conſulas imperans; quaſi veterum hæc mens fuerit, imperia ad parentium vtilitatem & moleſtiam potius imperantium eſſe referenda.

παρέκβασις contra ambitionẽ hodiernam.

Eo autem tempore veriſimile eſt non tam auide fuiſſe expetitos magiſtratus & honores, vt ex quibus multum ſolicitudinis

& mo-

& moleſtiæ, nullum caperetur lucrum. At nunc, inquit Ariſtoteles, conuerſis imperiis ad imperantium quæſtũ omnes Rempublicam gerere & magiſtratus capere concupiſcunt, præclare ſcilicet: tanquam ex imperiis & magiſtratibus aſſidue expetendis & gerendis medicinam ſuæ ambitioni reperire poſſint: cui grauiſſimo malo hoc ineſſe ſcribit *Plutarchus* præter cætera, vt ſola ambitio cum ætate creſcat & multiplicatis honoribus augeatur. Eleganter igitur Ariſtoteles, & tamen ſalſe, in ambitioſos & auaros atque corruptos ſeu venales magiſtratus, recte ſcilicet eos eſſe facturos continuandis magiſtratibus, ſi ea re morbo ſuo medicinam repererint.

Φανερὸν τοίνυν.] Hoc loco priores duæ præmunitiones ad rem tandem accommodantur. Nam cognitis & Rerumpub. cauſis, quarum vnam diximus eſſe communem vtilitatem, & imperiorum rationibus ſeu modis, quorum vnum diximus eſſe priuatam, alterum communem vtilitatem: his, inquam, cognitis, continuo & Rerumpublicarum genera, de quibus reperiendis agitur, cognoſci docet, nimirum Reſpublicas duorum eſſe generum; alias rectas, alias prauas: rectas quidem, quibus communis vtilitas, priuatas, quibus priuata ſeu imperantium propoſita ſit vtilitas. Cuius rei rationem, id eſt, cur ſint rectæ, quibus communis, cur prauæ, quibus priuata ſit propoſita vtilitas, præclaram adiungit Ariſtoteles, δεσποτικὴ γὰρ, &c. Quia ſupra docuimus, ſeruorum eſſe imperium, in quo ſpectetur priuata vtilitas; liberorum, in quo communis. At ciuile imperium eſt liberorum, verum, inquam, & rectum ciuile. Quid ita? Quia ciuitas eſt hominum liberorum, non ſeruorum. Si igitur in liberorum imperio communis ſpectatur vtilitas, in ſeruili priuata: verum autem ciuile imperium eſt liberorum; efficitur, prauas eſſe eas Reſpub. quæ ab hoc vero ciuili imperio aberrent & diſcedant, in quibus, inquam, priuata ſpectetur vtilitas, more ſeruilis imperii; rectas & veras, in quibus communis, more imperii liberorum.

Rerumpub. diuiſio.

Ratio.

Approbatio

Καὶ γὰρ ἐν τοῖς λόγοις.] De duobus ſcriptionum Ariſtotelicarum generibus, Exotericis & Acroaticis ſeu Acroamaticis, explicauimus ſupra *lib.1. Ethic. cap. vlt.* Notum eſt enim ex *Agellio lib.20. cap.4. Plutarcho in vita Alexandri, Clemẽte lib.6. Stromatum, & Cic. de Finib. lib. 2.* Ariſtotelis opera fuiſſe

fuiſſe bipartita: quorum altera dicta fuerint Acroamatica; altera Exoterica, quæ eo lib. ca. citato etiam ἐγκύκλια vocat: in illis continebatur diſputatio exquiſitior & ſubtilior, quales ſunt omnes Ariſtotelis libri, qui hodie exſtāt, in quibus diſputauit de prouidentia Dei, de virtutibus, honoribus, & aliis, quæ docuit Ariſtoteles horis matutinis; qualia ſunt Phyſica, Metaphyſica, (quæ eſt ſubtilior quædam philoſophia) quæ auditu potius perciperentur. In his facilior erat tractatio, vt fit in Dialogis, vt ſunt ea, de quibus diſputat in Politicis, Rhetoricis, Poëticis, Oeconomicis; hos libros docuit horis pomeridianis. Sunt tamen, qui negent, hanc librorum partitionem Ariſtotelis eſſe veram; ſed dicant, Exotericos libros omnes intercidiſſe, & hodierna Ariſtotelis omnia opera ad primum membrum, ſcilicet Acroamatica, referri debere. Sed refelluntur aperte Ariſtotelis teſtimonio *in Eudemiis.*

Κατὰ τὸ ἁπλῶς δίκαιον.] Ait, Reſp. vero & abſoluto iuri eſſe conſentaneas, quæ bonum ſpectent publicum, quæque ſint rectæ. Nam ius aliud eſt abſolute verum, aliud eſt comparatum, qua de re infra latius *cap. 7.*

CAPVT V.

EXPLICANTVR hoc cap. Rerumpublicarum formæ ſeu genera, & quidem bifariam; priore quidem capitis parte populariter, poſteriore accuratius. Rectas igitur Reſp. tres eſſe docet, Regnum, Optimatum poteſtatem, & Rempublicam: prauas totidem, Tyrannidem, Factionem ſeu Oligarchiam, & Democratiam ſeu populi imperium. Hanc Rerumpublicarum partitionem conſtanter tueri ſolet & explicare, vt hic & *in Ethicis lib 8. cap. 10 & lib. 4. cap. 2.* quo in libro Platonem reprehendit, qui quinque tantum Rerumpublicarum genera expoſuerit; Regnum, Ariſtocratiam, Tyrannidem, Oligarchiam & Democratiam, omiſſa Republica paulo aliter, additaq; diſtributionis ratione *Olympiod. ſuper Gorg. Plat. praxi. 10. pag. 33.* Et certe Plato Reſpubl. quidem alias facit rectas, alias prauas: rectarum numero regnum & Ariſtocratiam, quas duas verbis, re vnam eſſe ait *lib. 5. de Rep. in fin.* prauarum numero complectitur Democratiam, Oligarchiam & Tyrannidem. Atque ita quinque facit Rerumpublicarum genera, vnam rectam, quatuor prauas,

Recta & praua Reſp.

1. Platonis partitio.

uas, *lib. 5. 8. 9. de Rep.* Idem Plato *in Politico* ſeptem facit Rerumpublcarum genera, Monarchiæ duo, Regnum & Tyrannidem; paucorum imperii, itidem duo, Ariſtocratiam & Oligarchiam, multorum denique imperii item duo, ſed vno nomine, Democratiam iuſtam & iniuſtam: poſtremo ſeptimam prorſus eximiam & à prioribus latiſſime diſiunctam; quem locum Ariſtoteles hic imitatur. *Polyb. lib. 6.* ſex quoq; facit Rerumpub. genera; Regnum, Ariſtocratiam, Democratiam, Monarchiam, Oligarchiam & Ochlocratiam, *Cicero* autem *lib. 3. de Republ. apud Auguſtinum libr. 19. de ciuit. Dei, cap. 21.* ſex item facit Rerumpub. genera; regnum paucorum, optimatum imperium & vniuerſi populi, tyrannidem iniuſtorum, optimatum factionem, & iniuſti populi tyrannidem.

2. Platonis partitio in polit. mihi pag. 291.

Polybii partitio.

Ciceronis partitio.

TEXTVS.

His autem explicatis proximum eſt, Reſpubl. quot numero, & quæ ſint, videre: & primum quæ ex iis rectæ. Etenim declinationes vel aberrationes his expoſitis erunt perſpicuæ. Quoniam autem Reſpublica quidem & adminiſtratio publica idem valent, publica autem adminiſtratio ciuitatum eſt princeps: neceſſe eſt, principem eſſe vel vnum vel paucos, vel multos. Cum vnus vel pauci vel multi ad commune quidem bonũ præerunt, has quidem rectas neceſſe eſt eſſe Reſpublicas. Eas vero, quæ ad priuatam, vel vnius, vel paucorum vel multitudinis, aberrationes. Nam ii qui ſunt participes, aut dicendi ſunt non eſſe ciues, aut boni oportet eſſe participes. Solemus autem appellare vnius quidem imperii id, cui bonum commune eſt propoſitum, regnum, paucorum plurium tamen vno Ariſtocratiam ſiue optimatum; vel quia optimi imperent, vel quia, quod ciuitati & eius participibus optimũ, ſpectet. Cum autem multitudo ad commune bonum præeſt, commu-

communi omnium Rerumpub. nomine vocatur Reſpub. bona autem ratione id accidit. Fit enim vt vnus quidem vel pauci virtute præſtent, plures vero difficile iam omni virtute eſſe expolitos, ſed maxime bellica: hæc enim in multitudinem cadit. quare in hac Republica principatum tenet militaris multitudo, eiuſque participes ſunt ii, qui arma tenent. Expoſitarum autem aberrationes, tyrannis quidem eſt regni, Oligarchia vero Ariſtocratiæ, Democratia vero Reipublicæ. Nam tyrannis quidem vnius eſt imperium ad bonũ eius qui vnus imperat, oligarchia vero ad bonũ diuitum, Democratia vero ad bonum pauperum. Id autem quod communi cõducit, ne vna quidem illarum.

COMMENTARII.

Διωρισμένων.] Inſtitutam de Rerump. generib. diſputationẽ hîc enucleate perſequitur. Res igitur publicę quia partim ſunt rectæ, partim prauę: priore loco de rectis, poſteriore de prauis explicandũ monet. Nã rectis cognitis tanq̃ norma (virtus namque vitiorum, & rectum praui eſt norma ſeu regula, *ſupra lib.3. Ethic. cap.5.*) facile cognoſcentur & prauæ. Nam & ex contrariis vno cognito cognoſcitur & alterum. Ad eundem modum & *infra lib.5. cap. 8.* cognitis, quæ ciuitatibus peſtem & interitum adferant, cognitu quoq; facilia eſſe ait, quæ ſint ſalutaria; & *lib.6.* cognita Democratia, facile etiam poſſe intelligi Oligarchiam tanquam Democratiæ contrariam.

Ἐπεὶ δὲ.] Tria ſunt vocabula valde cognata πόλις, πολιτεία, & πολίτευμα, quæ & quid valeant, & quemadmodum Latine efferri debeant, non peræque eſt notum. De primis duobus explicauimus ſupra. Reliquum eſt πολίτευμα quod varie ab interpretibus Latine redditur, nimirum adminiſtratio ciuilis, ratio ciuilis adminiſtrationis, ratio Reipubl. gerendæ, ratio ciuitatis adminiſtrandæ, adminiſtratio ciuitatis: ab omnibus, peſſime: dicendum eſt: *ſumma imperii, & ſummum imperium.* ſic vocant & Cicero & Iuriſconſulti. Eſt

πολίτευμα.

igitur

igitur πολίτευμα id, in quo ciuitatis ſeu Reipublicæ eſt principatus, vt in regno penes regem eſt πολίτευμα, in Democratia eſt penes populum. His cognitis, ſic argumentatur nunc Ariſtot. πολιτεία idem valet, quod πολίτευμα. At πολίτευμα eſt triplex. Ergo & πολιτεία. Ergo ſunt tria Rerumpubl. genera rectarum & prauarum. Cuius concluſionis propoſitio non ita eſt accipienda, quaſi πολιτεία & πολίτευμα idē prorſus valeant, quæ certe differunt. (Nam πολίτευμα ſummum eſt imperium, πολιτεία eſt ipſa ciuitatis forma & deſcriptio:) ſed quia πολιτείαν tanquā anima conſtituit πολίτευμα. Nam ex ſummo imperio πολιτεῖαι pendent & conſtituuntur. Aſſumptio, qua diximus πολιτεύματα eſſe tria, eſt perſpicue vera. Nam neceſſario vel penes vnum, vel penes paucos, etiam tres, vt penes triumuiros, vel decem, vt decemuiros Romæ, vel denique penes multos ſummum eſſe imperium neceſſe eſt. Tria igitur ſunt Rerumpublicarum genera: quæ an ſint rectæ an prauæ, ex fine cognoſcendum eſt, id eſt, ex vtilitate ſeu bono ipſis propoſito; quod ſi erit commune, rectas, ſi priuatum, vitioſas & prauas fore ſupra demonſtrauimus. His ita breui expoſitis & concluſis adiungit poſteà Ariſtoteles nomina ipſarum Rerumpublic. tam rectarum quàm vitioſarum.

Argumentū, quo docetur, tria eſſe Rerumpub. genera.

Vnde cognoſcatur, quænam rectæ aut prauæ ſint Reſpub.

Ὅταν δὲ τὸ πλῆθος.] Tertium rectæ Reipublicæ genus communi nomine Rempublicam dici ait. Nam & alias ſæpe accidit, plura vt ſint negotia & res quam vocabula, inquit Iuriſconſ. *l.4. natura. ff. de præſcrip verb.* Cur autem huic potius acciderit id quam aliis, vt ſuo vacans nomine dicatur communi, rationem reddit Ariſtoteles: quia vix accidat, vt multi virtute præditi bonum ſpectent publicum: facilius vnus aut pauci reperiuntur tales, multi difficillime. Quare factum eſt, vt regnum & Ariſtocratia eſſent nota vocabula, multorum Reſpubl. vix eſſet nota & proinde nomine vacans; quam eandem cauſam *infra lib.4.* ait eſſe, cur plæriq; hanc Reipublicæ formam, etiam Plato, ignorarint. Quod autem diximus, raro multos reperiri, qui omni virtute ſint præditi, res eſt perſpicua: accidit tamen, vt vna aliqua virtus, maxime fortitudo bellica, etiam in multitudinem cadat, vt olim in Spartanos & Romanos, ſapientia in Athenienſes, eaque propter monet hîc Ariſtoteles, in hoc Reipublicæ genere dominari milites, & principatum eſſe & penes rem militarem.

Politia tertia ſpecies Reipub.

litarem. verum de hac Reipublicæ forma non tam ſimplice quam permixta *infra lib. 4.* latius.

TEXTVS.

Oportet autem prolixius explicare, quæ harum Rerumpublicarum quæque ſit, & quas habeat cõtrouerſias. Nam in quaque ſcientia philoſophantis & non tantum ad agendum ſpectantis propriũ eſt non prætermittere, nihilque relinquere; ſed quaq; de re, quod verum ſit, explicare. Eſt autem Tyrannis quidem vnius imperij, vt eſt dictum, herile in ciuili ſocietate: Oligarchia vero, vbi Reipublicæ ſint domini, qui bona habent: Democratia vero contra, vbi non qui bonorum copiam tenent, ſed pauperes. Prima autem controuerſia de definitione eſt. Nam ſi plures ijque diuites domini ſint ciuitatis, Democratia vero eſt, vbi domina ſit multitudo: eodem fere modo rurſus ſi & ſicubi accidat, vt pauperes pauciores quidem ſint quam diuites, potentiores vero domini ſint Reipub. vbi autem exigua multitudo eſt domina, Oligarchiam eſſe aiunt: non recte definitum videatur de Rebuſpubl. Sed enim ſi quis diuitijs quidem paucitate coniuncta, paupertati vero multitudine, ſic vocet Reſpub. Oligarchiam quidem, in qua magiſtratus teneant diuites, ijque pauci numero. Democratiam vero pauperes, ijque multi numero: alia ſubeſt controuerſia. Quas enim dicemus iam expoſitas Reſpub. in qua plures diuites, & in qua pauciores pauperes, vtriq; vero Rerumpublicarũ ſint domini: ſiquidem nulla alia præter ſupra expoſitas eſt Reſpubl. Ex hac igitur ratione perſpicue effici videtur, paucos quidem aut alios multos eſſe

eſſe dominos, eſſe ex euentu; illud quidem in Oligarchijs, hoc vero in Democratijs: eo quod diuites quidem pauci, pauperes vero vbique ſint multi. quare ſequitur, priores quoque cauſas non eſſe differentias. Qua autem re & Democratia & Oligarchia inter ſe differant, paupertas eſt & diuitiæ. Atq; neceſſe eſt, vbi quidem præſint propter diuitias ſiue pauciores ſiue plures, hanc eſſe Oligarchiam; vbi vero pauperes, Democratiam. Sed, vt diximus, euenit, vt illi quidem ſint pauci, hi vero multi. nam diuites quidem ſunt pauci, libertatis vero participes ſunt omnes: quas duas ob cauſas ambo de Rep. ambigunt.

COMMENTARII.

Δεῖ δὲ μικρῷ διὰ.] Altera huius capitis parte inquirit in Rerumpublicarum definitiones priore capitis parte expoſitas. Cuius ſuæ diligentiæ rationem initio hic affert hanc; quod ab eo, qui non tam agendi quam contemplandi & veri exquirendi cauſa philoſophatur, nihil, quod ad veri inueſtigationem pertineat, ſit omittendum: qui præclarus eſt locus methodicus, quo velut digito indicat Ariſtoteles duo methodorum genera, quarum altera ſit practica, altera theoretica. Nam qui ad vſum & agendum omnia referunt, ſatis ijs eſſe, ſi popularia & vſitatiora duntaxat explicentur: qui autem limatius veritatem exquirunt, eos popularibus & vulgo receptis rebus & ſententiis non continuo acquieſcere & cõtentos eſſe debere, neque ea tantum, quæ ad vſum, ſed quæ ad cognitionem cumque faciant, eſſe conquirenda & explicanda. Alii igitur perſequantur tantum quæ ad vſum: Ariſtoteles, vt Philoſophus, ea quoque, quæ ad cognitionem & veri inquiſitionem ſunt neceſſaria, explicare debet. Sed de hac duplici methodo & ſup. *lib 1.* In duarum igitur Rerumpublicarum Democratiæ & Oligarchiæ, vtpote vſitatiorum, definitiones vulgo receptas & vſitatas merito accuratius inquirendum cenſuit Ariſtoteles: quod iiſdem pene verbis iteratur, infra *lib. 4. cap 4.* Democratia igitur vulgo dici-

Methodus alia practica, alia theoretica.

I. tur eſſe Reſpubl. in qua multitudo dominetur, Oligarchia, in qua pauci. Nota igitur, qua has duas Reſp. inter ſe diſtinguunt, perſpicue eſt numerus. Ariſtoteles hanc diſcriminis notam docet eſſe falſam, & aliam eſſe veriorem, Democratiæ quidem libertatem ſeu paupertatem, Oligarchiæ diuitias. Vulgi notam bifariam reprehendi poſſe oſtendit: nam primum quidem fieri poteſt, vt plures ciuium ſint diuites ijque Reipub. domini, pauciores ſint pauperes. Contra vero fieri poteſt, diuites vt ſint plures, pauciores pauperes; hi tamen diuitibus ſint potiores & imperium teneant: vbi abſurdum ſit dicere, eſſe Democratiam vel Oligarchiam: propterea quod, penes paucos pauperes vbi eſt imperium, nemo dixerit eſſe Oligarchiam; penes multos autem diuites cum fuerit imperium, qui poteſt eſſe Oligarchia, cùm hæc dicatur eſſe paucorum, neque eadem vnquam dicta fuerit Democratia, vbi diuites præſint.

Democratia & Oligarchia vulgo credita nota. *Vera nota.* *Vulgaris nota refutatio.*

II. Ἀλλὰ μὴν κἂν τις.] Occurrit alii definitioni, eamque falſam quoq; fore oſtendit. Prior reprehenſio ſimplicium fuit definitionum, hæc eſt coniunctarum. Simplex definitio Oligarchiæ eſt, in qua pauci dominantur: Democratiæ, in qua multi. Coniuncta Oligarchiæ, in qua pauci diuites ſeu nobiles; Democratię, in qua multi iique pauperes dominantur. Fortaſſe igitur, inquit, has Reſpub. ita coniuncte definiendas quis putet; ſed eadem ſuberit difficultas & controuerſia. Nam quid fiet his Rebuſpublicis, quas modo commemorauimus, quarum in vna multi dominentur diuites ſeu nobiles, in altera pauci pauperes? quid, inquam, his fiet, ad quod Reipublicæ genus pertinebunt? Certe ſi quæ ſupra concluſimus, vera ſunt, ſex tantum eſſe Reipub. genera: ſequeretur, hæc duo, quæ commemorauimus, non eſſe in Rerumpublicarum numero habenda: aut ſi habenda ſunt, vt ſunt; ſequitur, plura eſſe Rerumpublicarum genera, quam 6. vtrumuis dixeris, teneberis.

Definitio falſa Democratiæ & Oligarchiæ.

Ἔοικε τοίνυν ὁ λόγος ποιεῖν.] Adhuc reprehenſa vulgi harum duarum Rerumpublicarum nota, numero: iam concludit, quæ earum ſint veræ notæ. Et Oligarchiæ quidem veram notam ait eſſe diuitias, Democratiæ vero paupertatem ſiue libertatem: Vulgi autem notam non eſſe veram & per ſe, ſed ex euentu duntaxat; quia fere hoc vſuuenire ſolet, vt diuites pauci ſint numero, pauperes & libertate pares plurimi. Hæc

Oligarchiæ nota. *Democratiæ.*

Ari-

Ariſtotelis ſententia neceſſario ex prioribus conſequitur. Ex quibus & hoc efficitur, eam eſſe Oligarchiam vere, in qua dominentur diuites ſeu nobiles; ſiue pauci, vt Romæ olim patricii, hodie Venetiis, & in plæriſque ciuitatibus Italiæ, item Norimbergæ & Auguſtæ Vindelicorum: ſiue plures, quod rarius accidit, de quibus infra *lib. 4. cap. 4.* Democratiam vero eſſe, in qua pauperes etiam pauci dominentur; quod tamen & ipſum raro accidere ſolet. *Oligarchia.* *Democratia.*

CAPVT VI.

PERSEQVITVR Ariſtoteles diſputationem de his duabus Rebuſpublicis, Oligarchia & Democratia: quas quia vulgo plærique iure quamque ſuo niti dicerent, eaque propter tanquam iuſtas & rectas Reſpublicas laudarent; Athenienſes Democratiam, Lacedæmonii Oligarchiam: Ariſtoteles, tanquam arbiter honorarius & medius, docet, eos quadam ex parte recte dicere; Omnino, perperam: & proinde eos, vt Athenienſes & Lacedæmonios, qui tanquam iuſtas & abſolute rectas eſſe Reſpubl. omnes putarint, magno in errore verſari.

TEXTVS.

Sumendum eſt autem primo, quos ſines dicant Oligarchiæ & Democratię, & quod ſit ius Oligarchicum & Democraticum. Omnes namq; quoddam attingunt, ſed aliquo vſque progrediuntur dicuntque non omne quod vere eſt ius, vt ius videtur eſſe & æquitas, ſed non omnibus, verum æqualibus ſeu æquis. atque ius videtur eſſe iniquitas, etenim eſt, ſed non omnibus, verum iniquis. hi autem hoc quibus detrahunt, & perperam exiſtimant. Cauſa autem, quia de ſuis eſt iudicium. Plærique autem fere mali ſunt iudices de ſuis rebus. Quare cum ius eſt quibuſdam, & eodem modo diuiditur, & in rebus & quibus, vt explicatum ſupra in Ethic. dum rei quidem æquitatem fatentur, conſentiunt, eam vero quæ quibus, dubitant

maxime quidem propterea, quod modo diximus; quia perperam ea, quæ ad ſe, iudicent. Deinde vero quia cum vtrique ius quoddam afferant aliquo vſque, exiſtimēt ius ſe adferre omnino. Nam quadam ex parte quidem, qui ſunt inæquales vt diuitijs, toto genere ſe inæquales eſſe credunt: qui vero quadam ex parte æquales, vt libertate, toto genere æquales. Quod autem maximum, non afferunt. Nam ſiquidem bonorum cauſa communicaſſent & conueniſſent, eatenus ciuitatem participarent, quatenus & bona. quare firma videatur eſſe ratio Oligarchicorum. Neque enim ius eſſe, vt de centum minis æquas partes auferat is, qui vnam minam contulerit ei, qui reliquum omne dedit, ſiue de ijs quæ ab initio, ſiue de ijs quę acceſſerint. Si autem neque viuendi tantum cauſa, ſed potius bene viuendi. (etenim ſeruorum aliarumque animantium ſit ciuitas, nunc autem non eſt, quia non ſint participes beatæ, neque viuant ex arbitrio & ratione) neque bellicæ ſocietatis gratia, ne ab vllo iniuria afficiantur, neque propter commercia & vſum inter ſe. Etenim Tyrrheni & Carthaginenſes, omneſque quibus inter ſe ſint pacta & conuenta, quaſi vnius eſſent ciuitatis ciues. Sunt igitur ijs pacta de rebus importandis, & de non afficiendo iniuria, & cautiones de ſocietate bellica. Sed neque magiſtratus in his omnibus ſunt communes, ſed alij apud alios: neque alteri de altero laborant, quales eſſe debeant, neque vt nemo eorum, qui his pactis tenentur, ſit improbus vel iniuſtus, nulloque vitio præditus; ſed tantum ne vlla iniuria alter alterum afficiat. Qui autem de

bona

bona ciuitatis deſcriptione laborant, de virtute quoque & vitio ciuili vident. Quare & intelligitur, ciuitati, quæ vere hoc nomine ſit appellanda, non diſputationis cauſa, curam virtutis eſſe oportere. Nam ſocietas eſſet bellica quædam aliorum ſocietas, loco tantum diſiuncta eorum, qui longe inter ſe abſint, ſociorum, & lex pactum, & vt Lycophron Orator inquiebat, iuris eorum inter ſe ſponſor, non qui poſſit ciues bonos efficere & iuſtos.

COMMENTARII.

Ἀνάπλεον δὲ πρότερον.] Vt huius capitis diſputatio ſit planior, repetendum ex *lib.5. Ethic. cap.3.* Iuris & iuſtitiæ duo eſſe genera, quorum alterum in rebus contrahendis, alterum cernatur in præmiis & pœnis, honoribus & ignominiis: duo quoq; proportionũ eſſe genera, Arithmeticam & Geometricam, quarum illa quidem iuri rerum cõtrahendarum, hæc alteri ſit accommodata; quæ inter genera & iuris & proportionum hæc ſumma eſt differentia, quod in iure quidem rerum contrahendarum, eiq; accommodata proportione Arithmetica, rerum tantum habeatur ratio, in altero rerum & perſonarum, verbi gratia, in equo vendendo rei tantum, id eſt, equi pretium ſpectabitur, non emptorum dignitas; in altero iure non honorum tantum ſeu pœnarum, ſed & perſonarum quoque habetur ratio, vt alia debentur præmia imperatori, alia tribuno, alia militi: gladio puniebantur honeſtiores; cruce, ſecure, igne alii. In illo igitur iure ratio habetur tantum *ὧν*, id eſt; rerum, in hoc & *ὧν*, id eſt, rerum, & *οἷς*, id eſt, perſonarum. Cur autem quæſtionem & diſputationem de iure & iuſtitia per proportiones explicarit Ariſtoteles Platonem ſecutus, hæc eſt ratio; Quia ius, æquitas, ſeu æqualitas etiam vulgo diceretur. At æqualitas ex proportionibus cognoſci ſolet. His præmunitis docet nunc Ariſtoteles, eos, qui has duas Reſp. Oligarchiam & Democratiam, quia iure quodam niti videantur, iuſtas dicerent, & rectas ſeu veras eſſe exiſtimarent, grauiter hallucinari, quod idem & infra iterat *cap.8.* & vno verbo, *ſupra lib.5. Eth. cap.3.*

Democr. & Oligarch. ratio. Democraticorum ratio hæc erat; quia inter pares libertate omnia debeant eſſe paria. Oligarchicorum; quia inter diuitiis pares omnia quoq; debeant eſſe paria. Quare cum vtrique æquitate quadam nitantur, iure quoque niti videntur. *Solutio.* Reſpondet Ariſtoteles, quadam ex parte quidem ius in iis Rebuſpub. verſari, ius autem quod ex toto genere, nō item, oſtendit, eoſque paralogiſmo & captione vſos. Neq; enim ſequitur, omni ex parte ſeu prorſus eſſe æquales, qui vna duntaxat in re ſint æquales, vt diuitiis, genere, libertate. Huius autem captionis & erroris eorum fontes & cauſas affert duas. *1. Cauſa errorū.* Prior eſt, quia de ſeipſis iudicarent. Iam notum eſt, in ſuis quenq; cauſis iudicem non ſatis eſſe idoneum, vel propter affectiones, vel aliis de cauſis, vt eleganter *infra Ariſtoteles cap 11.* & Iuriſconſulti *ſub tit. vt nemo in ſua cauſa iudicet.* *2. Cauſa erroris.* Altera erroris cauſa propter captionem ex dicto ex parte ad dictum omnino, nimirum quia non attenderent, eos continuo non eſſe prorſus pares, qui aliqua tantum ex parte ſint pares. Eorum igitur concluſio hunc in modum captioſa eſſe comperitur. In *Ethicis* quoque hunc eundem errorem cōmemorat, *lib. 5. cap. 3.* vbi ait, in eo quidem omnes conſentire, in honoribus & præmiis tribuendis dignitatem eſſe ſpectandam, ſed in dignitate ipſa definienda diſſentire, cum alii dignitatem dicant libertatem, alii diuitias aut genus, alii virtutem. Et hoc eſt, quod hoc quoque loco ait, de rebus eos conſentire, de perſonis non item.

Quæ ſit vera ciuitatū dignitas. Τὸ δὲ κυριώτατον.] Hoc eſt, Oligarchici diuitias ſeu genus, Democratici libertatem afferunt, prætermiſſo eo, quod eſt ſummum, id eſt, virtute: id quod toto reliquo capite præclare docetur, nimirum non diuitias aut libertatem, ſed virtutem optimæ & veriſſimæ ciuitatis eſſe dignitatem. Et proinde hos veriſſimos eſſe ciues & Reipublicæ eſſe participes, non qui ſint nobiliſſimi, vel ſint liberrimi: ſed qui ſint viri boni. *Ratio.* Quod docet hac ratione à ciuitatis fine ſumpta; Quia veræ ciuitatis ſcopus & finis non ſit viuendi, vel mutui tantum auxilii, vel denique commerciorum, ſed bene beateq; viuendi cauſa. Formula: Si ciuitas non viuendi, nō mutui auxilii, non rerum contrahendarum eſt cauſa, ſed bene beateque viuendi: Ergo qui bene beateque viuunt, id eſt, viri boni, maxime ſunt ciues, & proinde ad eos præmia & honores pertinent, non ad diuites, &c. *Ratio connexi.* Ratio connexi eſt; Quia

ius poſtulat, vt in ſocietatem quo quis plus impēdit, eo plus quoque lucri auferre debeat, verbi gratia, iniquum ſit, inter duos coita ſocietate, quorum alter vnam duntaxat minam, alter 99. contulerit, parem eſſe lucri rationem. Quare & ad ciuitatis finem, qui in bene beateq; viuendo conſiſtit, quo plus confert, quod faciunt viri boni, eo plus & lucri, id eſt, honorum & Reipublicæ præmiorum auferre debent. Quo pertinet & quod Ariſtoteles hîc initio ait de oligarchicis, quorum rationem & Rempublicam hac eadem ratione ſtabiliri poſſe ait. Nam ſi ciuitas eſſet diuitiarum cauſa, ſequeretur continuo, vt qui eum finem maxime adiuuarent, vt diuites; eos quoque maxime eſſe ciues, & ad hos magiſtratus & imperia deferenda. Ciuitatem igitur non eſſe viuendi cauſa, quo pertinent diuitiæ, docet hac ratione; quia alioqui ſeruis quoque & animantibus ſua eſſet ciuitas, quos viuere quoq; conſtat. Auxilium autem mutui & commerciorum cauſa non eſſe inſtitutas ciuitates docet hac ratione; quia ſequeretur alioqui, vt gentes etiam diſiunctiſſimæ vna ciuitate continerentur. verbi gratia, inter Etruſcos & Carthaginenſes Ariſtotelis tempore erant commercia & pacta de cõmunibus iniuriis depellendis, mutui auxilii cauſa, vt mercatoribus & negotiatoribus liber eſſet comeatus. hos autem non fuiſſe ciues docet trifariam. I. Quia non eoſdem habebant magiſtratus. II. Quia neq; Carthaginenſes curarent, quemadmodum morati deberent eſſe Etruſci; neq; hi, quemadmodum illi. III. Quia neutri curabant de alteris, vt eſſent viri boni. Atqui optime inſtitutis ciuitatibus hoc inprimis eſſe curæ, vt ciues quam optimi euadant & non tam diuitiis, quam virtutibus floreant, cum per ſe eſt perſpicuum, tum ex eo docet Ariſtoteles; quia alioqui ſequeretur, ciuitatem non eſſe ciuilem ſocietatem, ſed militarem potius vel mercatoriam, auxilii puta mutui, vel quęſtus cauſa inſtitutam: ſequeretur quoque, leges ferri potius hac de cauſa, vt iis tanquam pactis & ſponſoribus ſeu vadibus ii, qui ea ſocietate contineantur, alter alteri auxilium mutuum velut ex pacto præſtare debeat; ſequeretur, inquam, leges eſſe velut ſponſores mutui auxilii non virtutum efficientes, cum tamen legum hæc quoq; non minima ſit virtus ciues reddere viros bonos, bene quidem natos præceptis ſalutaribus, alios pœnis & ſuppliciis. Verum de hac quęſtione, an legi-

Ciuitas nõ eſt viuendi tãtũ cauſa. Nec auxilii mutui aut commerciorum.

an legibus boni efficiantur, explicatum *ſupr. lib.10. Eth.cap. vlt.* Et egregie *Seneca lib.14. Epiſtolarum.* Ex quibus intelligitur, 'optime inſtitutam Rempublicam hoc agere, vt ciues quam ſint optimi; eam quoq; non eſſe ciuitatem, vbi nulla virtutis ſit cura, & proinde eas gentes, quarum alteri de altera, vt quam ſit optima, nulla eſt cura, eadem ciuitate nõ contineri; Ciuitatum deniq; finem & ſcopum non eſſe commercia vel mutuum auxilium, ſed vt bene beateq; viuatur.

Ἀνακεφαλαίωσις.

Καὶ ὁ νόμος συνθήκη.] Lex eſt illa quidem pactio quædam, vt & *ſupra lib.1. cap.4.* ſed non vel mutui auxilii, vel commerciorum cauſa, ſed bene viuendi. *ſupra lib.10. Ethic. cap. vltimo.*

Καὶ καθάπερ ἔφη.] Elegans Lycophronis oratoris, cuius & mentio eſt *lib. 2. Rhet.* dictum de legibus, eas eſſe velut ſponſores & vades Iuris ciuium inter ſe, eaq; re & *Papinianus Iuriſconſ. l. 1. ff. de legib.* legem vocat ſponſionem communem.

TEXTVS.

Hæc autem ita ſe habere perſpicuum eſt: nam ſi vel in vnum loca quis conducat, vt mœnibus inter ſe tangant vrbes Megarenſium & Corinthiorum: non tamen vna erit ciuitas, ne quidem ſi connubium altera alteri dederit, quod tamen eſt vnum ex ijs quæ proprie ciuitatibus ſunt communia. Similiter vero ne quidem ſi diſiuncti quidem habitent, non tam longe tamen, vt non communicent, ſed leges ſint ijs, ne in permutationibus iniuria inter ſe afficiant; vt ſi hic quidem ſit faber, ille vero agricola, ille vero ſutor, ille vero aliud quid eius generis, & multitudo ſit decem milium, neque alterius rei ſit inter eos communicatio quã talium, vt commercij & mutui auxilij: ne ſic quidem ciuitas. Quid ita? non quidem, quia ſocietas ſeu communicatio non ſit vicina: nam ſi ita communicantes etiam conuenirent, & quiſque ſua vtere-

vteretur domo tanquam ciuitate, atque inter ſe iuuarent aduerſus iniurias afferẽtes tantum, quaſi ſocietate mutui auxilij inita: ne ſic quidem diligenter intuentibus videatur eſſe ciuitas, ſi ſimiliter vna verſentur congregati & ſeparatim.

COMMENTARII.

Ὅτι δὲ τῶν.] Adhuc docuit, ciuitates neque commerciorum, neq; mutui auxilii cauſa inſtitutas eſſe, hac ratione; quia alioqui ſequeretur vt diſiunctiſſimæ nationes eadem ciuitate vterentur. Hoc loco idem confirmat: adeo quidem, vt etſi in eodem loco eſſent; tamen ſi commerciorum tantum vel mutui auxilii cauſa coita eſſet ſocietas: nõn tamen futura ſit ciuitas: verbi gratia, erat olim ius commercii inter Megarenſes & Corinthios, loco & quidem diei itinere inter ſe diſiunctos, quos, inquit Ariſtot. etſi in vnum locũ conducas; adeo vt mœnia vtriuſq; ciuitatis inter ſe contingant, non tamen vna vtriuſq; populi erit ciuitas. Quin etiam etſi eodem plane loco multi habitent, & tanquam ciuitatem vel vicum domorum & hominum multitudine conſtituant, ſi tamen inter eos nulla alia ſit cõmunicatio quam commerciorum: loci coniunctio non faciet ciuitatem; potius quæque domus ſua erit ciuitas, nulla erit communis: quia inter eas domos talis non eſt communicatio, quæ ciuitates conſtituat, nimirum bene beateq; viuendi cauſa.

TEXTVS.

Perſpicuum eſt igitur, ciuitatem non eſſe communitatem loci, neque de ſeipſis iniuria afficiendis, neque permutandi gratia: Sed hęc quidem neceſſe eſt adeſſe, ſiquidem erit ciuitas; quæ tamen omnia ſi adſint, non iam ciuitas, verum ſocietas ad bene viuendum & domibus & familijs inſtructa vitæ perfectæ & abunde inſtructæ gratia. Hoc autem non erit non eundem & vnum incolentibus locum, & connubio vtentibus. Quare in ciuitatibus & affinitates & curię & ſacrificia & congreſſus

vnà viuendi cauſa fiunt: tale autem amicitiæ eſt officium. Nam conſilium de conuictu eſt amicitia. Itaque finis quidem ciuitatis eſt bene viuere, hoc vero finis gratia. Ciuitas vero familiarum & vicorum ſocietas vitæ perfecte & abunde inſtructæ gratia. Hoc autem eſt, quod dicimus, viuere bene beateq;. Honeſtarum igitur actionum gratia, non vero conuictus, dicendum eſt, ciuilem eſſe ſocietatem. Quare ad talem ſocietatem qui plurimum conferunt, his plus de ciuitate commune eſt, quam ijs qui libertate quidem & genere ſint pares vel ſuperiores, ciuili vero virtute ſint impares; vel quam ijs, qui diuitijs quidem ſuperent, virtute vero ſuperentur. Ex ijs igitur, quæ dicta, intelligitur quidem, omnes, qui de Rebuſpublicis ambigunt, quandam iuris partem afferre.

COMMENTARII.

Φανερὸν τοίνυν, ὅτι.] Concludit priorem diſputationem, qua diſſeruit, ciuem non vel libertate, vel diuitiis, vel genere, ſed virtute potius æſtimandum: & hunc eſſe ciuitatis finem, non vt viuatur, ſed vt bene beateque viuatur; non rerum contrahendarum ſeu commerciorum, neq; communis auxilii cauſa ciuitates inſtitui, loco denique ciuitates non eſſe æſtimandas. qua de re ſupra dictum eſt latius. Summa igitur diſputationis hæc eſt; Cum in omnibus negotiis & ſocietatibus duo ſunt ſumma capita, finis & ea quæ ad finē; tum in ciuili quoque ſocietate, id eſt, ciuitate eadem quoq; eſſe neceſſaria, & ciuitatis quidem finem eſſe, vt bene beateque viuatur: ad hunc autem finem aſſequendum neceſſaria hæc eſſe, locum eundem, rerum permutationes & commercia, matrimonia & affinitates, tribus, curias, &c. qua de re, id eſt, quæ ciuitatib. omnino ſint neceſſaria, explicabitur infra *lib. 7. cap. 8.* Hæc igitur, rerum permutationes, matrimonia, &c. ſunt illa quidem ciuitati neceſſaria, vt ea quæ ad finem;

nem; ſed tamen ciuitatis finem non conſtituunt, verum amicitiæ potius ſunt opera & officia. Nam ea ad conuictum faciunt & iuuant, cuius conuictus gratia fit amicitia. Amicitia, inquit, nihil eſt aliud, quam mens & voluntas quorundam vnà viuere volentium. Et certe ad amicitiam quantum faciat conuictus, explicatum eſt ſupra *lib. 8. & 9. in fin. Eth.* His igitur rebus amicitia potius, quam ciuitas, erit definienda. Ciuitas namque non, vt amicitia, conuictus eſt cauſa; ſed bene beateque viuendi. Et breuiter, ciuitas eſt familiarum & vicorum communitas, vitæ perfectæ & abunde inſtructæ cauſa. Ex quibus intelligitur, ciuilem hanc ſocietatem, id eſt, ciuitatem, eſſe quandam ſocietatem, non commerciorum ſeu rerum contrahendarum, non belli gerendi ſeu mutui auxilii; ſed eſſe ſocietatem honeſtarum actionum & virtuti congruentium, & proinde huius ſocietatis ciuilis membra primaria eſſe, non qui plus diuitiarum aut generis, ſed qui plus virtutis & honeſtarum actionum in eam contulerit: his denique, quia plus contulerint, honores quoque magis eſſe mandandos, quam vel diuitibus, vel nobilibus, vel liberis, vt ſupra eſt explicatum.

CAPVT VII.

TRIBVS his capitibus 7. 8. & 9. vnum idemque argumentum continetur & explicatur, de Principatu ciuitatis. Et hoc quidem capite de Principatu Democratico, cap. 8. de Oligarchico; cap 9. de Ariſtocratico. Principatum voco, quod Ariſtoteles τὸ κύϱιον, eam nimirum ciuitatis partem ſeu ordinem, penes quem & cuius in manu ſit ſumma Reipublicæ, vt in Democratia penes populum, in Ariſtocratia penes optimates. Eſt autem grauiſſima hæc diſputatio, quæque non tantum his tribus capitibus, ſed toto fere hoc reliquo libro explicatur; de Rerumpublicarum generibus, quæ ſint optimæ, an popularis, an optimatum, an paucorum, an vnius denique. De qua diſputatione videantur & *Polyb. lib. 6. & Plato lib. de Repub.* De eadem re copioſe diſſeruit & *Cicero in libris de Rep. ipſo teſte lib. 3. de legib.* Videantur & quæ infra dicemus extremo hoc libro, vbi de diſputationibus, vtrum vtile ſit hominibus, regi ab vno aliquo principe, nec ne.

Τὸ κύϱιον.

Quæ ſit Reſpub. optima

Ὅτι δεῖ κύϱιον εἶναι.] Explicatur quæſtio, an penes multitudinem

tudinem debeat eſſe ciuitatis imperium; & qui magiſtratus plebi ſint mandandi.

TEXTVS.

Eſt autem controuerſia, penes quem ciuitatis debeat eſſe principatús. Vel enim penes multitudinem, vel penes diuites, vel viros bonos, vel vnũ optimum omnium, vel omnium deterrimũ Tyrannum. Verum hæc omnia difficultatem habere videntur. Quid enim, ſi pauperes, quia ſint plures, bona diuitum partiantur, hoc nonne iniuſtum? Nam principatui ſcilicet iuſte placuit. Quã igitur extremam oportet vocare iniuriam, & contra, ſumptis omnibus, ſi plures paucorum bona partiantur: perſpicue ciuitatem corrumpunt. At enim virtus non corrumpit ea præditum, neque ius ciuitatem corrumpit: quare clarum eſt, hanc quoque legem non poſſe eſſe iuſtam. Præterea actiones quoque, quas Tyrannus cumque fecerit, omnes neceſſe eſt eſſe iuſtas. nam potior vel valentior vi cogit, vt multitudo diuites. Sed enim paucos & diuites imperare iuſtum eſt? Si igitur & illi hæc faciãt & rapiant, & multitudinis bona auferant: ſi hoc eſt iuſtum, ergo & alterum. Itaque hæc quidem omnia eſſe vitioſa & iniuſta clarum eſt. Verum viros bonos imperare oportet, & omnium rerum eſſe dominos. Quare neceſſe eſt alios omnes eſſe inhonoratos, vt non honoratos ciuilibus imperijs. Imperia namque honores dicimus. Iiſdem autem ſemper imperantibus, neceſſario alij ſunt inhonorati. Verum melius optimum vnum imperare; ſed hoc etiam plus æquo eſt Oligarchicum: nam inhonorati plures. Verum dicat

fortaſſe aliquis, hominem omnino, non vero legem, eſſe principem, eſſe vitioſum, vt habentem, quæ accidant animo, perturbationes. Si igitur lex quidem, Oligarchica vero aut Democratica (ſit princeps) quid intererit inter ea, de quibus eſt dubitatum? prius namq; expoſita item euenient.

COMMENTARII.

Ἔχει δ' ἀπορίαν.] Priore huius capitis parte controuerſias exponit de principatu, & quæ cuique principatui incommoda & mala ſint coniuncta. Quæſtio igitur eſt quinquepartita: ita tamen, vt ſub vno membro contineantur, atque ita ſemembris, vt ita dicam, ſit quæſtio: quia ſex quoque Rerumpublicarū ſint genera. An principatus debeat eſſe penes multitudinem iuſtam, vt in Republ. iniuſtam, vt in Democratia: an penes diuites & nobiles: an penes viros bonos: an penes vnum, ſiue optimum, vt Regem: ſiue peſſimum, vt tyrannum.

Democratia incommoda.

Ἀλλὰ ταῦτα πάντα] Exponit, vt dixi, incommoda omnium principatuum. Et primum quidem Democratię ſeu Reipublicæ, ſeu multitudinis. Nam ſi dicamus, multitudinem Reipublicæ dominam & principem eſſe debere: hoc ſequetur incommodum & malum, quod quæ ſint iniuſta, videantur eſſe iuſta. Nam vſuuenire poteſt, vt plebs Domina locupletum bonis manus iniiciat, vtpote Domina. Quę bonorum occupatio vt iuſta defendi poteſt, quia facta iuſſu & decreto eius ciuitatis partis, penes quam eſt principatus. Quicquid autem à principe Reipub. iubetur, hoc iuſtum eſt, qua de re explicauimus *ſupra lib. 5. Ethic.* Eam tamen occupationem iniuſtam eſſe docet Ariſtoteles bifariam. Primo, quia, inquit, ſi hæc non eſt iniuria; neſcio quæ ſit, cum ſit ſumma & extrema, quod Romę tentarunt Gracchi. Deinde, quia ea occupatio Reipublicæ ſit pernicies. Eſt & tertia ratio, qua tamen tyranni quoque principatus refellitur; quia ſequeretur, omnes tyranni actiones eſſe iuſtas, quas tamen conſtat inter omnes eſſe iniuſtas; ſequeretur, inquam, quia quemadmodum tyranni, ita & populus vi tantum & viribus ſuperior ea agat.

Oligarchia incōmoda.

Ἀλλ' ἄρα τοὺς.] Adhuc de multitudinis incommodis, quibus

bus docuit, pernicioſum videri, ciuitatibus præeſſe multitudinem. nunc de paucis, quos propter idem incommodum negat ciuitatibus præeſſe debere; quia vt multitudo, ita diuites, ciuitatis domini, plebis bonis inſidiari & manus iniicere poſſint.

Ariſtocratia incommoda.

'Αλλὰ τὰς ἐπιεικεῖς.] Hîc de optimatibus & viris bonis, quorum ex principatu hoc incommodum & malum exiſtere, quod pauci ciuium ſint in honore futuri, reliqui inhonorati. Quid ita? quia pênes quos eſt principatus, hi ſoli gerunt magiſtratus. At magiſtratus vocamus honores. Quid tum poſtea? certe grauiſſimum ciuitatis eſſe malum, paucos eſſe honoratos, reliquos inhonoratos, hac ratione ſæpe docet Ariſtoteles, quia qui honorum ſunt expertes, fere in ciuitatem male ſolent eſſe affecti. Exempla *in Liuio lib. 1.* habuimus. Idem eſt incommodum ex vnius imperio, boni regis, puta quod ex paucorum imperio optimatium, & multo quidem grauius: quia cum penes vnum eſt ſumma Reipublicæ, vnus tantum particeps & Dominus videtur omnium honorum: reliqui expertes & inhonorati.

Regni incōmoda.

Legum incommoda.

'Αλλ' ἴσως φαίη τις] Adhuc docuit, quæ incommoda exſiſtant ex imperiis hominum, ſiue multorum ſiue paucorum, ſiue vnius, eaque propter in quæſtionem vocari poſſe ait, vtrum ſit melius, vt imperium ſit non penes hominem, ſed penes leges; quando ex humanis imperiis mala & incōmoda exſiſtant. Verum ne penes leges quidem imperium eſſe debere docet hac ratione; quia cum leges ſtatui ſeu generi Reipublicæ ſint accommodandæ, ſequitur, ſi Reſpublica eſt Democratica, leges quoq; debere eſſe Democraticas: ſi oligarchica, & oligarchicas, &c. qua re fiet, vt eadem ſint incommoda ab legibus, quæ ab hominibus. Siue enim homines ſint oligarchici, ſiue leges; quid intereſt? Verum de hac quæſtione de legibus *infra hoc capite extr. & capite 11. & 12.*

TEXTVS.

Multitudinem autem principem potius eſſe debere quam optimos quidem, paucos vero: diſſolui poſſe videatur, & quandam habere controuerſiam, fortaſſis autem & veritatem. Nam multi, quorum

quorum ſinguli non ſint viri boni. accidit tamen, vt coniuncti illis ſint meliores, non vt ſinguli, ſed vt vniuerſi, vt cœnæ ex ſymbolis factę ijs, quæ vno ſumptu ſunt inſtructæ. Nam cum ſint multi, vt quiſque habeat partem virtutis & prudentiæ, & coniuncti ſint velut homo vnus, multos pedes & manus & ſenſus habens. Sic & in moribus & in ratione. Quare multi quoque melius iudicant & de muſicæ operibus & de poetarum: alij namque aliam quandam partem, omnes vero omnes. Verum hac in re differũt viri boni à ſingulis ex multitudine, quemadmodum & pulcros à non pulcris aiunt, & arte depicta à veris, quia diſperſa ſeparatim in vnum ſint conducta. Siquidem cum ſunt ſeparata, pulcrior eſt huius quidem oculus, alîus vero aliud quoddam membrum. Cæterum an in omni quidem populo & omni multitudine accidat hæc differentia à paucis bonis, eſt incertum: fortaſſe vero certum vtique, in quibuſdam fieri non poſſe. Nam eadem ratio & in beluas cõueniret. Atque quid differunt quidam à beluis, vt ita dicam? Verum nihil vetat, quin, quod dictum eſt, verum ſit in quadam multitudine.

COMMENTARII.

Ὅτι δὲ δεῖ κύριον εἶναι.] Altera huius capitis parte hæc explicatur quæſtio, vtrum præſtet, vt imperium ſit penes multos, an penes paucos viros bonos. Et docet melius eſſe, vt penes multos. Verum quia multorum ſeu multitudinis duo ſunt genera, quarum altera plane ſit beluina & barbara, nulla virtutis vmbra aut humanitate prædita; altera non illa quidem, cuius ſinguli omnibus virtutibus ſint præditi, ſed alius alia, monet Ariſtoteles, *εἰ μὲν οὖν περὶ πάντα δῆμον*, hanc diſputationem intelligendam eſſe de multitudine non beluina, ſed de altera. Ex cuius multitudinis diſtinctione

Satius eſſe imperii ſummam penes multos quã paucos eſſe. Multitudo autem hic accipiatur non barbara.

duo

duo quoq; Rerumpublicarum genera exſiſtunt, quarum altera Democratia, altera ſit politia, ſeu Reſpublica generali nomine. Hac igitur cognita diſtinctione, docet, imperium multitudinis virtutũ non plane expertis eſſe laudabile. Nam tametſi huius multitudinis ea eſt natura, vt ſinguli ex ea non ſint omnibus virtutibus præditi, ſed vnus, verbi gratia, ſit fortis, alter prudens, alius paulo prudentior: tamen quod ſinguli non poterunt, ſaltem præſtabunt vniuerſi, nimirum perfectam virtutem; alius fortitudinem, alius prudentiam, alius aliam conferens virtutem. quare eleganter Ariſtoteles & hoc loco & *infra cap. 11.* huius generis ciuitatem comparat cœnæ cuidam, quam Græci & Latini Comici vocant ſymbolam; quæ cœna non vnius, ſed multorum inſtruitur ſumptu, vt *apud Terent. & apud Plautum ſæpe.* Eadem quoq; cõparatur vni homini, ſed multipedi & multimano & multis oculis, auribus, cordibus & mentibus prædito. Nam tota multitudo, tanquam vnum corpus, ex diſiunctis partibus conſtat, vt homo vnus ex coniunctis. Ex hac autem multorum & ſenſuum & cordium coniunctione hoc boni manare ait Ariſtoteles, quod quemadmodum in aliis artibus, vt in Muſica, in poetica, in pictura, melius quid iudicatur multorum oculis & auribus: ita & in Republ. ſi alius hanc rem, alius illam intelligat; melius tandem omnia ab omnibus examinabuntur & iudicabuntur. Vnus vir, vt eſt in prouerbio, nullus vir; qua de re eleganter infra dicetur.

Ratio.

1. Similitudo.

Andria, ſc. 1.

Eunucho, act. 3. ſc. 4. & ſeq.

2. Similitudo.

3. Similitudo.

Ἀλλὰ τούτῳ διαφέρουσιν.] De differentia vero bonorum omnibus virtutibus præditorum, & eorum, qui more vulgi ſunt boni viri, quia de his duobus generibus, vtri imperium tribui ſit melius, agatur, explicat. Et primum quidem quemadmodum hi differant, eleganti ſimilitudine explicat; nimirum quemadmodum pulcri differunt à deformibus, vel arte picta differunt à veris. Arte autem picta à veris ita differunt, quod in muliere, verbi gratia, vere & natura pulcerrima, omnia membra harmonia quadam de pulcritudine concertant, & omnes pulcritudinis notæ in vna reperiuntur: in arte autem factis reperiuntur illæ quidem, ſed hinc inde conquiſitæ; & in vnum corpus ex variis conductæ; quemadmodum Crotonæ Helenam picturus Zeuxis in vnum locum omnes puellas conducendas curauit, quarum ex vna oculos, ex alia digitos, ex alia collum, ex alia comam exprimeret. Et elegan-

Diſcrimen inter ſimpliciter & more vulgi bonum.

gantiſſime *Lucianus* Paſitheam in imaginibus, & Durerus Norimbergæ, *teſte Philippo in locis Manlii.* Quemadmodum igitur in vere formoſa omnes ſua ſponte & natura adſunt pulcritudinis notæ, in picta & arte facta non ſua ſponte, ſed conquiſitæ: ita etiam in viris bonis, vere quidem bonis ineſt καλοκαγαθία, in vulgo non item, niſi vniuerſo coniuncto. hoc primum. Alterum, an hæc differentia etiam reperiatur; an, inquam, talis multitudo reperiri poſſit, cuius ſinguli quidem non ſint viri boni, ſed vniuerſi: Reſpondet Ariſtoteles, reperiri, & tamen non omnem talem multitudinem eſſe: nam eſſe quandam velut beluinam, ex qua Democratia extrema conflatur vt Romæ tempore Ciceronis, & Athenis tempore Demoſthenis.

An inueniatur multitudo vniuerſe bona ex ſingulis non bonis.

TEXTVS.

Ex his igitur & priorem quæſtionem quis diſſoluat, & quæ ei eſt finitima, quarum rerum dominos oporteat eſſe liberos & vulgus ciuium. Tales autem ſunt, qui neque ſunt diuites, neque vllam virtutis habent dignitatem. Nam participes quidem illos eſſe maximorum imperiorum non eſt tutum. Nam propter & iniuſtitiam & imprudentiam partim quidem iniuriam facerent, partim vero peccarent; non communicare vero vel participare eſt formidoloſum. Nam cum multi ſunt inhonorati & pauperes, ciuitatem hanc neceſſe eſt hoſtibus eſſe plenam. Reliquum eſt igitur, vt illi conſilij quidem & iudicij ſint participes. Quare & Solo & alij quidam legumſcriptores eos adhibent & ad Comitia & ad rationum relationem, imperare autem ſolos non ſinunt. Nam omnes quidem coniuncti ſatis habent ſenſus; & melioribus mixti ciuitatibus ſunt vtiles, quemadmodum cibus non purus cum puro omnem reddit exiguo vtiliorem: ſeparatim vero ſinguli ad iudicandum ſunt imperfecti.

COMMENTARII.

Διὸ καὶ τὴν πρότερον εἰρημένην.] Explicata priore quæſtione, paucis ne perfecte bonis, an multis leuiter bonis mandandum ſit imperium: alteram adiungit, an vulgo ſeu multitudini magiſtratus ſint mandandi & qui, quam quæſtionem ait eadem ratione, qua priorem, explicandam. Ratio ſuperioris hæc fuit, nimirum ſi ſingulos ſpectes, nulli magiſtratus iis videntur mandandi; quia ſint & improbi & imprudentes: quæ duo, improbitas & imprudentia, ſunt omniũ calamitatum ciuilium cauſæ & fontes. Si vero vniuerſos ſpectes, qui iam ſapiunt & intelligunt, præſertim aliis viris bonis coniuncti: hactenns iis aliquid committi poterit, nimirum id quod per vniuerſos adminiſtrari ſolet: quod vt intelligatur, ſciendum eſt Reipublicæ tria ſumma eſſe genera ſiue munera; Magiſtratus, Senatus, & Iudicis, qua de re infra *lib.6.* & ſupra diximus hoc libro ab initio. Ex his tribus primum per ſingulos, reliqua duo adminiſtrantur per vniuerſos. Iudicia igitur & conſilia per vniuerſos adminiſtrari, maxime locum habebat in Græcia, & Romæ, vbi in concione populi & comitiis ea fiebant. Atque hanc ſuam ſententiam confirmat quoque Ariſtoteles auctoritate Solonis & aliorum legumſcriptorum. Nam Solon inſtituta Athenis Republica magiſtratus ſolis ditioribus & patriciis permittebat; infimæ plebi hæc duo tantum dabat, ius deſignandorum magiſtratuum, & ius repoſcendi geſti magiſtratus rationes: de quo Solonis inſtituto diximus ſupra *lib. 2.cap.vlt.* Idem inſtitutum fuit & Romæ primis temporibus, & hodie eſt Norimbergæ. Nam ſi plebi nihil concedas, neceſſario ſequetur odium plebis aduerſus alios; hinc ſeditiones, *vt Liuius lib.4.* Si omnia, etiam ſummos magiſtratus; iam peræque magnum erit periculum propter improbitatem & imprudentiam plebis.

An vulgo ſint magiſtratus mãdandi. *Ratio ἀνασκευαστικὴ ἢ ἐπιχείρησις.* *Exemplũ.*

Similitudo.

Πάντες.] Hoc iam explicauimus, ſingulos non ſatis per ſe ſapere, ſed vniuerſos, maxime aliis ſapientioribus & melioribus admixtos, quemadmodum eleganter Ariſtoteles; cibus non purus & incommodus vna cum ſincero & commodo ſumptus; quia multus & par alendo corpori vtilior eſt & melior cibo ſalubri illo quidem & bono, ſed exiguo, & qui non ſit alendo & tuendo corpori.

TEX-

TEXTVS.

Verum hæc Reip. deſcriptio controuerſia non vacat. Prima quidem, quia eiuſdem eſſe videatur, iudicare, quis bene medicinam præbuerit, cuius & præbere & liberare morbo præſente laborantem. hic autem eſt medicus. Eadem vero eſt ratio aliorum & vſuum & artium. quemadmodum igitur medicum rationem reddere medicis oportet: ita & alijs ciuibus alios. Medicus autem eſt partim opifex, partim princeps, & tertius peritus artis: nam tales quidem in omnibus fere ſunt artibus. Iudicium autem committimus nihilo minus peritis, quam ſcientibus. Præterea & in cooptatione eodem modo ſe res habere videatur. Nam recte optare, opus & munus ſcientium eſſe videtur, vt & Geometram Geometrarum, & Gubernatorem Gubernatorum. Nam etſi de quibuſdã quoque operibus & artibus intelligunt & idiotæ quidam; non tamen melius, quam docti. Itaque hac quidem ratione multitudo non ſit facienda domina, neque Comitiorum, neque repoſcendarum rationum. Verum hæc fortaſſe non bene omnia dicuntur, cum propter priorem rationem, ſi multitudo non nimis ſit ſeruilis (erunt enim ſinguli quidem doctis peiores iudices, vniuerſi autem non meliores vel non deteriores:) tum quia de quibuſdam non tantum is qui fecit, neque optime iudicent, quorum opera norint etiam, qui artem non teneant. Vt domum non eius tantum, qui fecit, eſt noſſe, ſed is quoque, qui ea vtitur, melius iudicabit. Vtitur autem paterfamilias, & gu-

bernaculum melius gubernator, quam faber, & epulum conuiua, non vero coquus.

TEXTVS.

Ἔχει δὲ ἡ τάξις αὕτη.] Inſtitutum Solonis, quod modo & ipſe probauit, vt plebi duo tantum permittantur, Comitia & ius repoſcendarum rationum & comitiorum à magiſtratibus: hoc, inquam, inſtitutum quemadmodum reprehendi poſſit, & rurſus defendi, docet: duas affert reprehenſiones: vnam vtrique reprehenſioni deſeruientem defenſionem. Prior igitur reprehenſio, cur, inquam, ne hæc quidem duo plebi ſint committenda, hæc, inquam, magiſtratus & creare & poſtea examinare, hæc eſt; Quia ad hæc duo opus eſt iudicio; ad creandum quidem, vt idoneus eligatur; ad examinandum & expoſcendas rationes, vt cognoſcant, qua in re ſit peccatum, & male res adminiſtrata. Sic igitur Ariſtoteles de rationibus reddendis prius argumentatur; Is optimus eſt rerum iudex, qui eas ipſe gerit. Ergo & magiſtratuum, an bene ſint geſti, is erit optimus iudex, qui eos ipſe geſſit. quare plebs iudex eſſe non poteſt, quia gerendi ius non habet. Antecedens inductione quadam confirmat Ariſtoteles medicinæ & aliarum artium. Nam an curatio recta fuerit nec ne, nemo certe melius iudicabit quam medicus; an oratio bene habita, nemo melius oratore: an teſtamentum bene ſcriptũ, nemo melius IC. aut tabulario, &c.

1. Ratio ἀνασκευαστική.

Maioris cõfirmatio.

Ἰατρὸς δὲ ὅ τε δημιουργὸς.] Elegans eſt locus de ſcientiarum membris & partibus, hoc conſilio ab Ariſtotele hic interpoſitus, vt diſtinctius explicaret qui de rebus & ſcientiis veri & boni iudices eſſe poſſint. Ait igitur, in omnibus fere artibus tres reperiri perſonas, quas hæc vel illa ars nonnihil attingat. Nam in ſingulis fere artibus, maxime practicis & effectricibus, vt in arte medendi, Iuriſprudentia, Rhetorica, Architectura, pingendi arte, alius eſt opifex, alius princeps, alius deniq; peritus. Quid ita? Quia in artibus duo fere conſiderantur; habitus ſeu ars ipſa, & vſus ſeu effectus: vſus eſt vniuſmodi & vnam conſtituit perſonam, opificem: habitus eſt duplex, alter quidem præceptis & ratione, alter vero vſu tantum & experientia comparatus. hinc duæ perſonæ: nam qui habitum comparauit ratione, doctus: qui vſu & experientia, vſu peritus Latine dici ſolet: Græci, & in his maxime Ariſto-

Digreſſio de ſciẽtiarum & artium diſcrimine.

Ariſtoteles, hos duos habitus, alterum vel priorem vocat ἐπιστήμην, ſcientiam, alterum παιδείαν, & illo quidem prædi- tos ἐπιστήμονας, hoc vero πεπαιδευμένους, vt & hoc loco, & copioſe *initio lib. 1. de partib. animant.* & diximus *ſupra latius lib. 1. Ethic. cap 3.* verbi gratia, in arte medendi tres ſunt: vnus princeps ſeu ἀρχιτεκτονικὸς, quem vulgo vocant phyſicum; alii ſunt velut opifices, quibus ille tanquam miniſtris præſcribit, vt chirurgi, & qui vulgo dicuntur apothecarii; tertius eſt, qui habet medicinæ quandam cognitionem, ſed ex vſu tantum. Sic in agricola ſummus paterfamilias eſt ἀρχιτεκτονικὸς, famuli ſunt tanquam opifices; eſt & tertius, qui non eſt illius ſcientiæ agricola, ſed habet tantum aliquam cognitionem agri colendi. Ex his autem tribus iudicium ſeu iudicandi facultatem habent duo potiſſimum, princeps ſeu doctus & vſu peritus: neq; enim minus commode & recte de rebus iudicant, qui eas vſu cognorint, quam qui præceptis & ratione; qua ratione Ariſtoteles *ſupra lib. 1. Ethic. cap. 3.* adu- leſcentes negat politicæ auditores eſſe idoneos; quia propter ætatem de rebus humanis, quas vſu cognitas nondum habent, iudicare non poſſunt. 'Επιστήμη. Παιδεία. *1. Exemplũ.* *2. Exempl.*

Ἔπειτα καὶ περὶ τὴν.] Nunc de altero, id eſt, de ipſa deſignatione & delectu magiſtratuum, quos veteres Græci & Romani in comitiis rogare ſolẽt. Cur igitur ne hæc quidem pars plebi ſit permittenda, hæc afferri poteſt ratio; Quia bene deligere ſeu optare non ſit cuiuſuis ſed docti. Formula ſit iſta: Dilectus eſt doctorum. Ergo magiſtratuum dilectus eſt doctorum, id eſt, eorum, qui ipſi magiſtratus aliquando geſſerint; non plebis, cui ad magiſtratus non patet aditus. Antecedens inductione probat, nimirum exemplis aliarum artium & officiorum, geometræ & gubernatoris: nam de geometra, an ſit bonus nec ne, veriſſime pronunciare poterit; qui ipſe ſit geometra; vt & de gubetnatore, de medico, de imperatore: de hac difficultate eligendi magiſtratus dictum *ſupra lib. 10. Ethic. cap. vlt.* & vt fateamur, indoctos & idiotas de operibus aliquid interdum boni iudicare, hoc tamen certum eſt eos non melius iudicaturos, quam qui ſint docti. *2. Reprehẽſio.* *Ratio.* *Maioris cõfirmatio.*

Ἀλλ' ἴσως οὐ πάντα ταῦτα.] Hoc loco Ariſtoteles reſpondet prioribus contradictionibus, eaſq; non impedire, quo minus hæc duo plebi ſint permittenda: nam tametſi ſinguli non ſatis idonei ſint iudices, vniuerſi tamen collatis capiti- *1. Solutio.*

 bus

bus & communicatis conſiliis iudicare recte poterunt, qui ſint idonei, & an bene adminiſtrarint: præterea quod ſupra ſcriptum eſt, eos demum veros eſſe iudices & bonos, qui ea ipſa faciant & facere norint, non vſquequaque eſſe verum; quia ſæpe cernere liceat, meliores quoq; rerum & operum eſſe iudices, non qui ea fecerint, ſed qui iis vtantur; vt de domo, an commode ſit ædificata, melius iudicare poteſt, qui ea vtitur, paterfamilias, quam faber ipſe: vt de clauo aut gubernaculo melius gubernator, quam effector; de veſte & calceo ſæpe melius, qui vtuntur, quam ſarctores & ſutores. Ad eundem modum plebs etſi ipſa magiſtratum non gerit, tamen quia magiſtratus imperio vtitur, & ſubeſt; Sæpe rectius videt, quid in hoc vel illo deſideret, quam ipſe qui præeſt.

2. Solutio. *Exemplũ.*

TEXTVS.

Atque hanc quidem quæſtionem hoc fortaſſe modo ſatis videatur quis explicare. Eſt autem huic proxima alia: nam abſurdum eſſe videtur, malos, quam bonos, maiorum rerum eſſe dominos. Rationum autem repoſcendarum poteſtas, & magiſtratuum deſignatio res ſunt maximæ, quas, vt dictum eſt, quibuſdam in Rebuſpublicis populo permittunt. Concio namque omnium earum eſt domina. Atque concionis quidem partes ſunt & deliberant & iudicant, qui minore ſint cenſu, & cuiuſuis ætatis. Quæſtores vero ſunt & Imperatores, ſummoſque magiſtratus gerunt, qui in maiore ſunt cenſu. Verum hanc quoq; quæſtionem item quis diſſoluerit: nam & hæc fortaſſe ſunt recta: nam neque iudex, neque deliberator, neque concionator impleat, ſed iudicum conſenſus & conſilium & populus. Illorum autem quiſque horum eſt particula. Particulam autem dico deliberatorem & concionatorem & iudicem. Quare maiorum rerum iure domina eſt multitudo: nam ex multis

multis populus & ſenatus & iudicum conſeſſus; atq; cenſus horum omnium eſt maior, quam qui eſt ſingulorum de paucis magnos magiſtratus gerentium.

COMMENTARII.

Ταύτην μὲν οὖν τὴν ἀπορίαν.] Explicata priore contradictione & reprehenſione instituti Solonii, alteram hoc loco exponit & explicat. Sic igitur Soloni rurſus occurri poteſt. Formula: Res maximæ ſummis viris ſunt permittendæ. Hæ duæ autem res (magiſtratuum deſignatio, & rationum exactio) ſunt grauiſſimæ. Ergo non plebi, ſed præſtantioribus viris permittendæ. Plebi autem res eas duas permiſſas eſſe & fuiſſe à Solone, ex eo facile intelligitur, quia fierent vtraq; in concione & comitiis, quorum participes erant non tantum ditiores & honeſtiores, ſed tenuiſſimi quique etiam infimo cenſu, θῆτες. Reſpondet Ariſtoteles huic contradictioni eodem modo, quo priori, nimirum eam quidem eſſe veram, ſi ſingulos de plebe ſpectes, nimirum qui ſinguli ſunt & ex infimo cenſu, & pleriq; imprudentes & improbi: ſed ſi vniuerſos ſpectes, iam neq; improbi, neq; imprudentes, neque nimis tenues & pauperes erunt: adeo quidem, vt vniuerſi maiorem conſtituant cenſum, quam vnus aliquis ditiorum, cui tamen ſummi magiſtratus permitti poſſint.

3. Obiectio ſeu reprehenſio.

Solutio.

Καὶ τῆς τυχούσης ἡλικίας.] Ad graues & maiores magiſtratus ætas quoque grauior ſola accommodata eſſe videtur, vt ne adoleſcentibus, ſed viris cōſtante ætate, aut ſenibus Reipublicæ partes ac munera credantur. At comitiorum Romæ & in Græcia etiam adoleſcentuli erant participes: Romæ anno ætatis 17. ſumpta virili toga, Athenis anno 20. poſtquam in tabulas lexiarchicas eſſent relati. Quare Ariſtoteles recte hoc loco, in comitiis ſeu comitiorum & concionum participatione neq; ætatis neq; cenſus rationem haberi, nimirum vt etiam infimo cenſu & adoleſcentes æque, atque viri & ſenes, ad ea admittantur.

Grauiorib. magiſtratibus ætas quoq; grauior conuenit.

Græcorū & Romanorū inſtitutum vitioſum.

Οὐ γὰρ ὁ δικαστής.] His verbis refellit Ariſtoteles alteram contradictionem, quemadmodum paulo ante explicauimus: nam comitiorum ſeu concionum auctoritas non eſt penes vnum aliquem, hunc vel illum, ſed penes totam mul-

titudinem. Eadem eſt & ſenatus & iudicii ratio. Vniuerſa concio, ſenatus & iudicum conſeſſus præeſt, & ea, de quibus hic agitur, facit, non ſinguli, qui tantum ſunt particulæ & membra vel concionis vel ſenatus, &c.

TEXTVS.

Hæc igitur ad hunc quidem modum ſint explicata: quæ autem prima fuit allata controuerſia, nihil aliud ita declarat quam leges debere eſſe dominas recte latas; magiſtratum autem, ſiue vnus ſiue ſint plures, harum rerum eſſe dominos, quas exquiſite leges nequeant complecti, eo quod non facile ſit factu, vt vniuerſe dicatur de omnibus. Cæterum quales oporteat eſſe leges, quę bene ſint latæ, neque dum planum; ſed quod ſupra dubitatum, etiamnum manet. Sed enim neceſſe eſt leges quoque malas aut bonas eſſe pro Rebuſpublicis, & iuſtas vel iniuſtas. Hoc certe eſt perſpicuum, leges Reipublicæ eſſe accommodandas. Verum hoc ſi ita eſt intelligitur, bonis Rebuſpublicis accommodatas neceſſario eſſe iuſtas, digreſſas vero non iuſtas.

COMMENTARII.

Leges, ſi bonæ ſint, ſatius eſt obtinere in Repub. quam hominum arbitria.

Ταῦτα μὲν οὖν διωρίσθω.] Explicata quæſtione, an imperium penes multos, an vero penes paucos eſſe bonos debeat; breuiter hoc loco alteram quæſtionem initio huius capitis expoſitam diſſoluit, an imperium penes leges potius, an penes homines eſſe debeat? Ait igitur, penes leges potius eſſe debere; ſiquidem ſint rectæ & bonæ: quæ autem ſint rectæ & bonæ, quæ vitioſæ & prauæ, non paruam quoq; eſſe quæſtionem; ſed hanc quoque vno verbo hic explicat; eas quidem bonas eſſe, quæ bonis & rectis Rerumpublicarum generibus ſint accommodatæ; quæ vitioſis, vt democratiæ, tyrannidi, oligarchiæ; eas quoq; leges eſſe vitioſas & malas. Cur autem legum bonitas ex Rerumpublicarum bonitate æſtimetur, hæc eſt ratio; Quia leges neceſſario Rerumpublicarum

Quænam leges bonæ ſint.

Ratio.

blicarum generibus ſint accommodandæ: aliæ namq; ſunt leges in regno, aliæ in populo, aliæ in ariſtocratia neceſſariæ. Itaq; penes leges debet eſſe imperium, eaſq; bonas: ita tamen, vt nonnihil homini, id eſt, magiſtratui relinquatur, ſiue vni, id eſt, regi, ſiue pluribus optimatibus, &c. Cur autem & quædam magiſtratui ſint relinquenda, hinc intelligitur; quia leges cum ſint præcepta quædam vniuerſa & generalia, fieri non poteſt, vt omnia legibus compræhendantur, ſed quædam neceſſario magiſtratibus tanquam ſupplenda relinquantur. de qua re diximus copioſius *ſupra lib.5 Ethicor. cap.10.* Et de hac tota quæſtione, de legum imperio, præclare Iuriſconſultus *in l.3. cum 10 ſeqq. ff. de legib.* & præclariſſime Ariſtoteles *infra cap. 11. & 12.* vt verbi gratia; nemo qui eſt in poteſtate patris, faciat teſtamentum.

Magiſtratui quoque nonnulla ſunt relinquenda.

Ratio.

CAPVT VIII.

DVÆ huius capitis partes ſecari poſſunt: quarum in priore, quæ ſupra *cap. 6.* ſunt explicata, iterantur, nimirum quare ius ſeu dignitas in Reipublicæ muneribus & magiſtratibus deferendis æſtimetur: altera parte perſequitur inſtitutam de ſumma Reipubl. diſputationem. Nam priore quidem capite de multis; hic de paucis, an penes paucos ſumma ac imperium eſſe debeat, explicat, an vero penes vnum.

TEXTVS.

Quia autem in omnibus quidem ſcientijs & artibus finis eſt bonum, maxime vero & maximũ in principe ſcientiarum: hæc autem ciuilis eſt facultas: eſt autem ciuile bonum ius: hoc autem eſt, quod publice eſt vtile. Videtur autem omnibus ius eſſe quædam æquitas: atque aliquatenus concinunt philoſophicis diſputationibus, in quibus explicatum de moribus: aliquid namq; & aliquibus eſt ius, atq; æqualibus æquale eſſe aiunt. Quarum autem rerum æqualitas ſit, & quarum inæqualitas; oportet non ignorare. Id namque non vacat controuerſia & diſputatione ciuili. Nam

fortaſſe quis dixerit ex omnis pręſtantia boni magiſtratus inæqualiter eſſe diſtribuendos, ſi omnib. alijs nihil differant, ſed ſint ſimiles. Nam differentibus aliud eſſe jus, & id quod ex dignitate, verum. Si hoc verum, erit & ex colore & ex magnitudine, & ex quolibet bonorum prærogatiua ciuilium iuſtorum præſtantibus: vel hoc perſpicue falſum. Liquet autem in alijs ſcientijs & facultatibus. Nam arte ſimilibus tibicinibus non erit tibiarum prærogatiua nobilioribus danda: nihil enim melius tibijs canent. Oportet autem ei, qui opere præſtat, organorum quoq; dare præſtantiam. Quod ſi ne hoc quidem ſatis clarum, etiam clarius erit latius deducentibus. Nam ſi ſit aliquis, qui arte quidem tibia canendi præſtet, ſuperetur vero nobilitate aut forma, etſi quidque eorum bonorum arte tibia canendi eſt maius (nobilitatem dico & formã) & proportione præſtant multo arti canẽdi, quam ille arte canendi tibia: huic tamen tibiæ meliores erunt dandæ: debet namque ad opus iuuare præſtantia & diuitiarum & nobilitatis: nihil autem iuuant. Præterea hac quidem ratione omne bonum cum omni ſit comparabile. Nam ſi magis quod quadam magnitudine, omnino quoq; magnitudo ſit comparanda cum diuitijs & cum ingenuitate: vt ſi hic plus magnitudine præſtet quã ille virtute, & plus magnitudo omnino virtuti præſtet, omnia ſint comparabilia. Tanta namque magnitudo ſi tantâ ſit maior; erit perſpicue tanta æqualis. Hoc autem quia fieri non poteſt; clarum eſt, in rebus quoq; ciuilibus de magiſtratibus non recte contendi ex omni inæqualitate: nam ſi hi quidem

quidem tardi, illi vero celeres; minime propterea quidem oportet hos quidem plus, illos vero habere minus; ſed in ludis gymnicis horum præſtantia honorem capit. Verum ex quibus ciuitas conſtitit, de his oportet facere contentionem, id eſt, contendere.

COMMENTARII.

Ἐπεὶ δ' ἐν πάσαις.] Monet initio de ciuitatis fine ſeu extremo, eum eſſe & in bonis, & eſſe ius ſeu iuſtitiam: quæ præmunitio de fine ciuitatis eo pertinet, vt nos moneat, honorum diſtributionem ad illum quoq; finem eſſe dirigendam, eosque honoribus digniores, qui ad eum finem plus conferant, *vt ſupra quoq; d. cap. 6.* Sic igitur argumentatur à minore: ſi omnium ſcientiarum finis eſt in bonis, id eſt, bonum quoddam eſt. Ergo & politicæ ſcientiæ finis erit bonũ quiddam. Antecedens explicatum eſt *ſupra lib. 1. Ethicor. cap. 1.* quin etiam finem politicę non tantum eſſe bonum, ſed optimum & ſummum bonum eſſe monet hac ratione; Quia ipſa omnium ſciẽtiarum ſit domina & princeps. Formula: Quales ſcientiæ, tales & fines. Ergo quæ optima eſt & præſtantiſſima ſciencia, eius quoq; finis eſt præſtantiſſimus: quæ omnia explicata *ſupra lib. 1. & 2 polit.* Quis autem politicæ ſit finis, adiungit, nimirum eſſe iuſtitiam ſeu ius: in hac namq; virtute maxime ciuitates continentur, eaque propter & κοινωνικὴ virtus dici ſolet, omnibus reliquis virtutibus antecellens, tanquam ſtellis lucifer, *ſupra lib 5. Ethic.* Cognito iam fine politicę, iure & iuſtitia, pergit Ariſtoteles explicare duas vulgi ſententias, quarum altera ius vulgo æquitatem ſeu æqualitatem quandam definiebant, altera paribus paria tribuenda eſſe aiebant: vtrumque, inquit Ariſtoteles, recte & philoſophicis rationibus congruenter. Nam *ſupra lib 5. cap. 3. & 4. Ethic.* hoc eleganter eſt explicatum, iuſtitiam eſſe quandam æquitatem ſeu æqualitatem: adeo quidem vt quia duo ſint æqualitatis genera, arithmetica & geometrica; duo quoque ſint iuris & iuſtitiæ genera, permutationis & diſtributionis. Iuri quoque eſt conſentaneum vt paria tribuantur paribus. Verum non ſatis vulgo hanc paritatem perpendebant, quibus ea in rebus ſit poſita, & vnde æſtimanda. Nam alii

Finis ciuitatis.
Honorum diſtributio ad finẽ ciuitatis dirigenda.
Politicæ ſcientiæ finis bonus.
Imo optimũ ſummumq; bonum.
Ius ſeu iuſtitia finis politicæ.
Proclus ſuper Plat. libro de Rep.
1. Vulgi de iure opin.
2. Opin.
Ἐπιχείρησις.

alii quidem libertate, alii genere, alii diuitiis, alii virtute aut alia quadam re æqualitatem hanc & inæqualitatem ſeu pręſtantiam metiuntur. De hoc igitur videndum, an qualibet re pares vel impares in Republica de honoribus contendere debeant.

ἀνανταπόδοτον. Ἐπεὶ δ' ἐν πάσαις.] Solet interdum Ariſtoteles omittere quam vocamus *ἀνταπόδοσιν*, vt hoc loco. Quia autem omnibus in ſcientiis finis eſt bonum; huic autem poſtea nihil eſt quod reſpondeat: quare accipiendum hoc quaſi abſolute, hunc in modum; omnibus in ſcientiis finis eſt bonum. Sic & *ſupra cap. 6. εἰ δὲ μήτε τοῦ ζῆν μόνον ἕνεκεν.*

Τί γὰρ καὶ τισὶ τὸ δίκαιον.] Hæc verba quemadmodum ſint accipienda, ſupra diximus; ius nimrum & iuſtitiam eſſe aliquibus, id eſt, non abſolute, ſed aliorum reſpectu dici. Virtutes aliæ ſunt abſolutæ, ſola iuſtitia alios ſpectat. Videntur hæc verba ſpuria eſſe, neq; enim ſunt neceſſaria; &, τί γὰρ, obſcurum eſt, quid ſibi velit, & ab aliis aliter redditur, nimirum vel quid & quibus ſit ius, vel ius eſt aliquid & aliquibus. Aptiſſima ea videtur ſententia, quam ſupra attulimus; duo vulgo dici ius eſſe: æquitatem quandam, & paribus paria eſſe tribuenda.

Φιλοσοφία, id eſt, σκέψις. Καὶ τὴν φιλοσοφίαν πολιτικήν.] Verbum philoſophię pro diſputatione & *σκέψει*, vt rarum, eſt obſeruatu dignum.

Ἴσως γὰρ ἂν φαίη τις] Nunc videamus de ſumma huius loci quæſtione, nimirum quibus communicandi ſint honores & magiſtratus, an pares iis qui vel vna aliqua re ſint pares, reliquis impares; an impares iis, qui vna aliqua re ſint impares, licet omnibus reliquis ſint pares. Sic enim quidam exiſtimant, hac ratione ducti, quia paribus paria, imparibus tribuenda ſint imparia; verbi gratia, duo ſint magnitudine ſeu forma, diuitiis, doctrina, virtute pares, genere ſolo impares, quos inter contentio ſit de honoribus, vtri potius ſint defendi? Ariſtoteles præclare docet, in diſtribuendis honoribus non omnium rerum paritatem ſeu æqualitatem ſpectandam eſſe, neque inæqualitatem, ſed eam tantum & æqualitatem & inæqualitatem, quæ ad finem & opus ciuitatis ſeu Reipublicæ conferat & iuuet. Non omnium igitur habendam eſſe rationem, docet bifariam. Primo φανερὸν δ' ἐπὶ τῶν ἄλλων. exemplo aliarum artiũ. Nam quemadmodum in aliis artibus earum tantum rerum & præſtantiarum habetur

In honorib. diſtribuendis quid obſeruãdum.

1. Ratio ab exemplo aliarum artium.

tur ratio, quæ ad vſum ipſius artis & finem ſunt vtiles: cur non idem in hac arte præſtantiſſima requiratur; verbi gratia, in arte tibia canendi duo ſint de tibiis concertantes, quorum alter optime canat, ſed de plebe, alter plane ſit imperitus, ſed nobilis; certe nemo erit tam abſurdus, qui cenſeat, perito potius quam imperito dandas eſſe tibias; propterea quod genus ad opus & vſum artis, id eſt, ad canendum nihil iuuet. Sic in re nautica, in re militari, in omnibus artibus fieri ſolet aut certe debet. Quare vt in aliis artibus, ita & in hac ciuili non habenda eſt ratio formæ aut magnitudinis, pulcri coloris aut aliarum rerum ad vſum non iuuantium: etſi corporis dignitas & pulcritudo ſeu magnitudo reliquis virtutibus coniuncta non eſt aſpernanda in honoribus & magiſtratibus. Nam & Lacedæmonii Regem Archidamum multarunt, quia vxorem puſillam propter diuitias duxiſſet, ex qua non reges, ſed regulos eſſet procreaturus, vt eſt apud *Athenæum libr. 3. δειπνοσοφιστῶν. & Plutarch. initio libr. de liberis educandis*: quo loco Athenæus cum apud alias gentes, tum apud Æthiopes regna ait deferri ſolita pulcrioribus: & hinc poetæ quoque *Hom. Eurip. Virgil.* Heroibus formæ quoq; dignitatem & corporis magnitudinem attribuere ſolent. *Exemplũ.* *ἐπανόρθωσις*

Ἔτι κατά γε τοῦτον τὸν λόγον.] Altera eſt ratio, cur non omnium rerum ſeu omnis præſtantiæ habenda ſit ratio in honoribus; quia ſequeretur, vt quælibet res cum qualibet poſſit comparari; quod eſt abſurdum & ἀδύνατον. Nam quæ res natura differunt, *inquit lib. 7. phyſicæ acroaſeos*, comparari inter ſe nequeunt, vt animata & inanima, mortales & immortales; ſiue, *vt lib. 10. μετὰ φυσικῶν*, quæ non ſunt eiuſdem generis, illa non poſſunt comparari. Itaque phyſica cum politicis comparari nequeunt. Politica ſunt virtutes, diuitiæ, nobilitas, libertas; phyſica, magnitudo & forma corporis, celeritas aut tarditas. Si ergo duo de honoribus inter ſe contendant, alter corporis dignitate præſtans, alter virtute: abſurda ſit contentio & comparatio, neceſſe eſt. Sic ſi duo concertent, alter quia diues aut nobilis, alter quia vir bonus; item non recta erit concertatio; quia toto genere hæc, propter quæ certatur, diſtent. Verba autem hæc ſunt perobſcura, quorum tamen ea eſt ſententia & ſumma, quam attulimus; ſi, inquit, magis eſt, quod aliquam magnitudinem, id eſt, ſi *2. Ratio.*

eſt. ſi (verbi gratia) vnus eſt pulcrior quam alter, ditior vel nobilior, & hi inter ſe concertent de honoribus, & pulcrior cum diuite cōparari, imo præferri velit; ſequetur, vt quemadmodum homines inter ſe comparentur, pulcer cum diuite; ita & res, id eſt, pulcritudo cum diuitiis comparetur: at hoc eſt abſurdum; quia res ſint toto genere diſtantes. Si homines, ergo & res inter ſe comparabuntur. Nam vt vna res alteram ſuperet, vt virtus pulcritudinem: fieri tamen poteſt, vt ſit æqualis, atque adeo etiam rurſus ſuperetur. verbi gratia, tres ſint virtutis partes, quæ ſuperent quatuor partes pulcritudinis parte vna; fiet, vt quinque pulcritudinis partes tribus illis virtutis partibus ſint æquales, & ſex illæ pulcritudinis partes tribus illis virtutis partibus ſint maiores. Et hoc eſt quod ait: τόσον γάρ τι τὸ μέγεθος. Hæc igitur comparatio & abſurda eſt & ἀδύνατος.

TEXTVS.

Bona igitur ratione honores vendicant nobiles & diuites. Oportet namque & liberos eſſe, & tributum conferentes. neque enim ſit ciuitas ex egentibus omnibus, vt neque ex ſeruis. Verum ſi his eſt opus, certe & iuſtitia & bellica virtute: neq; enim abſque his ciuitas conſiſtere poteſt; præter quod abſque prioribus quidem ciuitas eſſe nequeat, abſque his vero bene conſiſtere. Ad hoc igitur vt ciuitas quidem ſit, vel omnia vel horum quædam videantur recte contendere. ad bonam vitam vero diſciplina & virtus iure maxime contendant, vt prius dictum eſt. Quia autem non omnium rerum æqualitatem habere oporteat vna tantum re æquales, neq; inæqualitatem vna tantum re inæquales; neceſſe eſt tales omnes Reſpublicas eſſe aberrationes. Dictum eſt igitur & ſupr. omnes quodammodo iure contendere, abſolute vero non omnes iure: diuites quidem, quia plus agri teneant: ager autem eſt res communis. Præterea

terea, quia in rebus contrahendis plærunque plus ijs fidei habeatur; liberos vero & nobiles, vt inter ſe finitimos: quia generoſiores ignobilibus magis ſint ciues. Nobilitas autem apud ſingulos domi eſt honorata: præterea quia veriſimile eſt, meliores ex melioribus. Eſt enim nobilitas virtus generis. Similiter dicemus & virtutem iure contendere. Iuſtitiam namque virtutem eſſe dicimus ad ſocietatem aptam, cui neceſſe ſit conſequi alias omnes: Sed enim & plures cum paucioribus. Etenim potentiores & ditiores & meliores ſunt, vt ſumptis pluribus ad paucos.

COMMENTARII.

Διόπερ εὐλόγως.] Poſtquam explicauit, qui nullo iure de honoribus & magiſtratibus contendere videantur: nunc de his, qui aliquo iure, & de his qui optimo iure de iis contendere debeant. Qui igitur de honoribus iure contendant, vno verbo eos eſſe definit, ex quibus ciuitas conſiſtat, id eſt, eos qui ciuitatis ſint partes, de quibus infra quidẽ accuratiſſime *lib. 7. cap. 8. & 9.* hic breuiter quatuor fere eſſe ait, diuites, ingenuos & nobiles, virtute præditos, & paucos cum multis comparatos: ex quibus tres tantum primi ciuitatis ſunt partes. quos inter tamen hæc eſt differentia quod abſq; duobus prioribus, diuitibus & ingenuis, ciuitas plane eſſe non poſſit; abſq; tertio, id eſt, virtute prædito recte eſſe non poſſit. Poteſt namque eſſe ciuitas etiam, vbi omnes ſunt improbi, ſed non beata, neque recta & vera. Nam beatæ ciuitati neceſſaria eſt virtus, beatitudinis effectrix. Virtus autem, quæ in ciuitate maxime dominatur, eſt duplex; iuſtitia domi & in pace, fortitudo foris & in bello. Hi igitur non abſque ratione de honoribus contendere dicendi ſunt, vt qui ſint ſummæ ciuitatis partes. Verum in eo peccant, quod, cum aliquo tantum iure nitantur, optimo ſe iure niti exiſtiment; ſiue, vt loquitur Ariſtoteles, cum aliqua tantum in re ſint pares, ita agant, quaſi omnibus in rebus ſint pares. Diuites quidem hoc iure nituntur, quia & agri partem teneant maiorem, & plus iis fidei habeatur in rebus contrahendis, quibus rebus

Qui iure poſſint de honoribus contendere.

Diſcrimen inter ipſos.

Virtutes ciuiles.

Proclus ſuper Plat. lib. de Rep. publ.

Qua in re peccent.

Diuitum prætextus.

quodam-

Ingenuorũ prætextus.

quodammodo magis videantur eſſe ciues quam alii. Nobiles & ingenui hoc iure nituntur, quia & libertate præſtent ſeu ingenuitate, & virtute quoque præſtare videantur, propterea quod boni ex bonis naſcantur : qua de re dictum *ſupra lib.1. cap.4* his, inquam, duabus rebus freti ingenui honores ſibi arrogant. Virtute deniq; præditi iuſtitia, quæ virtus eſt ciuilis & ad ſocietatem apta, quia omnes alias virtutes ea in ſe complectatur, merito & ipſi de honoribus propter huius virtutis excellentiam cõtendunt. Poſtremo multi cum paucis; verbi gratia, multitudo cum paucis diuitibus vel nobilibus iure de honoribus contendunt: quia fieri poteſt, vt multi hi coniuncti paucos opibus, diuitiis, & virtutibus ſuperent, quemadmodum *ſupra cap.pr.* diximus. Verum ex his omnib. diuites quidem & nobiles ſeu ingenui ad hoc, vt ſit ciuitas, iure contendunt (nam ad tributa conferenda opus eſt diuitibus, & ciuitas eſt non ſeruorum, ſed hominum liberorum ſocietas.) Vt autem bene beateq; viuatur, & beata vt ſit ciuitas; rectius de honoribus contendat virtus, vt & *ſupra dictum cap.6.*

Virtute præditi quo iure nitantur.

Multitudinis prætextus.

ἡ ἐπιχείρησις.

Nobilitatis & ingenuitatis ſimilitudo & diſcrimen.

Οἱ δ' ἐλεύθεροι καὶ εὐγενεῖς.] Liberos homines & nobiles ait eſſe affines; quia vtrique natalibus æſtimentur & genere. quare hos Ariſtoteles ſæpe coniungere ſolet, vt *ſupra libr.1. cap.4* & vtrique ingenui dici poſſunt: differunt tamen, quod nobilitas natalium ſeu generis ſit virtus, id eſt, præſtantia; libertas non item. Quod autem adiungit, apud omnes gentes domi honoratam eſſe nobilitatem, & bonos ex bonis naſci; explicatum eſt *ſupra lib.1.cap.4.*

TEXTVS.

Ergo ſi omnes in vna ſint ciuitate, boni, inquã, & diuites & nobiles, aliaque præterea multitudo ciuilis; an erit controuerſia, quos imperare oporteat, an non erit? Et quidem in quaque Republica earum, quæ ſupra ſunt explicatæ, in controuerſum eſt iudicium, quos imperare oporteat. Principatibus namque inter ſe differunt: verbi gratia, vt hæc quidem eo qui penes diuites, illa vero eo, qui penes viros bonos, & quæque aliȩ eodem modo. Ve-

do. Verumtamen quærimus; hæc eodem tempore cum adſunt, quomodo ſit ſtatuendum? Si igitur valde pauci ſint numero, ijque virtute præditi; quomodo ſit ſtatuendum? An paucitas ad opus ſit referēda, ſi ciuitatem adminiſtrare poſſint? An tot numerò eſſe debeant, vt ex ijs ciuitas conſiſtat? Eſt autem quæſtio quædam in omnes, qui de ciuilibus honoribus contendant. Nam qui propter diuitias imperium affectant, nullo iure niti videntur; ſimiliter & qui propter genus. Nam perſpicuū eſt, ſi vnus aliquis omnibus ſit ditior, hunc illo iure vnum omnibus imperare debere; ita & nobilitate præſtantem propter libertatem concertantibus. Quod idem fortaſſe & in Ariſtocratijs propter virtutem eueniet. Nam ſi vir vnus aliquis reliquis ſit melior viris bonis in Republica conſtitutis, eodem iure hunc principem eſſe oportet: quare & ſi multitudinem oportet eſſe principem, quia potiores ſint paucis, ſiue vnus ſit, ſiue plures quidem vno, pauciores vero multis, & alijs ſint potiores; hos oporteat potius eſſe principes, quam multitudinem. Ex his igitur omnibus perſpicuum fieri videtur, horum finium nullum eſſe rectum, quo cupiant ipſi quidem imperare, alios vero ipſis parere omnes. Nam aduerſus eos quoq;, qui propter virtutem principes Reip eſſe cupiant, item & aduerſus eos, qui propter diuitias, multitudines iuſtam rationem, quam afferant, habent: nihil enim vetat interdū multitudinem paucis eſſe meliorem & ditiorem, non vt ſingulos, ſed vt vniuerſos. Quare & quæſtioni, quam mouent & afferunt quidam, hūc in modum occurri poteſt: nam ſunt,

qui quærant, legum ſcriptori, qui leges rectiſſimas ferre velit, vtrum leges ſcribendæ ſint ad meliorum vtilitatem, an ad plurium, cum id quod dictum eſt, plærumq; euenit. Fortaſſe autem, quod rectum, ſumendum eſt. Rectum autem fortaſſe ex totius ciuitatis vtilitate, & ciuium communi. Ciuis autem vniuerſe quidem, qui imperandi & parendi eſt particeps: pro ſingulis vero Rebuſpubl. alius: in optima denique, qui poſſit & velit parere & imperare vitæ ex virtute congruenter.

COMMENTARII.

Ἆρ᾽ οὖν εἰ πάντες εἶεν ἐν μιᾷ πόλει.] Perſequitur quæſtionem de imperio, admixta & illa de principatu, de qua *ſupra cap. prox.* Quæſtionem igitur de imperio & magiſtratibus ſeu honoribus facit velut bimembrem. Nam vel quæri poteſt in quaque Republica quid ſit dicendum, vt in democratia, in oligarchia, &c. quos in quaque magiſtratibus præeſſe oporteat. Et hanc quæſtionem facile diſſolui poſſe, nimirum vt hi magiſtratus capiant, penes quos eſt Reipublicæ principatus; vt in democratia omnes, in oligarchia pauci diuites aut nobiles. Vel cum vſuuenit, vt in vna eademq; ciuitate omnes hi concurrant ordines, diuites aliqui, & nobiles, & viri boni, & alia quædam multitudo plebis & ciuilis: hæc difficilior eſt quæſtio, vtrum his omnibus diſtribuendi ſint magiſtratus, an vni tantum ordini? Nituntur quidem ſinguli ſuo quodam iure, diuites, nobiles, boni, & multitudo, vt paulo ſupra explicatum; ſingulis tamen ſua ſunt, quæ obiici poſſint, cur non bono iure nitantur in honoribus ſibi tantum vindicandis, excluſis aliis. Nam diuitibus ita occurri poteſt; ſi diuites ſoli magiſtratus capere debeant propter diuitias: ergo ſi, vt accidere poteſt, vnus aliquis reperiatur omnibus diuitibus tamen ditior, neceſſario hic vnus ſolus præeſſe debebit: atque ita contra diuitum προαίρεσιν & inſtitutum ciuitatis ſtatus non erit oligarchicus, ſed monarchicus. Eadem ratione occurri poteſt paucis, qui propter vel nobilitatem vel virtutem, vt illi propter diuitias, ſe ſolos magiſtratibus præeſſe debere contendant. Multitudini denique

1. Quæſtio. *2. Quæſtio.* *Argumentum aduerſus diuites.* *Itemq́; nobiles aut virtute præditos.*

nique ſeu multis hoc iure nitentibus, quia opibus & potentia propter multitudinem paucis præſtent, ita occurri poteſt. Quid enim ſi vnus aliquis, vel ſaltem pauci reliquæ toti multitudini opibus & potentia præſtent: ſequetur profectò, non multitudinem, ſed vel vnum vel paucos, vtpote opibus præſtantes, imperare debere. Hac igitur ratione & multitudinis ius euertitur à paucis, quos tamen & rurſus illa refellere poteſt, vel diuitiis, vel virtute gloriantes, hac ratione; quia ſæpe euenire poſſit, vt multitudo paucos, non ſinguli quidem, ſed vniuerſi, vt & *ſupra cap. 7.* & virtute & diuitiis ſuperent. Ex his intelligitur, iura hæc omnia, diuitias, genus ſeu libertatem, virtutem & opes ſeu potentiam (quæ iura Ariſt. ὅρους hic vocat) nulla eſſe idonea ad vindicandos ſibi omnes honores & magiſtratus in ea ciuitate, vbi quatuor illa hominum genera & ordines reperiuntur. Quid ergo dicēdum? Hoc ex ea, quam adiungit, quæſtione intelligi poterit. *Argumentum aduerſus multitudinem.* *Concluſio.*

Διὸ καὶ πρὸς τὴν ἀπορίαν.] Quæſtio eo tempore vſitata, aut certe quam quidam mouerint philoſophi, An leges rectiſſimæ bonorum virorum, an vero multitudinis vtilitatem ſpectare debeant, diſſoluitur hoc loco ab Ariſtotele, hac de cauſa hîc adiuncta; quia eadem ratione & hæc de legibus, & prior de magiſtratibus ſeu honoribus explicetur. In honoribus igitur & magiſtratibus deferēdis & in legibus recte ſcribendis non habendam eſſe docet rationem vel diuitum, vel bonorum, vel nobilium, vel multitudinis, nec huius aut illius duntaxat ordinis vtilitatem ſed communem totius Reipublicæ ſpectandam & bono legum ſcriptori propoſitam eſſe debere. Sic enim de legibus argumentatur: Rectas leges ſcribere volenti rectum propoſitum eſſe debet: Ergo nō huius vel illius ordinis, ſed commune Reipublicæ bonum & quod omnibus ciuibus conducat. Nam hoc eſſe rectum, commune, inquam, bonum, prauum vero quod huic vel illi ordini tantum conducat, explicatum eſt *ſupra cap. 5.* quemadmodum & præclare *Cic. lib. 1. Offic. ex Plat. lib. 7. de Repub.* Omnino, inquit, qui Reipublicæ præfuturi ſunt, duo Platonis præcepta teneant: vnum, &c. Alterum, vt totum corpus Reipublicæ curent: ne, dum partem aliquam tuentur, reliquas deſerant, &c. Qui autem parti ciuium conſulunt, partem negligunt; rem perniciosiſſimam in ciuitatē inducunt, ſeditionem atque diſcordiam: ex quo euenit, vt alii popula- *Cuius vtilitatem ſpectare debeant leges.* *Ratio.*

res, alii ſtudioſi optimi cuiuſque videantur, pauci vniuerſorum. Idem grauiter monet & *Plato lib 4. de legib.* Itaque de priore quoq; quæſtione ita eſt ſtatuendum: cum quatuor illi ordines in ciuitate reperientur, magiſtratus & honores non vni, ſed omnibus eſſe deferendos, maiores tamen viris bonis, diuitibus & nobilibus; minores reliquæ multitudini: quæ ſi omnium honorum ſit expers, ſiue dubio hoſtili in Rempublicam & eius ſtatum animo ſit futura, vt ſupra dictum & *infra initio lib. 5.*

Cui magiſtratus & quinã mãdandi.

Πολίτης δὲ κοινῇ.] Quia modo dixerat, ſpectandum eſſe commune omnium ciuium bonum; adiungit, quis dicendus ſit ciuis: & eleganti epitome complectitur totam primi capitis diſputationem. Vniuerſe quidem hunc eſſe ciuem, qui & imperandi & parendi ſit particeps: ſingulariter vero & proprie ciuem definiendum eſſe pro Rerumpubl. generibus, verbi gratia, in Ariſtocratia qui velit & poſſit præeſſe & parere ad bene beateq; viuendum, ſeu ſcopo virtutis propoſito: in Oligarchia qui idem norit, ſed ſcopo diuitiarum propoſito.

Ciuis quis.

CAPVT IX.

PERSEQVITVR inſtitutam de imperio diſputationem vnius potiſſimum aut paucorum, ſi magna ſit præſtantia virtutis aut ciuilis potentiæ, An huic vni vel paucis virtute præſtantibus imperium totius ciuitatis ſit dandum. In qua quæſtione explicanda inſignem locum communem de præſtantia ſeu exſuperantia virtutis, aut ciuilium opum, aut ciuilis potentiæ copioſe tractat. Cuius diſputationis hæc eſt ſumma; præſtantiam in omni quidem Republica tam bona quam vitioſa, ſed in hac maxime cauendam, idque ab initio Reipublicæ inſtituendæ; quæ tamen ſi prætermiſſa fuerit, remedia quoque, quibus ea reuocari poſſit, commemorat. De eadem præſtantia & *ſupra lib. 1. cap. 3. in princ.* & eleganter *Cicer. lib. 5. Tuſcul. quæſt.* Eſt apud Heraclitum phyſicum de principe Epheſiorũ Hermodoro (qui patria eiectus & Romæ exul poſtea Decemuiros iuuit in conſcribendis legibus duodecim tabularũ, *teſte Plin.*) vniuerſos ait Epheſios morte multandos, quod cum ciuitate expellerent Hermodorum ita locuti ſunt: Nemo de nobis vnus excellat; ſed ſi quis exſtiterit, alio in loco & apud alios ſit. An non hoc ita ſit o-

De præſtãtia virtutis aut ciuilis potentia.

ſit omni in populo? nonne omnem exuperantiam virtutis oderunt. Quid Ariſtides? (Malo enim Græcorum quam noſtra proferre) nonne ob eam cauſam expulſus eſt patria, quod præter modum iuſtus eſſet? *Cornelius Nepos in vita Ariſtidis.*

TEXTVS.

Si autem vnus eſt aliquis, qui adeo virtutis exſuperantia præſtet, vel vno quidem plures, ſed qui explementum ciuitatis efficere non poſſint: vt aliorum virtus omnium, aut ciuilis eorum potentia cum illis, ſiue ſint plures, ſiue vnus, ſit comparanda: hi non ſunt faciendi ciuitatis partes. Nam adeo & virtute & ciuili potentia impares ſi paria capiant, iniuria afficientur. nam talem probabile eſt eſſe tanquam Deum inter homines. quare & leges neceſſe eſt ſcribi in pares & genere & potentia, in hos vero nulla eſt lex: ipſi namque ſunt lex. Etenim ridiculus ſit, q in hos leges conetur ſcribere. Nam dicerent fortaſſe, quæ Antiſthenes leporibus concionantibus, omneſq; paria habere volentibus, Leones reſpondiſſe dixit. Quare & oſtraciſmum propter talem cauſam ciuitates, quæ Democratia vtuntur, inſtituunt: hæc namque omnium maxime æqualitatem perſequi videtur, vt eos, qui opibus præſtare propter diuitias aut clientelas aut aliam ciuilem potentiam viderentur, oſtraciſmo punierint, & ex ciuitate ad certũ tempus eiecerint. Fabulis quoq; fertur Hercules tali de cauſa ab Argonautis relictus: neque enim Argo voluiſſe eum vna cum alijs ducere, vt vectoribus longe præſtãtem. Quare & ij, qui tyrannidem reprehendunt & conſilium Periandri Thraſybulo datum; non omnino bene reprehendere ſunt

 putandi.

putandi. Nam ferunt, Periandrum legato de conſilio miſſo nihil quidem dixiſſe, ſed ſpicis eminentioribus vel exſtantibus ſublatis ſegetem æquaſſe. Cuius quidem rei cauſam legato ignorante, rem ipſam vero exponente, Thraſybulum vidiſſe, viros præſtantiores de medio eſſe tollendos. Nam hoc non tyrannis tantum conducit, neque ſoli faciunt tyranni, ſed eadem eſt & Oligarchiarum & Democratiarum ratio. Oſtraciſmus namq; eãdem quodam modo vim habet diminuendo præſtantiores, & in exilium agendo. Quod idem aduerſus ciuitates & gentes, qui dominantur, faciunt: vt Athenienſes quidem aduerſus Samios & Chios, & Lesbios. Nam cum imperium celerius tenerent vel occupaſſent, eos contra pacta deminuerunt. Rex vero Perſarum Medos & Babylonios, alioſq; elatiores, quia imperaſſent aliquando, ſæpe præcidit. Quæſtio eſt autem generalis de omnibus Rebuſp. etiam rectis: nam deprauatæ quidem, priuatum bonum ſpectantes, id faciunt: ſed res eodem ſe modo habet in ijs, quæ commune bonum ſpectant: quod perſpicuum alijs quoque in artibus & ſcientijs. Neque enim pictor animantem ſinat pedem quamuis pulcrum habere iuſta ratione maiorem, neque nauium faber puppim, vel quam aliam nauis partem, neque præcentor eum, qui altius & clarius, quam totus Chorus, canat, vna canere ſinet. Hac igitur re nihil quidem vetabit ciuitatibus concinere Monarchas, ſi ſuo imperio ciuitatibus vtili hoc faciant. Itaque Oſtraciſmi ratio in præſtantijs certis iure quodam ciuili niti videtur. Quare melius eſt quidem, legumſcriptorẽ prin-

principio ita quidem Rempublicam temperare, hac vt medicina non ſit opus. Secundo vero curſu ſi accidat, dare operam vt huiuſmodi emendatione emendetur: quod quidem in ciuitatibus fieri non ſolet. Neque enim ad vtilitatem Reipublicæ proprie ſpectabant, ſed vitioſe oſtraciſmis vtebãtur. Quare in deprauatis quidem Rebuſpublicis proprie quidem hoc eſſe vtile & iuſtum liquet: fortaſſe vero & hoc liquet, idem non eſſe abſolute iuſtum. Verum in optima Republica hoc eſt controuerſum magnopere, ſi qui non aliorum præſtantia bonorum, vt virium & diuitiarum & clientelarum, ſed virtutis antecellat, quid ſit faciundum: neque enim talem ex ciuitate pellendum & eijciendum quis dixerit, multoque minus illi imperandum. Nam peræque id eſſet, atq; ſi Ioui quoque, partitis imperijs, imperare velint. Reliquum eſt igitur, vt omnes libenter huic pareant, & tales in ciuitatibus reges ſint perpetui.

COMMENTARII.

Εἰ δὲ τις ἐστιν εἷς τοσοῦτον.] Summa huius capitis, vt ſupra monuit, quæſtio, An ſi vnus aliquis in ciuitate reliquis virtute aut aliis opibus antecellat, vt reliquorũ virtus omnium cum vnius huius virtute non ſit comparanda: an huic vni imperium in reliquos ciues ſit tribuendum. Eadem eſt & de paucis quæſtio, quorum tanta ſit virtus & opes tantæ, vt reliquis quantumuis multis antecellant. Hanc quęſtionem Ariſtoteles ita explicat, vni huic, ſi quando reperiatur, imperium eſſe tribuendum. Rationes has affert. 1. Quia imparibus non tribuenda ſint paria: quare cum huic vni reliqui omnes non ſint pares, iniqua peterent, ſi imperium cum ipſo, tanquam partiri, vt pares, ambitioſe cuperent, non ſecus, inquit Ariſtoteles, atque ſi cum Ioue dii imperium partiri velint: quorum tamen vniuerſorum poteſtas non eſt ea, quæ cum vnius Iouis poteſtate comparari poſſit: quod aurea ſua *1. Ratio.* *ὁμοίωσις.*

copula ſeu fune indicauit Homerus. Nam ſi qua aliorum eſt poteſtas, eſt finita, Iouis eſt infinita. Iam notum eſt, rerum finitarum & infinitarum nullam eſſe inter ſe comparationem aut proportionem. Iniquum igitur ſit huic ab aliis imperari.

2. Ratio. II. Quia aduerſus talem tam præſtantem virum ridiculum ſit ferre leges, minime certe neceſſarium. Nam legum hic eſt ſcopus, vt ciues in officio contineantur, & ad virtutem vi quadam ciuili compellantur, vt præclaré Ariſtoteles ſupra *lib. 5 & vlt. Ethic. & Plato lib. 12. de legibus*. Hi autem præſtantes virtute viri ſua ſponte recte & honeſte viuunt, quod alii legibus coacti. Ex malis, vt dicitur, moribus leges: viro bono nulla lex ſcripta, vt & *Paulus Apoſtolus cap 5. ad Galat. & 1. ad Timoth 1.* Nam, vt eleganter Ariſtoteles, viri boni ipſi ſunt leges; vt qui ſuo quoq; exemplo alios ad virtutem excitent.

Approbatio. Ridiculum autem fore, hos viros legibus velle cōſtringere, docet apologo & dicto Antiſthenis. Nam cum olim beluarum in comitiis lepores pares partes capturæ omnibus diuidendas ſuaderent; leones, ait Antiſthenes, reſpondiſſe hoc fortaſſe, lepores prius docere debere, omniū pares quoq; in captura obtinenda vires & robur fuiſſe. Ad hunc fortaſſe modum reſponderunt leones. Sed ratio leonina potius hæc videtur fuiſſe, lepores ita concionantes arreptos deuorare, quam argumētis cum iis contendere; quemadmodum cum humilioribus ſolent potentiores, quib. leones hic comparantur. Et ſic *Ariſtophanes*, ni fallor, alicubi hæc eadem commemorat. Superuacaneum igitur & ridiculum ſit, ferre leges in viros tam præſtantes & potentes: qua ex re intelligitur leges in pares eſſe ferendas; pares, inquit

Genus. Ariſtoteles, genere & potentia. Vbi generis nomine intelligitur conditio perſonæ, vt virtute præſtantes genere differunt à communibus & mediocribus hominibus, potentes ab humilibus, nobiles à plebeis. Nam ſi lex in impares feratur; vana vt ſit, neceſſe eſt, vt cui potentiores parere ſint recuſaturi. Si igitur in virtute aut opibus præſtantes nullæ ſunt leges: ergo nec imperium, cuius vincula & nerui ſunt leges. Quare potentes vt neq; ſub legibus, ita nec ſub imperio eſſe debent, ſed aliis potius imperare, ſiue ii ſint pauci, ſiue vnus reliquis anteſtans.

De ciuium æqualitate. Διὸ καὶ τιθέντι τὸν ὀστρακισμόν.] Hoc loco Ariſtoteles inſignem illum locum de æquitate ſeu de æqualitate ciuium, &

de non

de non ferenda vel vnius ciuis exſuperantia, explicare ordi-
tur. Et primum quidem hanc rationem & viam vſitatam & *1. Ratio.*
iuſtam quodammodo docet eſſe in tribus vitioſis Rebuſpub.
Democratia, Tyrannide & Oligarchia: deinde in bonis quo- 2.
que Rebuſpubl. eandem non eſſe improbandam, non quo
hæc ratio abſolute & per ſe ſit iuſta aut probanda, ſed quia
Reipublicæ ita expediat. Nam per ſe & abſolute eam eſſe
iniuſtam. Et in Democratia quidem eam fuiſſe vſitatam, do- I.
cet argumento oſtraciſmi. Nam Athenis potiſſimum, quæ *In Demo-*
ciuitas Democratia vtebatur, ſi quis ciuium vel gloria mili- *cratiis.*
tari, vel diuitiis, vel affinitatibus & amicorum copiis, aut ſi- *Oſtraciſ-*
mili potentia ciuili vel virtute etiam reliquis omnibus ciui- *mus.*
bus antecelleret, eum ſolent vrbe pellere exilii quodam ge-
nere, quod Oſtraciſmum vocabant: quia oſtracis, id eſt, te-
ſtulis eius, qui pellendus eſſet, nomen inſcriberetur, vt eſt a-
pud *Plut. in Ariſtide & in Pericle*, ne vir cæteris tantum an-
tecellens ciuitatis ſtatum mutaret: quæ fuit vera oſtraciſmi
cauſa & vſus: etſi Athenis eo ſæpe ſunt abuſi, in exilium pel- *Abuſus.*
lendo etiam non ita potentes, ſed in quos inuidiam vel odiũ
aliquod conceperant. Et hoc eſt, quod ait: ὅπερ οὐκ ἐγίνετο
περὶ τὰς πόλεις. Sic Themiſtoclem, Cimonem, Thucydi- *Exempla.*
dem, Alcibiadem, Ariſtidem, ciuitate expulerunt. Sic & Ro-
mani Scipionem liberæ ciuitati nimis potentem in exilium
exegerunt. *Liuius lib. 38.* Alii neminem vnum ciuem tan-
tum eminere debere vt legibus interrogari non poſſet, nihil
tam æquandæ libertatis eſſe, quam potentiſſimum quemq;
dicere cauſam, &c. Idem ciuitatum ſeu Democratiarũ con-
ſilium commemorat & *lib. 2.* Nunc monebant etiam ne ori-
entem morem, pellendi Reges, inultum ſinerent: ſatis liber-
tatem ipſam habere dulcedinis, niſi quanta vi eam ciuitates
expetant, tanta regna reges defendant, æquari ſumma infi-
mis; nihil excelſum, nihil, quod ſupra cætera emineat, in ci-
uitatibus fore. Sic & Epheſii eiecerunt Hermodorum, Car-
thaginenſes Annibalem. Quare & *Cicero* hanc æquitatem
ſeu æqualitatẽ diligenter in Rebuſpublicis ſeruandam mo-
net, eoſq; accuſat, qui nimia ambitione inter ciues excellere
concupiſcant Nam difficile eſt, inquit *lib. 1. Offic.* cum præ-
ſtare omnibus concupieris, ſeruare æquitatem, quæ eſt iu-
ſtitiæ maxime propria, ex quo fit, vt neq; diſceptatione vin-
ci ſe, nec vllo publico ac legitimo iure patiantur, &c. Sic &

Hanno de adoleſcente Annibale *apud Liu. lib. 21.* An hoc timemus, ne Amilcaris filius, &c. Ego iſtum iuuenem, inquit, domi tenendum ſub legibus, ſub magiſtratibus docendum viuere æquo iure cum cæteris ſentio. Talem *Thucydides* deſcribit Pauſaniam *lib. 1.* & *Cicero Cæſarem lib 1. Offic. in Epi-*
II. *ſtolis & Philippicis*, vbi & Antonii nimiam potentiam, & li-
In Tyrannide. beræ ciuitati nimium grauem accuſat. Eadem eſt & tyrannorum ratio. Nam & hi viros fortitudine, prudentia & iuſtitia, his, inquam, tribus virtutibus excellentes, vt ait *Xenophon in Hierone tyranno*, aut alioqui alios primores potentia præſtantes vel necare vel expellere ſolent ſalutis ſeu incolumitatis & ſuæ & dominatus ſui cauſa: quod exemplo Periandri Corinthiorũ & Thraſybuli Mileſiorum tyranni oſtendit: quod conſilium Thraſybuli Periandro datum commemorat *Herodotus in Terpſichore*; & imitatus eſt Tarquinius Superbus *apud Liuium lib. 1.* Huic nuncio quia, &c. Idem conſilium & rationem ſecutus eſt & Iaſon in Hercule relinquendo. Nam Iaſon cum multis viris principibus (Argonautas vocant) in Colchos nauigans Herculem vnum reliquit; quia, inquit Ariſtoteles, reliquis comitibus nimis antecelleret: etſi relicti Herculis multiplices cauſæ afferuntur. *Scholiaſtes Theocriti Idyll 13.* hanc affert; Quia Iuno hoc ſit machinata, vt gloria eius expeditionis non Herculis, ſed tota eſſet Iaſonis. *Scholiaſtes Apollonii lib 1.* hanc affert; Quia, cum omnes Argonautæ remos ducerent, Hercules ſuum fregerit, & nauem Argo in latus inclinauerit, pene vt aquam
III. acciperet. Eadem eſt & Oligarchiæ ratio, vbi &, ſi qui cæte-
In Oligarchia. ris virtute vel opibus præſtet expelli ſolet, & conducit ſtatui, ne, Imperio tandem ad hunc vnum deuoluto, mutetur Rei-
Eadẽ ratio aduerſus vrbes & gentes. publicæ ſtatus. Neque vero hæc ratio in ſingulos, ſed in vrbes quoque & gentes valere debet, vt ſi qua ſit ex multis ciuitatibus & prouinciis, quæ vni imperio pareat, quæ inter cæteras caput, vt ita dicam, efferat, eius potentia & ſpiritus ſint minuendi, quemadmodum olim Athenienſes repreſſerunt Samios, Chios & Lesbios, *Herodot. lib. 1. & vlt.* Reges Perſarum, Medos & Babylonios, Romani Campanos. *Cic. de leg. Agrar.*

Τὸ κολούειν τοὺς ὑπερέχοντας.] Sic hunc locum emendauit *Petrus Victorius in libris variarum lect.* Vulgo perperam κωλύειν. Nam κολούειν in hac notione pro eo quod eſt vires alicuius

viuis frangere, & velut alas præcidere, ſæpe vtitur Ariſtoteles, vt ſupra *lib. 2.* vbi de Areopagi auctoritate imminuta, & infra *lib. 5.* vbi hoc Periandro datum à Thraſybulo conſilium item commemorat, & vnde hæc ſumſit Ariſtoteles ipſe, primus Herodotus, καὶ ἐκόλουε στάχυας, pręcidebat ſpicas. Eadem tralatione verbo ἐπικόπτειν vtitur infra, quaſi contundere.

Τὸ δὲ πρόβλημα καθ' ὅλου περὶ πάσας] Nunc de rectis Rebuſpubl. an & in his ea viros præſtantes non ferendi ratio ſit probanda. Nam diſputatio, inquit Ariſtoteles, nobis non eſt de hac vel illa, ſed de omni Republ. Philoſophorum namq; diſputationes ſolẽt eſſe generales. Et de vitioſis quidem Rebuſpublicis facilis eſt quæſtio, cur ea ratio illis probetur: propterea quod non commune, ſed priuatum illis bonum & commodũ ſit propoſitum; nimirum quibus ſatis ſit, vt in ſuo ſtatu conſeruentur quacunque ratione & via, etiam improba & iniuſta. Verum de bonis Rerumpublicarum generibus, quibus bonum publicum & commune eſt propoſitum, difficilior eſt quæſtio, propterea quod ea ratio per ſe & ſua ſpõte ſit iniuſta & improba & tyrannica, iuſta tamen κατά τι, nimirum quia Reipublicæ ſtatus eâ conſeruetur. Ariſtoteles igitur hanc de bonis Rebuſpublicis quæſtionem ita explicat: hanc rationem his quoque Rerumpublicarum generibus eſſe vtilem, quod aliarum exemplo artium confirmat, pingendi, naues ædificandi, & canendi. Quare & bonos reges hac vti poſſe, qua non tantum ipſis, & ipſorum incolumitati & dominatui, ſed ciuitatum quoque & parentium ocio & quieti conſulatur. Et hoc eſt, quod ait: ὥστε διὰ τοῦτο, &c. Quemadmodum rex Hiſpaniæ Ferdinandus Magni Conſalui, viri præter cæteros gloria militari florentis, vires & auctoritatem multimodis frangere & imminuere eſt coactus.

IV. In rectis Rebuſpubl.

Argument. à ſimili.

Exemplũ.

Βέλτιον μὲν οὖν τὸν νομοθέτην.] Præclarum eſt Ariſtotelis præceptum politicum: aduerſus mala & incõmoda ea principio conſtituendarum Rerumpublicarum potius cauenda, quam conſtitutis iam Rebuſpublicis remedia iis quærenda: quod iteratur *infra lib. 5. cap. 3. & alibi.* Quare melius quoque eſſe, vt ita Reſpubl. inſtituantur, & ciuium opes exæquentur, ne vnus aliquis poſtea ita excellere poſſit: quæ tamen ſi omiſſa fuerit cautio, ad hanc velut medicinam erit decurrendum κατὰ δεύτερον πλοῦν, quod prouerbio dici ſolet.

Præceptum politicum.

Nam

Nam nautæ ſi vento deſtituantur, ad remos, vt ad ſecundum curſum, decurrunt.

Ἐν μὲν ἐν ταῖς παρεκβεβηκυίαις.] Concludit diſputationem de nimia potentia ſeu opibus, & de pellendis aut necandis viris præſtantioribus. Et eam quidem rationem in vitioſis Rebuſpub. perſpicue eſſe vtilem & iuſtam, nimirum κατά τι, id eſt, quia in iis Rerumpub. generibus eorum rebus, qui dominantur, ſit vtilis, & eorum dominatum conſeruet: Vere autem & omnino eſſe iniuſtam; Quia ſui & priuati commodi cauſa nulla alia viri præſtante, iniuria afficiantur. Hæc igitur ita ſe habere, perſpicuum eſt. Illud maxime eſt controuerſum, quid in optima Republica fieri debeat; an & in hac viri vel opibus vel virtute præſtantes ſint vel necandi vel expellendi. Controuerſiæ ratio ex vna quidem parte; quia huic Reipublicæ bonum commune eſt propoſitum & ipſa virtus: ergo virtute præſtantes pellendi non videntur. Ex altera parte; quia, iis in ciuitate retentis, periculum ſit, ne ſtatus Reipublicæ mutetur. Ariſtoteles igitur controuerſiam hanc ita dirimit: Cum duo ſint præſtantiarum genera, vna virtutis, altera opum ciuilium: opum quidem præſtantiam ne optima quidem in Republica eſſe ferendam, alteram virtutis eſſe ferendam: quia iniuſtiſſimum, & ipſius Reipublicæ ſcopo & hypotheſi contrarium, virum optimum, vel viros optimos pellere aut necare. Quid ergo huic vel his fiet, an huic vni vel his paucis virtute præſtantibus totius Reipublicæ imperium tribuetur? quæ eſt princeps huius capitis quæſtio, *ſupra initio huius cap.* explicata.

In rectis Rebuſpublicis.

Argument. ἀνασκευαστικόν.

Argument. κατασκευαστικόν.

ἐπίκρισις.

CAPVT X.

ARISTOTELES de Repub. differens, optimam ſecutus docendi viam & rationem, qua priore loco generalia, poſtea explicantur ſingularia, quę adhuc quidem attulit, ſunt καθόλου & generalia ſeu generis vniuerſi ad omnia Rerumpub. genera pertinentia: nunc de ſingulis Rerumpubl. generibus deinceps & ordine orditur explicare. Et primum quidem de rectis, poſtea de vitioſis. His igitur tribus reliquis huius libri capitibus de duabus rectis Rebuſpub. regno & optimatum coniuncte; quia vtrique idem propoſitus eſt ſcopus, virtus: copioſe tamen de regno, leuiter de ariſtocratia extr. cap. vlt. explicat. Tota autem de regno diſputatio bimem-

membris eſſe videtur, & duabus potiſſimum partibus contineri: quarum in prima regnorum genera & diſcrimina exponuntur: in altera quæſtiones & controuerſiæ de regno aliquot, & hæc princeps, an regna ciuitatibus & humano generi ſint vtilia, nec ne, varie explicatur, vbi multa præclara de legibus & earum auctoritate. Videantur de his quæſtionibus & *Herodotus lib.3. Plato in libb. de Repub. Iſocr. in Nicocle, Cic. lib.3. de legib. Dio copioſiſſime lib.25. Dio Chryſoſtomus Orator in orationibus de Regno, & Stobæus.* Videantur & recentiores, *Patricius, Machiauellus Cancellarius Reip. Florentinæ, Guiciardinus, Ioan. Bodin. Marius, Salmonius & alii,*

TEXTVS.

His autem explicatis, rectum fortaſſe ſit tranſire & explicare de Regno. Nam ex rectis Rebuſpubl. vnam hanc eſſe dicimus. Videndum eſt autem, an & ciuitati & Regioni, quæ quidem bene ſit inſtituenda, vtile ſit eſſe ſub Regio imperio nec ne, ſed alia potius Reipublicæ forma vti: an vtile quidem ſit quibuſdam, quibuſdam vero non ſit vtile. Primum.a. explicandum, vtrum vnũ eius ſit genus, an plura habeat diſcrimina. Facile igitur hoc videre, plura cõplecti genera, & imperij modum non in omnibus eſſe vnum. Nam quod in Republica Spartana maxime quidem ex lege Regnum eſſe videtur, omnium vero rerum principatum non habet: ſed cum fines exceſſerit, princeps eſt earum rerum, quæ ad bellum, & quæ ad Deos præterea (ſcilicet pertinent) Regib. ſunt atatributa. Hoc igitur Regnum ſumma velut belli prætura & perpetua eſt. Neque enim vitæ neciſq; ius, niſi, vt antiquis temporibus, in bellicis expeditionibus manu habent. Indicat Homerus. Agamemnon namque in concionibus patienter ferebat conuitia, in expeditione vero & vitæ neciſque

ius

ius habebat. Ait namque; Quem ego longe à pugna, non ſatis ille celeriter canes & aues effugiet, nam penes me mors. Hoc igitur vnum eſt Regni genus, belli prætura perpetua: cuius alia quidem eſt hæreditaria, alia optiua. Pręter hoc aliud eſt genus monarchiæ, qualia Regna apud Barbaros quoſdam ſunt. quæ omnia poteſtatem tyrannicæ parem habent. Sunt tamen & legitimæ & patritæ. Nam gentes quia ad ſeruitutem ſint procliuiores, Barbari quidem Græcis, Aſiatici vero Europæis, herile imperiũ non iniquo perferunt animo. Sunt igitur hac quidem re tyrannica, firma vero, quia patrita & legitima: atq; cuſtodia propter eandem cauſam Regia, & non tyrannica. Nam Reges armis cuſtodiunt ciues, tyrannos peregrini. Nam illi quidem legitime & volentibus, hi vero imperant inuitis: quare illi quidem à ciuibus, hi vero contra ciues habent cuſtodiam. Hæc igitur duo quidem ſunt monarchiæ genera. Aliud vero, quod erat apud antiquos Græcos, quos vocant Æſymnetas. Hæc autem, vt breui dicam, eſt tyrannis optiua, id eſt, ſuffragio delata, à Barbarica quidem differens non eo, quod non legitima, ſed eo tantum, quod nõ patrita. Hoc autem imperium penes alios quidem perpetuum, penes alios vero certo tantum tempore, & in rebus: vt olim Mitylenenſes Pittacum legerunt aduerſus exules, quorum Duces erant Alcæus & Antimenides poeta: quod Alcæus, quia tyrannum Pittacum legerant, in Scolio quodam carmine indicat. Reprehendit namque, quia Pittacum patriæ perniciem ciuitatis lentæ & infelicis tyrãnum conſtituerit, ab vniuerſis valde laudatum.

datum. Hæc igitur ſunt illa quidem & erant, eo quod herilia, tyrannica; eo vero, quia optiua & in volentes, Regia. Quartum autem Regiæ monarchiæ genus Heroicorum temporum Regna, & in volētes, & patrita & legitima. Nam primi propter beneficia in multitudinem collata ex artibus vel bello, vel quia conduxiſſent, vel agrum ſuppeditaſſent, Reges erant volentium & accipientium patriti. Erant autem domini & præturæ in bello, & rerum ſacrarum, quarum non erant ſacerdotes, & cauſas præterea diſceptabant: hoc autem adminiſtrabant alij quidem iniurati, alij vero iurati. Iuſiurandum erat ſceptri elatio. Antiquis igitur temporibus hi quidem & rerum vrbanarū & domeſticarum & exterarum vere erant domini: poſtea vero cum alias quidem res ipſi Reges negligerent, alias vero multitudo detraheret; in alijs quidem ciuitatibus ſola rerum diuinarum procuratio Regibus eſt relicta: in alijs vero, vbi operæprecium ſit vocare Regnum, ſolam rei bellicæ in rebus exteris præturam habent.

COMMENTARII.

Ἴσως δὲ καλῶς ἔχει.] Initio exponit, qua de re ſit explicaturus, nimirum de Regno. Cauſam adiungit; quia Regnum ſit vnum ex bonis & rectis Rerumpu. generibus, quæ tria ſupra eſſe docuimus. Nam, vt in argumento huius capitis monuimus, explicatis iis, quæ ad vniuerſum pertinent genus, proximum & conſequens eſt, vt de ſingulis explicetur. Cur autem de ſingulis Rerumpubl. generibus explicaturus priore loco de rectis, poſteriore de vitioſis explicet; cauſam ſupra attigimus; quia recta prauorum ſint velut norma & regula. In rectis autem, quæ ſunt tria, Regnum, Ariſtocratia, & Reſpublica: cur primo loco de Regno, hæc eſt ratio; quia Regnum veriſſimum ſit in his tribus optimum & præſtantiſſimum. *Ratio cur primo loco*

agatur de regno. mum. Et hæc quidem de ordine & de materia.

Σκεπτέον δὲ πότερον.] Summatim de Regno diſputari monuimus: nunc diſtinctius, quæ de Regno ſit explicaturus, adiungit, duo nimirum, vt in argumento diximus.

Diuiſio ſeu varia regnorum genera. Ῥᾴδιον δὴ τοῦτο.] Hic alterum explicare orditur, Regnorum nimirum genera. Nam plura eſſe & non vnum tantum Regni genus, facile, inquit, collatis Regnis & veteribus & recentioribus cognoſci poteſt. Quinque igitur Regnorum genera exponit, quæ nos perſpicuitatis cauſa ad duo reuocemus: quorum alterum quidem omnium rerum liberam poteſtatem & infinitam habet, Ariſtoteles eleganter vocat παμβασιλείαν: alterum, finitam vel tempore vel rebus, vel legibus circumſcriptam & conſtrictam.

I. Regnum Laconicū. Ἡ γὰρ ἐν τῇ λακωνικῇ] Primum Regni genus vocat Laconicum, aitque, eſſe nihil aliud, quam militarem quandam præturam, cuius Regni notas exponit has; eſſe id perpetuū, legitimum, vt ſi quod aliud, maxime (ſcilicet legitimum) interdum hæreditarium, vt Lacedæmone, interdum optiuum, & ſuffragiis delatum, non à parentibus traditum; poteſtatē eius nullam eſſe, niſi in bello & re diuina: nam in pace Reges Lacedæmoniorum ius vitæ & necis non habebant, ſed ſenatus & ephori, *ſupra lib. 2.* Cuiuſmodi poteſtatem & veterum Græciæ Regum, maxime Agamemnonis in bello Troiano, fuiſſe docet ex *Homero*. Nam Agamemnoni in expeditione quidem fuiſſe ius vitæ & necis, in pace non item. vt *Iliad. θ.* Hemiſtichium autem; πὰρ γὰρ ἐμοὶ θάνατος, hodie non exſtat *in Homero*, vt neq; alia quædam, de quibus *in Homerum*.

Quib. in rebus hoc genus Regni conueniat cum pratura militari, aut ab ea diſcrepet. Hoc autem Regni genus prætura potius militaris, quam Regalis poteſtas, eſſe videtur, differens tamen à prætura militari tempore & creatione. Nam prætura quidem eſt finita tempore, & ſuffragiis defertur: hoc Regnum eſt perpetuum, & ſæpe hæreditarium, vt Lacedæmone. Huius generis Regnum eſt imperium Romanum. Nam Reipublicæ tempore qui in bello erant prætores ſeu Imperatores certo tempore, oppreſſa Republica facti ſunt & vocati perpetui Imperatores. Atq; ita Imperatorum Romanorum poteſtas & nomen ex bello & re militari eſt ortum. Verum poſt Cæſarum poteſtas etiam in pace magna eſſe cœpit; ità tamen, vt Cæſar à Græcis quidē Rex, à Romanis tamen Princeps tantū diceretur: Imperator quidem à re militari, princeps

Imperium Romanum.

ceps in pace: alterum nomen à re militari, alterum à ſenatu, cuius hic iam eſſet princeps, adeptus. Primus Valentinianus Imperator, *teſte Ammiano*, Imperium Rom. ex principatu fecit Regnum. Itaque imperium Romanum ortu quidem Regno Laconico comparari poteſt, poteſtate vero poſtea auctum Regno barbarico, vt ab Ariſtotele dicitur. Vt autem hæc diſputatio de Regnorum generibus melius intelligatur, hoc monendum, in magiſtratibus & imperiis tria fere ſpectanda; creationem, tempus, & poteſtatem: quemadmodum Lacedæmone Reges erant perpetui, hæreditarii, & poteſtate legibus deuincta, in bello & rebus diuinis. De Regibus Lacedæmoniorum videatur *Plut. in Lycurgo. & Xenophon in libello de Repub. Lacedæmoniorum.* Alterum Regni genus vocat barbaricum, quia barbaris fere vſitatum: cuius notas affert, eſſe id hæreditarium, & à parentibus tradi, legitimum, eiuſque poteſtatem eſſe herilem & tyrannicam. Nam huiuſmodi Regna barbaris ad ſeruitutem fere natis eſſe accommodata, Græcis non item. Nam barbari, inquit, ſeruitutem facilius ferunt, quam Græci, Aſiani quam Europæi, quod & *infra* iterat *lib.7. & ſupra lib.1. in princ.* Barbarorum igitur in ſuos dominatus eſt ille quidem Regius; quia non vi, ſed hæreditarius & à parentibus traditus, eaq; re cuſtodia quoque vtuntur nõ tyrannica, ſed Regia, nimirum nõ ex peregrinis, ſed ex ciuibus: de quo cuſtodiæ diſcrimine alias latius *lib.5.* poteſtate tamen eſt tyrannicus; quia poteſtas non eſt, vt in homines liberos, ſed vt in ſeruos, nimirum quia id genus hominum ſeruituti ſit natum. Tertium genus veterib. Græcis vſitatum, cuius notas affert, eſſe optimum, non hæreditarium, legitimum, interdum perpetuum, & omnium rerum, interdum certi temporis & certarum rerum, poteſtate deniq; herili & tyrannica, hoc Regnum Græci vocabant Æſymnetian, & Reges Æſymnetas: quib. plane geminos fuiſſe Dictatores Romanos docet *Dionyſ. Halicarnaſ. lib.5* & Romanos hoc imperii genus à Græcis ſumpſiſſe: δοκοῦσι δέ μοι καὶ τοῦτο παρ᾽ ἑλλήνων. De his Æſymnetis Ariſtoteles agit & in Republica Cumanorum, vbi tyrannos ait olim hoc vocabulo, vt honeſtiore, dici ſolitos. Eius generis Regnum & Athenis olim fuit, vbi ἄρχοντες dicebantur. Talis olim & Pittacus ſapiens fuit à Mitylenenſibus deſignatus aduerſus exules, ex quibus vnus fuit poeta Alcæus, qui in exilio in Pittacũ maledicen-

II. Regnum Barbaricũ.

Cur regnũ.

Cur tyrannicum.

III. Regnũ veterũ Græcorum.

Αἰσυμνήτης

ledicentiſſimos verſus conſcripſit, ex quibus vnũ hic commemorat Ariſtoteles. Scolion: quod genus carminis quale ſit, videatur *Adr. Iunius in libb. animaduerſorum, item in Lexicis & Suida. Et Olympiod. ſuper Gorg. Plat πράξει. ε. pag. 101. & ſeq. & Camerar. hic.* De hoc Pittaci Regno ſeu imperio decennali & *Dionyſius lib. 5. & Laertius, Pittaco, initio.* Huius generis Regnum tenuit Syracuſis & Timoleo, quod & ipſe, vt Pittacus, ſua ſponte depoſuit; non, vt Dionyſius, in tyrannidem conuertit; & Romæ Sylla, & Iulius; & Sicyone Aratus. *Cic lib. 3. Offic.*

Διὰ μὲν τὸ τυραννικαί.] Sic habent omnes libri, etiam ſcripti. Sed videtur inuerſo ordine legendum; *διὰ μὲν τὸ δεσποτικαὶ εἶναι, τυραννικαί,* hoc eſt, duo hæc Regnorum genera, Barbaricum & optiuum veteribus Græcis vſitatum, hactenus quidem tyrannidem imitantur, quatenus ſunt non tanquam in liberos, ſed tanquam in ſeruos, id eſt, cum poteſtate nimis ſeuera & præfracta: Regnum vero, quatenus ſunt in volentes, & quatenus ſunt optiua. Nam tyrannis eſt in inuitos, & quæ non ſuffragiis, ſed vi occupetur. De his autem Æſymnetis videatur *infra lib. 4. cap. 10.* Quartum Regni genus Heroicum vſurpari poteſt, vt Heroicis temporibus vſitatum; huius notas affert, eſſe id hæreditarium, & in volentes, legitimum, eiuſque poteſtatem triplicem; in bello, in ſacris quibuſdam, & in iudiciis. quod ad primum pertinet, id eſt, ad creationem, ait huius generis Reges à multitudine factos propter beneficia accepta vel in bello vel in pace: in bello quidem, quia eam ab hoſtibus vel potentioribus defenderent: in pace vel propter artes inuentas ad vitæ cultum neceſſarias, vt Baccho Regnum fuit delatum, vel quia diſperſos antea homines prudentia ſua in vnum cœtum & ciuitatem compuliſſet. De qua primorum Regum origine diximus & *ſupra initio lib. 1.* qui his de cauſis Reges facti Regnũ poſt ſuis poſteris & Regibus tradebant: quorum tamen poteſtas certis legibus erat conſtricta, vt non pro ſua libidine & arbitrio, ſed ex legum præſcripto regnarent, vt eleganter *Thucyd. initio lib. 1.* pauca eorum arbitrio & poteſtati fuerunt permiſſa; ius belli, ius ſacrorum, non omnium tamen, ſed eorum tantum, quæ ſuos non haberent ſacerdotes; cauſſarum denique & controuerſiarum in iudiciis diſceptatio. Hæc videre licet apud poetas, vbi antiquis Heroibus & Regibus

IV. Regnũ Heroicum.

Nota.

1. Creatio.

Quarum rerum poteſtatem habuerint.

gibus hæc tria fere attribui ſolent. Quare Homerus ſæpe vocat Reges δικασπόλυς, & Minos Rex tam per ſe quam per Rhadamantum & Talao iudicia adminiſtrabat. Antiquiſſimi quoq; Ægyptiorum Reges non minus rerum ſacrarum quam ciuilium curam habebant, vt & Perſarum, vt eſt apud *Diodorum & Iuſtinum*. Sic & apud Iudæos Regno tandem ſacerdotium coniungi cœptum. Romæ quoque primi Reges ſacrorum quorundam curam habebant, & Imperatores Romani poſtea ſemper pontificatum maximum gerebant. Verum poſt, inquit Ariſtoteles, conuerſis paulatim in tyrannidem Regnis, factum eſt, vt Regibus non tanta relinqueretur poteſtas, ſed in aliis quidem ciuitatibus aut regionibus plane tollerentur; in aliis relinquerentur quidem, ſed vel cum vna ſacrorum cura, vel belli duntaxat: quemadmodum Romæ, pulſis Regibus, remanſit tamen ſacrorum Regulus, vt eleganter *Dionyſ. in fi. lib 4.* *Mutatio horum regnorum.*

Ἐν χειρὸς νόμῳ.] Sepulueda legendum putat, ἔγχειρ. & exponit lege poteſtatem habens; quaſi dicat Ariſtoteles: tali Regi, vt Laconico, vt Agamemnoni, capitali pœna afficere alios in bello licebat, non tamen ex Regni natura, ſed ex lege. *Victorius lib. 36. cap. 12.* repræhenſo Sepulueda, vſitatam ſcripturam tuetur, vbi multa de hac phraſi, ἐν χειρὸς νόμῳ, Græcis vſitatiſſima, quæ Latine, *vi ſeu manu & manibus:* qui tamen plura de phraſi, quam de ſingulis huius loci verbis & ſenſibus. Sententia eſt: licuiſſe iis Regibus ſua manu tempore belli vel quoslibet interficere. Huius generis Reges, quibus nimirum tantum in bello eſſet aliquod ius & poteſtas, de quibus & hîc in fine capitis, non tam ad quartum, quam ad primum Regum genus pertinent. Nam quartum genus plura habet iura, nam & in pace aliquam habent poteſtatem. *ἐν χειρὸς νόμῳ.*

Ὁ δὲ ὅρκος.] Cauſæ & controuerſiæ diſceptari ſolent & in Græcia & Romæ ab iudicibus iuratis; Reges tamen Heroici cauſas cognoſcebant interdum iurati, interdum non iurati. Solemne autem iuſiurandum ſublato in altum ſceptro præſtari ſolet, quemadmodum & per ipſum ſceptrum iurare, *vt Iliad. α.* Achilles per ſceptrum; ναὶ μὰ τόδε σκῆπτρον, &c. *& Virg. lib. 12.* *De iureiurando.*

Vt ſceptrum hoc, dextra ſceptrum nam forte gerebat,

&c. quæ ſolemnitas tollendi in altum ſceptri non in iureiu-

rando tantum, ſed etiam in aliis rebus erat vſitata; vt legati oraturi ſceptrum tollunt, *apud Homerum lib.Iliad. η. μέσσῳ δ᾽ ἀμφοτέρων*, &c.

CAPVT XI.

DVæ huius capitis ſunt partes: quarum in priore rurſum de Regnorum generibus: in altera de quæſtionibus ad Regnum pertinentibus explicatur.

TEXTVS.

Regni igitur genera quatuor numero hæc ſunt: vnum quidem Heroicorum temporum; hoc autem in volentes quidem, certarum vero rerum. Nam Rex Imperator erat & iudex, & eorum, quæ ad Deos, dominus. Alterum vero Barbaricum, hoc autem eſt ex genere imperium herile, legitimum. Tertium vero, quod vocant Æſymnetiam; hoc autem eſt optiua tyrannis. Quartum inter hæc eſt Laconicum; hoc autem, vt ſummatim dicam, eſt prætura belli, ex genere perpetua. Atque hęc quidem eo modo inter ſe differunt. Quintum vero eſt Regni genus, vbi vnus omnium ſit dominus, quemadmodum gens quęque & ciuitates ſingulæ communium œconomica ratione conſtituta. Nam quemadmodum res domeſtica domus eſt Regnum quoddam: ſic & Regnum gentis & ciuitatis vnius aut plurium eſt ratio domeſtica. Duo ſunt igitur, vt ita dicam, Regia fere genera, de quibus explicandum; & hoc, & Laconicum. alia namque plæraque & his ſunt interiecta. Nam pauciorum rerum domini ad plenum Regnum, plurium vero ad Laconicum. quare diſputatio de duobus eſt fere: vno quidem, vtrum conducat ciuitatibus Imperatorem eſſe perpetuum, eumque vel ex genere, vel viciſſim an non conducat: altero vero,

vtrum

vtrum conducat, an non conducat, vnum omniũ eſſe dominum. Igitur de tali quidem belli prætura explicare, legum potius habet ſpeciem quam Reipublicæ. Nam in omnibus Rebuſpublicis id vſuuenire ſolet. quare primum omittatur. Reliquus vero Regni modus Reipublicæ eſt ſpecies: quare & de hoc videndum, & quæ ſunt controuerſiæ, percurrendæ.

COMMENTARII.

Βασιλείας μὲν οὖν.] Quatuor Regnorum genera, priore capite copioſius explicata, velut ἀνακεφαλαίωσιν quadam breui hîc repetit & commemorat, quibus tandem quintum Regni genus adiungit, vocatq; παμβασιλείαν, nomine ſumpto à poteſtate omnium Regum, nimirum vbi Rex omnia ſuo arbitratu adminiſtrat infinita & legibus ſoluta poteſtate; in quo, inquam, omnia manu Regia adminiſtrantur, vt loquitur *Pomponius Iuriſconſ in l.2. ff. de orig. iur.* Nam id genus Regum Romæ prius fuiſſe ibidem ait, ſed de hoc Regno *infra* latius *cap. 12* hoc loco id comparat rationi rei domeſticæ; de qua collatione dictum *ſupra lib. 8. Ethic. & hic libr. 1. Politicorum.* *V. παμβασιλεία.*

Σχεδὸν δὲ δύο ἐστί.] His verbis Ariſtoteles de methodo agit, id eſt, de quo Regni genere potiſſimum in his libris ſit explicandum, docet. Cum igitur quinq; Regnorum genera ſint commemorata; monet, ea ad duo fere genera recidere, Laconicum & plenum ſeu infinitum, vt duo extrema, quorum Laconico quidem minima ſit poteſtas, pleno maxima; reliqua his duobus veluti media interiecta, vt quæ vel minorem, quam plenum, vel maiorem, quam Laconicum, habeant poteſtatem: nam alioqui ſi poteſtatis gradus tam exquiſite & enucleate ſpectes, innumerabilia fere futura ſint Regnorum genera. Duo igitur ſunt ſumma Regnorum genera; vnum legibus plane ſolutum, alterũ plene aſtrictum: de his igitur explicandum. *Καθίστασις τῶν λεχθησομένων. Regnum eſt aut Laconicũ, aut infinitum.*

Verum ne de Laconico quidem explicari opus eſſe docet, hac ratione; quia Regnum hoc Laconicum non tam Reipublicæ ſit genus, quam inſtitutum quoddam legitimum. Formula ſit iſta: Hoc loco de Re- *Cur de Laconico nihil hoc loco explicandum.*

rumpublicarum generibus explicatur non de legum inſtitutis ſeu de legibus, de quibus infra potius: nam huius politicæ diſputationis duo hæc ſumma capita ſunt; vnum de Rebuſpubl. alterum de Legibus. Atqui Regnum Laconicum non tam eſt Reipublicæ genus, quam inſtitutum legitimum. Ergo de eo hîc non eſt explicandum. Aſſumptionis ratio; quia in omnibus Rebuſpub. Regnum hoc, id eſt, belli prætura, eſſe poteſt, etiam perpetua, vt hodie in Regno Galliæ is eſt, qui dicitur Conneſtablius, vt vulgo dicitur, perpetuus dux; & olim Dyrrachii & Opunte inquit *infra Ariſtoteles cap.12. initio.* Quod ſi hoc Regnum ſpeciem per ſe Reipublicæ conſtitueret; abſurdum ſit, in aliis Repuſpublicis id reperiri, etiam in Democratia & Ariſtocratia. Omiſſo igitur & hoc Regno, vtrum ciuitatibus ſit vtile nec ne, & vtrum hæreditarium, vt Lacedæmone, eſſe debeat nec ne. Reliquum eſt, vt de Pleno, quod vnum eſt ex ſex Reipublicæ generibus explicetur. De hoc igitur quæſtiones tres potiſſimum ſunt; ſed vnam præter cæteras explicat Ariſtoteles valde obſcurè & implicate, credo, ne Alexandrum offenderet fortaſſe.

TEXTVS.

Principium autem quæſtionis hoc eſt, vtrum conducat magis ſub viri optimi, aut ſub optimarum legum eſſe imperio. Exiſtimantibus igitur conducere, eſſe ſub Regno; leges videntur vniuerſe tantum loqui, non vero ad ea, quæ accidunt, iubere. quare in quaque arte ex ſcripto imperare, ſtultum; & in Ægypto poſt quatriduum medicis mouere licet: quod ſi ante, ſuo periculo. Perſpicuum eſt igitur propter eam cauſam, Rempublicam, quæ ſcripto & legibus regatur, non eſſe optimam. Sed enim illam quoque vniuerſam rationem eos, qui præſunt, habere oportet. Melius eſt autem, cui pars animi, in qua perturbationes, prorſus abeſt, quam cui natura eſt coniuncta. Hæc igitur legi quidem abeſt, animum vero humanum omnem

omnem participem eius eſſe oportet. Verum dicat fortaſſe aliquis, huius vice melius de rebus ſingulis deliberaturum. quare legum quidem conditorem eum eſſe oportere perſpicuum eſt:& leges eſſe ſcriptas non tamen dominas, qua parte deficiunt. Siquidem de alijs quidem rebus poteſtas penes leges eſſe debet; eas vero, quas lex dijudicare aut prorſus nequit, aut non recte, vtrum vnus optimus adminiſtrare debeat, an omnes. Etenim nunc congreſſi iudicant, & deliberant & dijudicant: hæc autem iudicia ſunt omnia de rebus ſingulis. Singuli igitur collati, quicunq; tandem ſint, fortaſſe deteriores: ſed conſtat ciuitas ex multis vt epulum collatiuum vno & ſimplice eſt pulcrius. quare & multitudo multa melius iudicat quam vnus aliquis. Præterea quod multum minus eſt incorruptum; vt aqua copioſior, ita & multitudo paucis eſt incorruptior. Vno autem ira ſuperato, aut alia aliqua tali perturbatione, corruptum vt ſit iudicium, neceſſe eſt: ibi vero difficile eſt factu, vt omnes ſimul iraſcantur vel peccent. Sit autem multitudo liberorum nihil contra legem facientium, præter quibus in rebus eam deficere neceſſe ſit. Quod ſi igitur hoc in multis eſt difficile, plures autem ſint boni & viri & ciues; vtrum vnus, qui præſit, incorruptior ſit, an plures potius numero quidem, omnes vero boni; an perſpicuum plures. Verum hi quidem ſeditionibus conflictabuntur, ille vero vnus erit abſque ſeditione. Verum huic fortaſſe occurrendum, bonos, vt illum vnum, animo fore affectos. Si igitur plurium quidem, ſed omnium virorum bonorum, ciuium imperium

dicenda eſt Ariſtocratia; vnius vero, Regnum: optabilior ſit ciuitatibus Ariſtocratia Regno (ſiue imperium ſit cum poteſtate, ſiue abſque poteſtate) ſi plures reperiantur: eaque propter olim fortaſſe ſub Regibus erant; quia raro viri longe excellentes virtute reperiantur, maxime paruis in ciuitatibus. Præterea propter beneficia Reges conſtituebant, quod eſt virorum bonorum officium. Poſtquam vero multi virtute ſimiles eſſe cœperunt, non amplius ferebant, ſed commune quid quærebant, & Rempublicam conſtituebant. Poſtquam vero deteriores iam ex Rebuſpublicis quæſtum captare cœperunt, merito hinc aliquando Oligarchiæ exſtiterunt (diuitias namq; in honore habere cœperunt) ex his vero primum in tyrannides, ex tyrannidibus vero in Democratias mutarunt. Nam, propter turpis lucri ſtudium ad pauciores ſemper redactis, multitudo potentior effecta eſt, ita vt illos inuaſerit, & Democratias conſtituerit. Poſtquam vero ciuitates maiores quoque eſſe cœperunt, non facile fortaſſe eſt factu, alia vt ſit Reſpub. quam Democratia.

COMMENTARII.

Ἀρχὴ δ᾽ ἐςὶ τῆς ζητήσεως.] Quæſtio de Regno princeps ab Ariſtotele hic explicata hæc eſt, an ciuitatibus vtile & iuſtum ſit vnius imperium, de qua quęſtione *infra cap. prox.* diſtinctius & plenius explicatur. hic præter eam, quatuor præterea quæſtiunculæ diſſoluuntur. Summa igitur & princeps, vt dixi, quæſtio, vtrum ciuitates adminiſtrare præſtet vnius viri optimo imperio, an potius optimis legibus, de qua hic initio breuiter, infra, vt dixi, latius in vtramque partem diſputat. Qui Regnum præferunt, hac nituntur ratione; quia legibus omnia comprehendi non poſſint, ea nimirum, quæ cotidie accidant; propterea quod legum præcepta non ſint de re-

Vni ne homini probo, an legib. bonis imperiũ committẽdum.

Ratio p̲ homine.

de rebus ſinguiis, ſed de genere vniuerſo, quemadmodum explicatum eſt ſupra *ſupra lib.5. Ethic. in fi. & apud Iuriſconſultos ſub tit. de legib.* Hac igitur ratione adducti putant illi, melius eſſe, vt ciuitates hominis quam legum adminiſtrentur imperio. Quam rationem cõfirmat Ariſtoteles reliquarum etiam exemplo artium, & nominatim Medicinæ. Nam in omnibus quoq; artibus ſtultum eſſe ait, præcepta tantum & ſcriptum ſequi, nulla attributorum, id eſt, hominum, locorum, negotiorum, temporis, &c. habita ratione. verbi gratia, in Ægypto olim omnino legibus cautum erat, *teſte Diodoro,* vt Medici certas leges & præcepta in curando perpetuo ſeruarent & ſequerentur; quarum legum vnam hic commemorat Ariſtoteles; Medici ante quatriduum ne mouento. *κινεῖν*, medicorum eſt vocabulum, quod valet noxios humores detrahere vel expellere: huius legis ratio hæc fuiſſe videtur, quod morborum initia ſæpe inedia, natura ſe ipſa adiuuante, abſque medicamentis pelli ſoleant, quibus adhibitis morbi potius veluti irritentur ſæpenumero. Verum etſi hæc mora ſæpe eſt vtilis & ſalutaris, tamen propter & corporum & aliarum attributionum varietatem ſæpe accidit vt ſit perniicioſa, & opus ſit ſtatim initio adhibere medicamenta, vt quia morbus vehementior ſit ſtatim initio. Ad eundem igitur modum & leges ciuiles, neque res ſingulas complecti omnes poſſunt, neq; ſemper ſunt ſeruandæ. Ergo, inquiebant illi; ex legum præſcripto ciuitates adminiſtrari eſt inutile & pernicioſum. Contra ea pro legibus ea hic adducitur ratio; cur, inquam, legum potius quam hominum imperio ciuitates recte adminiſtrentur; Quia homines perturbationibus ſint obnoxii, leges non item. quod argumẽtum pro legibus iterat *Ariſtot. infra cap. 12. & initio lib. 1. Rhetor.* adeo quidem, inquit præclare Ariſtoteles, vt qui legibus, is Deo, qui homini, is beluæ tradat imperium, nimirum propter perturbationes & cupiditates; iram, auaritiam, odium, amicitiam, &c. In legibus nullus eſt locus gratiæ, odio, beneficio, &c. Et hoc eſt quod adoleſcentes quidam petulantes *apud Liuium lib. 2.* Rege Tarquinio pulſo, ſuam licentiam imminutam conqueruntur. Regem namque, inquiunt, hominem eſſe, à quo impetres: vbi ius, vbi iniuria; eſſe gratiæ locum, eſſe beneficio, & iraſci & ignoſcere poſſe, inter amicum & inimicum diſcrimen noſſe: leges rem ſurdam & inexorabilem eſ-

Approbatio

Ratio pro legibus.

Iudicibus cur pauca cõmittenda

ſe, ſalubriorem melioremq; inopi, quam potenti nihil laxamenti nec veniæ habere; ſi modum exceſſeris. Et hoc argumẽto *eo loco Rhetoricorum* docet, Iudicibus pauca eſſe committenda, quia corruptelis & perturbationibus ſint obnoxii: quare Ius ciuile Romanorum maxime laude dignum eſt, vt quo omnia pene ſcripto ſint comprӕhenſa, quæ Athenis & ẽt à Moſę plura iudicibus eſſent relicta. Hac igitur re, id eſt, perturbationum vacuitate legum imperiũ humano eſſe pręferẽdum.

Prioris rationis, qua pro homine facere videbatur, ſolutio.

Nam quod prius homines legibus hac re ſint prælati: quia leges ſint generales, neque de rebus ſingulis quicquam definiant, quod faciunt homines: verum illud quidem; ſed tamen & generalibus his commonitionibus homines quoq; inſtructi eſſe debent. id namq; in omnibus accidit artibus, vt earũ periti ſemper ſumma & generalia quædam habeant capita, quæ tamen non perpetuo ſeruent aut ſequantur pro varietate attributorum. Et hoc eſt quod ait; *ἀλλὰ μὴν κἀκεῖνον δεῖ ὑπάρχειν*, &c. Quod ſi igitur ſemper generalia quædam capita ſunt neceſſaria, ſiue leges ſiue imperet homo: nonne melius igitur erit, vt leges imperent perturbationibus vacantes, quam homo.

Ἐπιχείρησις.

Verum quia de rebus ſingulis homo ſolus iudicare poteſt, leges non item, recte concludit Ariſtoteles, in bona Republica vtriuſque imperium eſſe neceſſarium, legum & magiſtratuum; legum quidem in iis rebus, in quibus locum habere poſſint, magiſtratuum vero in iis, quæ legibus definiri non potuerunt.

Multis potius, quam vni, imperium earũ rerum dandum, quæ legib. definiri nõ poſſunt.

1. Ratio. Similitudo.

Ὅσα δὲ μὴ δυνατὸν.] Altera quæſtio primæ velut comes de iis, quæ legibus definiri non poſſunt; quia iam docuimus, eorum poteſtatem & imperium hominibus eſſe permittendum: an igitur vni an vero multis eorum imperium permitti debeat. Et docet, multis potius permittendum eſſe, duabus rationibus: quarum prior; quia de rebus ſingulis melius iudicent multi quam vnus; quemadmodum epulum ex multorum epulis inſtructum ſplendidius eſt eo, quod vnius tantum ſumptu: ita & in ciuitate multitudo deliberantium vni eſt præferenda. de qua ſimilitudine ab epulo ad ciuitatem, *ſupra cap.* 7. De eadem ratione & *infra cap. 12.*

2. Ratio. Similitudo.

Altera ratio, *ἔτι μᾶλλον*, &c. Quia multi minus corruptelis ſint obnoxii, quam vnus aliquis: quemadmodum, inquit, magnum flumen difficilius turbatur aut corrumpitur, quam exiguus lacus aut ſtagnum.

Εἰ δὲ

Εἰ δὲ τοῦτο καὶ ῥᾴδιον] Tertia quæſtio, An paucorum imperium potius vnius imperio ſit præferendum, in his nempe rebus, quæ legibus definiri non poſſunt. Nam quia multi boni viri vix reperiuntur, quærendum fuit de paucis: quam quæſtionem in vtramq; partem explicat: paucorum tamen imperium vnius imperio præferendum cõcludit: quod paucorum imperium bonorum, Ariſtocratia ſeu optimatum dicitur: pro optimatibus igitur ſeu paucis hæc affertur ratio; Quia, quod de multis ſupra dictum, pauci minus corruptelis ſint obnoxii, quam vnus aliquis. Contra eoſdem hæc affertur ratio; Quia pauci diſſidiis & ſeditionibus ſint obnoxii, vnus non item, quo argumento paucorum imperium Darius *apud Herodotum lib. 3.* & multorum ſeu Democratiam Mecœnas *apud Dionem lib. 52.* reprehendunt & refellunt. Sed Ariſtoteles hoc argumentum contra optimates docet non habere locum, quia viri boni, quantumuis multi, tamen eodem modo affecti, & vnus cõcors animus, tanquam vnius eſſe ſolet. pauci non boni, vt diuites vel nobiles, ambitionibus ac cupiditatibus inter ſe certare ſolent, boni non item. *3. Ratio.* *Argument. ἀνασκευαστικόν.* *Solutio.*

Καὶ μετὰ δυνάμεως] Ait Ariſtocratiam, quam Regnum, ciuitatibus eſſe vtiliorem, ſiue imperium ſit cum poteſtate, ſiue abſque poteſtate, id eſt, cuſtodia militari, qua improbi vel inuiti reprimi & ad officium compelli poſſint. Nam, *vt paulo infra,* de Regno quæri ſolet, ſi Regnum quis vtile ciuitatibus fateatur, verum cuſtodia ſeptum eſſe debeat nec ne: ſic & de Ariſtocratia quæri ſolet & poteſt. Sed ſiue cuſtodia adſit ſiue abſit, ſemper Ariſtocratia Regno præſtat: ſi modo tot quoq; viri boni reperiri poſſint, ex quibus ea conſtituatur. Nam raro multi, vt modo dictum, & eleganter *Plato in Politico,* reperiuntur, pauci quoque non ita ſæpe. Cuius rei argumentum capit Ariſtoteles ex antiquiſſimorum Rebuſpublicis. Nam apud hos non aliam fuiſſe Reipublicæ formam, quam Regnum, ſiue vnius imperiũ; vtpote quia pauci non eſſent, multo minus multi, ſed vnus aliquis virtute præſtans, vt iuſtitia & prudentia, cui imperium debetur. Atque ita hac occaſione Ariſtoteles nonnihil digreditur ad explicandum Rerumpublicarum ortus & mutationes. Et antiquiſſimum quidem imperii genus Regnum fuiſſe docet: primum, quia neq; multi, neq; pauci, ſed vnus virtute præſtans, *Limitatio.* *Ratio.* *De Rerumpub. orig.* *Regnum omnium antiquiſſimũ.*

1. Argum. ſtans, dignus imperio reperiretur. Cuius paucitatis cauſam Ariſtoteles tribuit vrbium & ciuitatum paruitati: nam veriſimile eſt, in paruis ciuitatibus vel exigua multitudine non ita multos reperiri viros bonos excellenti virtute præditos. Nam quin multi viri boni, ſed leuiter aut mediocriter fuerint, non negat. Hoc igitur eſt vnum Ariſtotelis argumentum, cur primum imperii genus cõiiciat fuiſſe Regnum. Alterum eſt; *2. Argum.* Quia cum primi illi mortales eſſent quidem plærique mediocriter viri boni, & vnum de ſuis vel etiam externis viderent, qui ipſos ſummo aliquo beneficio afficeret, vt quia nouam aliquam artem ad vitæ vſum neceſſariam, vt agriculturam, vites, &c. illis oſtendiſſet, vel aduerſus finitimos defendiſſet: propter hæc, inquam, beneficia huic vni imperium permittebant; quia viri boni ſit bene merentibus gratiam referre. Illi igitur, vtpote viri boni, huic vni, vt bene merito, imperium gratitudinis ergo deferebant. Hoc igitur eſt primum imperii genus, quod & ſupra oſtendimus *libr.1. cap.2.* *Ariſtocratia & politia origo.* Poſtea vero cum multi virtute pares paulatim exſiſterent, & ciuitates paulatim fierent maiores; repudiato vnius Regno & imperio, commune potius imperium adamare cœperunt & mutuum; quæ Ariſtocratiæ & Reipublicæ eſt origo. *Oligarchia ortus.* Verum poſtquam & hi virtute pares pauci, omiſſo virtutis ſtudio, ad diuitias potius & opes animum conuerterent; nata eſt ea quæ dicitur Oligarchia. *Tyrannidis origo.* Ex hac tyrannis exſtitit, dum vnus aliquis, reliquis paucis oppreſſis, imperium inuaſit, vt Romæ Iulius, Syracuſis Dionyſius, & nuper Florentiæ Alexander. *Democratia ortus.* Ex tyrannide denique exſtitit Democratia. Nam, paucorum paulatim diminuta poteſtate, multitudinis conualeſcit poteſtas: præſertim poſtquam ciuitates iam maximæ eſſe cœperunt, quas præclare ait Ariſtoteles vix poſſe alio imperii genere adminiſtrari, quam populari: *Cur magna ciuitates vix alio, quam Democratico, ſtatu contineantur.* Quid ita? Quia, maxima in his plebs vt ſit, neceſſe eſt; cum diuites aut nobiles aut boni raro ſint multi. Exemplo ſit Roma, Athenæ, Pariſii, Carthago, Hieroſolyma, Antuerpia.

TEXTVS.

Quod ſi quis optimum ſtatuat eſſe ciuitatibus, vt ſint ſub Rege; quid fiet de liberis? Vtrum etiam genus regnare oportet? Sed vt quilibet, pernitioſum.

ſum. Verum difficile eſt credere, vt qui rerum ſit dominus, liberis imperium non tradat. Eſt namque difficile & maioris virtutis, quam pro humana natura. Eſt autem & de poteſtate controuerſia, vtrum regnaturus poteſtatem aliquam circa ſe habere debeat, qua eos, qui parere nolint, vi cogere poſſit; aut quomodo adminiſtrabit imperium? Nam vt lege rerum ſit dominus, qui nihil ſuo arbitratu contra legem faciat; tamen poteſtatem illi adeſſe neceſſe eſt, qua leges cuſtodiat. Et de hoc quidem Rege fortaſſe non eſt difficile explicare. Nam poteſtatem quidem illum habere oportet, tantam vero poteſtatem eſſe, vt ſingulis quidem & vno & pluribus ſit maior, multitudine vero minor: quemadmodũ & veteres cum ciuitatis quendam conſtituerant, quem vocauerant Æſymnetam vel Tyrannum, cuſtodias dabant: & Dionyſio, cuſtodias petenti, quidam Syracuſanis conſulebat, tot cuſtodes vt darent.

COMMENTARII.

Εἰ δὲ δή τις ἄριστον.] Duas quæſtiones de Regno hic affert; vnam de hæredibus, alteram de poteſtate & præſidio Regum. Prior igitur eſt quæſtio, an Regnum ad hæredes peruenire debeat, & liberis etiam improbis tradendum? Ariſtoteles nihil certi reſpondet, hoc tantum ait graue & periculoſum fore, Regna poſteris improbis tradi, vt ſępe ſoleant Heroum filii eſſe noxæ, quod prouerbio dicitur. Contra vero difficile eſſe factu, vt poſteris non prodantur. Nam tantus eſt parentum in liberos amor, vt improbos quoque Reges eos eſſe & relinquere velint: præſertim cum poſſint omnium rerum domini. Hunc amorem & στοργὴν reprimere non eſt cuiuſuis, ſed virtutis plus quam humanæ & heroicæ, de qua *lib. 7. Ethic.* Ex his tamen intelligitur, tacite Ariſtoteli non probari Regna hæreditaria; quia ciuitatibus periculoſa & peſtifera, ſi ad improbos hæredes ſint transferenda. Altera quæ-

Vtrum regnũ debeat eſſe hæreditarium.

Argument. ἀνασκευαστικόν.

Argument. κατασκευαστικόν.

Quodnam præſidium regno cõueniat.

quæſtio, an & quibus opibus præſidio & cuſtodibus Reges ſepti & muniti eſſe debeant. Ad quam quæſtionem Ariſtoteles quoque non ſatis plene reſpondet. Nam cum duo ſint ſumma Regnorum genera: de Laconico quid ſit ſtatuẽdum, exponit: de ſummo Regno, de quo tamen potiſſimum his capitibus explicatur, nihil affert. De Laconico igitur Regno rem ait eſſe facilem, eam ſcil. ita temperandam, vt Regi neq; nimiæ neque nullæ aſſint opes, id eſt, tantæ, quibus improbos & nec obedientes legibus ciues cohercere poſſit; ciuitatem tamen & Rempublicam ipſam opprimere non poſſit; quemadmodum olim Dionyſio tyrãno, cui Syracuſani imperium detulerant, cuſtodes ſibi addi petenti, fuiſſe quendam ait Ariſtoteles, qui hunc cuſtodiæ modum ſuaſerit.

CAPVT XII.

HOc cap. princeps illa quæſtio, vtrum hominis vnius an legum imperium ciuitatibus ſit vtilius, & vtrum iuſtius, diligentius in vtramque partem explicatur. Extremo capite ἐπεὶ δὲ τρεῖς φαμὲν, &c. obſcure attingitur & Ariſtocratia. Nã has duas Reipublicæ formas, Regnum & Ariſtocratiam, iiſdem fere pręceptis contineri; quia idem vtriuſque ſit ſcopus, virtus, ſupra quoque monuimus. Quod autem ſupra prætermiſimus, hic, vt commodiore loco, admonendum eſt, totum hunc locum & diſputationem de Regno ſiue de comparatione legum & hominum ab Ariſtotele inſtitutam eſſe aduerſus *Platonem*. Nam Ariſtoteles plus bonis legibus, *Plato* viris bonis tribuit: qua de re exſtat eius longa diſputatio *in Politico*, τὰ μὲν ἄλλα, ὦ ξένε, μετρίως ἔοικεν εἰρῆσθαι.

Platonis opinio.

TEXTVS.

De Rege autem, qui ſuo omnia arbitratu agit, & nunc eſt ſermo, & videndum eſt. Nam Rex, qui dicitur lege, non eſt (vt diximus) Reipublicæ ſpecies. poteſt enim in omnibus belli pręturа eſſe perpetua, vt in Democratia & Ariſtocratia: atq; multi vnum regiminis principem faciunt. Talis namque magiſtratus eſt quidam & Dyrrachij & Opũte, quanquam aliquanto minore poteſtate. De

ſummo autem Regno quod dicitur (hoc autē eſt, quo Rex ſuo arbitratu imperat omnibus) non videtur naturæ eſſe conſentaneum, vnum omnium ciuium, vbi ex partibus conſtat ciuitas, eſſe dominum. Nam inter natura pares idem ius eſſe neceſſe eſt & eandem dignitatē eſſe natura. Quare quemadmodum ſi impares parem habeant victum vel cultum, corporibus eſt perniciosum; ſic & in honoribus ſe res habet. Eodem igitur modo, & ſi pares habeant impar: quare non magis ius eſt imperare, quam parere: atque eodem igitur modo viciſſim: hoc autem iam lex eſt: nam deſcriptio lex eſt. Optabilius eſt igitur, legem imperare, quam ciuium vnum aliquem. Atque eadem hac ratione, ſi quoſdam imperare præſtet, hi legum conſtituendi ſunt cuſtodes & miniſtri. Nam magiſtratus aliquos neceſſe eſt eſſe. At hunc ius negant eſſe, eſſe vnum, multis paribus. Sed enim quæ lex cumque definire poſſe non videtur, ne homo quidem cognoſcere poſſe videatur. Sed lex poſtquam ſtudioſe præſcripſit, reliqua iuſtiſſimæ ſententiæ dijudicanda relinquit, & vt magiſtratus adminiſtrent, etiam vt corrigant, concedit; quod peritis melius fuerit viſum ſcripto. Itaq; qui legem quidem imperare iubet, Deum & leges iubere imperare videtur. qui hominem vero iubet, adiungit & beluam. Nam & cupiditas tale quiddam & ira eos, qui præſunt, etiam viros optimos detorquent; quare lex eſt mens abſque cupiditate. Exemplum autem ab artibus, captio eſſe videtur, quod ex ſcripto curari malum, ſed optabilius quoque vti ijs, qui artes tenent. Nam hi quidem nihil amicitia contra ratio-

nem

nem agunt, ſed curatis ægrotis mercedem auferunt: qui vero ciuilibus magiſtratibus præſunt, multa ex contumelia & ad gratiam agere ſolent. Siquidem & medicos ſuſpicati ab inimicis lucro corruptos, tum curationem ex ſcripto magis quærant. Sedenim medici ægrotantes alios medicos, & palæſtræ magiſtri exercendi magiſtros ad ſe vocant, quaſi qui verum dijudicare nequeant: quia & de ſuis rebus iudicent, & ſint in perturbationibus. Perſpicuum eſt igitur, eos, qui ius quærunt, medium quærere, lex namque eſt medium.

COMMENTARII.

Περὶ δὲ τοῦ βασιλέως.] Principium huius capitis priori extremo eſt conglutinandum. Nam quæſtione de opibus & præſidio Regum propoſita, & in eo Regni genere, quod legitimum dicitur, explicata; adiungit continuo, non iam agi de eo Regno, ſed de Regno ſummo, quia illud Regni genus non ſit ſpecies quædam Reipublicæ, quemadmodum ſupra eſt explicatum. Videamus ergo de ſummo Regno: ſed de præſidio nihil. Hæc igitur de eo explicatur quæſtio, an hoc Regnum ſit iuſtum & Reipublicæ ſalutare. Quatuor affert argumenta aduerſus hoc Regnum, quibus id doceri poteſt eſſe iniuſtum & pernitioſum. Poſtea pro hoc Regno bifariam diſputat, eſſe illud interdum per ſe iuſtum, interdum κατά τι, & quibuſdam gentibus neceſſarium.

Vtrum regnū ſit iuſtū & Reip. ſalutare.

Περὶ δὲ τῆς παμβασιλείας καλουμένης.] Omiſſo igitur Regno Laconico, nunc de ſummo & legibus ſoluto. Cuius generis poteſtatem Iuriſconſulti & Imperatoribus tribuunt lege Regia illis datam, *l.1.ff.de legib.& conſtit.princ. Dio lib.53.* Qua tamen poteſtate & licẽtia boni Imperatores nunquam ſunt vſi. Nam, *inquiunt Imperatores, Seuerus & Antoninus,* licet legibus ſimus ſoluti, tamen legibus viuimus. Et *Alexander Imp.l.ex imperfecto.C.de teſt.* Etſi enim ita legibus ſuperiores ſunt principes, vel earum abrogandarum aut mutandarum poteſtatem habeant hi etiam quorum liberrima eſt poteſtas: tamen legibus non abrogatis & ipſi obligantur, vt ſuis olim legibus populus Romæ. Hoc igitur Regnum plenum

plenum & legibus ſolutum hoc loco, vt iniuſtum & inutile, reprehenditur, quatuor fere rationibus: quarum prima hæc eſt; Quia inter pares honorum quoq; & imperii viciſſitudo & velut paritas eſſe debet. Iniuria namque eſt, imparibus paria, & paribus tribuere imparia. Quemadmodum igitur pernitioſum eſt, corporibus imparibus parem tribuere victum & cultum: ita & in honoribus iniuſtum eſt, vni omnia tribuere, ciuibus omnibus paribus. Itaque, paribus ciuibus, viciſſitudo imperii eſt iuſta, vnius imperium iniuſtum. Si igitur viciſſitudo imperii eſt iuſta inter pares: ergo inter eos legum debet potius eſſe imperium, quam hominum, nempe vnius alicuius. Nam hæc viciſſitudo eſt velut quædam deſcriptio & diſtributio. At deſcriptio eſt lex, qua de re *infra lib. 7. cap. 4.* legem eſſe quandam deſcriptionem, & εὐνομίαν eſſe quandam εὐταξίαν, vbi ſcilicet eſt deſcriptio, ibi lex quædam. vbi viciſſitudo, ibi deſcriptio. Inter pares igitur quia imperii eſt viciſſitudo; efficitur, ibi legum eſſe imperium. Sed nonne & magiſtratus erunt neceſſarii; vt non ſolarum legum ſit imperium, ſed hominum quoque. Reſpondet Ariſtoteles, magiſtratus quoque eſſe neceſſarios, ſed eos legum fore velut miniſtros & cuſtodes, ὑπηρέτας, vt Ariſtot. eos vocat ex *Plat. lib. 4. de legib.* quos & *Cic. libr. 3. de legib.* imitatur. & Iuriſconſulti prætorem Iuris ciuilis cuſtodem eſſe aiunt. Præclarus eſt hic locus de legũ auctoritate & magiſtratuum miniſterio & officio. Ariſtoteles ita temperat & moderatur imperium, vt ſit penes leges, quibus magiſtratus deſeruiant partim in exſequendo, partim in corrigendo. Nam lex diligenter ipſa præſcribit iubendo & vetando omnia: tum magiſtratui reliquam adminiſtrationem permittit in rebus ſingulis, quæ lege comprehendi non poſſunt, iuſte & legitime conſtituendis: & ſi qua in re legis rigor per attributa ſeruari non poſſit, vt magiſtratus adhibita æquitate legem velut corrigat, & ſententiam potius quam verba ſequatur.

1. Argum. ἀνασκευαστικόν.

Obiectio.

Solutio.

Ὁ μὲν οὖν τῶν νόμων.] Aurea ſententia, qua continetur differentia inter imperium legum & homiuum. Nam legum imperium eſſe diuinum, hominum beluinum. Quid ita? Quia lex eſt ratio, id eſt, particula quædam diuinitatis: homo quia perturbationibus eſt obnoxius, tanquam belua exiſtimatur.

Diſcrimen inter imperium legum & hominũ.

Ratio.

 tur.

tur. Nam perturbationibus homines, vt beluæ, aguntur, feruntur. *ſupra lib. 7. Ethic.*

II. Argum. ἀνασκευαστικόν.

Atq; in his verbis altera latet ratio, cur legum imperium Regio ſit præferendum, de qua dict. *ſupra cap. 11.* & nonnihil *cap. 7.*

Solutio argumenti cōtrarii.

Τὸ δὲ τῶν τεχνῶν] Argumentum pro Regibus aduerſus leges à medicina & aliis artibus ſumptum, priore capite allatum, hic refellit, aitque eſſe captioſum.

Argument. ſeu obiectio.

Argumentum hoc erat: cum aliis in artibus, tum in arte medendi præſtat vſum exercere per ipſos artifices, quam ex nudis eorum præceptis & regulis. Ergo & in Republica præſtat præeſſe artifices, id eſt, politicos, quam regulas, id eſt, leges.

Solutio.

Ariſtoteles huius argumentationis & concluſionis & antecedens & conſecutionem docet eſſe falſam. de conſecutione quidem prius;

1. Conſequētiæ negatio.

Quia alia rerum ciuilium, alia aliarum artium ſit ratio: propterea quod aliarum artium artifices perturbationibus non non ſint obnoxii, rerum ciuilium ſint. Nam medici, verbi gratia, curat aliquem non ex odio vel gratia, ſed mercedis cauſa: at in rebus ciuilibus gratiæ, odio, ambitioni, & id genus aliis cupiditatibus eſt locus.

2. Antecedentis refutatio.

De antecedente, ἐπεὶ καὶ τοὺς ἰατροὺς, &c. etiam in medicos cadere has perturbationes, nimirum ſi ab inimico ſint corrupti, vt aliquem tollant è medio. Sed quia, hoc cognito, tali medico non vtimur: ea propter argumentum illud à medicis & aliis artibus diligentiſſime vrget *Plato in politico.* Omnis captio in conſecutione, nimirum per diſſimilitudinem, eſt poſita.

Ἀλλὰ μὴν εἰσάγονται] Conſuerunt, inquit, medici & palæſtræ magiſtri, cum vel illi ægrotant, vel hi ipſi exerceri cupiunt, aliorum potius quam ſua vti opera in ſe vel curandis vel exercendis: adeo quidem, vt hodieq; medici iureiurando interdum aſtringantur, ſuos vt morbos non ipſi, ſed aliorum opera depellant.

1. Cauſa.
2. Cauſa.

Huius rei cauſam duplicem eſſe ait Ariſtoteles: tum quia in ſua quiſque cauſa non bonus ſit iudex, *vt & ſupra dictum cap. 6* tum quia vt homines plæriq; perturbationibus ſint obnoxii, & ſibi velut indulgeant. Ex hoc igitur medicorum & palæſtræ magiſtrorum more poteſt intelligi (nam huc ea pertinent) artifices ſeu artium peritos non ſemper vacuos eſſe à perturbationibus.

Ὡς δῆλον, ὅτι τὸ δίκαιον.] Hæc clauſula quemadmodum ex prioribus ſit apta; obſcurius eſt explicatu, quam quæ eius eſt ſententia, quæ & ipſa eſt obſcura. Res eſſet facilior, ſi ſic

leges

legeretur, ὅτι τὸν νόμον ζητοῦντες, &c. Nam qui legem quærit, quærit medium: quia lex eſt medium. Nam lex quia iuſtitiæ eſt velut menſura, iuſtitia autem ſit mediocritas quædam damni & lucri: lex quoque vt ſit medium quiddam, neceſſe eſt. Sed tamen quo & hoc pertineat, non video. Quare haud ſcio, an hæc clauſula non ſit potius inducenda.

TEXTVS.

Præterea leges moribus receptæ maioris ſunt auctoritatis, quam leges ſcriptæ, & de rebus maioribus. Homo, qui præeſt legibus, ſcriptis eſt ſtabilior, non vero ijs quæ moribus ſunt receptæ.

COMMENTARII.

Ἔτι κυριώτεροι.] Præclara eſt legum inter ſe comparatio. Nam conſtat & notum eſt ex philoſophis & Iuriſconſultis, *& apud Ariſtotelem libr. 1. ῥητορικῶν. & Cic. multis in locis*, ius eſſe duplex; ſcriptum & non ſcriptum: illud legem fere, hoc morem & conſuetudinem vocamus & inſtituta. quæ duo iuris genera Ariſtoteles hic inter ſe comparans ait, non ſcriptum eſſe & maioris auctoritatis, & de rebus maioribus ac grauioribus. Maioris auctoritatis, id eſt, quod non facile mutetur aut tollatur; quod idem & *Paulus in l. 36. ff. de legib. & Conſtantinus Imper. in l 2. C. quæ ſit longa conſuetudo*. etſi *Duarenus lib. 2. diſputationum anniuerſar. cap. 31* eam legem ita accipit, quaſi dicat Imperat. iuris non ſcripti, id eſt, conſuetudinis non eſſe maiorem auctoritatem, quam legis. Cur autem maior ſit iuris non ſcripti, quam legum auctoritas & ſtabilitas: cauſa eſt in tempore & vſu, ex quibus ipſis ſolo a quoque legum auctoritas pendet, *vt ſupra monuit Ariſtoteles lib. 2. cap. 7.* & præclare *Connanus lib. 1. Comment. iur. ciuil. capite de conſuetudine, & iure non ſcripto*. De maioribus vero & grauioribus rebus ſunt iura non ſcripta, quam ſcripta, vt de religione, de pietate in patriam, in parentes, de gratitudine, &c. Quare & *Plato lib 7. de legib.* leges non ſcriptas, *ἄγραφα νόμιμα καὶ πατρίους νόμους*, id eſt, patria inſtituta ait eſſe *δεσμοὺς πάσης πολιτείας*. Hæc autem collatio legum eo pertinet, vt Ariſtoteles refellat Argumentum priore capite pro homine contra leges allatum, hoc nimirum; leges item eſſe mutabilem & inſtabilem, viri boni ſententiam non

Legum ſcriptarum & nō ſcriptarum collatio.

Refutatio argumenti.

item. Reſpondet igitur Ariſtoteles, vt ſtabilior ſit vir bonus legibus ſcriptis, moribus tamen & inſtitutis patriis non erit ſtabilior.

TEXTVS.

Iam vero ne facile quidem, vnum videre multa. Plures igitur erunt neceſſario, qui ab ipſo conſtituantur, magiſtratus. Itaque quid intereſt, hoc ab initio ſtatim fiat, an vt vnus hoc modo conſtituat?

COMMENTARII.

III. Ratio ἀνασκευαστική.

Ἀλλὰ μὴν οὐδὲ ῥᾴδιον] Tertia ratio contra Regum & hominum imperium; Quia vnus omnia videre & adminiſtrare non poſſit: Cui rei argumento & ipſi ſunt Reges, quos videmus multos conſtituere præfectos, quorum vicaria velut opera vtantur, cum ipſi omnia videre vel audire vel tractare nequeant, aliorum quoque oculos & aures & manus & pedes ſibi adiungunt, id eſt, præfectos, vt paulo infra ait. Quos & Regum & Principum & oculos & aures vocare ſolemus. Sed de hac ratione dictum & ſupra *cap. 7.* Recte igitur Ariſtoteles, quid intereſt, inquit, cum omnino vnus omnia adminiſtrare nequeat, ſed plures ſint neceſſarii; vtrum hoc initio ita inſtituatur, id eſt, multi magiſtratus, an poſtea eo res recidat, dum vnus multos ſibi adiungit adminiſtros?

TEXTVS.

Prętcrea, quod & ſupra dictum eſt, ſi vir bonus, quia melior, imperio eſt dignus: vno autem duo boni ſunt meliores. hoc enim illud eſt, duobus vna iter facientibus, & Agamemnonis optatum: tales decem mihi conſiliarij.

COMMENTARII.

IV. Ratio ἀνασκευαστική.

Ἔτι καὶ τὸ πρότερον.] Quarta ratio: quia vno bono plures boni ſint meliores. Formula: Melioribus debetur imperium: Ergo pluribus bonis, quam vni bono, vt melioribus. Nam bonos plures vno bono eſſe meliores docét *auctoritate Homeri.* Nam *lib. 10. Il.* Diomedes ſpeculatum iturus comitem poſtu-

poſtulat; quia duo rem melius adminiſtrent, quam vnus: σύν τε δύ' ἐρχομένω: de quo verſiculo dictum & ſupra *cap.7.* *Et lib.2.Il* Agamemnon ad Neſtorem: ſi decem Neſtori ſimiles habeat conſiliarios, breui fore & facile factu, vt Troiam occupent. Sed de hac quoque re dictum & ſupra *cap.7.*

TEXTVS.

Habent autem nunc quoque magiſtratus de quibuſdam rebus decernendi poteſtatem, vt iudex, de quibus lex definire nequit, quaſi lex non optime imperet & decernat. nam de quibus poteſt, nemo de his ambigit. Sed quia hæc legibus comprehendi poſſunt, illa vero non poſſunt: hæc ea ſunt, de quibus quæri & ambigi ſolet, vtrum optimam legem præeſſe ſit optabilius, an virum optimum. Nam de quibus deliberant leges ferre, res eſt vna ex ijs, quæ fieri nequeunt. Non hoc igitur contradicunt, non eſſe neceſſarium hominem, qui de talibus decernat, ſed non vnum tantum verum multos. nam magiſtratus ab lege quiſque bene eruditus decernit. Abſurdum autem eſſe fortaſſe videatur, duobus vt oculis videat quis melius, & duabus auribus decernens, & agens duabus manibus & pedibus, quam multis multi. Siquidem hodieque Reges multos ſibi faciunt oculos & aures, & manus & pedes. Nam & imperio & ſibi amicos ſocios imperij faciunt. Nam non amici quidem non facient ex voluntate Regis: amici vero & illi & imperio: eſtque amicus par & ſimilis. Quare ſi hos præeſſe oportere exiſtimant, pares & ſimiles præeſſe item debere exiſtimant.

COMMENTARII.

Εἰσὶ δὲ καὶ νῦν περὶ ἐνίων αἱ] Dictum erat in tertia ratione, ab vno etiam Rege non omnia poſſe adminiſtrari: cuius rei

argumenta duo hic affert, prius ex Republica, alterum de Regno ſumptum. Nam cernere, inquit, hodieq; licet in Rebuſpublicis, vbi leges dominantur, tamen non omnia ita legibus eſſe comprehenſa, nihil vt magiſtratibus aut hominibus ſit relictum: quin potius quemadmodum in rebus priuatis multa iudicum fidei & æquitati; ita & in rebus ad ſtatum ciuitatis pertinentibus multa quoq; magiſtratuum fidei & prudentiæ ſunt permiſſa, de quibus vt illi iudicent, ita hi magiſtratus publici decernant & decreta faciant. Nam (quod ſæpe iam iteratum) legibus omnia definiri non poſſe ob ſingularia nimirum, & rerum attributa; ſola generalia & vniuerſa legibus definiuntur. Verum quæſtio, inquit, & controuerſia princeps huius loci quæ eſt, vtrum imperii ſumma penes leges optimas, an penes virum optimum vel optimos eſſe debeat? Ea, inquam, quæſtio non habet locum in vniuerſis, de quibus lex ferri poteſt, ſed de rebus ſingularibus: quaſi dicat, nemo ambigit, quin quibus de rebus lex ferri poſſit, in iis dominari potius debeat quam homo; controuerſia de iis tantum eſt, vbi legis ratio deſideratur & deficit, in quibus rebus lex dominari, quia ad eas non porrigitur, certe non poteſt. Quæſtio eſt igitur, an his vnius, an vero multorum imperium eſſe debeat? Neq; vero eſt, quod quis occurrat, non ita multos ex magiſtratu reperiri, qui de his ſingularibus recte & prudenter decernere poſſint. Nam, vt eleganter Ariſtoteles, lex ipſa magiſtratuum eſt velut magiſtra. Cuius legis rationibus & præceptis generalibus diligenter conſideratis & inter ſe comparatis, non erit difficile magiſtratibus, videre, quemadmodum de rebus ſingulis ſit decernendum. Ex his igitur intelligitur, iudicium de his rebus ſingulis, multis potius, quam vni eſſe permittendum.

Obiectio.

Solutio.

2. Argumentum.

Ἄτοπον δ' ἴσως.] Hoc ſupra explicauimus, vbi de tertia ratione.

Ἐπεὶ καὶ νῦν ὀφθαλμοὺς.] Hoc alterum eſt argumentum à Regno ſumptum. Nam hodieque, inquit, cernere licet, monarchas & Reges multos ſibi & oculos & aures & manus & pedes comparare. Sic enim veteres vocant Regum miniſtros, oculos, aures. *Xenophon libr. 8.* παιδείας. *Plut in Artaxerxe. &* περὶ πολυπραγμοσύνης. *Pollux lib. 2.* Nam quos & ſibi & imperio ſeu ſtatui ſuo & amicos & fideles norint (neque enim ſatis ſit, ſi ipſi tantum Regi ſint amici; ſed hoc amplius,

pliis, vt ſtatui quoque ſint amici, ſtatum euerſum nolint, neceſſarium eſt) hos tanquam imperii ſocios faciunt, eorumq; opera in Regno adminiſtrando vtuntur.

V. Ratio ἀνακοινώσεως.

Ὅτι φίλος ἴσος καὶ ὅμοιος.] Quinta videtur hîc latere ratio in hoc Regum inſtituto & conſuetudine, hæc videlicet; Quia Regum quoq; exemplo non tam penes vnum, quam penes multos pares & æquales, imperium & adminiſtratio eſſe debeat. Quid ita? Quia Reges amicos imperii ſocios faciunt. At amici ſunt pares & ſimiles. Amicitia eſt quædam æqualitas, *vt ſupra lib 8. Ethic* late explicatur.

TEXTVS.

Quæ igitur aduerſus Regnum ambigentes dicunt, hæc fere ſunt. Sed ea fortaſſe in quibuſdam ita ſe habent, in quibuſdam vero non ita. Nam eſt aliud natura obnoxium herili dominatui, & aliud Regio, aliud ciuili, & ius & vtile: tyrannicum vero non eſt natura, neque aliæ Reſpub. quæ ſunt aberrationes: eæ namque ſunt contra naturam. Verum ex prioribus intelligitur, inter pares quidem & ſimiles neque vtile eſſe neque iuſtum, vnus vt omnibus dominetur, ſiue non ſint leges, ſiue ipſe ſit velut lex: ſiue ſint leges, vt bonus bonis, vel non bonus non bonis; neque adeo etſi virtute antecellat, niſi quodammodo: qui modus qui ſit, explicandum. Dictum eſt autem & ſupra iam quodammodo. Primum autem ſtatuendum, quod ſit Regio dominatui obnoxium ſeu aptum, quod optimatum, & quod ciuili. Atq; regio quidem dominatui talis apta eſt multitudo, quæ ferre poſſit familiam virtute præſtantem ad principatum ciuilem. Optimatum vero multitudo, quæ ſub imperio eſſe poſſit liberis conueniente eorum, qui virtute præſtent ad ciuile imperium. Ciuili deniq; apta multitudo eſt, cui natura quædam ineſt mul-

titudo militaris, quæ poſſit parere & imperare ex lege pro dignitate imperia diuitibus diſtribuente. Cum igitur vel familia tota, vel ex alijs vnus aliquis virtute tantum prȩſtet, vt eius virtus reliquorum virtuti omnium præſtet: tum iuſtum, hanc familiam eſſe regiam, & omnium dominam, hũcque vnum Regem. Nam, vt & ſupra dictum, non ſolum ita ſe res habet eo iure, quod afferre ſolent Rerumpublicarum auctores & optimatũ & paucorum, & rurſus popularium (omnes enim pro excellentia iudicant, ſed excellentiam non faciũt eandem.) Verum eo, quo prius dictum: neque enim interficere, vel in exilium eijcere, vel Oſtraciſmo pellere talem vtiq; decet; neque, vt viciſſim pareat, poſtulare. Nam natura repugnat, vt pars toti præſtet; quod accidit ei, qui tanta præſtantia ſit præditus. Reliquum eſt igitur, vt tali pareatur, & ſit dominus non viciſſim, ſed omnino.

COMMENTARII.

ἐπιχειρήσεις. Ἀλλʹ ἴσως μὲν οὖν οἱ.] Quæ contra Regnum aut vnius imperium afferri ſoleant, poſtquam expoſuit; hoc tandem loco ea diligentius perpendit, ſuamq; tandem ſententiam de vnius imperio, adhibita diſtinctione, aperit. Ea igitur contra vnius imperium allata in quibuſdam quidem hominum generibus & multitudine ait eſſe vera, in quibuſdam non item: quod vt intelligatur, monet, hominum genera eſſe varia: nam eſſe homines ita natos, vt ſeruili quoque imperio ſubeſſe non recuſent atque adeo debeant: in quo barbaros fere omnes genere eſſe monuit. *ſupra libr. 1.* alios autem eſſe, qui nati ſint vt pareant Regio Imperio, quo in genere Perſas fortaſſe intelligit: alios deniq; ita natura factos, qui ciuili & æquabili imperio gaudeant, ſiue Ariſtocratico, ſiue Democratico, aut Politico. Etſi inter hæc tria magna eſt differentia: nam in Democratico ſumma inter ciues eſt æqualitas: in Politico ea eſt hominũ multitudo & conditio, qui re

militari

militari maxime gaudeant. Politia ex hominum militarium multitudine fere conſtat. *vt ſupra dictum cap.5. & lib.2. cap. 4.* Ariſtocraticum, vbi ea eſt hominum multitudo ac conditio, qui paucis ac virtute præſtantibus parere poſſint. Varia igitur ſunt hominum genera, vt & Rerumpublicarum & iuris & vtilitatis. Nam vt & ſupra ius & vtilitas ſeu bonum variat pro Rerumpubl. generibus & differentiis. Verum quia tria ſunt rectarum Rerumpublicarum genera, tria vitioſarum; hominum quoq; genera recta & naturæ conuenientia ſunt tria, Regium, Ariſtocraticum & Ciuile: nam reliqua, Tyrannicum, Democraticum & Oligarchicum, naturæ repugnant. His iam præmunitis, ait Ariſtoteles, ea, quæ *ἐπίχειρσις*
ſupra ſunt explicata & allata contra Regnum, eſſe quidem *ſpecialis.*
vera in eo Reipublicæ genere, quæ communi nomine politia ſeu Reſpublica dicitur: propterea quod in hac Republica cum ciues omnes ſint pares, iniuſtum ſit, vnum omnibus imperare: & tamen in hoc ipſo hominum genere fieri interdum poſſe, vt vnus omnibus præeſſe debeat, nimirum ſi quis reperiatur vnus omnibus cæteris virtute ita præſtans, vt vniuerſorum virtus cum huius vnius virtute non ſit comparanda: nam ſi quis talis reperiatur, hunc vnum cæteris præeſſe debere oſtendit his rationibus. Primo; Quia omnium ſen- *1. Ratio κα-*
tentia hoc ſit certum, dignitati & excellentiæ imperium eſſe *τασκευαστι-*
tribuendum; in hoc omnes conſentiunt, etſi in dignitatis & *κὴ.*
excellentiæ generibus diſſentiunt & variant: alius namque diuitiis, alius libertati, alius generi, alius virtuti imperium defert, vt ſupra eſt explicatum. Hac igitur ratione, propter præſtantiam, inquam, huic vni deferendum eſſe imperium. Hoc iure Regnum talis viri nititur. Deinde, quod alterum *2. Ratio κα-*
eſt ius & ratio, quia, *quod & ſupra dictum cap 9. in fi.* vir tam *τασκευαστι-*
præſtans vel alioqui ſit pellendus aut necandus, vel viciſſim *κὴ.*
præeſſe & parere debeat: at vtrumque eſt iniuſtum. De priore, nimirum vt vel interficiatur vel pellatur ſiue exilio ſiue oſtraciſmo, *dict. ſupr. cap. 9.* de altero, vt non præſit vnus perpetuo, ſed nunc præſit nunc pareat, *ibidem dictum:* & hic docet, iniuſtum eſſe hac ratione; quia ſequeretur, vt pars toti eſſet par, id eſt, tantum parti, quantum toti, tribueretur; quod eſt iniuſtiſſimum contra iuſtitiam diſtributiuam; quod hic accideret. Nam, vt dictum, huius vnius virtus vniuerſorum ciuium virtutes ſuperat; atque ita huius vir-

tus eſt velut totum, reliquorum virtutes ſingulorum velut partes.

TEXTVS.

De Regno igitur, quas habeat differentias, & vtrum ciuitatibus non conducat, an conducat, & quibus & quomodo; hunc in modum ſit explicatum. Quoniam autem tres dicimus rectas eſſe Reſpublicas; harum optima neceſſario ſit illa, quæ ab optimis adminiſtretur: ea autem eſt, cui accidat, vt vel vnus præſit omnibus, vel familia tota, vel multitudo præſtans virtute, quæ partim parere, partim præeſſe poſſit ad vitam maxime optabilem. In prioribus autem demonſtrationibus explicatum eſt, viri & ciuis optimæ ciuitatis eandem neceſſario eſſe virtutem: perſpicuum eſt, eodem modo & ijſdem rebus & effici virum bonum, & ciuitatem Ariſtocraticam vel Regiam conſtitui poſſe. quare erit & diſciplina & inſtituta eadem, ſeu quæ efficiant & bonum virum & politicum & Regij ſtatus peritum. His explicatis, iam danda eſt opera, vt de Republica optima explicemus, quomodo naturæ conuenienter fiat & conſtituatur. Neceſſe eſt igitur de illa explicaturum diſputationem conuenientem inſtituere.

COMMENTARII.

Regnum & Ariſtocratia Reſp. optima.

Περὶ μὲν οὖν βασιλείας.] Iterat ex prioribus, quæ optima ſit Reſpublica, Regnum videlicet & Ariſtocratia: quæ duo Reipublicæ genera, *vt & ſupra*, concurrere hic docet, vt cuius vtriuſque ſcopus ſit virtus. Has igitur duas Reſpubl. docet,

Quo modo hæ ipſa inſtituendæ.

quemadmodum recte quis conſtituere poſſit vno verbo: nam ipſa inſtitutio & informatio demum explicatur *infra lib. 7.*

Lib. 7. Ait igitur, eodem modo has Reſpublicas inſtituendas, quo virum bonum. Quid ita? Quia ſupra docuit, in optima Republica, id eſt, in his duabus, bonum virum & bonum ciuem eſſe eundem. Eadem igitur erit & viri boni & boni ciuis & boni Regis & boni politici inſtitutio.

FINIS LIBRI III.

LIBER

LIBER IV.

ARGVMENTVM.

*EXplicatis libro priore duobus optimis Reipublicæ
generibus, Regno & Ariſtocratia, quatuor reli-
qua genera. Rempublicam, Democratiam, Oli-
garchiam & Tyrannidem hoc libro perſequetur.*
1. Cap. *Et primo quidem diſputationis & ordinis rationem expo-
nit, cur non tantum de optimo Reipublicæ ſtatu, quod alii
politici facere ſolent perperam. ſed de aliis quoque Rerum-
publicarum generibus ſit explicandum; non tantum de o-
ptima, ſed de optimæ quoq; proxima, atq; adeo de ea, qua-
liscunq; obtineri poſſit. Ad hanc rem, quia Rerump. genera
& partes noſſe eſt neceſſarium, rurſus de Rerumpublica-*
2. Cap. *rum generibus cap. 2. & 3. explicat. Ex quibus cum duo*
3. Cap. *ſumma & inter ſe contraria genera eſſe docuit Democra-
tiam & Oligarchiam, tum de his duobus ſingulatim & e-*
4. Cap. *nucleate, quæ Democratiæ ſint genera, cap. 4. & quæ Oli-*
5. Cap. *garchiæ, cap. 5. vbi cap. 4. inquam, vniuerſe quoque & præ-
clare docet, ſuas cuiq; Rerump generi plures eſſe partes &
genera, quemadmodum ſupra quinque Regni genera eſſe*
6. Cap. *docuit; poſtea rurſus de Rerumpub. generibus agens, cap. 6.
Platonis partitionem reprehendit, vbi & de Ariſtocratiæ
generibus explicat: deinde de ea, quæ communi nomine di-*
8. Cap. *citur Reſp. vbi & de mixtis Rebuſpubicis copioſe cap. 8. &*
9. Cap. *9. tandem breui de tyrannide cap. 10. Ad hunc igitur mo-*
10. Cap. *dum omnibus Rerumpublicarum generibus & earum par-
tibus ſingulatim explicatis, quæ initio huius libri ad partes
& officium boni politici pertinere docet, explicare non tã-
tum, qui ſit optimus Reipublicæ ſtatus: ſed & qui maxime
ſit communis, facilimeque obtineri poſſit, & quæ Reſpubl.*

quibus

quibus ſit commodior. De his, inquam, duobus capitibus & quæſtionibus diſſerit cap. 12. & 13. Iam vero quia ciuitatum 12. Cap.
tres ſummæ ſunt partes, Senatus, Magiſtratus, & Iudicia: 13. Cap.
alio velut initio facto, primum vniuerſe, idque breuiter, deinde ſingulatim copioſe de harum trium partium deſcriptione & conſtitutione deinceps explicat cap. 14. 15. & 16. 14. Cap.
Primum de Senatu, cap. 14. deinde de Magiſtratu, videlicet 15. Cap. & 16.
cap. 15. tertio de iudiciis, cap. 16.

TEXTVS.

In omnibus artibus & ſcientijs, quæ non partem perſequantur, ſed de genere quodam vno ſint perfectæ, vnius eſt videre, quid cuique generi conueniat, vt exercitatio quæ, & cui corpori conueniat, & quæ ſit optima. Nam optime nato & inſtructo optimam cõuenire neceſſe eſt, & quæ plæriſque vna omnibus: & hoc namque palæſtricæ artis eſt. Præterea ſi qui non iuſtum cupiat habitum aut ſcientiam eorum, quæ ad certandum pertineant; erit nihilominus palæſtræ magiſtri & exercitationum periti, hanc quoque facultatem præſtare. Item hoc quoque in medicina & arte nauium ædificandarum, & veſtibus, & in omni alia arte videmus vſuuenire. Quare perſpicuum eſt eiuſdem eſſe ſcientiæ, & quæ optima ſit Reſpublica, videre, quæque maxime ſit ex voto, ſi nulla res externa impediat; & quæ quibus conueniat: multis namq; non datur fortaſſe optimam conſequi. Legum igitur ſcriptorem & vere politicum ignorare non decet, quæ optima ſit Reſpublica & omnino, & quæ optima pro rebus ſubiectis: præterea tertiam, quæ ex ſuppoſitione. Nam & datam conſiderare poſſe oportet, & ab initio quemadmodum conſtituatur, & conſtituta quomodo

quam

quam diutiſſime conſeruetur: vt ſi cui, inquam, ciuitati accidat, vt neque optima vtatur Republica, & quæ rebus neceſſarijs non ſit inſtructa, neque ea, quæ ex copijs præſentibus haberi poſſit, ſed quadam deteriore. Ad hæc omnia eam quoque, quæ omnibus ciuitatibus maxime conueniat, noſſe debet.

COMMENTARII.

Ratio, cur Ariſtot. de omnib Rerump. generibus diſſerat.

Ἐν ἁπάσαις ταῖς.] Exponit hoc capit. Ariſtoteles, quę pertineant ad veri politici & legum ſcriptoris officium, idq, hoc conſilio, vt ſe recte facere oſtendat, qui præter aliorum morem philoſophorum & politicorum in his libris de Republ. non tantum de vno & optimo Reipublicæ ſtatu, ſed de omnibus diſſerat: qua ex re *ſupra in prolegomenis* docui inſignem huius operis vtilitatem. Docet igitur, Politicum quatuor hæc noſſe debere.

Quæ Politico cognitu ſint neceſſaria.

I. Quæ ſit optima Reſpublica, ſeu optimus Reipub. ſtatus, id eſt, quæ optima ἁπλῶς. II. Quæ ſit optima pro copiis præſentibus. III. Noſſe quamcunque Rempublicam ſibi oblatam inſtituere vel conſtitutam ſtruare. IV. Quæ Reſpubl. maxime ſit communis, id eſt, plæriſque hominibus accommodata.

Ratio per inductionē.

Hæc igitur quatuor politicum noſſe debere, artium & ſcientiarum exemplo aliarum docet hunc in modum. Omnes ſcientiæ, quæ de toto aliquo genere agunt, ea noſſe & explicare debent: ergo & Politica.

Approbatio

Antecedens inductione & exemplis artium gymnaſticæ, medendi, naues ædificandi & ſartorum confirmat.

1. Simile.

Nam palæſtræ magiſter noſſe debet non tantum, quæ optima ſit exercitatio, ſed eam quoque, quæ plurimis ſit apta, & eam, quæ huic & illi pro corporum & virium diſſimilitudine conueniat.

2. Simile.

Sic & medicus noſſe dębet non tantum optimū bonæ valetudinis gradum, ſed eam quoque valetudinem, quæ in plæriſque corporibus reperiatur, & eam quoque, quæ huic vel illi homini, ætati, genti ſit conſentanea; eam quoque denique, quæcunque illi offertur, vt eam vel emendet vel tueatur.

Τέχνη ἡ ἐπιστήμη ἐστὶν ἡ κατὰ γένος, ἡ κατὰ μέρος.

Eadem eſt aliarum artium ratio, earum, inquam, quæ de vniuerſo genere agunt. Nam artium duo ſunt genera: aliæ namque artes de vniuerſo genere, aliæ de parte agunt, vt gymnaſtica de vniuerſo genere omnia palæſtrarum & exercitatio-

citationũ genera complectitur: gymnaſtica ex parte vnum tantum exercitationis genus, vt luctam, pilum, gladium, &c. Sic ars medendi alia eſt vniuerſa, quæ omnibus medeatur animantibus: alia ex parte, quæ huic vel illi animantium generi. Sic Iuriſprudentia alia eſt vniuerſa, alia ex parte, vt eſt Iuriſconſultorũ fere de iure priuato ſeu de ciuili, non de publico. Omnes igitur ſcientiæ vniuerſe quatuor illa explicare debent. Quid ita? Quia par eſt, vt qui vniuerſi generis cognitionem pollicetur, ſingulis quoq; partibus quid conueniat & ſit aptum, vt explicet. Quare ad eundem modum & Politica quia vniuerſe de Rebuſpub. recte inſtituendis agit, primum noſſe debet & explicare, qui ſit optimus Reipublicæ ſtatus & maxime optabilis, nulla re externa impediente, hominum nimirum conditione aut rerum copia. Neque enim hominum ad ſeruitutem natorum ciuitas optima eſſe poteſt, vt neque eorum, qui rebus ad honeſte ac liberaliter viuendum neceſſariis deſtituuntur. Deinde noſſe debet, quæ optima ſit Reſpub. pro copiis præſentibus. Nam, vt modo dictum, paucis datur aſſequi optimum illum Reipublicæ ſtatum; quibus ſatis eſt, ſi eum teneant, quem ipſorum copiæ ferant & aliæ res externæ. Nam res interiores, quæ optimum Reipublicæ ſtatum impediant, ſunt, diſciplina, leges, & ipſa politia ſeu Reipublicæ temperatio. Tertio noſſe debet quamcunque oblatam Rempublicam iam conſtitutam; noſſe, inquam, quemadmodum ea ſit conſtituta ab initio, & quemadmodum conſeruari poſſit; quod non minimi eſt negotii, videre ſtatum cuiuſque Reipublicæ, rationem & fundamenta; eamque, licet male inſtitutam, tamen conſeruare & ei opitulari: Quemadmodum ſæpe eſt difficilius dediſcere quam diſcere, vt paulo infra ait. Quod nos diximus, oblatam ſiue quamlibet Rempublicam noſſe, id Ariſtoteles Geometrico vocabulo ait δοθεῖσαν, datam. Sic enim Geometræ, datum triangulum æquabiliter ſecare. Sæpe namq; accidit, vt ciuitas vtatur neque optimo ſtatu, vt quia propter rerum inopiam & impedimenta alia non poſſit, neq; eo, quo poſſit, pro copiis ſuis optimo, ſed deteriori, propter imperitiam fortaſſis legum ſcriptoris & auctoris, aut alia poſt conſecuta mala, vt Athenis Reſpublica à Solone bene temperata in extremam Democratiam Demoſthenis ætate reciderat, & Romæ tempore Ciceronis. Atque hanc tertiam formam

Ratio.

Concluſio.

1. Quod noſſe oportet Politicum.

2. Quod noſſe oportet Politicum.

Ratio.

3. Quod noſſe debet Politicus.

4. *Quod noſſe debet Politicus.* mam vocant hypotheſin, vt ſæpe *ſupra lib.2.* Poſtremo noſſe quoq; debet, quæ Reſpub. maxime ſit communis & plæriſque mortalibus accommodata. De quo genere præclare *infra cap.12.* in quo docet, apud plurimos poſſe habere locum, in ea nimirum Republica, in qua homines ſint mediocres.

TEXTVS.

Itaque plærique eorum, qui de Republ. diſputant, etſi alia recte dicunt, à rebus tamen vtilibus aberrant: neque enim de optima tantum videndum, ſed de ea quoque, quæ haberi poſſit; item de ea, quæ ſit facilior & omnibus communior. Nunc autem hi quidem ſummam tantum, eamque, quæ opus habeat magnis copijs, quærunt: illi vero quandam magis communem, commemorantes eas, quæ in vſu ſunt, Reſpublicas tollentes, Laconicam aut aliam quandam laudant. Oportet autem talem introducere deſcriptionem, ad quam facile ex copijs præſentibus & adducantur & poſſint eſſe participes: quemadmodum non minoris eſt negocij, inſtaurare Rempublicam, quam ab initio condere; vt & dediſcere, quam ab initio diſcere. Quare præter iam dicta oportet Politicum Rebuſpublicis ijs quoque, quæ iam ſint in vſu, opitulari, vt & ante dictum. Hoc autem ab eo fieri nequit, qui, quot Reipublicæ ſint genera, ignorat. Nunc autem vnam eſſe Democratiam quidam putant, vnamque Oligarchiam: quod verum non eſt. Quare oportet non ignorare, Rerumpublicarum quot ſint diſcrimina, & quot modis temperentur. Cum hac autem eadem prudentia leges quoque optimas videre oportet, & eas, quæ cuiq; Reipublicæ conueniant. Leges namque pro Rebuſpubli-

buſpublicis ſunt ſcribendæ, & ſcribuntur ab omnibus, non vero Reſpublica pro legibus. Nam Reſpublica quidem ciuitatũ eſt deſcriptio in magiſtratibus, quemadmodum diſtribuãtur, & quod ſit id, cui Reipublicæ eſt principatus, & qui cuiuſque ſocietatis ſit finis: leges vero ab ijs rebus, quæ Rempublicam indicant, ſunt ſeiunctæ, ex quibus magiſtratus præeſſe oportet, & earum violatores obſeruare. Perſpicuum eſt igitur, neceſſario tenenda eſſe diſcrimina & numerum cuiuſque Repub. etiam propter legum ſcriptionem. Neque enim eædem leges conducere poſſunt Oligarchijs aut Democratijs omnibus: ſiquidem plures, & non vna eſt Democratia, neque Oligarchia tantummodo.

COMMENTARII.

Ὡς οἱ πλεῖστοι.] Expoſitis iis, quæ à vero politico ſint tractanda & cognoſcenda, nunc aliorum hac in re peccata profert. Nam eſſe, qui multa quidem præclare de Repub. diſputent; ſed à rebus vtilibus aberrent, id eſt, non explicent, quæ forma Reipublicæ huic vel illi ciuitati aut populo ſit commoda. At non ſatis eſt, de optima Republica & multa præclara diſſerere, propterea quod talis diſputatio multis ſit inutilis, quia multi propter inopiam rerum neceſſariarum aut aliis de cauſis, etiam vt velint, non poſſint optimum Reipub. ſtatum obtinere. Explicandum igitur non tantum de optimo Reipublicæ ſtatu; ſed de eo quoque, qui obtineri poſſit vel ab hac aut illa ciuitate, vel à plæriſque mortalibus. Peccant igitur illi, qui de Republica diſſerentes tantum de optimo Reipublicæ ſtatu agunt. In quo numero eſt & *Cic. in libb. de Repub.* Sunt & alii, qui paulo amplius afferunt non contenti vno optimo Reipublicæ ſtatu, ſed qui faciliorem quandam & communiorem Rempublicam afferunt, vt Laconicam aut aliam aliquam eius generis: in quo numero eſt *Plato.* Nam hic *in libris quidem de Repub.* de optimo Reipublicæ ſtatu diſſerit, *in libris autem 12. de legib.* de altero Rei-

Aliorũ Politica ſcriptorum erratum.

Ciceronis erratum.

Platonis erratum.

publicæ genere non ita exquiſito & ſummo, ſed faciliore & communiore, *vt ſupra quoq; dictum lib. 2. cap. 4.* Sed hos quoq; peccare, ex prioribus eſt perſpicuum. Nam hi omnes, quæ in vſu ſunt, Reſpub. tollunt & improbant, cum potius eis male affectis opitulari deberent. Præterea in eo quoque peccant, quod hominum aut ciuitatum rationem non habent, poſſint ne talem Rempublicam admittere, an nõ poſſint. Nam, vt recte Ariſtoteles, non alia inducenda eſt Reſpublica, quam quæ pro copiis præſentibus obtineri & induci poſſit. At hi omnibus ciuitatibus vnam hanc Rempub. induci volunt. Melius igitur illi, qui Reſpub. laborantes iuuent potius, quam ſtatim nouam introducant. Quod etſi difficile eſt, vt dediſcere ſæpe difficilius quã diſcere. (Quare & Timotheus Muſicus duplicem mercedem ab iis, quos alii erudiiſſent, à rudibus ſimplicem accipiebat, *teſte Quinctil. lib. 2. cap. 3.*) eſt tamen hoc Politici officium præter cætera vnum, quod quidem ab eo præſtari non poteſt facile, qui, Rerumpubl. quot ſint genera & partes, non cognorit. Nam cum Democratiæ non vnum, ſed multa ſint genera, vt & Oligarchiæ & reliquarum Rerumpub. contra quam multi iam putant & errant; certe is, qui omnibus opitulari volet, earum partes & naturam diligenter noſſe debet: quibus cognitis, non ita erit difficile iis opitulari. Ex his intelligitur; Politicum non tantum illa quatuor, ſed hoc præterea noſſe debere, quæ & quot Rerumpublicarum ſint genera. Rationes affert duas. Priorem iam diximus; quia partium Reipublicæ cognitio ad illa quatuor ſit neceſſaria. Altera eſt; Quia eadem cognitio ad leges quoq; ſit neceſſaria. Nam quod ſæpe iam diximus, leges Rebuſpublicis, non Reſpublicæ legibus ſunt accommodandæ. Quare vt politicus norit, quæ leges ſint ſcribendæ, quæ bonæ, quæ optimæ; ex Rerumpublicarum generibus erit cognoſcendum: vt optimæ Reipublicæ optimæ ſint leges, Oligarchiæ Oligarchicæ, ſic Democratiæ Democraticę, &c. Legibus non cognoſcuntur aut diſtinguuntur Reſpublicæ, ſed fine & principatu. Sic enim hæ duæ ſummæ ciuitatis partes, de quibus ſæpe dictum, Reſpublica & leges ſeu νομοθεσία pulcre hic diſtinguuntur: vt Reſpublica nihil ſit aliud, quam deſcriptio quædam & ordo in magiſtratibus, & maxime iis, penes quos principatus & ſumma eſt Reipublicæ, & in qua finis politicæ ſocietatis ſerua-

1. Ratio, cur Politici officium quoque ſit, noſſe Rerump. genera.

2. Ratio.

ſeruatur; id eſt, qualis quæque ſit Reſpublica, æſtimandum eſt ex his, magiſtratibus, inquam, & principatu Reipublicæ, & ex fine. Vt Ariſtocratia eſt, vbi penes optimates eſt imperium, & finis bonum publicum. Legibus non diſtinguuntur Reſpublicæ, neq; internoſcuntur. quarum hoc tantum eſt munus, vt ex earum præſcripto & ipſi agant magiſtratus, & alios viuere compellant Ad ſummam: Ex magiſtratibus & fine Rerumpublicarum, ex modeſtia magiſtratuum & ciuium moribus legum cognoſcuntur diſcrimina.

CAPVT II.

TEXTVS.

Quia autem in priore diſputatione de Rebuſpublicis explicauimus, tres eſſe quidem Reſpublicas Regnum, Ariſtocratiam, & Rempublicam: tres vero earum aberrationes; Tyrannidem quidem Regni, Oligarchiam vero Ariſtocratiæ, Democratiam vero Reipublicæ. Atque de Ariſtocratia quidem & Regno explicatum eſt (nam de optima Republica explicare & de his dicere nominibus idem: vtraque namque ſolet conſiſtere ex virtute inſtructa. Præterea quid Ariſtocratia & Regnum inter ſe differant, & quando Regnum oporteat admitti, prius explicatum.) Reliquum eſt de Republica explicare, quæ communi nomine dicitur, & de alijs Rebuſpub. Oligarchia & Democratia & Tyrannide.

COMMENTARII.

Ἐπεὶ δ᾽ ἐν τῇ πρώτῃ.] Quæ *ſupra lib.3. cap.5.* de Rerumpublicarum differentiis & generibus ſunt explicata, breuiter hic commemorat. Nam eo capite docuit Reſpublicas partim eſſe rectas, partim prauas: rectas eſſe, Regnum, Imperium optimatum, & Rempublicam communi nomine: prauas & vitioſas, tyrannidem, paucorum poteſtatem ſeu factionem, & Democratiam. Ex his Rerumpublicarum ſex generibus duo à ſe iam explicata eſſe ait, Regnum & Ariſto-

cratiam, nimirum *ſupra lib.3.* & interdum *lib.2.* Nam quibus in locis de optima Republica explicat, iis de his duobus explicare cenſendus eſt. Nam Regnum & optimatum poteſtas ſeu Ariſtocratia Ariſtoteli optimum Reipublicæ genus conſtituunt, vt quibus idem ſcopus, virtus & bonum commune, ſit propoſitus. De Ariſtocratia tamen non ita ſeparatim, vt de Regno, explicauit, cum tamen videatur & de Ariſtocratia ſeparatim explicaſſe, maxime ex his verbis, *cap 3.* κᾂν εἴ τι δεῖ τοιοῦτον. vbi de partibus ciuitatis diſputaſſe ſe ait eo loco, quo de Ariſtocratia explicarit. Sed hic locus in prioribus nuſquam exſtat. Nam de partibus quidem ciuitatis *ſupra lib 3. cap. 8.* quædam affert, nihil tamen de Ariſtocratia. quare diſputatio de Ariſtocratia fortaſſe intercidit. Borrahus exiſtimat, Ariſtotelem ſingulari libro de Ariſtocratia diſputaſſe, eumq; intercidiſſe. De ea ſeu eius generibus infra etiam quædam diſſeruntur *cap. 7.* Reliqua ſunt quatuor Rerumpublicarum genera, Reſpublica, Tyrannis, Oligarchia & Democratia: de quibus hoc libro explicatur.

TEXTVS.

Et quidem de aberrationibus quoque his quæ ſit peſſima & quæ ſecunda, perſpicuum eſt. Nam primæ & diuiniſſimę aberrationem neceſſe eſt eſſe peſſimam. Regnum autem oportet aut non eſſe, ſed nomen tantum habere, vel eſſe propter magnam regnantis præſtantiam: ita vt tyrannis quoque, cum ſit peſſima, longiſſime à Repub. abſit. Secundo autem loco eſſe Oligarchiam: nam Ariſtocratia ab hac Republica longe diſtat: Democratiam vero maxime eſſe mediocrem. Et hoc quidem modo quidam iam ante ſenſit, qui tamen nõ eodem, quo nos, ſpectarit. Nam ille quidem exiſtimat, cum omnes quidem ſint bonæ, vt Oligarchia bona & aliæ earum, peſſimam Democratiam, malarum vero optimam: nos vero has omnino vitioſas eſſe dicimus; atque Oligarchiam quidem

aliam

aliam alia eſſe meliorem, non recte dicitur, minus vero malam. Verum de hac quidem exiſtimatione in præſentia omittatur.

COMMENTARII.

I. Cõparatio 3. vitioſarũ Rerumpub. Ariſtotelis.

Φανερὸν μὲν οὖν.] Priuſquam reliqua quatuor Rerumpub. genera perſequitur, comparat primo vitioſas Reſpub. inter ſe : deinde rurſus de Rerumpublicarum generibus hoc extremo capite, & capite proximo explicat. Comparationem igitur affert duplicem, ſuam & Platonicam, quam & reprehendit. Nam ex vitioſis tribus, Tyrannide, Oligarchia, Democratia, deterrimam & nequiſſimam eſſe Tyrannidem, contra minime malam eſſe Democratiam, mediam eſſe Oligarchiam. Cuius comparationis rationem hanc affert, ex loco comparatorum ſumptam apud Ariſtotel. *libr. 3. Topic.* Quo loco res dicitur eo melior, quo rei meliori eſt ſimilior; & contra deterior, quo rei meliori diſſimilior. Tyrannis igitur quia ex omnibus vitioſis Rebuſpublicis optimæ eſt diſſimilima, Regno; merito peſſima cenſeri debet. Eadẽ ratione Democratia inter vitioſas eſt minime mala & maxime tolerabilis, quia minimum diſcedit ab ea Reipublicæ rectæ forma, cui velut ex altera parte reſpondet, nimirum à Republica ſeu politia. Nam inter Democratiam & politiam adeo exiguũ eſt diſcrimen, vt ſæpe inter ſe confundantur. Quemadmodum & Ariſtocratia cum Oligarchia magnam quoq; affinitatem habet, adeo vt Ariſtocratia ſpecies quædam Oligarchiæ eſſe videatur, vt infra dicetur.

Ratio.

Tyrãnis omnium deterrima.

Democratia omniũ minime mala.

Oligarchia intermedia

II. Comparatio vitioſarum Rerump. Platonis.

Ἤδη μὲν οὖν τις ἀπεφήνατο.] Hic Platonis comparationem attingit. Nam *Plato in Politico fere extremo* idem fere quod Ariſtoteles de Democratia cenſuit, nimirum eam eſſe maxime tolerabilem, ſed alia ratione & modo. Nam Ariſtoteles Democratiam ex vitioſis docuit vel ait eſſe, nimirum vitioſam ex malis minime malam. Plato eam omnium quidem Rerumpublicarum bonarum eſſe peſſimam, malarum ait eſſe optimam. atque ita eandem eſſe & bonam & malam diſſimili ratione. putauit enim Plato & Oligarchiam aliquam eſſe bonam. Sed Ariſtoteles diſtinctius negat poſſe dici eſſe bonam, quæ ſit mala : concedit poſſe dici minime malam, non tamen bonam. Nam abſurdum ſit, ex malis Rebuſpublicis aliquam tamen poſſe dici bonam.

TEXTVS.

Nobis autem primum quidem diſtinguēdum, quot Rerumpublicarum ſint diſcrimina, ſi plura & Democratiæ & Oligarchiæ ſint genera: deinde quæ maxime communis, & quæ ſecundum optimam Rempublicam maxime expetenda: & ſi qua alia ſit Ariſtocratia & bene conſtituta, verum multis ciuitatibus conueniens; quæ ſit: præterea & ex alijs quæ quibus expetenda. Nam his quidem Democratia magis fortaſſe quam Oligarchia ſit neceſſaria, his vero hæc magis quam illa. Poſtea quēadmodum is, qui has Reſpubicas velit conſtituere, debeat; Democratias, inquam, in ſuo quamq; genere, & rurſus Oligarchias. Poſtremo, horum omnium breui facta mentione, danda erit opera, vt explicemus, qui interitus & quæ Rerumpublicarum ſint ſalutes & communiter & ſeparatim cuiuſque, & quas ob cauſas ea maxime fieri ſoleant.

COMMENTARII.

Κατάστασις ἡ διαίρεσις τῶν λεχθησομένων. Ἡμῖν δὲ πρῶτον διαιρετέον.] Quæ priore capite; eadem hîc iterantur, ſumma nimirum capita rerum explicandarum. Primum de Rerumpub. generibus; & an Democratiæ & Oligarchiæ non vnum, vt vulgo putant, ſed multa ſint genera.
2. Secundo de ea Republica, quæ plæriſque ciuitatibus ſit communis, non optima illa quidem, ſed optimæ proxima.
3. Tertio quæ cuiq; ciuitati Reſpubl. ſit deligenda. Aliis namque gentibus Democratia, aliis conuenit Regnum & Oligarchia, *vt ſupra dictum*.
4. Quarto de his duobus potiſſimum Rerumpub. generibus, Democratia & Oligarchia, earumq; formis; quemadmodum inſtitui & deſcribi debeant.
5. Quinto, quibus omnibus hoc libro explicatis, tandem *lib.5.* de cauſis ſalutis & interitus Rerumpub. explicat.

CAPVT

CAPVT III.

HOc capite multa Reipublicæ eſſe genera, & cur multa ſint, explicat, reprehenſis iis, qui duo tantum eſſe exiſtimarint, Democratiam & Oligarchiam.

TEXTVS.

Ergo multæ quidem cur ſint Reſpublicæ, cauſa eſt; quia omnis ciuitatis partes multæ ſint numero. Nam ciuitates omnes primo quidem ex domibus conſtare videmus: deinde huius rurſus multitudinis hos quidem neceſſe eſt eſſe diuites, illos vero pauperes; illos vero medios: atque diuitum & pauperũ hos quidem milites, illos vero eſſe paganos: & ex multitudine alios videmus quidem agricolas, hos vero inſtitores, illos vero opifices: & nobilium ſunt differentiæ, & ex diuitijs, patrimonijque magnitudine, vt ex equis alendis: hoc enim alijs quam diuitibus nõ facile factu. Quare priſcis temporibus, quibus ciuitatibus vires in equis erant, apud hos erant Oligarchiæ: vtebantur autem equis aduerſus hoſtes vicinos, vt Eretrienſes & Chalcidenſes, & Magneſij ad Mæandrum, multiq; alij in Aſia. Iam præter has ex diuitijs differentias eſt hæc quidem ex genere, illa vero ex virtute, & ſi qua alia eius generis pars ciuitatis in ijs, quæ de Ariſtocratia, eſt explicata: ibi namq; explicauimus, quot ex partibus neceſſarijs conſtet omnis ciuitas. nam ex his partibus nunc quidem omnes Reſpublicæ ſunt participes, nunc vero pauciores, nunc vero plures. Perſpicuum eſt igitur, plures neceſſario eſſe Reſpublicas ſpecie inter ſe diſcrepantes. Etenim partes hæ ſpecie inter ſe differunt. Nam Reſpublica quidem magiſtratuum eſt deſcriptio: hanc

hanc vero diſtribuunt omnes pro poteſtate principatuum aut pro quadam communi ipſorum æqualitate, pauperum, inquam, vel diuitũ, vel quadam vtriſque communi. Quare tot neceſſe eſt eſſe Reſpublicas, quot pro excellentijs & partium differentijs ſunt deſcriptiones.

COMMENTARII.

Cur plura ſint Rerũp. genera.

Τῶν μὲν οὖν εἶναι πλείους.] Expoſuit *ſupra lib.3.cap.5.* ſex eſſe Rerumpub. genera. Hoc loco *& lib.6.7.cap.8. & 9.* cauſam affert, cur tam multa Rerumpubl. ſint genera, hanc; Quia multæ ciuitatum ſint partes. Multas autem ciuitatis partes enumeratione tantum hîc docet; *infrà lib.7.* quot neceſſario ciuitatis ſint partes, enucleatius oſtendit. Videre igitur, inquit, licet, in ciuitate eſſe diuites, pauperes, medios, milites, paganos. Et rurſus alios plebeios, alios nobiles: ex plebeis mercatores, opifices & agricolas: nobiles partim diuitiis, partim genere, partim virtute & rebus geſtis, partim doctrina & bonis artibus. Tot enim nobilium genera infra eſſe docet. Ex hac igitur partium differentia & diſcrimine ipſarum quoq; Rerumpublicarum diſcrimina naſci docet hunc in modum; Reſpublica eſt magiſtratuum deſcriptio, id eſt, Reipublicæ nota eſt ciuitatis τὸ κύριον, id eſt, ſummus magiſtratus. Igitur ex magiſtratuum & maxime τοῦ κυρίου, diſſimilitudine ipſæ Reſpublicæ diſtinguuntur, Regnum à populo, &c. Atqui magiſtratuum & τοῦ κυρίου diſſimilitudo ex harum partium differentia ſumitur: ergo Rerumpub. differentiæ & genera ex ipſis partibus ſunt deducenda. De maiore propoſitione iam diximus. Minor explicata eſt *ſupra lib.3.* vbi, ſi principatus ciuitatis ſit penes tenuiores, diximus eſſe Democratiam: ſi penes ditiores, eſſe Oligarchiam. Nam explicatum eo libro, alias magiſtratus communicari omnibus, vt in Democratia; alias ditioribus tantum, vt in Oligarchia, iiſque paucis; alias pluribus virtute præditis, vt in Ariſtocratia; aut militari virtute præditis, vt in Republ. Ex quibus intelligitur, cur propter partium ciuitatis diſſimilitudinem Reſpub. ipſæ varient.

Ratio.

Οἷον ἱπποτροφίας.] Nobilitatis genus ex diuitiis olim maxime in equis alendis conſtitiſſe, ait. quod idẽ ſæpe commemo-

memorant veteres ſcriptores, *Demoſthenes περὶ τοῦ στεφάνου, Iſocr. περὶ τοῦ ζεύγους, Thucydides lib. 6.* Adiungit autem Ariſtoteles, in iis fere ciuitatibus olim fuiſſe Oligarchian, in quibus hoc alendorum equorum ſtudium eſſet vſitatum, vt in Eubœa inſula, & in Aſiæ quibuſdam ciuitatibus. Quid ita? quia in iis ciuitatibus aliquos neceſſe eſt præter cæteros fuiſſe opulentos: neq; enim tenuiores equis alendis ſunt pares. Iam vbi opulenti, ibi fere oligarchia.

TEXTVS.

Maximæ autem duæ eſſe videntur, vt ex ventis dicũtur hi quidem Aquilonares, illi vero Auſtrales; alij vero, horum aberrationes: ſic ex Rebuſpublicis ſunt duæ, populus & Oligarchia: Ariſtocratiam namque Oligarchiæ ſpeciem ponunt, vt quę ſit quædam Oligarchia: & ea quæ dicitur Reſpub. Democratiam, quemadmodum in ventis Fauonium quidem Aquilonis, Auſtri vero Vulturnum. Eodem quoque modo ſe habet res in harmonijs, vt quidam aiunt; nam & ibi duo Regionum genera, Dorium & Phrygium: alias vero compoſitiones partim Dorias, partim vocant Phrygias. Sic igitur maxime quidem de Rebuſpubl. exiſtimare videntur. Verius autem & rectius & melius, vt nos diſtinximus, duarum aut vnius recte conſtitutæ alias eſſe aberrationes: has quidem harmoniæ bene temperatæ, illas vero optimæ Reipublicæ: Oligarchicas quidem intentiores & magis heriles: populares vero eas, quæ ſint remiſſiores & molliores.

COMMENTARII.

Μάλιστα δὲ δοκοῦσιν.] Quorundam de Rerumpub. generibus ſententiam exponit & reprehendit. Erant enim qui duo tantum Rerumpubl. genera eſſe dicerent, Democratiam & Oligarchiam, exemplo ventorum & concentuum ſeu har- *Opin. quorũdam, duo tantũ Reip. genera ſta-*

tentiū, Democratiam & Oligarchiam. moniarum. Nam & ventorum ſumma duo tantum eſſe genera, Septentriones & Auſtrum, ad quos alii venti tanquam ſpecies, referantur. Et harmoniarum duo quoq; ſumma eſſe genera, Phrygiam & Doriam, Barbaram & Grȩcam, ad quæ

1. ὁμοίωσις. reliqua quinque, Lydia, Hypolydia, Mixolydia, Hypophrygia,

2. ὁμοίωσις. Hypodoria (nam ſeptē fere commemorantur. *Athenaus lib. 14.*) accommodentur. Ad eundem modum ad hæc duo, ad Oligarchiam accommodari Ariſtocratiam, & Democratiæ Rempublicam. Quam illorum ſententiam *infr. cap. prox.*

Ratio. confirmari poſſe oſtendit hac ratione; Quia in ciuitatibus duæ ſummæ ſint partes & maxime conſpicuæ, diuites &

Sua diuiſionis confirmatio. pauperes. Verum rectius ſe ſentire & ſuam Rerumpub. diuiſionem meliorem eſſe, qua Reſpub partim dicantur rectæ, partim vitioſæ & prauæ, monet: id quod ex prioribus eſt perſpicuum, nempe ex partium ciuitatis diſſimilitudine multi-

Similitudo. plicium: ita vt quemadmodū in harmoniis rectæ ſunt quædam, quædam diſcrepantes, item in Rebuſpublicis quædam ſint rectæ, quædam vitioſæ, ab illis aberrantes, vt Oligarchia & Democratia: & vt ex harmoniis diſcrepantibus aliæ iuſto ſunt intentiores, aliæ remiſſiores: ſic & in Rebuſpubl. vitioſis aliæ ſunt grauiores & acriores, τυραννικώτεραι, & magis heriles, vt Oligarchia; aliæ ſolutiores ac liberiores, vt Democratia. Cæterum de comparatione Rerumpublic. & harmoniarum dictum *ſupra lib. 1. cap. 2.*

CAPVT IV.

1. Pars. TRes huius capitis ſint partes: quarum in prima de ve-

2. Pars. ris notis & definitione Democratiæ & Oligarchiæ: in

3. Pars. altera rurſus de ciuitatis partibus & membris: in tertia de Democratia nominatim & eius generibus explicatur.

TEXTVS.

Democratiam autem non oportet ſic ſimpliciter, vbi Princeps eſt populus (vt quidam nunc faciunt) ſtatuere. Etenim in Oligarchijs & vbique maior pars eſt princeps: neque Oligarchiam, vbi pauci Reipublicæ ſunt principes. Nam ſi omnes ſint mille & trecenti, horumque mille diuites, & imperium non communicent cum trecentis &

pau-

pauperibus liberis, & alioqui & cætera ſimilibus: nemo hos Democratia vti dixerit. Item etſi pauperes quidem ſint pauci, diuitibus vero pluribus potiores; nemo ne talem quidem vocaret Oligarchiam, ſi alijs diuitibus honores non communicentur. Dicendum igitur potius, populum quidem eſſe, cum liberi ſint principes; Oligarchiam vero, cum diuites. At illos quidẽ accidit eſſe multos, hos vero paucos. Nam liberi quidem multi, diuites vero pauci. Nam ſi magnitudine quoque imperia deferãt, vt in Æthiopia quidam aiunt, aut ex forma; eſſet Oligarchia. Exiguus namq; eſt numerus & formoſorum & magnorum. Sed enim ne his quidem ſolum ſatis diſtinguantur hæ Reſpub. Verum quia plures ſint partes & populi & Oligarchiæ; hoc amplius ſumendum, ne populum quidem eſſe, ſi liberi pauci pluribus & non liberis imperent, vt Apolloniæ ad mare Ionium, & in Thera: in vtraque namque hac ciuitate honores capiebant nobilitate antecellentes & qui primi fuerint coloni, pauci ex multis: neque eſſe populum, ſi diuites; quia multi ſuperent, vt antiquitus Colophone. ibi namque ante bellum cum Lydis multi magnas habebãt diuitias. Verũ Democratia quidem eſt, cum liberi & pauperes, ijque multi, imperij ſint participes: Oligarchia vero, cum diuites & nobiliores, ijque pauci.

COMMENTARII.

Οὐ δεῖ δὲ τιθέναι.] Exponit, quæ harum Rerumpubl. Democratiæ & Oligarchiæ, veræ ſint notæ & definitiones, reprehenſis falſis, quem locum *ſupra* copioſe explicauimus *lib. 3. cap. 5.*

TEX-

TEXTVS.

Quamobrem eſſe quidem multas Reſpublicas, & quam ob cauſam, explicatum eſt. Cur autem prioribus ſint plures, & quæ, & quare; videamus, ſumpto prius allato exordio. Nam omnem ciuitatem fatemur non vnam partem, ſed plures habere. Vt igitur ſi animãtis ſpecies habere velimus; primũ diuidamus, quod neceſſario habeat omnis animans, vt & ſentiendi quædam organa, & cibi conficiendi, & capiendi, vt os & ventrem; præterea partes, quibus quæq; earum mouetur: ſi igitur tot tantum ſunt ſpecies, harum autem ſunt diſcrimina, vt oris, inquam, plura quædam genera, & ventris & ſentiendi organorum, adhæc & partium motricium: neceſſario harum coniunctionis numerus plura faciat animantium genera: neq; enim fieri poteſt, vt eadem animans habeat plures oris differentias, neque item aurium; adeo vt quoties harum omnes, quæcunque eſſe poterunt, coniunctiones fuerint ſumptæ; ſpecies animãtis ſint redditturæ, totque animantis ſpecies, quot neceſſariarum partium ſint copulæ ſiue coniunctiones. Ad eundem modum & in prioribus Rebuſpublicis. Nam, vt ſupra dictum, ciuitates non ex vna, ſed ex multis conſtant partibus. Vna igitur eſt illa quidem multitudo ad victum, qui dicuntur agricolæ, altera vero, quæ dicuntur opificia, quæ eſt in artibus, queis ſine ciuitas conſtare nequit. Harum autem artium aliæ quidem neceſſitatis cauſa, aliæ vero delitiarum, & liberaliter viuendi, adeſſe debent: tertia vero tabernaria. Tabernariam vero voco eam, quæ verſatur in venditionibus & emptionibus

bus,& mercaturis & cauponationibus: quarta vero mercenaria: quinta vero, quæ ſit propugnatura, quæ his non minus eſt neceſſaria, ſi inuadentibus non ſeruient. Nam ex rerum numero earum, quæ fieri nequeunt, ſit, eam ciuitatis nomine dignari, quæ natura ſit ſerua. Ciuitas enim rebus omnibus inſtructa: quod autem ſeruum, non eſt inſtructum. Quapropter in Rebuſpubl. ſcite iſtud, non ſatis tamen dicitur. Ait namque Socrates, ciuitatem ex quatuor maxime neceſſarijs conſtare; hos autem vocant textorem & agricolam, & ſutorem, & fabrum lignarium. Rurſus autem, quaſi hi nō ſint ſatis, addit fabrum ferrarium, & pecorum neceſſariorum magiſtros, mercatorem præterea & cauponem. Eaque omnia primæ ciuitatis ſunt complementa, quaſi ciuitas omnis non honeſti potius, ſed rerum neceſſariarum cauſa conſtituatur, & ſutoribus peræque opus habeat, atque agricolis. Partem autem propugnantem non prius attribuit, quam agro aucto, & ad finitimos dilatato, in bellum incidant. Atq; & inter quatuor, & quotcunque ſocios quendam eſſe neceſſe eſt ius redditurum & diſceptaturum. Si igitur animam quoq; magis animantis partem, quam corpus, quis ponat: ciuitatum quoque tales, propugnans & iuſtitię iudicialis particeps, magis ſunt ponendę, quam quæ ad vſus neceſſarios pertineant: ad hæc, conſultatrix, quod eſt ciuilis prudentiæ officium; & quidem ſiue ſeparatim quibuſdam adſunt, ſiue ijſdem; nihil ad diſputationem intereſt: nam ijſdem ſæpe accidit, & militare, & agros colere. Quare ſi & hæ & illæ ciuitatis ponendæ ſunt partes, perſpi-

perſpicuum eſt, militarem quoque ciuitatis partem eſſe neceſſariam. Septima autem, quæ copiis deſeruit, quam diuites vocamus. Octaua, ea, quæ Reipublicæ inſeruit, & in magiſtratibus verſatur: ſiquidem abſque magiſtratibus fieri nequit, vt ſit ciuitas. Neceſſarii igitur ſunt quidam, qui præeſſe poſſint, & qui munera obeant, vel perpetuo, vel viciſſim. Reliquę, de quibus ſatis diſtinximus, ſunt conſultatrix & diſceptatrix de iure inter litigantes. Hæ igitur ſi ciuitatibus adeſſe debent, idque recte & iuſte, neceſſario aliqui quoque eſſe debẽt, qui virtutem rerum ciuilium habeant. Et quidem plerisq; videt̃ alias facultates in ijſdẽ ineſſe poſſe, vt eoſdem eſſe ꝓpugnatores & agricolas & opifices, etiam & conſiliarios & iudices. Vindicant autem virtutem omnes, multoſque magiſtratus ſe poſſe ſuſtinere exiſtimant; ſed, ijdem vt ſint pauperes & diuites, fieri nequit: quare hæ maxime videntur eſſe ciuitatis partes, diuites & pauperes. Præterea, quia plerunque illi ſint pauci, hi vero multi; hæ partes ex ciuitatibus & earum partibus contrarię videntur. Quare & Reſpublic. ex harum præſtantijs conſtituunt: Et duæ Reſpublicæ eſſe videntur, Democratia & Oligarchia.

COMMENTARII.

Ὅτι μὲν οὖν πολιτεῖαι.] Etſi ſupra de Rerumpubl. generibus explicauit, cauſamq; attulit, quare non vnum vel duo, ſed plura ſint genera: hoc tamen loco rurſus & quidem enucleatius de eadem re, id eſt, de Rerumpub generibus explicandum ſibi putauit, propterea quod non tantum ſumma Rerumpubl. ſex genera, ſed horum cuiuſque ſuas partes & ſpecies diſtincte & articulate reperire & explicare velit. Multa igitur & varia eſſe Rerumpub. genera, & horum ſummorum generum ſuas ſpecies eſſe, & cuiuſq; partes, docet ex par-

Multa & varia eſſe

ex partibus ciuitatis, earumq; inter ſe copulis & coniunctionibus, quemadmodum & ſupra docuit. Cur autem ex partium varietate, & multiplici coniunctione Reſpublicæ varient; rationem quidem iam ſupra attulimus; hic Ariſtoteles ſimilitudine & cõparatione ab animantibus ſumpta explanat. Nam cum animantium multa ſint genera; eorũ cauſam eſſe ait, & rationem quoq; cognoſcendarum partium & membrorum varietatem & vſum multiplicem: verbi gratia, partes animantium aliæ ſunt ſentiendi cauſa, vt aures, oculi, &c. aliæ cibi capiendi & conficiendi, aliæ ingrediendi & mouendi, aliæ alîus vſus cauſa: quæ partes quia mirifice in animantibus variant (vt in homine pars motus eſt pes, in aue ala, in piſce pinna, & rurſus in homine bini pedes, in beluis fere quaterni, & rurſus in quaternis alii fiſſi, alii ſolidi) hinc, inquam, animantium genera exiſtunt, & internoſcuntur, aliæ vt ſint natantes, volantes, bipedes, quadrupedes, fiſſipedes, ſolidipedes. Sed de hac re, id eſt, de cauſis variorum animantium generum, partibus, inquam, vita & moribus videatur *Ariſtoteles lib. 1. & 2 cap. 1. de partibus animantium, & libro 1. cap. 1. de hiſtoria animantium.* Ex hac igitur partium diſſimilitudine, (nam vt eleganter Ariſtot. οὐ γὰρ οἷόν τε ταὐτὸν ζῷον. Abſurdum ſit, inquit, vt eadem animantis ſpecies aliam, verbi gratia, oris atq; roſtri, atque aliam formam habeat.) atque ex earum partium multiplici coniunctione & copula (fieri namque poteſt, vt diſſimiles licet animantes eandem tamen oris formam & alterius partis habeant, non tamen omnium) ex his, inquam, varia animantium genera exiſtunt, vt diximus. Ad eundem modum & Reipublicæ varia genera ex eius partibus multiplicibus, & earum inter ſe copulis oriuntur & dignoſcuntur. Neq; vero noua eſt comparatio animantis & Reipubl. nam & alia harum pulcherrima comparatio extat apud *Ariſtotelem in libro de motu animantium, cap. penult. & apud Platonem alicubi.* Quo pertinet & comparatio Menenii Agrippæ *apud Liuium.* Partes igitur ciuitatis plures eſſe, iam ſæpe *ſupra dictum* eſt, vt *initio libri primi & libri ſecundi.* Quæ autem & quot eæ ſint, explicat & hoc loco, & *infra lib 7. cap. 8. & 9.* Et hic quidem octo commemorat, *libro ſeptimo* ſex, vt quia tres hæ primæ ad vnam reuocari poſſunt. Prima eſt igitur agricolarum, ad victum parandum & ſuppeditandum ciuitati neceſſaria; altera eſt

Rerumpub. genera propter varias ciuitatis partes.

ὁμοίωσις.

Partes ciuitatis.

1. Agricolarum.

2. Opificum tera eſt opificum, & ipſa ciuitati neceſſaria, quæ ſine opificum artibus nulla eſſe poſſit: etſi opificum artes aliæ aliis ſunt magis neceſſariæ. Nam omnes vel ad vſus ſunt neceſſarios comparatæ, vel ad ornatum & delicias, vt pictorum, eorum qui tapeta conficiunt, ſericariorum, (quæ omnia non ſunt neceſſaria, ſed tantum cauſa voluptatis ſunt inuentæ.)

3. Mercatorum. Tertia eſt Mercatorum, Inſtitorum, Tabernariorum, Cremerorum: nam & hos Reipublicæ eſſe neceſſarios ex eo intelligitur, quod rerum permutatio generi humano ſit neceſſaria, ſicut explicauimus *lib.1.* Quarta eſt Mercenariorum,

4. Mercenariorum. Baiulorum, Tabellariorum, Cuſtodum, &c. Quinta & Mi-

5. Militum. litum, & ipſa neceſſaria, non minus, inquit, quam priores, libertatis conſeruandæ, & depellendæ ſeruitutis: nam hic militum eſt vſus, hoſtes patriæ libertati inſidiantes depellere. Si igitur libertas ciuitati eſt neceſſaria, vt eſt (ciuitas namq; eſt αὐτάρκης, & proinde libera: nam quicquid ſeruit non eſt αὐτάρκες, opus habet alio cuius ductu regatur & conſeruetur, *ſupra lib.1.*) ſequitur hanc quoq; partem ciuitati eſſe ne-

6. Conſilii & iudicii. ceſſariam. Sexta pars in conſiliis & iudiciorum modo cernitur, & ipſa vel maxime neceſſaria, vt quæ ciuitatis ſit velut anima, & ſummum prudentiæ ſeu ciuilis ſapientiæ munus & officium, vt explicatum *ſupra lib.6. Ethic.* Vt igitur ex animantis partibus anima eſt potior & magis pars quam corpus, (qua de re *ſupra lib.9. Ethic.*) ita & ex ciuitatis partibus ea, quæ in iudiciis & conſiliis eſt poſita, veriſſima & prima

7. Diuitum & copioſorum. ciuitatis pars cenſeri debet. Septima eſt diuitum & copioſorum, & ipſa neceſſaria, inquit *infra lib.7.* ad vſus belli & pacis; quorum diuitiis & copiis publica inopia ſubleuetur: maxime Græcorum tamen moribus accommodata, apud quos non minus priuati, quam Reſpub. ſumptus facere cogebantur, & munera oneraque Reipublicę ſuis ſumptibus obire &

λειτουργίαι. adminiſtrare, quas λειτουργίας vocabant. Octaua & vltima

8. Magiſtratuum. eſt magiſtratuum, & ipſa Reipubl. neceſſaria; quia, quod & hic, & infra ſæpius iterat, ſine magiſtratibus ciuitas nulla eſſe poſſit: qua de re videatur *Cicero initio libri tertii de legibus, de neceſſitate magiſtratuum.*

Platonis partitio reprehenſa. Διόπερ ἐν τῇ πολιτείᾳ.] *Platonis* de ciuitatis partibus ſententiam reprehendit, qui & ipſe quidem *lib.2. de Repub.* de iis explicarit, ſed non ſatis: prætermiſſis nimirum aliquot neceſſariis. Nam Plato partes ciuitatis primo quatuor tantum

eſſe

eſſe ait;textorum,agricolarum,ſutorum,& fabrorum lignariorum: deinde tres alias adiicit,fabrorum ferrariorum,paſtorum & mercatorum. Huius Platonicæ partitionis vitia Ariſtoteles hic notat. Primum, quia partes eas faciat, quæ tantum pertineant ad vſus vitæ neceſſarios, non etiam ad liberales, cum tamen ſupra initio libri tertii docuerit, ciuitatis ſcopum non eſſe neceſſarium, ſed liberalem vitæ cultum & αὐτάρκειαν. Secundo,quia eodem loco ponat ſutores,quo agricolas, id eſt, illos peræque ciuitati neceſſarios,atq; hos: abſurde. Neque enim vt abſq; victu & cibo humanum genus conſiſtere nequit,ita neque abſq; calceamentis. Prudentius Ariſtoteles, qui agricolis omne opificum genus comparat: vt peræque ciuitati neceſſarium. Tertio,quia in ciuitatis partibus omittit militem, iudicem & conſiliarium; hos quidem prorſus; illum vero, quam diu ciuitatis imperium & ager non fuerit dilatatus. Nam Plato ciuitati milites non putauit neceſſarios, quam diu non eſſet belli metus: vt hunc non fore, niſi imperio dilatato, & ad finitimos propagato; non ſatis prudenter. Nam belli metus non tantum propter finium prolationem ſeu propagationem, ſed alias quoq; ob cauſas eſſe poteſt, vt florente ciuitate: cui vel finitimi, vel exteri inſidientur vel inuideant. Iudicia autem plane excluſit Plato: quia ciuitatem ita temperet, in qua nullus ſit litibus locus,quod optare potius eſt,quam diſputare,in hac humani generis πλεονεξίᾳ & improbitate. Et hæc quidem Plato in priore Republica, nam in altera & milites & iudices conſtituit.

1. Reprehẽſio. *2. Reprehẽſio.* *3. Reprehẽſio.* *Ratio.* *4. Reprehẽſio.*

Καὶ ταῦτα πάντα γίνεται.] Occurrit contradictioni cuidam: nam contradici poterat, tot ciuitatis partes non eſſe neceſſario diſtinguendas,hac ratione; quia fieri poſſit ſæpenumero, vt vnus idemque ſit & agricola, & miles, & iudex: omnes has artes vnus norit, omneſque eas partes ſuſtinere & tueri poſſit: nota namq; eſt hominum πολυπραγμοσύνη & φιλαυτία: quia omnia ſe poſſe & noſſe ſibi perſuadeant, atque adeo concupiſcant. Ariſtoteles fatetur quidem, hæc poſſe concurrere; non ex eo tamen effici,quin partes ciuitatis diſtinctæ eſſe debeant: propterea quod ſemper certum ſit, ea munera ciuitati eſſe neceſſaria: vt omittamus *diſputationem Platonis in libris de Repub.* qua concludit, Reipublicæ eſſe perniciosum, ſi vnus idemq; plures artes exerceat.

Obiectio. *Solutio.*

Εἴπερ οὖν καὶ ψυχήν.] Præclarus eſt locus de conſiliis & iudiciis, ea eſſe velut animam & mentem Reipublicæ, quod & aliquoties iterat *Cicero*.

Ἀλλὰ πένεσθαι καὶ πλουτεῖν.] Poteſt, inquam, vnus idemque eſſe & opifex & iudex, & miles: ſed diues & pauper vnus idemque eodem tempore eſſe nequit: quare fuerunt, qui has duas partes pauperum & diuitum in ciuitatibus ſummas & maxime diſtinctas eſſe exiſtimarint, eaſque inter ſe contrarias; quia pauperes plærique ſunt multi, diuites pauci; eaq; propter duo tantum ex his partibus manantia eſſe Rerumpublicarum genera, Democratiam & Oligarchiam, quorum ſententiam ſupra refellimus. etſi ea hodieque probatur erudito Iuriſconſulto *Bodino in libro de methodo hiſtoriæ, cap. 6* qui libellus hodie paucis viſus.

TEXTVS.

Democratiæ ſunt plura genera. Multas igitur eſſe Reſpublicas, & quas ob cauſas; ſupra explicatum. Eſſe autem multa quoque & Democratiæ & Oligarchiæ genera, videamus: Hoc autem ex prioribus fit planum. Sunt enim multa & populi & nobilium genera, vt quidē populi genera; vnum quidem agricolarum, alterum vero quod in opificijs: aliud vero tabernarium, quod in venditionibus & emptionibus verſatur: Aliud vero, quod in rebus nauticis & marinis, & huius hoc quidem militare, illud vero quæſtuarium, illud vero nauticum, illud vero piſcatorium: Multis namque in locis magna horum cuiuſque generis eſt multitudo: vt piſcatores quidem Tarenti & Byſantij: claſſiariorum vero genus Athenis: mercatorum in Ægina & Chio. Nauticum vero in Inſula Tenedo. Adhæc mercenarium, & exiguas habens copias, vt ocioſo eſſe non liceat: præterea ex non vtriſque ciuibus liberorum genus, & ſi qua talis alterius multitudinis ſpecies.

Oligarchia Nobilium autem diuitiæ, genus, virtus, inſtitu-

tio &

tio & his ſimilia, quæ eadem differentia dicuntur. *plura ſunt genera.*

COMMENTARII.

Ὅτι μὲν οὖν εἰσὶ πολιτεῖαι] Poſtquam vniuerſe docuit Rerumpubl.genera eſſe plura: nunc ſingulatim de iis Rerumpubl. generibus, Democratia maxime & Oligarchia & earum partibus, explicat. Et primum quidem de Democratia: multa eius eſſe genera docet: quæ priuſquam exponat, ciuium partes rurſus commemorat duas ſummas, plebem & nobiles. Plebis quatuor facit partes, agricolas, opifices, mercatores & nauticos. Sic enim eorum hominum genus vocemus, qui cum mari & in mari habent commercium, quorum quatuor ſunt genera, milites claſſiarii, mercatores, nautæ, & piſcatores. His autem quatuor generibus plebis addit & quintum mercenariorum, & ſextum liberorum quidem, ſed non ex vtroque parente ciui natorum. Nobilium quatuor facit genera; partim qui diuitiis, partim qui generis antiquitate, partim qui virtute & rebus geſtis, partim qui doctrina & inſtitutione antecellant. An autem hæc nobilium genera ſint vera, explicare non eſt huius loci. Solet plærunq; Ariſtoteles duo facere nobilium genera, diuites & generoſos. Ex harum igitur duarum partium, pleberorum, inquam, & patriciorum, diſſimilitudine Rerumpublicarum genera, Democratia & Oligarchia, earumque præterea partes diſſimiles exiſtunt. *Plebis partes.* *Nobilium genera.*

TEXTVS.

Democratia igitur prima quidem eſt ea, quæ maxime ex æquitate ducitur. Lex namque talis Democratiæ, æquum iubet, id eſt, ait, ne maiori ſint in pretio diuites, quam pauperes, neque alteri, quantumuis multi, ſint domini, ſed vtrique ſint pares. Si enim libertas maxime eſt in Democratia, vt quidam exiſtimant, & æquitas; ſic maxime ſit, omnibus Reipublicæ maxime æqualiter participibus. Cum autem plebs maior, &, quod pluribus *1. Democratiæ genus.*

 viſum,

viſum, ſit ratum; neceſſe eſt hanc eſſe Democratiam.

COMMENTARII.

Δημοκρατία μὲν ἕν.] Hoc loco tandem de Democratiæ generibus explicat, de quibus & *infra cap.6. & libr.6. cap.4.* de iis & *Iſocrates in Areopagitico, & Cicero in libris de Republica & Plato in libro 6. de Repub.* Plato vnum tantum Democratiæ genus nouit & explicat, quod Ariſtoteles extremum & deterrimum eſſe ait. Quam Platonis opinionem & aliorum, qui vnum duntaxat genus Democratiæ norint, ſupra notauit Ariſtoteles. *Iſocrates & Cicero* duo Democratiæ genera norunt, rectam & vitioſam. Ariſtoteles omnem Democratiam ſupra docuit eſſe vitioſam, aliam tamen alia minus eſſe vitioſam. Ariſtoteles igitur hoc quidem cap. quinque genera Democratiæ commemorat, capite ſexto vero, vbi cauſas, cur tot ſint Democratiæ genera, adfert quatuor. Quam diſſenſionem ſeu ἐναντιοφανὲς infra conciliabimus.

Platonis opinio.

Iſoc. & Cic. Ariſtot.

1. Genus Democ.

Prima igitur Democratia, eaq; veriſſima, & maxime propria eſt ea, vbi aditus ad magiſtratus patet omnib. nō tantū ciuibus, ſed etiam inquilinis, inhabitantibus, vt vulgo loquuntur, nullo nec ciuitatis nec cenſus diſcrimine. Cur autem hæc maxime ſit propria & princeps Democratia, hanc rationem adiungit Ariſtoteles; quia in hoc maxime & præter cæteras vera Democratiæ nota, libertas & æquitas, reperiatur. Hanc autem Democratiam *infra lib.6.* prætermiſit Ariſtoteles, quia (ni fallor) inuſitata aut certe rara, in qua etiam aduenis & inquilinis pateant imperia.

Cur hanc infra omiſerit.

TEXTVS.

2. Genus Democ.

Hoc igitur vnum eſt quidem Democratiæ genus. Aliud, quo magiſtratus à cenſibus, ijſque exiguis, mandentur. In quo ei quidem qui teneat, poteſtas ſit capiendi, & qui amiſerit, non capiendi (ſcilicet poteſtas Magiſtratus.) Aliud Democratiæ genus, quo ciues omnes, qui exceptione non excludantur, ſint participes, lege tamen dominãte. Aliud Democratię genus, quo omnibus ad magiſtratus

3. Genus.

4. Genus.

giſtratus pateat aditus, ſi modo ſit ciuis, lege tamẽ dominante. Aliud Democratiæ genus, quo vt alia quidem ſint paria, dominetur tamen multitudo, non vero lex, quod accidit, vbi decreta dominantur, non vero lex. Id quod accidit propter Demagogos. Nam in Democratijs ex lege adminiſtrandis nõ eſt Demagogus, ſed optimi ciuium primas tenẽt: vbi autem leges non dominantur, hic Demagogi exiſtũt. Nam populus monarcha fit vnus ex multis conſtitutus; nam domini ſunt multi, nõ vt ſinguli, ſed vniuerſi. Homerus autem quem dicat non eſſe bonum multorum dominatum, hunc ne, an cum plures ſint, qui præſint tanquã ſinguli: incertum eſt. Talis igitur populus, vt Monarcha, quærit vt monarcha præeſſe & imperare, eo quod à lege ei non imperetur, & herilis exiſtit. Quare aſſentatores in precio. Atque talis populus reſpõdet monarchiæ ei, quæ tyrannis dicitur. Quare & ijdem mores, & vtrumque genus in meliores herile exercet imperium, & decreta, vt ibi iuſſa in tyrannide. Et Demagogus & aſſentator idem, eademque vtriuſq; ratio, maximeque vterque apud vtrumque valet; aſſentatores quidem apud Tyrannos; Demagogi vero apud populos tales. Hi autem, cur decreta, non vero leges, dominentur, ſunt auctores ad populi poteſtatem omnia redigentes. Nam fit, vt ipſi ſint magni, eo quod populus quidem ſit dominus, hi vero ſententiæ populi: multitudo namque hos ſequitur. Præterea magiſtratum accuſantes aiunt populum oportere decernere. Hic autem libenter admonitionem recipit. Quare omnes magiſtratus diſſoluuntur. Meri- *5. Genus.*

 to autem

to autem reprehẽdere videatur is, qui talem Democratiam neget eſſe Rempublicam. Vbi namq; non dominantur leges, non eſt Reſpub. Omnibus namque legem quidem dominari oportet: de rebus vero ſingulis magiſtratus & Rempublicam decernere. Quare ſi Democratia vna eſt ex numero Rerumpublicarum: perſpicuum eſt, talem deſcriptionem, in qua omnia decretis adminiſtrantur, nõ eſſe proprie Democratiam. Nullum namque decretum ſolet eſſe generale. Democratiæ igitur genera hoc modo ſint explicata.

COMMENTARII.

2. Genus Democ. Ἕτερον ἓν εἶδος.] Alterum Democratiæ genus, in quo omnibus quidem ciuibus ad imperia & magiſtratus pateat aditus: iis tamen, quibus nulla velut exceptio obiici poſſit, vt quia ciues ſint non germani, ſed nothi, non ex vtroq; parente ciue nati, vel quia ciues non nati, ſed facti, & in quo genere cenſus quoque, licet exigui, habeatur ratio: adeo quidem, vt non alii, quam qui hunc cenſum legibus definitum habuerit, magiſtratus & imperia pateant. *3. Genus Democ.* Tertium Democratiæ genus, in quo quidem cenſus non habeatur ratio, ſed generis duntaxat, vt ſint ciues germani, & non nothi. *4. Genus Democ.* Quartum Democratiæ genus, in quo omnibus quidem ad magiſtratus pateat aditus, ſed à prioribus tamen generibus longiſſime diſcrepans; nimirum quia in iis Reſpub. legum arbitrio, in hoc vltimo genere, omnia multitudinis arbitrio & decretis adminiſtrentur. *Hoc genus omniũ deterrimum.* Eaque propter hæc Democratia omnium eſt deterrima, atque adeo Reipublicæ nomine vix digna. *Ratio.* Nam, vt præclare Ariſtoteles, vbi ſilent leges, vel, vbi legibus non eſt locus, ibi nulla eſt Reſpub. Quid ita? Quia lex omnium domina & regina eſſe debet, in iis certe rebus in quibus locum habere poteſt, vt in rebus generalibus & vniuerſis. Nam in rebus ſingularibus decreta ſuccurrunt. De qua differentia legis & decreti ſeu populi ſciti ſæpe dictum eſt, *& lib. 5. Ethic. cap. 6.* *Democ. hæc tyrannidi propinqua. 1. Ratio.* Atque hanc Democratiam magnam cum Tyrannide cognationem habere ait. Primum, vt quia Tyrannide vnius omnia imperio adminiſtrantur: ita & hic

populi,

populi, qui & ipſe velut eſt Monarcha, ex multis licet capitibus conſtans: ita vt ratione capitum ſit multorum imperium, ratione poteſtatis ſit velut vnius. Nam multorum imperium, cui contraria eſt Monarchia, aliud eſt, in quo multi tanquam vniuerſi imperant, vt in aliis Democratiis, Ariſtocratiis, & in Republica: adeo vt vtro de genere accipiendus ſit *Homeri* verſiculus (*lib. 2. Iliados.*

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη) ----

reprehendentis multorum imperium, dubitari poſſit. Etſi meo quidem iudicio ſatis aperte Homerus omnia multorum imperia improbare videtur, qui adiungat, εἷς κοίρανος ἔστω. Secundo, quia vtriuſque generis, Tyrannidis, inquam, & huius Democratiæ poteſtas, plane ſit herilis. Tertio, quia vtrobique floreant aſſentatores: in Tyrannide quidem veri aſſentatores: in Democratia iis conſimiles & reſpondentes Demagogi. Huius autem deterrimæ Democratiæ autores facit Demagogos. Sic enim Græci vocant, quos Latine fere tribunos plebis dicas. Quo in numero olim erant plærique Oratores, Pericles, Cleon, Lycurgus, Hyperides, Demoſthenes, &c. De hoc verbo videantur *Franciſcus Robertellius in libello variarum obſeruationum aduerſus Eraſmum.* In hos igitur omnem culpam confert Ariſtoteles, qui plebi blandiendo, & omnia ad plebis voluntatem agendo, culpandis & reprehendendis magiſtratibus & optimatibus, omnia tandem ſub populi poteſtatem & libidinem redigere ſunt ſoliti: adeo vt deminuta magiſtratuum poteſtate ac maieſtate, & legum violata authoritate, penes populum quidem ſpecietenus, vere penes Demagogos, omnis Reipublicæ eſſet authoritas & poteſtas.

Homeri locũ huic Democ. conuenire.

2. Ratio.

3. Ratio.

Huius Democrat. auctores.

Demagogi.

Demoſth. Olynth. 3. eouſque adulando plapſos ſui tẽporis Demagogos ait vt populum ſubinde rogarint.

Ὅπου γὰρ μὴ νόμοι] Præclarus eſt locus de legum authoritate, & imperio: nam vt hic Ariſtoteles rerum omnium penes leges vult eſſe imperium: ita & Chryſippus apud *Iuriſconſultum, ſecunda lege, ff. de legib.* Legem vult eſſe omnium dominam & reginam. Verũ quod hic dicitur non eſſe Rempublicam vbi penes leges non ſit imperium, ſed omnia hominum arbitrio adminiſtrentur: controuerſum eſſe poteſt, quid enim Regno fiet, quod Græci παμβασιλείαν vocant, vbi omnia manu regia adminiſtrentur: an, inquam, Rerumpublicarum in numero non erit, quia legum in eo nullus ſit vſus? Reſpondet Borraus, nullum eſſe regnum, in quo

De legum auctoritate & imperio.

Obiectio.

1. Solutio.

ſi non ſcriptarum, ſaltem naturæ legũ ſit vſus & imperium.

2. Solutio. Rectius Sepulueda, qui ne quidem in παμβασιλείᾳ omnia regis arbitrio adminiſtranda dicat, ſed ea tantum, quæ legibus comprehendi non poſſunt, ſingularia.

CAPVT V.

TEXTVS.

Oligarchiæ autem genera, vnum quidem, quo magiſtratus à cenſibus tantis, vt pauperes, etſi plures, non ſint participes, deferuntur: ei vero, qui poſſideat, Reipublicæ participi eſſe liceat. Aliud, cum à cenſibus non magnis deferantur magiſtratus, ipſique eos, qui deſiderentur, cóoptent. Quod ſi quidem ex omnibus his faciant, ad Ariſtocratiam hoc potius ſpectare videtur: ſi vero ex certis quibuſdam, ad Oligarchiam. Aliud Oligarchiæ genus, cum filius patris loco ſuccedat. Quartum vero, cum & quod nunc dictum fuerit, & dominetur & imperet non lex, ſed magiſtratus. Atque hæc in Oligarchijs, tyrannidi in monarchijs reſpondet, & vltimæ, de qua diximus, Democratiæ in Democratijs, talemque Oligarchiam vocant δυναστείαν.

COMMENTARII.

Ὀλιγαρχίας δ' εἴδη.] Explicatis Democratiæ generibus, nunc de Oligarchia, de qua & *capite proximo, & lib. 5. cap. 3. 6. & 8 & lib. 6. cap. 6. & Plato lib 5 de Repub.* Ariſtoteles igitur quatuor Oligarchiæ genera hic exponit: quorum diſcrimina (quia Oligarchiæ nota fere eſt cenſus & diuitię, vt Democratiæ libertas ſeu æquitas) à cenſuum & diuitiarum diſcrimine & varietate ſumuntur.

1. Genus Oligarchiæ. Primum igitur Oligarchiæ genus valde moderatum & ciuile, in quo cenſus quidem, ſed exigui, haberũr ratio in magiſtratibus & imperiis, tanti tamen, quo tenuiores, alios licet multitudine ſuperantes, à Republica excludantur.

2. Genus Oligarchiæ. Alterum Oligarchiæ genus, in quo & ipſo non magni, ſed paulo maioris tamen, cenſus habeatur ratio:

ratio: quare fit, vt in hoc genere pauci plus ſibi ſumãt, quam in priore. Nam in priore omnia legibus adminiſtrãntur, in hoc non omnia: nam in priore magiſtratus illis tantum patent, quibus cenſus lege definitus permittat; in hoc magiſtratus deferuntur etiam ipſorum paucorum arbitrio, non omnes quidem, neq; omnibus; ſed ſi qui ex primis lege cõſtitutis ſint demortui, in horum locum alios ipſi pauci ſuo arbitratu conſtituunt & ſupplent. Tertium genus, in quo iam magni cenſus habeatur ratio; quare fit, vt in hoc genere ſint perpauci, maioremq; ſibi vindicent poteſtatem, & longius à legibus diſcedant: adeo, vt etiam liberis tradant imperia. Quartum, in quo maximi cenſus habeatur ratio, eaque propter in hoc genere & ſint perpauci, qui omnia ſuo arbitratu & libidine, contemptis legibus adminiſtrent. Quare hæc Oligarchia omnium eſt nequiſſima, & reſpondet in Monarchiarum generibus tyrannidi: in Democratiæ generibus extremæ illi Democratiæ. Hanc ait vocari δυναστείαν certo & proprio nomine: *vt & infra libr. 5. cap. 3. 6. & 8. & inſta hoc libro, cap. 11.*

3. Genus Oligarchiæ.

4. Genus Oligarchiæ.

δυναστεία.

Ἀπὸ τιμημάτων μακρῶν.] Scribendum, ἀπὸ τιμημάτων μὴ μακρῶν. Nam in ſecundo genere cenſus eſt ille quidem priore genere maior, non tamen magnus.

Ἂν μὲν οὖν ἐκ πάντων.] Cooptatio in eorum, qui deſiderantur, locum, ſi fiat ex omnibus iis, qui eo cenſu cenſeri poſſint, erit Ariſtocratia: ſi ex certis tantum pro affectu & libidine, eſt Oligarchia, *infra cap. 14.*

Ὅταν ὑπάρχῃ τό.] Id eſt, diuitiarum copia & imperiorum in liberos translatio.

TEXTVS.

Tot igitur Democratiæ & Oligarchiæ ſunt genera. Non eſt autem ignorandum, ſæpe accidere, vt Reſpublica ex legibus quidem non ſit Democratica, moribus vero & inſtitutis populariter geratur: contra vero apud alios item, vt Reſpub. legibus quidem ſit magis popularis, inſtitutis vero & moribus magis Oligarchica. Id quod maxime accidere ſolet, poſt mutationes Rerumpublica-

rum. Neque enim ſtatim momento mutantur: ſed primis contenti ſunt, paucis in rebus alios ſuperantes. Quo fit, vt leges quidem priores maneant; vincant tamen, qui Rempublicam mutant.

COMMENTARII.

Admonitio

Ὀλιγαρχίας μὲν οὖν εἴδη.] Monet Ariſtoteles de his duobus Reipublicæ generibus, Democratia & Oligarchia, ſæpe hoc vſu venire, vt legibus ſeu legum ratione ſit Oligarchia: vſu Democratia: & contra, vſu & inſtitutis Oligarchia: legibus ſit Democratia. Cuius rei hanc ait eſſe cauſam, quia in Rerumpubl. mutationibus auctores mutationum operam dare ſolent, vt ne continuo & ſtatim omnia mutent, ſed ſeruatis etiam prioribus legibus ſatis habent, vt ſaltem in ſumma Reipubl. quibuſdam in rebus ſint ſuperiores. Quo præcepto moniti non facile aberrabimus, neq; decipiemur. Nam alioqui ſæpe quis Rempub. quæ eſſet Oligarchica, putaret eſſe Democratiam, vel contra.

Ratio & cauſa.

Vnde etiã ſupr. cap. 1. huius libri monuit, nõ ex legib. ſed fine & principatu Rerump. formas deprehendi.

CAPVT VI.

HOc capite cauſas exponit, cur tot ſint Democratiæ & Oligarchiæ genera.

TEXTVS.

Tot autem Democratiæ & Oligarchiæ eſſe genera, ex ijs ipſis, quæ ſunt expoſita, intelligitur. Nam neceſſe eſt, partes ſupra populi expoſitas, vel omnes Reipublicæ eſſe participes, vel has quidem, has vero non. Cum igitur agricolæ, & quæ pars modica habet bona, Reipublicæ fuerit domina, Republica ex legibus vtuntur. Nam ex opera viuunt, ociari nequeunt. Quare, lege conſtituta, neceſſarijs tantum de cauſis ad comitia occurrunt. Alijs autem participibus eſſe licet, vbi cenſum legibus definitum fuerint nacti. Quare omnibus habentibus participibus eſſe licet. Nam omnino non licere omnibus, eſt Oligarchicum. Ociari autem

tem vt liceat, non ſuppeditantibus vectigalibus, fieri non poteſt. Atq; hoc quidem vnum eſt Democratiæ genus, propter has cauſas. Alterũ genus eſt propter proximã magiſtratuũ cooptationem. Nam fieri poteſt, vt omnibus pateat, qui non propter genus repellantur; ijs tamen, qui ocioſi eſſe poſſint, pateat aditus. Quare in tali Democratia leges præſunt, eo quod non ſunt vectigalia. Tertium genus, quo omnibus, qui modo ſint liberi, pateat ad Rempublicam aditus: qui tamen non capeſſant propter priorem cauſam. Quare & in hac neceſſe eſt, legem præeſſe. Quartum Democratiæ genus eſt, ea quæ tempore vltima in ciuitatibus ſit orta. Propterea namque, quod ciuitates multo maiores, quam ab initio, fierent, & vectigalium eſſet copia; omnibus quidem ad Rempublicam propter multitudinis præſtantiam patet aditus. Participant vero & adminiſtrant, eo quod pauperes quoq;, accepta mercede, ocioſi eſſe poſſint. Atqui talis multitudo maxime ociatur. Nihil enim ipſos remoratur rerum cura ſuarum. Diuites remoratur adeo, vt ſæpe neque comitijs intereſſe, neque iudicare poſſint; quo fit, vt pauperum multitudo, Reipublicæ ſit domina, non vero leges.

COMMENTARII.

Ὅτι δ' ἐστὶ τοσαῦτα εἴδη.] Monuit Ariſtoteles *ſupra capite 4. & 5.* de Democratiæ generibus, prima quatuor ab vltima hac inprimis nota differre, quod in illis Reipub. imperium ſit penes leges, in hoc penes homines, id eſt, plebem. Huius rei cauſam hoc tandem nunc loco explicat. Quæ vt intelligatur, ex Græcorum antiquitatibus hoc eſt repetendum, in Græcorum ciuitatibus vſitatum fuiſſe, mercedem & honorarium

Magiſtratuũ & iudicũ Græcorũ ſportulæ.

rarium conſtituere magiſtratibus & iudicibus, ad cõciones & ad ludos venientib. nũc drachmã, nũc duos obolos, &c. De quo Græcorum inſtituto videatur *Pollux lib. 8. Suid. in Theorica. Ariſtophanis interpres, Lucian. alii, Demoſth ſæpe.* Romæ iudicum quidem erant ſportulæ, magiſtratuum vel ad comitia vel ludos euntium, nulla merces, vel honorarium. Notum eſt autem, primis temporibus & ciuitates fuiſſe exiguas, & exigua earum vectigalia (vt *in Officiis Ciceronis* dicitur, primo Romæ fuiſſe exigua admodum vectigalia) & paruis vectigalibus non poſſe magnam mercedem, aut ne vllam fortaſſe conſtitui magiſtratibus, iudicibus, conciones, ludos frequentantibus. His præmunitis Ariſtoteles in hoc capite prius quidem de generibus Democratiæ, poſtea vero de Oligarchiis rationem & cauſam reddit, cur in primis Democratiæ generibus leges dominentur, in vltimo non item. Ratio hæc eſt, quia in hoc merces & ſtipendium Rempub. gerentibus decernatur, in illis non item: idque propterea, quod in hoc & maiora ſint publica, & minora priuatorum vectigalia, in illis contra. Quid ita? quia hoc in maximis fere ciuitatibus, quarum maiora ſolent eſſe vectigalia, reperitur, & in eo omnes infimi, & fex ciuitatis dominatur, mercenarii, opifices, & proletarii (*apud Liuium lib. 2. & apud Feſtum*) quorum vel exiguus, vel nullus eſt cenſus. At in prioribus quia & minores ſunt vrbes, in iiſq; agricolæ, paſtores, mercatores quoq; & nautici dominantur; fit, vt publica vectigalia ſint minora, priuatorum maiora. Formula: In vltimo Democratiæ genere quia merces & ſtipendium Rempubl. gerentibus decernitur, in aliis non item: Ergo in his leges dominantur, in aliis non item. Ratio connexi; quia etſi in primis priuatorum reditus ſunt maiores, quam in vltimo; tamen quia omnes ſunt neq; valde tenues, neq; valde diuites: fit, vt, nulla propoſita mercede, primi ſuis rebus vacare, quam Reipub. malint, vltimus populus mercede ad Rempublicam gerendam alliciatur, eaq; velut alatur. Quare fit, vt illi ſuis rebus occupati, Reipub. imperium legibus facile permittant, hic ſuo arbitratu omnia adminiſtrari velit. Et hanc rationem de mercede attingit & *infra lib. 6. cap. 2. & cap. 4. & infra cap. 8. lib. 5.*

Cur in primis Democratiæ generib. leges dominetur, in vltimo vero non item.

Ratio.

Ἀνάγκη γὰρ ἢ πάντας τὰ.] De Democratiæ generibus, quæ & quot ſint, & cur ſupra quinque, hic & alibi fere tantum

qua-

quatuor commemorentur, explicauimus *ſupra cap.4.* Cur autẽ ſint quatuor, cauſam & ibi & hic populi partibus attribuit, quas eodem capite ſupra docuit fere eſſe quatuor. Ex quibus prima agricolarum ſi maxime dominetur, primum Democratiæ genus exiſtit. Si vltima & fex omnium mercenariorum & opificum, erit deterrima: reliquæ duæ Democratiæ ex aliis partibus temperamento quodam exiſtunt: vt *infra lib.6 cap.4.* Et hoc eſt, quod hîc ait: ſi omnes plane partes, etiam infimi quique, Remp. gerant; erit vltima Democratia: alia vero atq; alia, ſi non omnes populi partes, licet poſſint omnes, Rempub. gerant.

Καὶ μάλιστα δὲ σχολάζει τὸ.] Paradoxum videtur, dicere, plus eſſe otii pauperibus, quam diuitibus. Veruntamen ſi pauperes aliquo fruantur ſtipendio, quia non diſtineantur multis occupationibus, quas afferunt diuitiæ; mirum non eſt, his plus ſupereſſe otii.

Καὶ διὰ τὸ πλῆθος εἶναι.] His verbis maxime cauſa & ratio illa continetur, cur in extremo Democratiæ ſtatu nihil arbitrio legum, in aliis contra geratur. Nam tametſi hæc de Oligarchiis, tamen & de Democratiis accipi poſſunt & debent, cum eadem ratio & cauſa vtrobiq; eadem valeat.

TEXTVS.

His igitur de cauſis tot taliaque de Democratijs accipi poſſunt, & Democratię quidem tot ſunt genera. Oligarchiæ vero genera, primæ quidem Oligarchiæ genus eſt, cum plures quidem rem habeant, anguſtam tamen, & non nimis amplam. Poteſtatem namque faciunt habenti Reipublicæ capeſſendæ. Et quia magna ſit multitudo eorum, quibus ad Rempublicam pateat aditus, neceſſe eſt non homines, ſed legem eſſe dominam: quo enim longius à monarchia abſint, neq; tantam rem habeant, omni vt cura ſoluti ceſſare poſſint; neque tam anguſtam, vt à ciuitate ſint alendi: neceſſario exiſtimandum eſt, leges ipſis imperare, non ipſos. Quod ſi pauciores ſint, qui rem habeant, quam priores,

priores; maiorem tamē: alterum exiſtit Democratiæ genus. Nam cum plus poſſint, plus ſibi arrogant. Quare cooptant ipſi quidem ex alijs eos, qui Rempublicam ſint geſturi: quia tamen non ita ſunt potentes, vt abſque lege imperare poſſint; legem talem conſtituunt. Si vero amplius intenderint potētiam, vt, quia pauciores, ampliorem rem habeant; tertius exiſtit Oligarchiæ gradus, quo per ſe quidem magiſtratus gerant, lege tamen iubente, demortuorum liberi ſuccedant. Cum vero longe re & clientelis fuerint aucti, talis δυναστεία monarchiæ eſt vicina, dominique exiſtunt homines, non vero lex. Atque hoc quartum eſt Oligarchię genus, vltimo Democratię generi reſpondens.

COMMENTARII.

Cur in trib. primis Oligarchiæ generibus locus ſit legibus: in vltimo vero nō item.

Τὰ δὲ τῆς ὀλιγαρχίας.] Quemadmodum de generibus Democratiæ, ita & de Oligarchiæ generibus tria quidem prima cur legibus, vltimum vero cur non legibus, ſed hominum potius & paucorum arbitratu adminiſtretur; cauſam & rationem hoc loco exponit Ariſtoteles. Et de primo quidem genere, quod ex minimo cenſu æſtimari ſupra diximus, cur leges dominantur, facile eſt videre. Nam cum eorum, qui in hoc genere Reipub. præſunt, modicæ ſint diuitiæ, neque (inquam) tantæ, vt otioſis iis eſſe liceat, neque curam rerum habere neceſſariarum; neque rurſus tam exiguæ, vt ex publico ſint alendi, vt fit in extrema Democratia: fit, vt, quia neq; à Republica ſtipendium vel mercedem capiunt, & tamen propter tenuitatem ſuas ipſi res curare debent, ſe totos Reipubl. adminiſtrandæ dare nequeant: ſed quædam permittere Magiſtratibus & Legibus. In ſecundo genere quo gradatim maior eſt cenſus, & proinde pauciores Reipublicæ & magiſtratuum participes; maior quoque eſt potentia & libido paucorum, non tanta tamen, vt ſuo ipſi arbitratu omnia poſſint & auſint adminiſtrare. Sumunt quidem ſib. & arrogant plus, quam priores. Verbi gratia: In demortuo-

In 1. genere.

In 2. genere.

mortuorum aut remotorum locum ipſi ſua ſponte & arbitratu alios deſignare ſolent, vt ſupra dictum: non tamen nihil relinquunt legum & magiſtratuum aliorum imperio. In tertio genere, in quo iam maior etiam eſt cenſus, maior quoque & inſolentior eſt paucorum poteſtas; adeo quidem, vt liberis quoque ſuis imperia tradant: non tamen ſuo prorſus arbitratu, ſed lege primum conſtituta. In quarto & vltimo genere, quia hîc ſummæ ſunt diuitiæ & opes, & proinde valde pauci magiſtratuum participes; fit, vt in hoc genere etiam paucorum omnia libidine & arbitratu gerantur, & legum nullum ſit imperium. Quare & hæc Oligarchia, & vltima Democratia, & Tyrannis plane ſunt tergeminæ & inter ſe ſimillimæ.

In 3. genere.

In 4. genere

CAPVT VII.

EXPLICATVR de Ariſtocratiæ generibus: nam explicatis iam primis Reipubl. generibus, Regno, Democratia, & Oligarchia; reliqua ſunt itidem tria; Ariſtocratia, Reſpublica, & Tyrannis, de quibus deinceps explicabit.

TEXTVS.

Præterea ſunt præter Democratiam & Oligarchiam duæ Reſpublicæ, quarum alteram quidem & omnes memorant, & dictum eſt, vnam eſſe ex quatuor Rebuſpublicis. Vocant autem quatuor, Monarchiam, Oligarchiam, Democratiam, quartam vero vocant Ariſtocratiam. Eſt autem quinta, quæ communi omnium nomine dicitur, Rempublicam namque vocant. Verum quia rarior eſt, fugit eos qui Rerumpublicarum genera enumerare conantur, atque quatuor tantum vtuntur, vt Plato in Republica.

COMMENTARII.

Ἔτι δ' εἰσὶ δύο πολιτεῖαι.] Priuſquam de Ariſtocratia, quædam rurſus de Rerumpub. generibus, ordinis (vt puto) cauſa, præmunit. Ait igitur, pleroſque quatuor noſſe Rerumpub. genera; Regnum, paucorum imperium, populi, & optimatum.

ἀνάμνησις.

De Rerumpub. generibus.

matum. Perperam: nam & quintum eſſe, non quidem, vt illa quatuor, ſuo & proprio, ſed communi nomine, Rempub. *ſupra* docuit *lib.3.cap.5.* Illos quid in errorem adduxerit, hic adiungit; quia quintum hoc genus in ciuitatibus valde ſit rarum, eaq; re vulgo vix notum: quæ res & ipſi Platoni fraudi fuit, qui & ipſe quidem tantum quatuor Rerumpubl. genera commemorat: interdum quinque, interdum ſeptem, vt *ſupra* late explicauimus *lib.3.cap.6.* Nuſquam tamen huius quinti generis meminit.

TEXTVS.

Recte igitur Ariſtocratiam vocant, de qua in prioribus libris explicauimus. Nam quæ Reſpublica ex viris abſolute bonis virtute, non vero ex viris ὑποθέσει bonis, conſtat, iure ſola vocanda eſt Ariſtocratia. In ſola namque idem eſt vir abſolute bonus & ciuis bonus: in alijs vero ſunt boni pro Rebuſpublicis. Cæterum ſunt quædam, quæ præter eas, quæ & Oligarchia vtuntur, differentias quaſdam habeant, & vocentur Ariſtocratiæ, & ratione eius, quæ dicitur Reſpublica, vbi non tantum ex diuitijs, ſed etiam ex virtutibus magiſtratus creant. Hæc Reſpublica & ab vtraque differt & vocatur Ariſtocratia. Etenim in ijs, in quibus virtutis non eſt commune ſtudium, ſunt tamen quidam inſignes, & qui viri boni eſſe videantur. Vbi igitur Reſpublica ſpectat & ad diuitias & ad virtutem & ad populum, vt Carthagine: eſt hæc Ariſtocratica. Atque in quibus ad duo tantum, vt Lacedæmoniorum, & ad virtutem & ad populum; eſtque ex his duabus, Democratia & virtute permixtio. Ariſtocratiæ igitur præter primam optimam Rempublicam hæc duo ſunt genera: & tertium, quotquot ex ea, quæ dicitur Reſpublica, ad Oligarchiam inclinant.

COM-

COMMENTARII.

Ἀριστοκρατίαν μὲν οὖν.] De Ariſtocratiæ generibus breuiter explicaturus (nam de ea *ſupra lib.3.in fine,& hoc quoque libro* ſæpius eſt explicatum) primo de ipſo Ariſtocratiæ nomine & vocabulo monet, nimirum optimo iure & ratione hanc Rempub. dici Ariſtocratiam, vt in qua ſola veræ virtutis habeatur ratio,& viri boni abſolute boni. Nam quemadmodum aliis quoq; in rebus hæc partitio locum habet, aliæ vt ſint abſolute, aliæ vero comparate, vel ex ὑποθέσει & ſuppoſitione (vt leges aliæ ſua vi ſunt optimæ, aliæ pro vſu & inſtituto ciuitatum vel hominum: atque Reſpubl. aliæ ſunt optimæ per ſe & abſolute, aliæ pro rerum neceſſariarum copia, vt ſupra dictum) ita & viri boni, alii ſunt abſolute tales, alii ex ὑποθέσει. Abſolute quidem veris virtutibus moralibus præditi; ex ὑποθέσει, qui tali huic vel illi Reipubl. ſit accommodatus. Quo fit ſæpenumero, vt (verbi gratia) in Democratia ſit vir bonus, qui tamen reuera & abſolute non ſit. At in Ariſtocratia virtutis non ex ὑποθέσει, ſed veræ & perfectæ & per ſe conſideratæ, habetur ratio, itemq; viri boni. Quare merito hæc Reſpub à virtute nomen habet, ſeu à viris bonis, vt & Latine optimatum dicitur: nam (quod ſupra latius eſt explicatum) in hac ſola vſu venit, idem vt ſit vir bonus & ciuis bonus.

Ariſtocratia etymon.

Bonum vel ἁπλῶς vel ex ὑποθέσεως.

Οὐ μὴν ἀλλ' εἰσὶ τινὲς.] Hic de Ariſtocratiæ generibus, de quibus & *infra lib.5.cap.7.* Quatuor igitur Ariſtocratiæ genera exponit, ſumpta ex variis Rerumpub. vt vocant, terminis & ſcopis, eorumq; inter ſe variis permixtionibus, quas conſtat eſſe tres; virtutem, diuitias & libertatem. Nam in omni Ariſtocratia virtutem adeſſe debere, eiuſq; habendam rationem, iam eſt notū. Primum igitur & ſummum & optimum Ariſtocratiæ genus eſt, in quo vnius virtutis habetur ratio, de quo ſupra explicatum. Alterum, in quo non tantum virtutis, ſed diuitiarum quoque habeatur ratio, de quo *& infra lib.5 cap.7.* Quod genus eſt illud quidem his Reipublicæ generibus duobus, Oligarchiæ inquam & Reipublicæ, ſimile, eo quod diuitiarum habeatur ratio, quibus ſolet comes eſſe virtus: ab vtroq; tamen genere differt, eo quod neque Reſpubl. neque Oligarchia virtutis propriæ habeant rationem: Oligarchia diuitiarum, Reſpubl. virtutis tantum

1. Optimū Ariſtocratiæ genus.

2. Genus.

bellicæ, & ex Oligarchia ac Democratia eſt temperata. Tertium genus, in quo virtutis & libertatis ſeu populi habeatur ratio, quod fuit olim Lacedæmone: vt explicatum *ſupra lib. 2. cap. 7. & infra hoc libro, cap. 9.* Idem & Romæ antiquiſſimo tempore mihi fuiſſe videtur, vbi ex ſenatus & optimatium authoritate & populi poteſtate, his, inquam, duobus terminis conflata & temperata erat Reſpublica. Et hanc omnibus anteponit *Cicero in libro de legib.* & diligenter explicat *in libris de Republ.* Quartum genus, in quo omnium ſeu trium terminorum habetur ratio, virtutis, diuitiarum, & populi ſeu libertatis, de quo *& infra cap. 8.* hoc olim ait vſos fuiſſe Carthaginenſes, quod explicauimus latius *ſupra libr. 2. cap. 9.* & iteratur *infra lib. 5. cap. 12.* Ex his quatuor generibus prima Ariſtocratia eſt veriſſima & germaniſſima, reliquæ non tam ſunt Ariſtocratiæ (quanquam ita vulgo tamen vſurpantur) quam Ariſtocratiæ principis & veræ aberrationes quædam, vt *infra* ait *capite proximo.* Cauſam ſupra explicauimus.

3. Genus. Lacedæmõ. Ratio. 4. Genus. Diſcrimen.

CAPVT VIII.

EXPLICATVR de eo Reipubl. genere, quod communi nomine Reſpubl. dicitur, maximeq; de huius cum Ariſtocratia affinitate & comparatione. Qua de re *infra libr. 5. cap. 7.* eadem fere, quæ hic, iterantur. Alia de hoc Reipublicæ genere multis in locis *ſupra* ſunt allata, maxime *libr. 3. cap. 5. & ſupra cap. 7.*

TEXTVS.

Reliquum eſt, vt de ea, quæ vſurpatur, Republica & de tyrannide explicemus. Hunc autem ordinem ſeruauimus, non quod vel hæc ſit aberratio, vel modo explicatæ Ariſtocratiæ: quanquam reuera omnes ab optima Republica aberrant: præterea cum his numerantur, & ipſarum hæ ſunt aberrationes, vt ſupra explicauimus. Vt autem de tyrannide vltimo explicetur, poſtulat ratio, quia ex omnibus hæc minime ſit Reſpublica. Nobis autem propoſita eſt ſcientia de Republica. Cur igitur

ſur hunc ordinem ſeruauerimus, dictum eſt. Nūc de Republ. nobis eſt explicandum. Nam eius vis, explicatis de Oligarchia & Democratia, erit planior.

COMMENTARII.

Λοιπὸν δ᾽ ἐστὶν ἡμῖν.] Explicatis quatuor Rerumpublicarum generibus: quæ duo ſunt reliqua, Reſpubl. & Tyrannis, ea hic explicare orditur De Repub. quidem hoc capite & proximo, de Tyrannide capite decimo. Sed enim quia hic ordo reprehendi poſſe videbatur, eo quod de Repu. eo loco explicetur, vbi de vitioſis Rebuſpub. ſeu de Rerumpubl. aberrationibus, quam tamen Rempub. *ſupra lib. 3. cap. 5.* monuit eſſe, non ex numero vitioſarum, ſed rectarum Rerumpubl. ea re Ariſtoteles huic contradictioni occurrens, de ordine hîc nonnihil præfatur. Et de Republ. quidem cur hoc loco explicet, hanc adfert cauſam, quia eius vis & natura ex prioribus duobus Rerumpub. generibus, Democratia & Oligarchia, earumq; explicatione optime intelligatur. Quid ita? Quia Reſpublica earum Rerumpublicarum eſt velut cinnus quidam & permixtio, temperamentum, quod infra explicabit. Contradictioni autē illi ita reſpondet; Rempub. à ſe quidem ſupra in numero rectarum Rerumpub. fuiſſe poſitam: non eſſe tamen rectiſſimam & veriſſimam, ſed potius à veriſſima Republ. ſeu optimo Reipublicæ ſtatu, id eſt, Regno & Ariſtocratia, quandam quoq; aberrationem. Quemadmodum etſi Ariſtocratia eſt in numero Rerumpub. rectarum, eius tamen genera tria priore capite explicata, quia à veriſſima Ariſtocratia nonnihil degenerant, non tam rectis Rebuſpubl. quam earum aberrationibus adnumeranda videntur. De Tyrannide autem cur vltimo loco explicetur, facilis eſt quæſtio, & hæc optima ratio; quia hæc omnium Rerumpubl. ſit nequiſſima, atque adeo Reipublicæ nomine vix digna. quid ita? quia nulla ſine legibus eſſe proprie vel dici Reſpublica poteſt: at in Tyrannide legum nullus eſt vſus: quare cum Ariſtoteli ſit inſtitutum his libris explicare de Republica, poterat omitti explicatio de Tyrannide. Cur ergo *infra cap. 10.* de ea explicet, ratio ibi ab ipſo reddita explicabitur.

Obiectio. *1. Solutio.* *Ratio.* *2. Solutio.* *Simile.* *De tyrānide, cur omnium vltimo.* *Ratio.*

Politia definitio. Ἔστι γὰρ ἡ πολιτεία.] Summatim & typo Rempubl. definit ciuium, ſeu permixtionem quandam Oligarchiæ & Democratiæ. De qua permixtione, vt de aliis Rerumpubl. permixtarum generibus copioſe *infra capite prox.* Eſt igitur Reſpublica tale Reipublicæ genus, in quo ad Rempublicam gerendam, & magiſtratus capiendos aditus pateat tam pauperibus, quod eſt ex Democratia, quam diuitibus, quod eſt ex Oligarchia.

TEXTVS.

Eſt igitur Reſpublica, vt ſummatim dicam cinnus Oligarchiæ & Democratiæ. Solent autem eas quidem, quæ ad Democratiam inclinant, vocare Reſpublicas: eas vero, quæ ad Oligarchiam, potius Ariſtocratias; eo quod liberalis inſtitutio & nobilitas diuitioribus magis comitetur. Præterea habere videntur diuites ea, quorum gratia iniurij ad has impelli ſolent. Quare hos & præſtantes & claros viros vocant. Cum igitur Ariſtocratiæ hoc ſit proprium optimis ciuibus præſtantiſſima tribuere: Oligarchias quoq; ex præſtantiſſimis viris potius conſtare aiunt.

COMMENTARII.

Ratio redditur, cur hoc genus Reip. interdum vocetur Reſpub. interdũ vero Ariſtocratia. *Reſpub. cur Ariſtocratia.* Εἰώθασι δὲ καλεῖν.] Quia hæc Oligarchiæ & Democratiæ compoſitio & temperatio ſæpe multiplex, neque ſemper æquabilis eſſe ſolet: adeo, vt alias quidẽ in hac temperatione præualere videatur pars altera, vt Oligarchia; alias altera, vt Democr. (nam harum Rerump. confuſio æquabilis & bene temperata, per eſt difficilis, vt *inf. ca. prox.* & ex ea pendet huius Reip. permixtę ſalus & interitus, *vt inf. lib 5. cap. 7.*) ex eo eſt, quod hos cinnos & confuſiones vulgo alias, aliis nominibus vocare conſuerint, nunc Reſpub. nunc Ariſtocratias: Reſpublicas quidem, vbi in cinno dominatur pars popularis, Ariſtocratias vero, vbi in eo Oligarchia dominatur. De priore infra: de altero, id eſt, cur cinni ad Oligarchiam inclinantes vulgo vocentur Ariſtocratiæ; duas affert rationes, ſeu vnam potius, duobus nixam fundamentis, hanc; quia Ari-

ſtocratiæ ſit proprium, optima quæque, id eſt, magiſtratus & honores mandare & deferre viris præſtantibus & præclaris. At in Oligarchia dominantur viri clari & præſtantes. Ergo hæc Ariſtocratiam velut imitatur, & eſt quædam Ariſtocratia. Iam minorem illam propoſitionem, in Oligarchia præſtantes & claros viros dominari ſeu præeſſe, docet bifariam. Primum, quia in diuites maxime cadat liberalis educatio & nobilitas & generis virtus: quæ duæ res, liberalis educatio & nobilitas, ad virtutem pertinent. Nam & bene nati, & bene educati facilius in viros bonos, & virtute præditos euadunt. Secundo, quia diuites minus in alios videantur iniurioſi, & malefici, vtpote iam aſſecuti ea, quorum gratia pauperes & tenuiores iniurias aliis afferre ſoleant. Paupertas eſt malefica & maleſuada, vt *ſupra* explicauimus *lib 2.* vbi de diuitiis dictum eſt. *Ratio.* *Minoris cõfirmatio.* I.

Παιδείαν.] Ariſtoteli verbum παιδείας alias, vt & vulgo, diſciplinam ſeu ſcientiam valet, alias educationem & inſtitutionem liberalem, vt hoc loco & multis aliis horum librorum.

Καὶ καλὸς κἀγαθὸς.] De hoc verbo *ſupra* diximus, & *Ariſtoteles in libris moralibus Eudemiis extremis.*

TEXTVS.

Videtur autèm fieri non poſſe, ciuitatem non poſſe bene legibus eſſe deſcriptam eam, quæ optimatum imperio teneatur: ſed illam quæ improborum: item & optimatum imperio teneri eam, quæ non bene ſit legibus deſcripta. Non eſt autem bona legum deſcriptio, leges bene eſſe ſcriptas, non vero pareri; quare vna quidem legum bona deſcriptio putanda eſt eſſe, ſcriptis legibus pareri: Altera vero, leges, quas ſeruet, præclare eſſe ſcriptas. Nam & male ſcriptis parere licet. Hoc autem bifariam. Vel enim quia leges ſint optimæ, quæ quidem ijs accidere poſſint, vel quia omnino ſint optimæ.

COMMENTARII.

Refutatio.

Δοκεῖ δ' εἶναι τῶν.] Hic Ariſtoteles iam refellit priorem ſententiam eorum, qui Rempubl hanc ad Oligarchiam inclinantem vocarent Ariſtocratiam: refellit, inquam, bifariam, ſeu duabus in rebus. Docet enim, quantopere diſtet Ariſtocratia à Repub. ea maxime, quæ ad Oligarchiam inclinet, legibus & fine ſeu termino: nam in Ariſtocratia quidem leges neceſſario optimas eſſe debere, in ea Oligarchia ſeu Republ. Oligarchica non item. quid ita? Nam abſurdum, inquit, ſit & plane ἀδύνατον, ciuitatem Ariſtocraticam non vti εὐνομίᾳ. vel contra, vbi ſit εὐνομία, ibi non eſſe Ariſtocratiam, propterea quod leges Rebuſpub. accommodatæ eſſe debeant, quare cum Ariſtocratia ſit optimus Reipub. ſtatus: εὐνομία quoque in ea vt ſit, neceſſe eſt & contra vbi hæc, & illa. De Oligarchia vero, cur in hac non ſint optimæ leges, eadem eſt cauſa. quia Reſpub. non ſit optima.

1. Diſcrimē inter Ariſtocratiam & eam Rēpub. quæ inclinat ad Oligarchiam.

τῆς εὐνομίας genera.

Οὐκ ἔστι δ' εὐνομία τὸ.] Interiicit Ariſtoteles hic quædam de legibus. Primum εὐνομίαν eſſe duplicem: alteram quidem eam, qua legibus ſcriptis pareatur: alteram vero, qua leges bene ſcribantur. Nam hæc poſterior, niſi & prior adſit, lubrica potius eſt, quam Reipub. fructuoſa, vt præclare *Iſocrates in Areopagitico, & Ioſephus lib. 2. contra Appionem*. Plato tria εὐνομίας genera conſtituit apud *Diogenem Laertium*. εὐνομία ab aliis legum vſus, ab aliis legum deſcriptio, ab aliis legum bona adminiſtratio Latine reddita eſt. *Cicero* deſcriptionem iuris & legum vocat *in Offic. & in libris de legib*. Eſt autem εὐνομία non tantum in legibus, ſed in tota Reipublicæ deſcriptione & conſtitutione poſita: ita vt εὐνομία ſit bona Reipublicæ deſcriptio. Quare & *Ariſtot lib. 2 Ethic.* politici ſcopus & finis vocatur. Deinde, leges partim eſſe optimas omnino, partim pro ſtatu & genere Reipublicæ, quas ex ὑποθέσεως vocare ſolet. Nam, vt *ſupra* explicauimus, multis ciuitatibus hoc vſuuenit, vt legibus omnino optimis, & optima politia vti nequeant, ſed optimis pro ſuo ſtatu & rebus ſeu copiis præſentibus.

TEXTVS.

Videtur autem Ariſtocratia quidem maxime eſſe, ſi honores ex virtute mandentur. Ariſtocra-

tiæ

tiæ namque finis eſt virtus: Oligarchiæ vero, diuitiæ, populi libertas. Hoc autem, quod pluribus probatum fuit, in omnibus reperitur. Nam & in Oligarchia, & in Democratia, & in populis, quod maiori eorum, qui Reipublicæ ſunt participes, parti viſum fuerit, hoc eſt ratum. In pleriſque igitur ciuitatibus Reipublicæ genus vſurpatur. Nam diuitum & pauperum cinnus ſeu permixtio ſola ad diuitias & libertatem ſpectat. Nam apud pleroſque fere diuites præſtantium locum virorum tenere videntur. Quia autem tria ſunt, quæ de æquitate Reipublicæ certent; libertas, diuitiæ, virtus (quartum namque quod vocant nobilitatem, duobus conſequitur. Nobilitas namque eſt veteres diuitiæ & virtus:) Perſpicuum eſt, duorum quidem cinnum, diuitum & pauperum, Rempublicam eſſe dicendam: trium vero Ariſtocratiam, ex alijs præter veram & primam maxime. Eſſe igitur & alia Reipublicæ genera, præter & Monarchiam, & Democratiam, & Oligarchiam, explicatum eſt; & quæ hæc ſint, & qua re inter ſe differãt & Ariſtocratiæ & Reſpublicæ ab Ariſtocratia, atque non longe eas inter ſe remotas eſſe, perſpicuum eſt.

COMMENTARII.

Δοκεῖ δ᾽ ἀριστοκρατία.] Altera differentiæ inter Oligarchiam & Ariſtocratiam nota, finis ſeu terminus Reipublicæ hic exponitur. Nam & ex prioribus eſt notum, Ariſtocratiæ terminum eſſe virtutem, vbi magiſtratus & honores virtuti tantum, & viris bonis pateant: Oligarchiæ, diuitias: Democratiæ, libertatem. Hac, inquam, re perſpicue Rerumpubl. genera diuiduntur, quod alius in aliis ſit terminus, non vnus in omnibus. At hoc in omnibus reperitur, id eſſe ratum, quod maiori parti probatum fuerit; eorum, inquam, qui *2. Diſcrimẽ inter Ariſtocratiam & eã Rempub. quæ inclinat ad Oligarchiã.*

Rempublicam gerunt, ſeu quibus patet aditus ad imperia & honores.

Ἐν μὲν ἐν ταῖς πλείσταις.] Hic iam propius ad vim & naturam Reipublicæ huius explicandam aggreditur. De hac igitur Reipublicæ forma & genere tria potiſſimum hic breuiter exponuntur. Primum, genus hoc Reipub. multis ciuitatibus eſſe vſitatum. Cuius rei hanc adfert rationem, quia ex quibus illa partibus eſt conflata & temperata, eæ pleriſq; in ciuitatibus reperiantur; diuites & pauperes. Deinde, genus hoc Reipublicæ ex duobus Rerumpublic. terminis eſſe temperatum, diuitiis & libertate. Cum enim tres Rerumpubl ſunt termini, virtus, diuitiæ, & libertas, tum in hoc genere ex his duo reperiuntur. Nam hic & diuitum & virorum præſtantium & tenuiorum habetur ratio in mandandis magiſtratibus & adminiſtranda Republica. Quid ergo, dicet aliquis, fiet de genere ſeu nobilitate, quæ & ipſa terminus Reipublicæ videtur eſſe non minimus? Reſpondit Ariſtoteles, eam duorum illorum, virtutis & diuitiarum, velut eſſe comitem. Nam, vt & ſupra explicauimus, nobilitas fere vel ex diuitiis, vel ex virtutibus æſtimatur. Tertio, differentia Reipublicæ & Ariſtocratiæ: quarum hæc quidem tertia ex terminis concurrentibus non optima illa quidem, ſed optimæ proxima (plura namque de Ariſtocratiæ generibus ſupra ſunt explicata) hæc vero ex duobus duntaxat terminis temperatur.

1. Genus Reipub. ſpecialis.

Obiectio.

Solutio.

3. Diſcrimē Ariſtocratia & huius ſpecialis Reipub.

CAPVT IX.

QVIA priore capite Rempub. velut cinnum ex Oligarchia & Democratia temperatum definiuit; ea autem temperatio multiplex eſſe conſuerit: tres potiſſimum temperationis modos hoc capite explicat.

TEXTVS.

Præter Democratiam & Oligarchiam, quemadmodum ea quæ dicitur Reſpublica, fiat: quoq; eam modo conſtituere oporteat; ſecundum priora deinceps explicemus. Intelligetur autem vna, quibus rebus & Democratiam quoque & Oligarchiam definiant: harum namque partitio erit ſumenda.

menda. Deinde ex his, ab vtraque velut ſymbola ſumpta, compoſitio facienda. Sunt autem tres termini compoſitionis & permixtionis. Vel enim ambo vtriuſque inſtituta erunt ſumenda. Verbi gratia: De iudicijs in Oligarchijs quidem multam imponunt diuitibus, ni iudicent; pauperibus vero nullam mercedem: in Democratijs vero pauperibus quidem mercedem: diuitibus vero nullam mulctam; commune autem & horum medium, hęc ambo. Quare & Reipublicę proprium. nam ex vtroque mixtum. Hic igitur vnus eſt coniunctionis modus. Alter, medium ſumere eorum, quæ vtrique conſtituunt; vt concionum quidem eſſe participem, hi quidem nullo cenſu, vel valde exiguo, illi vero magno cenſu. Neutrum vero commune, ſed quod vtriuſque horum cenſuum ſit medium. Tertium autem ex duobus inſtitutis, partim quidem ex Oligarchicis, partim ex Democraticis; vt magiſtratus ſorte mandari Democraticum quidem eſſe videtur: ſuffragio vero, Oligarchicum: atque Democraticum quidem non ex cenſu, Oligarchicum vero ex cenſu. Itaque Ariſtocraticum & Reipublicæ proprium, ſumere ex vtraque vtrunque, ex Oligarchia quidem facere, vt magiſtratus ſuffragio mandentur: ex Democratia vero, vt ex cenſu.

COMMENTARII.

Modi commixtionis Democratiæ & Oligarchiæ, ex quibus hoc

Τίνα δὲ τρόπον.] Coniunctionis ſeu copulationis ſummos tres modos, ex quibus & huius Reipublicæ genera intelligantur, exponit. Communis autem ratio & via coniunctionis hæc eſt, vt, quia ex duobus Reipublicæ generibus, Democratia & Oligarchia, hæc Reſpub. conflatur, vtriuſque illius Reipublicæ quædam notæ ſumantur & temperentur.

 Elegan-

genus Reip. ſpeciale oritur. Eleganter Ariſtoteles, vt illæ duæ Reſpubl. tanquam ſymbolam dent & conferant huic, de qua hîc agitur, Reipub. Sic enim hîc legendum puto, ὥσπερ συμβολήν, ſymbolam, non σύμβολον.. Nam verbo hoc veteres de cœna collatitia ſemper in genere muliebri ſunt vſi. Sic ſæpe *Plautus*, & *Terentius initio Andriæ, teſtibus veteribus libris*; ſymbolam dedit. Sic *veteres comici Græci apud Athenæum*. Sic & *Aulus Gellius lib.16 cap.13.* tales apud Taurum ſymbolæ, aliaque erant ſecundarum menſarum, vt ipſe ſolitus erat dicere, tragemata. Sic enim illum locum reſtitui adiuuantibus libris ſcriptis. Ex hac autem diſputatione, de tribus coniunctionum modis, hoc quoq; erit commodi, inquit Ariſtoteles, vt, quæ Oligarchiæ & Democratiæ ſint proprietates & notæ, melius cognoſcatur. Igitur quia in Oligarchia diuitibus multa, pauperibus nulla merces ad iudicandum & deliberandum de Republ. contra vero in Democratia pauperibus merces ſua eſt propoſita, diuitibus nulla mulcta (qua de re *ſupra & infra cap 13.*) hinc vnus exiſtit coniunctionis modus, quod diuitibus quidem mulcta, pauperibus merces quædam attribuatur. De qua coniunctione & cinno *infra quoq; cap. 13.* Hic cinnus ex Oligarchia diuitum mulctam, ex Democratia vero pauperum mercedem habet, tanquam ſymbolas.

I. Modus ex quo oritur & I. huius Reip. ſpecialis genus.

II. Modus, ex quo II. huius Reip. genus. Alter coniunctionis modus à cēſu ſumitur. Nam cū in Oligarchia maximi cenſus habeatur ratio; in Democratia nullius vel perexigui: hic velut medium, vt ita dicam, feriendo, vtrique aditum ad magiſtratus & Rempub. permittemus, id eſt, ex vtroq; temperato cenſu, nimirùm mediocri: de quo Reipubl. genere *infra latius cap. 11. & 12.*

III. Modus, ex quo III. huius Reip. genus. Tertius coniunctionis modus ex aliis harum duarum Rerumpub. inſtitutis temperatur. Verbi gratia: Oligarchicum eſt, magiſtratus mandare ſuffragiis ex cenſu. Democraticum non item; quæ cum bina ſint duarum harum Rerumpubl. inſtituta, ſi alterum ex Oligarchia, puta magiſtratuum deſignationem per ſuffragia & electionem; alterum ex Democratia, puta magiſtratuum deſignationem, ex nullo cenſu ſumas, vnumque velut cinnum facias: tertius exiſtit coniunctionis modus, id eſt, tertium huius Reipub. genus.

TEXTVS.

Hic igitur modus eſt mixtionis quidem: terminus

nus vero, quo bene ſit mixta Democratia, & Oligarchia, vbi eandem Rempublicam dicere liceat Democratiam & Oligarchiam. Nam hanc appellationem inde accidere perſpicuum eſt, quia bene ſint mixtæ. Quod idem accidit & Medio: in ipſo namque vtrumque extremum ineſſe videtur. Id quod in Lacedæmoniorum Republica vſu venit. Nam multi de ea, vt de Democratia, explicare ſunt conati, eo quod multa Democratiæ propria habeat deſcriptio, vt primo in alendis pueris: eodem namque modo diuitum, quo pauperum, aluntur, atque eodem inſtruuntur modo, quo poſſint & pauperum liberi. Item & in proxima ætate, & vbi viri ſint facti, eodem modo. Nulla namque re diues à paupere internoſcitur. Vſque adeo, quæ ad alēdum, eadem ſunt omnibus in ſodalitatibus: atque diuites talem veſtem, quam etiam quilibet pauperum parare poſſit. Præterea eo quod duo maxima imperia, alterum quidem mandetur à populo, alterum vero participetur. Nam ſenes conſtituunt quidem. Ephoriæ vero ſunt participes. Alij vero Oligarchiam, eo quod multa habeat Oligarchiæ propria, vt quia imperia omnia ſuffragijs mandentur, & nulla ſortito; & quia pauci habeant ius vitæ & necis, & quia alia id genus multa. In Republica autem optime temperanda vtrumque & neutrum, vt ineſſe videatur, oportet; atque vt ſeruetur per ſe, non extrinſecus: & per ſe, non quo plures exteri, qui id velint. (hoc namque & vitioſæ Reipub. ineſſe poteſt.) ſed quia nulla omnino ciuitatis pars aliam Remp. velit. Quemadmodum igitur Reſp. ſit conſtituenda; item & quæ dicantur Ariſtocratiæ: iam eſt explicatum.

COM-

COMMENTARII.

1. Nota optima mixtionis Democratia & Oligarchia

Ο' μὲν οὖν τρόπος τῆς.] Breui expoſitis tribus einni & permixtionis generibus, hac altera capitis parte de optimo mixtionis genere explicat. Cuius duas adfert notas, quarum hæc prior eſt, ſi Democratia & Oligarchia ita ſint temperatæ & in vnam Rempubl. confuſæ, vt in confuſa, & vtraq; illa & neutra ineſſe videatur; adeo, vt ambiguum ſit, hæc confuſio ſitne Democratia, an Oligarchia appellanda. Hæc namque ambiguitas æquabilis & temperatæ mixtionis eſt index & nota, mediæ prorſus Reipubl. inter Democratiam & Oligarchiam, ſeu potius ex vtraque confuſæ. Sic & alias omni fere medio id accidere ſolet, vt vtrumque extremum eſſe videatur, eiuſq; nomen gerat. Verbi gratia: Fortis cum ignauo comparatus dici ſæpe ſolet audax: cum audace ignauus. Liberalis cum prodigo auarus: cum auaro prodigus, &c. Vt eleganter Ariſtot. *lib. 2. cap. 8. Ethic.* Hanc iuſtæ temperaturæ notam exemplo quoque declarat Ariſtoteles à Spartana Republ. ſumpto. Nam vtriuſque Reipub. Democratiæ, inquam, & Oligarchiæ, proprietates & notæ in hac ita confuſæ fuerunt, vt eam alii vocarint Democratiam, in quibus eſt *Iſocrates in Areopagitico*, alii Oligarchiam. De vtriuſq; Reip. in Spartanam Rempubl. collatis proprietatibus & notis etſi hic Ariſtot. diſtincte commemorat, de iis tamen quia *ſupra lib. 2. cap. 7.* hic explicare ſuperſedebimus. Altera iuſtæ temperaturæ nota ab incolumitate & ſalute ſumitur. Quæ vt intelligatur; repetendum eſt *ex lib. 5. cap. 7. in fi. & cap. 10. in fi.* ſalutis & interitus Rerump. cauſas eſſe duplices: Vnam per ſe ſeu inteſtinam; aduētitiam alteram & externam. Hæc igitur altera eſt nota, ſi ea Reſpub. ita ſit temperata, vt per ſe ſit incolumis, non extrinſecus. Verbi gratia: Si ii, quorum intereſt, ita ſint affecti, vt eam Reipub. formam diuturnam & ſaluam eſſe velint, aliam non requirant. Verum quia hoc velle poſſunt & ciues illi maxime quibus aditus patet ad Rempublic. & exteri quoque interdum, vt quia & horum interſit: diſtinguit Ariſtoteles hanc ſalutis cauſam; ita demum eam veræ temperaturæ eſſe notam, ſi non exteri, ſed ciues ita velint, & ſint affecti. Nam ſi exteri, non continuo bene temperatæ Reipublicæ erit nota talis affectio & voluntas, vt quæ in deprauata quoq; Republ. ſæpe reperiatur. Verbi gratia: Quam

Simile.

Exemplū.

2. Nota.

Limitatio.

Exemplū.

Quam Athenis Lacedęmonii inſtituerunt Oligarchiam triginta (vt vocabant) tyrannorum; illā quidem cupiebant eſſe ſaluam; ſed quia exteri, non ſtatim vera erat hæc nota bonæ Reipub. Erant namque hi triginta crudeliſſimi tyranni & Oligarchici. Cur autem Ariſtoteles tam accurate de optimo temperaturæ genere moneat, cauſa eſt; quia hinc eius Reipub. ſalus & interitus pendeat: *infra lib. 5. cap. 7.*

Cur Ariſt. optima tēperatura meminerit.

CAPVT X.

TEXTVS.

Reliquum eſt, vt de tyrannide explicemus: non quod longa de ea opus ſit oratio, ſed vt in huius diſputationis partem veniat, quando & hanc Rerumpublicarum partem quandam conſtituimus. Igitur de regno quidem in diſputationibus primis explicauimus, vbi de optimo Regno diſſeruimus, vtrum ciuitatibus conducat, necne: atque quod, & vnde, & quomodo ſit conſtituendum: Tyrannidis vero duo quidem genera diſtinximus, quo loco de Regno diſputauimus, eo quod vis eius quodammodo cum Regno commutetur, quia vtraque hæc imperia ſint legitima: nam & apud Barbaros quoſdam ſummæ poteſtatis creant monarchas, & antiquitus apud priſcos Græcos huius generis fiebant monarchæ: quos vocabant Æſymnetas. Horum autem inter ſe quædam ſunt differentiæ. Erant autem eo, quod legitima, regia, & eo quod imperium eſſet in volentes: Tyrannica vero, eo qud imperium eſſet herile ex ipſorū ſententia. Tertium tyrannidis genus, quæ maxime tyrannis eſſe videtur, Regno reſpondet. Tyrannidem autem talem neceſſe eſt eſſe monarchiam, vbi imperium ſit in pares, omneſque meliores ſine prouocatione, nō eorum qui parent, ſed ſui commodi

modi cauſa. Quare & in inuitos. Neq; enim quiſque liber, tale imperium ſponte ferat. Tyrannidis igitur hæc & tot dictis de cauſis ſunt genera.

COMMENTARII.

De tyrannide. *Cap. 8.* Περὶ δὲ τυραννίδος.] Explicatis iam quinq; Rerumpubl. generibus, reliqua erat Tyrannis: quæ etſi Reipubl. nomine omnium minime eſt digna, *vt ſupra dictum*: quia tamen in Rerumpubl. numero *ſupra lib. 3. cap. 5.* eſt poſita, & certe vitioſa quædam eſt Reſpub. non iniuria perficiendæ huius de Repub. diſputationis cauſa, hic ab Ariſtotele breuiſſime explicatur. *1. Genus.* Tria igitur Tyrannidis genera exponit. Primum eſt regnum Barbaricum: *2. Genus,* alterum eſt Græcorũ veterum αἰσυμνητία. Quę duo imperia partim regna, partim Tyrannides ſunt & dici poſſunt. Regna quidem, quia legitima, & quia in volentes: Tyrannides vero, quia eorum poteſtas plane ſit herilis, & pro libidine imperantium. De quibus explicatum vberius *ſupra lib. 3.* vbi de Regni generibus. *3. Genus.* Tertium Tyrannidis genus maxime propriæ, & hoc nomine vſitatæ, eſt vnius imperium, qui paribus & melioribus non ſuorum, ſed ſui commodi cauſa ſine prouocatione ſeu nulla reddendarum rationum neceſſitate præeſt. Cuius definitionis partes, imperium in pares & meliores ſine prouocatione & ſui commodi cauſa, *1. Nota tyrannidis.* ex prioribus libris intelligi poſſunt: vbi docuimus herile id eſſe imperium, & ad ſuam vtilitatem omnia referre, plane Tyrannicum, atque liberum, nulliſq; rationibus reddendis obnoxium, ἀνυπεύθυνον imperium, in pares, atque adeo meliores retinere. Ex quibus duabus Tyrannidis notis exiſtit & illa, Tyrannicum imperium eſſe in inuitos. Quid ita? Eo quod nemo liber tam graue imperiũ ſponte perpeti vellet. De qua imperii nota in inuitos ſupra quoq; ex Platone quædam attulimus, vbi docuimus imperia vel eſſe in volentes, vel in inuitos, *lib. 1. & 2.*

CAPVT XI.

DVÆ ſunt huius capitis partes. Nam hoc capite cum hæc ſumma quæſtio explicatur; quæ Reſpub. ſeu Reipublicæ forma plæriſq; ciuitatibus ſit optima: tum in priore quidem parte docet, eam eſſe, quæ conſtet neque ex nimium

nimium diuitibus, neq; ex nimium pauperibus, ſed ex mediocribus ciuibus: in altera, cur ea Reſpub. ſit rarior.

TEXTVS.

Quæ autem optima ſit Reſpublica, quæque optima ſit vita pleriſque ciuitatibus, & pleriſque mortalium, non ad virtutem vulgari præſtantiorem ſpectantibus, aut inſtitutionem, quæ natura & fortunæ copijs opus habent, neque ad Rempublicam voto dignam; ſed & ad vitam, cuius plerique participes eſſe poſſint, & ad Rempublicam; cuius plæræque ciuitates poſſint eſſe participes: nam quas vocant Ariſtocratias, de quibus modo diximus, partim quidem à pleriſque ciuitatibus longius ſunt remotæ, partim vero vicinæ ſunt ei, quæ dicitur Reſpublica. Quare de vtriſque, vt de vna, explicandum.

COMMENTARII.

Τίς δ' ἀρίστη πολιτεία] Reprehendit Ariſtoteles *supra initio lib.3.* alios, qui de Republica explicarint, hoc nomine; quia de optimo tantum Reipub. ſtatu illi explicare ſint ſoliti, & quidem *ἁπλῶς* optimo duntaxat: cum optimus Reip. ſtatus ſit duplex: vel *ἁπλῶς*, id eſt, vere & abſolute, vel *κατά τι*, comparate, & pro gentium, hominum, ciuitatum, ingeniis, copiis, aliiſque attributis: hoc amplius; ſtatus Reipublicæ optimus *κατά τι* rurſus eſt duplex; vel plæriſq; ciuitatibus vel vni tantum, huic, vel illi vtilis. De priore explicatur hoc capite, de altero cap. proximo. Quis igitur hic plæriſque ciuitatibus vtilis ſit optimus Reipublicæ ſtatus: primum hic typo quodam exponit, adhibita quadam remotione ſtatuum & Rerumpubl. per ſe & *ἁπλῶς* optimarum. Remouet igitur tria ſtatuum ſeu Rerumpub. genera, vtpote præſtantiora, & in quibus Reipublicæ ſtatus per ſe optimus conſiſtat. Primum is ſtatus, cui propoſita eſt virtus præſtans & excellens, cum liberali educatione. Nam ad has duas res neceſſaria ſunt hæc duo, natura ſeu bona indoles, ſeu bonitas naturæ; & externarum & fortuitarum rerum, vt bonorum

Status Reipu. optimus vel ἁπλῶς, vel κατά τι.

Quinā pleriſq; ciuitatibus ſit optimus ſtatus.

Ἀναίρεσις

1. Status.

rum ſeu diuitiarum, adiumenta & copia. Nam neque virtus præſtans & vulgari maior, neq; honeſta & liberalis inſtitutio abſq; his & naturæ & fortunæ adiumentis eſſe poſſunt: vt *ſupra* explicatum *libro primo, & libro ſexto Ethicorum extremo.* Hic igitur ſtatus, in quo tam excellentium virtutum habetur ratio, non cadit in plæraſque ciuitates, & haud ſcio, *2. Status.* an in nullam. Secundo, ſtatus κατ' εὐχὴν, qui nimirum optari potius quam obtineri poſſit, qualis fere dici ſolet Politia *3. Status.* Platonis, & exquiſitiſſima optimæ Reipub. idea. Tertio, Ariſtocratiæ quædam genera, primum & ſecundum, & quorum excellentior ſit virtus, quam vt plæraſque in ciuitates *Θέσις.* cadat. Reliqua duo Ariſtocratiarum genera, Reipubl. quæ vulgo cōmuni nomine ita dicitur, finitima, vt ipſa illa Reſpub. ita & hæc ſunt communiora, quæque facilius in ciuitates cadant. Quare de his duabus Rebuſpublic. Ariſtocratia minus exquiſita, & Republica eodem modo diſputari poteſt, vt inter ſe vicinis & finitimis. Quarum eadem ſunt præcepta & regulę: & hoc eſt quod ait, περὶ ἀμφοῖν, &c. Nam hic totus locus valde mihi perobſcurus videtur. De iis, inquam, Rebuſpubl. quæ non cadant in plæraſque ciuitates, ſunt optimæ illæ quidem ἁπλῶς, ſed non ciuitatibus plæriſque.

TEXTVS.

De his autem omnibus iudicium ex ijſdem eſt Elementis. Nam ſi recte hoc in Ethicis explicatum eſt, vitam beatam eſſe ex virtute non impedita, virtutem autem eſſe mediocritatem: certe neceſſe eſt, vitam mediocrem eſſe optimam, prout ſingulis mediocritas contingere poteſt. Eoſdem autem fines neceſſe eſt eſſe & ciuitatis virtutis vitijque & Reipublicæ. Reſpublica namque ciuitatis eſt vita quædam.

COMMENTARII.

Ἡ δὲ δὴ κρίσις.] Aggreditur hoc loco ad diſputationem de ea Repub. quæ plæriſque ciuitatibus ſit optima, & de vita quoque plæriſque ciuitatibus optima. Alterum namque ex altero pendet. Atq; docet eam eſſe optimam Rempubl. in

qua

qua plures ſint ciues mediocres, quam vel pauperes, vel diuites nimium, vtrique vel ſinguli: de hac quæſtione & mediocrium diuitiarum laude & ſumma in ciuitatibus vtilitate videantur & *Plato lib. 5. de legib. in fine. Euripides* pulcherrime *initio Supplicum*, τρεῖς γὰρ πολιτῶν μερίδες, &c. & *in Medea*; vbi nutrix mediocrium vitam probat, vt ſtabiliorem & tutiorem. De eadem mediocritate & poetæ: *Pindarus prima ode Pythiorum Horatius lib. 2. ode 10. Ouidius lib. 3. Triſtium, elegia quarta. Seneca multis in locis*, &c. Sed omnium pulcherrime & diuiniſſime Ariſtoteles hoc capite, qui & de eadem re egit *ſupra lib. 1. cap. 9. & infra lib. 7. cap. 1. & ſupra lib. 2. Ethic. & initio libri ſecundi Magnorum Moralium.* Hanc igitur quæſtionem ex iiſdem initiis & elementis diſſoluendam ait, ex quibus aliæ quoq; de Republica diſputationes & quæſtiones, vt de Ariſtocratia, vt de optimo Reipublicæ ſtatu, explicare ſolent, nimirum ex principiis moralibus. Nam diſputationes de moribus, ſunt diſputationum de Republica principia & elementa. Ex his igitur principiis *infra lib. 7.* concludit, quæ optima ἁπλῶς ſit Reſpub. & hic quæ plæriſque ciuitatibus ſit optima, ea nimirum in qua diuitiarum polleat mediocritas, Sic enim concludit: Beata vita eſt ex virtute nõ impedita. Virtus autem eſt in mediocritate. Ergo & vita beata eſt in mediocritate. Hoc, vt principio & fundamento ſupra in Ethicis explicato, hic nunc vtitur, hunc in modum: Si vita beata eſt in mediocritate: Ergo & Reſpublica. Quid ita? Quia & Reſpublica eſt ciuitatis quaſi vita & anima, vt eſt ſupra dictum.

Vnde huius quæſtionis petenda ſit diiudicatio.

Ratio.

Eam Rempubl. pleriſque optimã eſſe, in qua polleat diuitiarũ mediocritas, probat.

TEXTVS.

In omnibus igitur ciuitatibus tres ciuitatis ſunt partes: partim quidem valde diuites, valde vero pauperes partim: tertij vero inter hos medij. Cũ igitur inter omnes conſtet, mediocre & mediũ eſſe optimum: certe & rerum ſecundarum ſeu fortunæ bonorum mediocritas omnium erit optima. facile namque rationi obtemperat: Forma autem & viribus, aut genere, aut diuitijs qui excellunt, vel contra qui paupertate vel inopia, vel ſor-

dibus & ignobilitate, difficulter rationi parent. Nam illi quidem contumelioſi, magniſque in rebus magis ſunt iniurij; hi vero malitioſi & paruis in rebus malefici: nam iniuriæ partim contumelia, partim fiunt malitia.

COMMENTARII.

Ἐνδαπάνοις δὴ ταῖς] Docet Ariſtoteles mediocrium diuitiarum vtilitates: qua ex re poſtea concludit eam eſſe optimã plæriſq; ciuitatibus Remp. in qua penes mediocres Reipub. ſit principatus & imperium. Tres igitur ciuium partes & conditiones eſſe ait. Nam ex ciuibus alios quidem eſſe diuites, opulentos, beatos; alios contra tenues & pauperes; tertium denique his interiectum genus eorum, qui mediocres facultates & fortunas poſſideant, quos vocat medios. Cuius ciuium partitionis à fortunis & diuitiis ſumptæ ſæpe in his libris meminit Ariſtoteles; & iiſdem pene verbis *Euripides in Supplicibus.*

Ciues 1. Opulenti, 2. Mediocres, 3 Tenues.

Τρεῖς γὰρ πολιτῶν.] His præmunitis, ex tribus his ciuium generibus, mediorum conditionem optimam eſſe oſtendit his rationibus. Primum, quia media fere ſoleant eſſe optima, vt explicatum *libro 2. Ethic.* & paulo ſupra iteratum. Secundo, quia medii rationi facilius obtemperent: extremi, id eſt, prædiuites & præpauperes, non item. Quid ita? Nam *nimiæ* diuitiæ, opes, vires, aliaque id genus corporis & fortunæ bona inſolentiam pariunt. hinc iniuriæ & contumeliæ in alios: contra paupertas nimia ad rem attentiores, fraudulentos, fures facit. Breuiter, ex his duobus extremis, diuitiis & paupertate, duo maleficiorum & iniuriarum genera omnium oriuntur; contumeliæ ex diuitiis, fraudes & furta ex paupertate. Qua de re dictum & *ſupra lib. 2. cap. 4.* vbi & ex *Platone lib. 4. de Repub.*

Mediocriũ ciuiũ optima conditio.
1. Ratio à genere.
2. Ratio.

TEXTVS.

Præterea minime hi magiſtratus amant, & ad conſilium veniunt. Hæc autem ambo ciuitatibus ſunt pernitioſa.

COM-

COMMENTARII.

Ἔτι δ' ἥκισθ' οὗτοι] Hæc verba ſunt perobſcura, quare *Diuerſæ au-*
& ab aliis aliter redduntur & explicantur. *φιλαρχεῖν* plærique *ctorum ex-*
Latine reddunt, amare & colere magiſtratus. *Sepulueda*, pe- *plicationes.*
tere magiſtratus. *Perionius* legit *φυλαρχοῦσι*, in tribus coo- 1.
ptantur. *φιλαρχεῖν*, alii amare ſenatum, alii amare magiſtra- 2.
tum: alii ſenatus eſſe principem. *Sepulueda* horum videtur 3.
verborum eſſe ſententia; Reipublicæ hæc duo eſſe pernicio- 4.
ſa, nimirum pauperes minime ſtudere magiſtratibus, occupatos rebus neceſſariis, diuites vero nimis eſſe deditos, & ambitioſos. *Thomas*, quem alii fere ſequuntur, Reipub. eſſe pernitioſum; quia hi Rempublicam non curent. Perperam aperte: nam duo poſtulant Ariſtotelis verba, ille vnũ tantum incommodum ex his verbis elicit & profert. Fortaſſe *Auctoris*
hæc verba, *ἔτι δ' ἥκισθ' οὗτοι φιλαρχοῦσι καὶ βουλαρχοῦσι*, ſunt *ſententia.*
inducenda: Primum, quia variant. Secundo, quia nulla ſen- *1. Ratio.*
tentia inde commode elici poſſit. Tertio, quia hæc verba, 2.
φιλαρχοῦσι καὶ βουλαρχοῦσι, (maxime poſterius) ſunt inuſita- 3.
ta. Atque ita & hæc, *ταῦτα δ' ἀμφότερα*, ad priora ſint referenda, ad vim, contumeliam, & ad fraudem; quæ duo perſpicue ciuitatibus ſunt pernicioſa.

TEXTVS.

Præterea qui excellunt quidem his bonis, virium & diuitiarum & amicorum, alijſque id genus, parere neque volunt, neque norunt. Idque etiam pueris continuo tanquam domi agnaſcitur. Nam propter indulgentiam ne in ſcholis quidem ijs vſitatum eſt parere: qui vero harum inopia excellunt, nimis ſunt abiecti; quare hi quidem imperare non norunt, ſed parere ſeruiliter: Illi vero parere quidem nulli imperio, imperare vero herili imperio. Fit igitur ciuitas ſeruorum & dominorum, non liberorum: & partim quidem inuidentium, partim vero contemnentium, quæ longiſſime abſunt ab amicitia & ciuili ſocietate. Societas

namque ad amicitiam pertinet. Nam ne itineris quidem ſocios inimicos habere volunt. Ea eſt autem ciuitatis natura, maxime vt ex paribus & æqualibus conſiſtat. Id quod in medijs maxime ineſt. Quare neceſſario ea optime adminiſtratur ciuitas, quæ ex ijs conflatur, ex quibus natura ciuitatem conſtare dicimus.

COMMENTARII.

3. Ratio.

Πρὸς δὲ τούτοις, οἱ μὲν.] Tertia ratio, cur mediocrium ſtatus ſit optimus, quia ſit ad conditiones boni ciuis accommodatiſſimus: contra prædiuitum & præpauperum ſtatus peſſimi: quia ad ſocietatem ciuilem ineptiſſimi. Notum eſt ex prioribus, *libro 1. & 2. ac 3.* hunc optimum eſſe ciuem, qui bene & parere norit & velit ac poſſit. Notum præterea ex *libro 8. Ethicorum, & libro primo ſupra*, ſocietates coiri cum amicis, non cum inimicis. Hæc igitur duo, imperandi & parendi ſciētia, & amicitia, ciuitatibus ſunt neceſſaria. At neutra in prædiuitibus & prępauperibus reperiuntur. Nam prædiuites propter indulgentiam nemini parere volunt, aut norunt; atque adeo ne imperare quidem ciuiliter. Nam potentiorum imperia plæraque ſolent eſſe herilia & tyrannica. Contra, pauperes imperare non norunt, quia male educati; atque adeo ne parere quidem ciuiliter, ſed ſeruiliter potius, quia obiecti amiſſique animi. Rurſus amici inter ſe eſſe nequeunt, quia pauperes inuident plærique ditioribus: hi (diuites) illos contemnunt. Hinc ſimultates & odia, quæ incommoda duo, propter contrariorum naturam, quia in mediis non reperiuntur; efficitur, horum ſtatum & conditionem eſſe optimam.

Quis ciuis optimus.
Inter quos coëātur ſocietates & amicitia.
Cur prædiuites inepti ad Rėpubl. quo ad officium optimi ciuis.
Cur præpauperes.
Cur hi vtrique amici inter ſe eſſe nequeant.

Διὰ γὰρ τὴν τρυφὴν.] Locus de diuitum & potentum inſolentia, etiam puerorū in imperio detrectando. Nam & pueros in ludis literariis præceptorū detrectare imperia. Exempla huius rei ſunt quotidiana.

Βούλεται δέ γε ἡ πόλις.] Diximus paulo ſupra, duo in bono ciue eſſe neceſſaria, imperandi parendiq; ſcientiam & beneuolentiam, quæ ambo in iis mediis reperiantur. Hic tertium adiungi videtur, paritas ſeu æquitas. Nam ex paribus conſiſtit ciui-

3. Quod in bono ciue requiritur.

ſtit ciuitas, quod ſupra ſæpe explicatum. Quæ & ipſa nota in mediis maxime elucet, in quibus eſt conſtantia; cum in extremis magna ſit varietas, & inæqualitas.

Ὥστε ἀναγκαῖον ἄριστα.] Ex priore de mediis argumento concludit, Rempub. quoq; eam optimam eſſe, quæ ex mediis conſtet, hac ratione, quia medii ad ciuitatem ſint aptiſſimi, medii, inquam, verorum ciuium, eorumque, ex quibus ciuitas conflетur, notas habeant, quas tres modo explicauimus. Duas igitur adhuc rationes attulit, cur mediorum ciuitas ſit optima: tres, cur mediorum conditio, ſeu mediocres diuitiæ ſint optimæ.

TEXTVS.

Atque hi maxime ex ciuibus cõſeruantur in ciuitatibus: neque enim ipſi, vt pauperes, aliena appetunt; neq; horum bona alij, vt diuitum pauperes, appetunt.

COMMENTARII.

Καὶ σώζονται δ᾽ ἐν ταῖς.] Quarta mediocrium ſeu mediorum vtilitas, & commodum, incolumitas, & ſalus. Nam medios ciues præter cæteros maxime manere incolumes, ſeu eorum bona manere ſalua. Cuius commodi hanc ait eſſe cauſam, quia ipſi rebus ſuis contenti, neq; res alienas appetant, neque ipſorum res alii, vt exiguas. Diuitum res à tenuioribus appetuntur, mediorum non item. *4. Ratio.*

TEXTVS.

Et quia neque inſidias patiantur, neq; faciant, ſecure viuunt.

COMMENTARII.

Καὶ διὰ τὸ μήτ᾽ ἐπιβουλεύεσθαι.] Quintum commodum ſecuritas & ocium. Nam pauperes vel bonis lapſi aliis inſidiari ſolent ditioribus. Ipſi quoque medii, quia (vt modo diximus) rebus ſuis contenti, aliis minime inſidiantur, aut periculum creant. Quare cum neque ipſi aliis inſidiari velint, neque ipſis alii propter non maximas diuitias, & quia ipſi *5. Ratio.*

quoque nemini inſidientur; hinc fit, vt horum vita maximè ſit otioſa & ſecura.

TEXTVS.

Quocirca recte Phocylides;

Eſſe volo medius; mediis ſunt commoda multa.

COMMENTARII.

Διὰ τοῦτο καλῶς ηὔξατο.] Argumentum ab authoritatē *Phocylidis*, qui ipſe, quia multa mediorum ſint commoda, mediorum è numero ciuium eſſe optarit: commoda Ariſtoteles exponit, mediocritatem, rationis obſequium, veras boni ciuis notas: nimirum ſcientiam recte parendi & imperandi charitatem & beneuolentiam.

TEXTVS.

Perſpicuum eſt igitur ciuilem quoque ſocietatem ex medijs conſtantem eſſe optimam: caſque vrbes optime adminiſtrari, in quibus pars media ſit multa & potior maxime quidem vtraque, aut certe altera parte. Nam acceſſione ſua momētum facit, & ne contrariæ præſtantiæ exiſtant, impedit. Quare ſumma eſt fœlicitas, parentium rem eſſe mediam, & quæ ſit ſatis: adeo vt, vbi hi quidem nimis magnam habeant, illi vero nullam, aut extrema exiſtit Democratia, aut impotens Oligarchia, aut ex vtraque præſtantia tyrannis. Etenim ex inſolentiſſima Democratia & Oligarchia tyrānis exiſtit. Ex medijs autem & affinibus multo minus. Cauſam poſterius, vbi de Rerumpublicarum mutationibus, explicabimus.

COMMENTARII.

Concluſio. Δῆλον ἄρα, ὅτι καὶ] Ex magnis & multis mediorum vtilitatibus, & commodis iam expoſitis, principem tandem quæſtionem concludit, eam eſſe optimam Rempub. quę mediorum imperio adminiſtretur, eaſq; ciuitates eſſe beatiſſimas, in quibus ex tribus earum partibus media vel cæteris duabus

bus ſimul ſit maior & potentior, vel alterâ ſaltem. Nam ſi hæc vna duabus reliquis fuerit maior, ſine dubio media tenebit imperium. Quod ſi altera tantum reliqua parte, vt vel diuitibus vel pauperibus fuerit maior; hoc tamen præſtabit, & adferet commodi, vt neutra ex iis totum Reipublicæ imperium ſeu ſummam ad ſe ſit pertractura, propterea quod pars media illi ſit interceſſura, & alteri parti infirmiori ſe adiunctura, quo veluti clauo Reſpublica in ſuo ſtatu, tāquam in æquilibrio, contineatur, & hoc eſt quod ait, μάλιστα μὲν, &c. quod idem & infra iterat. *1. Ratio.* *2. Ratio.*

Ὑπερβολαῖς.] Veteres, vt explicauimus *lib. 5. Ethic.* verbo ὑπερβολῆς interdum vtuntur pro vtroq; extremo, nimio, & eo quod parum, quod alioqui proprie nimium ſonat.

Διόπερ δυστυχία μεγίστη.] Tertia eſt ratio, cur mediorum Reſpublic ſit optima, quia alioqui ex aliis, inquam, duabus partibus duo deterrima & nequiſſima exiſtant Rerumpubl. genera, ex nimiis diuitiis grauiſſima Oligarchia, ex nimia paupertate licentiſſima Democratia: & ex vtraque tandem Tyrannis: quarum rerum ſeu mutationum cauſas Ariſtoteles infra explicat *libro 5. cap. 5. 6 & 10.* De hac re dictum & ſupra, vbi de generibus Democratiæ & Oligarchiæ. *3. Ratio.*

TEXTVS.

Mediam autem eſſe optimam, perſpicuum eſt; ſola namque ſeditionum eſt expers. Nam vbi medium eſt multum, minime exiſtunt metus & diſtractiones Rerumpublicarum. Atq; hac de cauſa, quia medium ſit multum, magnæ ciuitates minus laborant ſeditionibus. In paruis autem & facile eſt factu, duas in partes diſtrahere, nulla vt relinquatur media: & omnes fere vel ſunt pauperes, vel diuites. Democratiæ quoque Oligarchijs ſunt firmiores & diuturniores propter medios. Nam & ſunt plures, & in Democratijs magis, quam in Oligarchijs, ad honores ijs patet aditus: ſi quidem, vbi abſq; his numero excreuerint pauperes, mala exiſtit adminiſtratio, & cito pereunt.

COMMENTARII.

4. Ratio. Ὅτι δ' ἡ μέση βελτίστη.] Quarta ratio & cauſa, cur hęc mèdiorum Reſpub. ſit optima, quia motibus & ſeditionibus minus ſit obnoxia, & proinde maxime diuturna & ſtabilis. De qua cauſa hæc quoque duo fieri docet. Primum, magnas ciuitates paruis minus eſſe motibus obnoxias & magis diuturnas, nimirum quia in magnis fere ſint medii, in paruis nō item: nam in paruis fere duo ciuium ſunt genera, pauperes plærique, & pauci diuites, quos inter fere diſcordiæ eſſe ſolent. Deinde, Democratias Oligarchiis minus motibus eſſe obnoxias & magis diuturnas & ſtabiles, nimirum quia in Democratiis plures ſint medii, & his ad Rempub. & honores pateat aditus in Democratiis facilius, quam in Oligarchiis, in quibus omnia ſibi vindicant pauci diuites: & contra in Democratiis, vbi plebs infima & tenuiores omnia ad ſe reuocarint, vt multitudine præſtantes, tum quoque Democratiarum interitus ſequitur. De hac re & cauſa, vt dixi, *infra lib. 5.*

1. Corollarium.

2. Corollarium.

TEXTVS.

Argumentum autem exiſtimandum eſt, optimos legumſcriptores eſſe ex numero mediorum ciuium. Nam & Solon ex his erat, quod indicat poëſis, & Lycurgus (neq; enim Rex erat) & Charondas & plerique fere alij.

COMMENTARII.

5. Ratio. Σημεῖον δὲ δεῖ νομίζειν.] Quinta ratio, quæ tamen ad ipſos quoque ciues, atq; adeo melius ad Reſpubl. pertinere videtur, hæc nimirum, quia optimi quique legumſcriptores in hoc mediorum numero ciuium fuerint, quorum authoritas hanc mediocritatem probantium in ciuitatis ſtatu dignoſcendo, vt ſummorum politicorũ, merito ab Ariſtotele adducitur. Tres commemorat hoc loco, alios *ſupra lib. 2. extremo.* De duobus confirmat: de Solone quidem ex eius verſibus, in quibus hanc mediocritatem laudat, quorum aliquot adducit *Plutarchus in Solone de Lycurgo.* Nam inquit; non erat Rex, ſed ciuis priuatus, etſi hac in re variant hiſtorici. *Ouidius* quoq; *lib. 2. Triſtium de ſe & domo ſua:*

Et neq;

Et neq; diuitiis, nec paupertate notanda eſt,
Vnde ſit in neutrum conſpiciendus eques.

TEXTVS.

Ex his autem intelligitur quoque, cur pleræq; Reſpubl. ſint hæ quidem Democraticæ, illæ vero Oligarchicæ. Nam quod in his medium ſæpe ſit exiguum, ſemper vtri excelluerint, ſiue opulenti, ſiue populus: qui à medio diſcedunt, trahunt ad ſe Rempublicam. Hinc vel fit Democratia, vel Oligarchia. Adhæc, quod populo & diuitibus motus & pugnæ inter ſe exiſtant, vtris magis euenerit aduerſarios ſuperare; non conſtituunt communem Rempublicam aut parem; ſed Reipublicæ excellentiam victoriæ præmium capiunt, hi quidem Democratiam, illi vero reddũt Oligarchiam. Præterea & qui principatum Græciæ tenent, ad ſuam quique ſpectantes Rempublicam, hi quidem Democratias in ciuitatibus conſtituunt, illi vero Oligarchias, non ad commune ciuitatũ, ſed ad ſuum ſpectantes commodum. His igitur de cauſis fit, vt vel nunquam reperiatur media Reſpublica, vel raro & apud paucos. Nam eorum qui olim cum imperio fuerunt, vnus tantum vir repertus eſt, qui hanc temperationem inſtituerit. Nũc autem pleriſque hæc conſuetudo in ciuitatibus eſt, ne velle quidem æquitatem, ſed cupere vel imperare, vel victos imperium velle.

COMMENTARII.

Cur hoc genus Reip ſit rariſſimũ.

Φανερὸν δ' ἐκ τούτων.] Expoſita priore & principe quæſtione de optima mediorum Republ. hoc loco cur ea ſit rariſſima; & ciuitates his duarum Rerumpubl. formis, vel Democratia, vel Oligarchia, ferè vtantur, tres cauſas affert. Ea quoque de re, id eſt, Ariſtotelis ætate plæraſque ciuitates his

duabus formis vſas eſſe, *ſupra* quoq; *initio lib.3.* monuimus: eamque cauſam attulimus, cur Ariſtot. tam accurate de his
1. Cauſa. duobus generibus explicandum ſibi putaret. Prima igitur cauſa, διά γὰρ τὸ, &c. Quia mediorum exiguus ſit numerus; quo fieri, cum reliqua duo ſint ciuiū genera, plebis & optimatum ſeu paucorum, vt ex his vtrum præſtet, totam Rempub ad ſe conuertat, plebs ad Democratiam, pauci ad Oli-
2. Cauſa. garchiam. Altera ratio, πρὸς δὲ τούτοις, &c. quia inter has duas ciuium partes plærunque diſcordiæ & ſeditiones exoriri ſoleant. Ex quibus diſcordiis fit, vt altera pars alterius odio, magiſq; opprimendi cauſa, non æquabilem & mediocriter temperatam, ſed vel extremam Democratiam, vel grauiſſimam ſibi eligat Oligarchiam. De harum partium, plebis, inquam, & paucorum diſcordiis diximus *ſupra lib 2. & infra ſæpe lib.5.* Quæ res Ariſtotelis ætate, in Græcia erat vſitatiſſima, *teſte Nepote in Phocione.* Erant, inquit, eo tempore Athenis duæ factiones, quarum vna populi cauſam agebat, altera optimatum. Et *Cicero lib.1. Offic.* Ex quo euenit, vt alii populares, alii ſtudioſi optimi cuiuſque videantur, pauci vniuerſorum, hi enim apud Athenienſes, &c. Ter-
3. Cauſa. tia cauſa; quia qui in Græcia principatum tenebant in ciuitates, alteri quidem Oligarchias, alteri vero inducebant Democratias, pro forma ſuarum Rerumpub. quibus verbis Ariſtoteles notat Lacedæmonios & Athenienſes. Nam Athenienſes, quia Democratia vterentur, in omnes, quas caperent ciuitates, eam Reipublicæ formam inducebant. Lacedæmonii, quorum Reſpub. ad Oligarchiam magis inclinaret, hanc inducebant. De quibus *infra lib 5 in fi cap.7.* & *Iſocrat. in Panathenaico, οἱ μὲν γὰρ ἡμέτεροι πατέρες,* &c.

Οὐ πρὸς τὸ τῶν πόλεων.] Proprium eſt omnium fere dominantium, vt quos bello deuictos imperio ſuo ſubiecerint, iura illis priſtina adimāt, ſuoq; omnia iure adminiſtrari velint. Qua prudenti ratione (nam ex iuris diſſimilitudine imperiorum quoque diſſimilitudo, diſcordia, conflictus & interitus naſcuntur.) Romanos quoque vſos eſſe in omni orbe terrarum, præterquam ſi quibus αὐτονομίαν relinquerent, conſtat.

Theopompus. Εἷς γὰρ ἀνὴρ συνεπείσθη.] Nimirum Theopompus Rex Lacedæmoniorum: qui vnus aliter atq; alii principes, ſuarum opum & ambitionis poſthabita ratione, ephoros inſtituit, ad quos

quos à Regibus eſſet prouocatio, nimiamque Regum poteſtatem ephoria minuit & temperauit, populi auxit, qua temperatione Regnum quidem ſeu regium imperium poteſtate & vi minuit, tempore & ſtabilitate auxit, & confirmauit. Qua de re *infra lib 5 cap. 11. & Cic. lib. 3. de legib.*

4. Cauſa.

Ἤδη δὲ καὶ τοῖς ἐν ταῖς] Eſt comparatio ſuæ ætatis cum Theopompo: in qua ineſſe poteſt & quarta ratio, cur hæc mediorum Reipub. conſtitutio tam ſit rara; quia ea illorum temporum ſit conditio, & morum deprauatio, vt nemo pari iure viuere, omnes vel dominari, vel ſeruire & iuſſa ferre malint.

TEXTVS.

Quæ igitur optima ſit Reſpublica, & qua de cauſa, ex his intelligitur. Ex alijs autem Rebuſpub. (ſiquidem plures Democratias, pluresque Oligarchias eſſe dicimus.) qualis prima ſit habenda, & ſecunda, proximaque eo modo, id eſt, vt hæc quidem ſit melior, illa vero deterior; ex optima definita non erit difficile videre. Nam quæ optimæ eſt proxima, eam oportet eſſe meliorem: quæ vero à medio longius diſtet, deteriorem, niſi ſi ex ὑποθέσεως quis iudicet; ex ὑποθέσεως, inquam; quia ſæpe cum alia Reſpub. ſit optabilior, nihil vetet, aliam Rempub. quibuſdam magis conducere.

COMMENTARII.

Σύγκρισις Democratiæ generũ inter ſe, itẽque Oligarchiæ generũ inter ſe.

Τίς μὲν οὖν ἀρίστη πολιτεία.] Expoſito eo Reipublicæ ſtatu, qui plæriſq; ciuitatibus ſit optimus, eo, inquam, in quo penes mediocres ſit imperium: facile iudicium eſſe ait, de generibus Democratiarum & Oligarchiarum, quæ optima ſit Democratia, quæ prima, quæ ſecunda, &c. quæ item Oligarchia ſit optima, quæ contra deterrima: nimirum ea, quæ huic optimo ſtatui ſit proxima, & maxime cognata, vt Democratia prima, in qua penes agricolas ſit imperium: Oligarchia vero, in qua minimi cenſus habeatur ratio. De quibus generibus dictum *ſupra* eſt *cap. 4. & 5.* Recte autem Ariſtoteles hunc mediocrium ſtatum, tanquam normam & regulam *Ratio, cur Ariſt. hunc*

mediocrem ſtatũ recte ſtatuat reliquorum normam. gulam aliarum Rerumpublic. conſtituit. Solet namque rectum praui eſſe norma, non contra: *ſupra libro ſecundo Ethicorum in principio.*

Occupatio. Ἂν μὴ πρὸς ὑπόθεσιν.] Eſt velut occupatio quædam. Nam quæ modo docuit de optimo ſtatu & aliis optimo proximis magis aut minus, vera ſunt illa quidem ἁπλῶς, ſuaq; ſponte & natura in plæriſque ciuitatibus: ſæpe tamen propter diſſimiles ciuitatum fines, id eſt, ex ὑποθέσεως, poſſunt eſſe falſa, nimirum vt quæ alioqui optima ſua ſponte & ἁπλῶς eſt Reſpubl. huic aut illi ciuitati ſeu nationi ſit mala, & minus conueniat. Et hoc eſt, quod ſupra cap. primo diximus, Reſpubl. alias per ſe eſſe bonas, alias ex ὑποθέσεως. De quibus Rerumpubl. generibus ex ὑποθέσεως cap. proximo.

CAPVT XII.

1. Pars. *2. Pars.* *3. Pars.* TRES huius capitis ſunt partes, quarum in prima duo communia præcepta & ὑποθέσεις enumerantur: In altera de Rebuſpub. ex ὑποθέσεως In tertia cautiones ab Ariſtotele Rerumpubl. conditoribus & politicis exponuntur, de ciuitatibus ex mediocrium conditione temperandis. Summa tamen capitis eſt de Rebuſpub. ex ὑποθέσεως. De quibus & *ſupra cap. 1. & 3. & infra lib. 6. cap. 7.*

TEXTVS.

Quæ autem quibus, & qualis qualibus Reſpub. conducat; conſequens eſt prioribus exponere. Primum igitur de omnibus vniuerſe idem eſt ſumendum. Nam quæ pars ciuitatis Rempublicam ſaluam manere vult, eâ, quæ non vult, plus poſſe debet. Conſiſtit autem omnis ciuitas & ex quali, & ex quanto. Quale quidem voco libertatem, diuitias, diſciplinam, nobilitatem: quantum vero multitudinis præſtantiam. Fit autem, vt partium, ex quibus conſiſtit ciuitas, alteri quidem ciuitatis parti adiunctum ſit quale, alteri vero quantum. Verbi gratia, vt plures ſint numero ignobiles, quã generoſi, pauperes, quam diuites: non ita tamen,

vt tam

vt tam quanto excellant, quam ſuperentur quali: Quare hæc inter ſe comparanda.

COMMENTARII.

Τίς δὲ πολιτεία τίσι] De ciuitatum partibus duo hæc pręfatur hac de cauſa, quia ex earum permixtionibus ſumma huius capitis quæſtio cognoſcatur. Priore igitur, quod magis eſt commune, omnibuſque in Rebuſpublicis, tanquam aureum præceptum, ſeruandum; eam Reipub. partem plus poſſe debere, quæ præſente Reipublicæ ſtatu ſit contenta, quam quæ non ſit. Danda quidem eſt rectori Reipub. ſeu legum ſcriptori opera, omnes vt Reipub. partes eam ſaluam & incolumem eſſe velint, *vt ſupra libr. 2. cap. 7.* vbi de ephoris, *& hoc libro cap. 9. infi & lib. 6. cap. 5.* Sed tamen quia hoc difficile eſt factu κατὰ δεύτερον πλοῦν: quod proximum, vt ex reliquis ea pars ſaltem plurimum poſſit, quæ Rempub. velit eſſe ſaluam: quod præceptum grauiter laudat, *& infra lib. 5. cap. 9.* καὶ τὸ πολλάκις, &c. vbi hoc ciuitatum maximum vocat στοιχεῖον Huius autem principii quæ ſit cauſa & ratio, explicabitur *infra eo loco lib. 5.* Alterum eſt de iis, quæ in ciuitatis partibus maxime ſint ſpectanda. Ea Ariſtoteles hoc loco *& infra lib. 7. cap. 4.* ait eſſe duo ſumma capita, Quantitatē & Qualitatem. Cauſam huius partitionis ſubindicat Ariſtoteles *infra lib 5. cap. 3.* vbi ciuitatum partes animantium partibus comparat. Vt igitur in his alias magnitudo & numerus, alias forma & dignitas: ita & in ciuibus, ſeu ciuium generibus hæc duo ſpectari debent. Ad Quantitatem pertinet numerus & multitudo ciuium, & magnitudo vrbis. Ad Qualitatem, libertas, diuitiæ, diſciplina, & nobilitas. Ex his quatuor libertas quid hîc valeat, an quæ ſeruituti eſt contraria, an, vt putat Sepulueda, honeſtam ciuis conditionem, opificijs contrariam. nam & Ariſtoteles *lib. 1. Rhetoric* inter res libero homine dignas commemorat & τὸ μηδεμίαν ἐργάζεσθαι τέχνην, &c. Puto hæc duo, ἐλευθερίαν & εὐγένειαν, eodem pertinere, idemque, etſi hoc loco diſiuncta, valere, cui repugnat ἀγένεια, id eſt, non ars ſordida, ſed genus. Nam & *lib. 6. infra cap. 2.* his tribus, diuitiis, παιδείᾳ & generi, hæc tria opponit contraria, paupertatem, βαναυσίαν, & ignobilitatem, ἀγένειαν. Monuimus autem *ſupra lib 3. cap. 8.* de affinitate ἐλευθερίας & εὐγενείας. Eodem, id eſt, ad Qualitatem pertinet

I. Hypotheſis.

II. Hypotheſis.

Ratio à ſimili.

Quantitas.

Qualitas.

Libertas.

pertinet & virtus. Ex his igitur duabus partium notis, quantitate & qualitate, alias quidem vſuuenire poteſt, vt pars vna ciuitatis quantitate, altera præſtet qualitate; vt, verbi gratia, quia ſæpe fit, vt plures numero ſint ignobiles, quam nobiles, pauperes, quam diuites. Vbi etſi numero ſeu quantitate hos illi ſuperant, tamen non ſemper eoſdem ſuperant qualitate. Qua ex varietate & multiplici permixtione tandem exiſtunt varia ciuitatũ & Rerumpubl. genera: & ex hac partium cum notis ſuis inter ſe comparatione intelligitur, quæ Reſpublic. cui ciuium ſeu hominum generi ſit optima, quæ non: quæ eſt ſumma huius capitis quæſtio.

TEXTVS.

Vbi igitur priore Analogia ſuperat pauperum multitudo, hic eſt natura Democratia. Nam ſi agricolæ ſuperant, agricolarum exiſtit Democratia: atque quæque Democratiæ genera pro cuiuſque populi exuberantia. Vt ſi agricolarum quidem ſuperet multitudo; prima vt ſit Democratia, neceſſe eſt: ſi vero opificum & mercenariorum, vt extrema: Itemque & alias his interiectas. Vbi vero diuites & nobiles magis præcedant quali, quam relinquantur quanto; hic, vt Oligarchia ſit, neceſſe eſt, atque Oligarchiæ quodque genus eodem modo pro exuperantia Oligarchiæ multitudinis.

COMMENTARII.

Quæ cui ciuitati Reſp. optime conueniat.

Ὅπου μὲν οὖν ὑπερέχει.] Summa huius capitis quæſtio de Repub. ex ὑποθέσεως, id eſt, non de ea, vel quæ ſua ſponte ſit optima, vel quæ plæriſque mortalibus: ſed quæ huic vel illi ciuitati, aut genti ſit optima. Hanc quæſtionem ex prioribus duabus ciuium notis & differentiis explicandam, ſupra iam monuimus. Verbi gratia, in qua ciuitate plebs numero magis ſuperet ſeu quanto, quam ſuperetur quali: huic ciuitati optima erit Democratia; id eſt, in qua ciuitate ea ciuium ſeu ciuitatis partium eſt ratio, vt tenuiorũ multitudo plus poſſit, quam diuitum, aut nobilium diuitiæ & opes; huic vtiliſſima

ſima erit Democratia. Contra vero, in qua ciuitate plus poſſint paucorum diuitiæ & opes, quam tenuiorum multitudo: huic optima & vtiliſſima erit Oligarchia. Quid ita? Quia ἐκ τοῦ κυρίου. id eſt, eius partis ciuitatis, quæ plurimum poſſit Reipub. genera diuidantur. qua de re dictum *ſupra lib.3.cap.7.* Huc pertinent & ea, quæ explicata ſunt & *ſupra lib.3.cap. vlt.* de variis hominum & ciuium generibus, vbi aliud πλῆθος πολιτικὸν, aliud ἀριστοκρατικὸν eſſe docuimus. Quæ hîc de Democratia & Oligarchia (nam de his fere ſemper Ariſtoteles, vt maxime vſitatis Rerumpubl. generibus) exponuntur, eadem & ad alia Rerumpublic. genera, Ariſtocratiam & Rempub. traduci, & conuenire poſſunt, vt cum ciuium virtutis ratione duo quoque genera conſtitui poſſint, quorum alii ſunt viri boni, alii improbi, vel non nimis boni; ſi, vt fere fit, numero ſuperent mali, bonorum tamen tantæ ſint opes, vt plus poſſint, etſi pauciores quam reliqui: vtilis hic erit Ariſtocratia, non illa quidem optima, ſed ex reliquis vna. Iam vero quia *ſupra cap.4.5. & 6.* multa Democratiæ & Oligarchiæ genera ſunt expoſita; quæri poteſt, ex iis generibus quod huic aut illi ciuitati ſit optimū & ſaluberrimum? Reſpondet Ariſtoteles, hoc quoq; ex ciuiū generibus æſtimandum, plebis & patriciorum. Verbi gratia, cum quatuor plebis genera ſint expoſita, primum agricolarum, &c. vbi horum maxima erit multitudo, & opes & potentia; huic ciuitati optima erit Democratia. Contra, vbi mercenariorum & ſordidorum opificum maxima erit turba, huic ciuitati maxime conueniet deterrima Democratia. Eademque eſt ratio cæterarum duarum Democratiarum pro potentia ciuium, ex quibus illæ æſtimantur. Ad eundem modum & de Oligarchiæ generibus æſtimandum eſt; nimirum, vbi minimus ſit paucorum cenſus, huic ciuitati ſaluberrimam eſſe primam Oligarchiam; contra vbi maximus cenſus, ibi vltimam & extremam.

Ratio.

De ſingulis quorūlibet generū ſpeciebus.

TEXTVS.

Legum ſcriptorem autem in Republica ſemper oportet aſciſcere medios: ſiue enim leges ferat Oligarchicas, ad medios collineare oportet: ſiue Democraticas, legibus hos conciliare. Vbi autem mediorum

diorum ſuperauerit multitudo, vel ambo extrema, vel alterum tantum: hic fit, vt Reſpublica ſit ſtabilis: nam nihil eſt metuendum, ne quando aduerſus hos diuites cum pauperibus conſpirent. Nunquam enim animum inducent, alteræ ſeruire alteris. Quod ſi communiorem quærant, nullam aliam hac reperient, viciſſim autem imperare non ſuſtineant propter diffidentiam inter ſe, vbique autem fide digniſſimus eſt arbiter, medius autem eſt arbiter. Iam quanto melius temperata fuerit Reſpublica, tanto erit ſtabilior. Peccant autem plerique, qui Reſpublicas Ariſtocraticas conſtituere volunt, non eo tantum, quod plus tribuant diuitibus: ſed etiam quod populum circumueniant. Nam neceſſario ex falſis bonis aliquando tamen verum exiſtit malum. Diuitum namque cupiditates Rempublicam magis perdunt, quam populi.

COMMENTARII.

1. Præceptũ quoddã politicum de medijs ciuibus.

Δεῖ δὲ ἀεὶ τὸν νομοθέτην] Expoſita Republica ex ὑποθέσεως, id eſt, quæ cuiq; pro copiis præſentibus ſit optima: redit hac altera capitis parte ad medios, de quibus duo adferuntur. Prius eſt præceptũ, quo Ariſtoteles optimos quoq; legumſcriptores ſeu politicos monet, quocunq; in Reipublicæ genere, etiam nõ optimo, ſed vel Democratia, vel Oligarchia, inſtituendo & temperando, vt maxime tamen ſpectent ad medios, id eſt, vt leges & inſtituta ita temperent, ſiue in Oligarchia, ſiue in Democratia: vt neq; ad multitudinis, neque ad paucorum imperium & opes prorſus dirigantur; ſed nonnihil ad mediocrium ſtatum ſubinducendum & confirmandum incitnent. Quid ita? Quod hac ratione ſiue Democratia ſiue Oligarchia futura ſit ſtabilior & diuturnior; quod optimi leguinſcriptoris eſt officium, Rempubl quamcunque tandem ita temperare, vt quam maxime ſit diuturna. Et hoc eſt, quod ait, προσάγεσθαι τοῖς νόμοις τούτους, id eſt, hos medios, inquam,

Ratio.

inquam, legibus conciliare & amicos reddere, id eſt, eas leges & inſtituta introducere, quibus non tam vel multi vel pauci, quam medii ſint amici, id eſt, ad eorum ſtatum conſeruandum directæ. De hoc præcepto & *infra lib. 5. cap. 8.* Alterum, quod de mediis hic affertur, in quo prioris poſita eſt cauſa & ratio: Eam Rempubl. maxime eſſe ſtabilem & diuturnam, in qua mediorum pars, ciuium reliquis duabus diuitum & pauperum, vel vtraque, vel alterutra tantũ ſit maior & potentior. Quod explicatum *ſupra cap. 11.* his verbis, καὶ τὰς τοιαύτας, &c. vbi huius quoq; rei, id eſt, cur mediorum Reſpubl. maxime ſit ſtabilis, cauſas expoſuimus, ex quibus Ariſtoteles & hoc loco vnam attingit, quadam velut occupatione vtens, οὐθὲν γὰρ φοβερὸν, &c. Nam ſi ad medios omnia reuocentur, occurri poterat, Rempub propterea minus fore ſtabilem, quod reliquæ duæ ciuium partes pauperes & diuites, coitione & conſpiratione quadam facta, aduerſus medios, eorum indignati imperium, Reipubl. ſtatum ſint perturbaturi. Reſpondet Ariſtoteles, de hac pauperum & diuitum aduerſus medios conſpiratione non eſſe metuendum. Nam hac conſpiratione hoc eos quærere neceſſe erit, vt vel ipſi poſtea omnes ſimul Rempub. adminiſtrent, vel viciſſim nunc diuites præſint, pareant pauperes, aut contra; vel vt Reipublicæ imperium ad alterutram tantum partem, pauperes nimirum vel diuites totum recidat. hoc quin minime velint, perſpicuum eſt; nam plærunque tantum eſt inter has duas partes odium, grauiſſime vt altera alterius ferat imperium, quin potius vtraque ad tertiam aliquam delatum cupiat. Primi quoque, cauſa vix eſt, vt conſpirent, propterea quod nulla Reſpublica ſit omnibus ciuium partibus aptior, quam ea, quæ ſit mediorũ, vt in qua facile omnibus ad magiſtratus & honores pateat aditus. & proinde maxime ſit & dicatur communis. Vt autem viciſſim præſint & pareant, ne huius quoque rei cauſa aduerſus medios quid molientur; propterea quod neutra pars alteri fidat, vtraque maxime medijs fidat: medijs namque maxime fides haberi debet & ſolet; pauperibus & diuitibus, id eſt, extremis partibus non item: quod docet Ariſtoteles exemplo iudiciorum, in quibus partes neutra alteri fidit, non actor reo, non reus actori; ſed vtraque iudici, vtpote medio. Quare & iudex eleganter à Græcis μεσόδικος dici ſolet: *ſupra lib 5. Eth. cap. 4.*

2. Præceptũ de ciuibus mediocriter diuitibus.

Occupatio.

Simile.

3. Præceptũ de mediocriter diuitibus. Ὅσῳ δ' ἂν ἀμείνων ᾖ.] Tertium hoc eſſe poteſt de medijs præceptum. Nam poſtquam vniuerſe dixit, mediorum Rempubl. maxime eſſe ſtabilem; hic adiungit ex his mediorum Rebuſpubl. aliam alia eſſe ſtabiliorem, & eam quidem maxime ſtabilem, quæ optimæ fuerit mixta & temperata. De quo præcepto, & *infra lib.*..*cap.*7. οἷον δὲ μάλιστα, &c. Argumentum autem optimæ temperatæ & mixtæ mediorum Reipub. expoſuit *ſup. cap.*9.

Διαμαρτάνουσι δὲ πολλοί.] Expoſita Ariſtoteles ſua de Rebuſpubl. ad medios inclinandis ſententia: nunc breuiter aliorum peccata perſtringit Politicorum. *1. Peccatum aliorum.* nam pleroſque Politicos opes diuitum amplificare, & omnem Rempublicam ad hos trahere, omnia fere, inquam, diuitibus tribuere: neq; *2. Peccatũ.* hoc tantum: ſed plebem præterea machinis quibuſdam & aſtutis conſilijs circumuenire: quod vtrumque graue ait eſſe peccatum; omnia, inquam, aut certe plura diuitibus tribuere quam pauperibus, & pauperes inſuper ſupplantare. *Ratio reprehẽſionis primi peccati.* Nam non eſt quidem contra iuſtitiam aut rationem Reipublicæ plus interdũ diuiti tribuere, hoc vero eſt periculoſum. Quid ita? Quia diuitum opes, quam pauperum, plus nocent Reipubl. facilius euertunt Rempublicam propter petulantiam, *2. Peccati.* inſolentiam & iniuriam. Alterum horum peccatum in machinis & technis, quibus aſtute plebem & tenuiores circumuentos à Republica remouent excluduntque. Nam hac ratione aſtuta, etſi optimates bene ſibi conſulere videntur, eo quod omnem Reipublicæ adminiſtrationem & imperium ad ſe pertrahant: tandem tamen, quia omnis Reſpub. penes alteram ciuium partem ſit, plebe penitus excluſa & oppreſſa, plebis in optimates odium & offenſio, & hinc motus Reipublicæ conſequatur, neceſſe eſt. Videntur his technis Optimates quædam plebi tribuere commoda: ſed ſpecie tenus duntaxat, non vera. Ex quo fieri ait Ariſtoteles, vt ex hac ſimulatione & Sophiſmatis, ſiue (vt ipſe ait) ex falſis & ſimulatis bonis ſeu commodis vera mala, id eſt, ipſa Reipublicæ euerſio conſequatur. Nam & alias ex falſis vera interdum efficiuntur. Et hoc eſt, quod eleganter ait, Ἀνάγκη χρόνῳ ἐκ τῶν ψευδῶν.

* * *

Capvt

CAPVT XIII.

HVIVS capitis prima parte de machinis locupletum & tenuiorum inter ſe: Altera de Republ. mediorum inſtitutam diſputationem tandem perficit.

TEXTVS.

Quæ autem ſpecietenus in Rebuſpublicis machinantur in populum, quinque fere ſunt numero: in concione, in magiſtratibus, in iudicijs, in armis, & in exercitationibus. In concione quidem, omnibus poteſtatem eſſe veniendi in concionem. Mulctã vero locupletibus inueniant, aut ſolis, aut multo maiorem cõſtitui. In magiſtratibus autem, cenſum quidem habentibus non eſſe poteſtatem eiurare: tenuioribus vero eſſe. In iudicijs quoque locupletibus quidem, ni iudicent, mulctam eſſe, tenuioribus vero immunitatem: vel illis quidem magnam, illis vero paruam, vt in Charondæ legibus. Interdum autem poteſtas eſt quidem omnibus nomen profeſſis, & in concionem venire & iudicare: profeſſis vero, ni & in concionem veniant & iudicent, magnæ propoſitæ ſunt mulctæ: vt propter mulctam quidem vitent profeſſionem: propterea vero, quia non profiteantur, non iudicent, aut in concionem veniant. Ad eundem modum & de armis habendis, & de exercendo conſtituunt. Nam tenuioribus quidem libertas eſt non habere, ditioribus vero non habentibus mulcta: & niſi exerceantur, illis quidem nulla mulcta, locupletibus vero mulcta: vt hi quidẽ propter mulctam ſint participes: illi vero, quia non metuant, non ſint participes. Hæ igitur Oligarchicæ quidem legum ſunt machinæ: in Democratijs vero

contraria his machinãtur. Nam tenuioribus quidem in concionem ventitantibus & iudicantibus mercedem præbent:locupletibus vero nullam cõſtituant mulctam. Ex quibus intelligitur, ſi quis rite temperare velit; ea, quæ ſunt apud vtroſque, eſſe conducenda : atque illis quidem mercedem prębendam,his vero mulctam. Hoc namq; modo omnes ſint participes, illo vero ad alteros tantum Reſpubl.recidat.

COMMENTARII.

Techna diuitum & pauperum quædam.

Ἔστι δ' ὅσα προφάσεως.] Explicat hoc loco Ariſtoteles quinq; ſumma machinarum genera, quibus locupletes aduerſus tenuiores, & contra hi aduerſus illos callide vti ſolent hoc conſilio, vt dum vel ditiores, vel plebs totam ſibi quiſque Rempubl. vindicare ſolet: pars aduerſaria hunc conatum vix ſentiat, ludificata his præſtigiis & ſimulatis commodis. machinas, technas, callida conſilia Ariſtoteles vocat σοφίσματα, καὶ κατασκευάσματα. Quorum duo hîc genera, vt dixi, facit, Oligarchica & popularia. Oligarchicis vtuntur & optimates, eaq; re & Ariſtocratica quoque quædam ſunt σοφίσματα Sunt & Tyrannica, de quibus meminit *infra lib. 6 cap. 4.* De his machinis & *infra lib. 5. cap. 8.* In his autem machinis prudenter & callide comparandis & moliendis non minima pars prudentiæ ciuilis eſt poſita.

Ariſtotelis iudiciũ de his machinis.

Etſi Ariſtoteles calliditatem potius hanc eſſe quam veram prudentiam merito exiſtimat. Nam harum machinarum in vitioſis Rebuſpub. tantum eſt vſus, in rectis non item, vt in Tyrannide, Oligarchia & Democratia. Quare modo recte Ariſtoteles hallucinari eos politicos ait, qui in Optimatum Rebuſpubl. has machinas adhibeant.

Ordinis ratio.

Cur autem de his hoc loco explicetur, ordinis hæc eſt ratio; quia leuiter earum priori capite facta ſit mentio: Qua de re *paulo infra.*

Numeri ratio.

Cur autem quinque ſint numero, ſiue cur in quinque tantum rebus earum ſit vſus machinarum, cauſa eſt obſcurior, quam tamen ego hanc eſſe puto: quia primum conſtet tres ſummas eſſe partes Reipublicæ: Conſilium, (quod capi ſolet in concionibus apud Græcos) Magiſtratus & Iudicia. Deinde in re militari, quod eſt al-

eſt alterum Reipublic. tempus; quia, inquam, eo pertineant armorum & exercitationum vſus. Hac igitur de cauſa quinque ſummæ Reipublicæ ſunt partes; tres pacis potiſſimum, duæ belli.

Περὶ ἐκκλησίαν μὲν.] Primus dolus ſeu machina, quam pauci aduerſus plebem adhibeant in concionibus, hîc exponitur: qua machina ad conciones ventitandi paucis imponatur neceſſitas, plebi concedatur libertas; propoſita nimirum diuitibus, ni accedant, pœna ſeu mulcta; tenuioribus non item. Qua arte ditiores omnem tandem comitiorum & concionum poteſtatem ad ſe occulte pertrahunt, vt quo ex tenuioribus pauci, vtpote non coacti, omnes vero ditiores neceſſario conueniant, atque ita ſuffragiis ſuperent. Tenuiores autem præclare ſecum agi putant, ſi nulla mulcta à re ſua familiari curanda & ab opificiis diſtrahantur & auocentur. Eadem eſt & in reliquis quatuor, (iudiciis, magiſtratibus, armis ſeu exercitationibus) doli ſeu machinę ratio; mulcta, inquam, ſeu pœna diuitum, immunitas & libertas tenuiorum: vel certe magna diuitum, exigua tenuiorum mulcta. Verbi gratia: In magiſtratibus tenuioribus eos eiurandi & recuſandi eſt poteſtas & libertas, ditioribus nō item. In iudiciis ditiores neceſſario iudicandi munus ſuſtinent, tenuiores non item: Illi metu pœnæ ſeu mulctæ, hi nullo pœnæ metu aut certe exiguæ: quam rationem in ſuis legibus ait ſecutum Charondam, de quo *ſupra lib. 2. extremo* In his tamen duobus capitibus, magiſtratibus & iudiciis, quaſdam ciuitates hanc artem & rationem tenere ait, qua omnibus quidem peræque, diuitibus atq; tenuioribus, libertatem faciant concionum & iudiciorum, ſi modo nomina dederint ſeu ſint profeſſi: ſed profeſſis iam non eandem faciunt libertatem. Nam hos magna propoſita pœna cogunt, vel ad conciones vētitare, vel eſſe iudices. Huius igitur pœnæ ſeu mulctæ metu tenuiores, profeſſionem fugiunt, & proinde neq; ad conciones, neque ad iudicia peruenire poſſunt: atque ita tandem & conciones & iudicia ad ditiores recidunt. Sic & de armis, & de exercitationibus: diuites metu pœnæ & arma ſibi parant & exercentur, tenuiores nullo pœnæ metu vtrunque ſæpe negligunt.

1. Machina ſeu dolus.

Alia quorundam techna.

Ἐν δὲ ταῖς δημοκρατίαις] Nunc de populi ſeu plebis aduerſus ditiores ſeu optimates machinis & dolis, quos priori- bus

Democratica antiſophiſmata.

bus ait eſſe contrarios, hunc in modum: vt quia prioribus mulcta ſemper ditioribus conſtituatur, hîc ſit nulla; & hoc amplius, vt tenuioribus non mulcta, ſed merces potius ſeu æs aliquod decernatur, quo velut eſca illecti, facilius ad concionem, propter hanc mercedulam ſeu ſportulam, iudicia, magiſtratus, &c. curſitent: vt Athenis populo huiuſmodi fuerunt ſportulæ propoſitæ, quæ θεωρικὰ χρήματα ab iis dicuntur.

Quomodo technis illis recte poſſimus vti.

Ὥστε φανερὸν, ὅτι, εἴ τις] Expoſitis & Oligarchicis & Democraticis machinis, quas ſupra docuimus eſſe vitioſas, aut vitioſis tantum Rebuſpub. congruentes: hoc loco Ariſtoteles, iis tamen quemadmodum recte vti poſſimus, in bono Reip. genere oſtendit, nimirum in ea, quæ dicitur communi nomine Reſpub. Monet igitur vtriuſque illius Reipub. Oligarchiæ & Democratiæ, machinas ſeu inſtituta eſſe conflanda & temperanda: Ex qua permixtione Reſpubl. illa communi nomine exiſtat. De qua permixtione *ſupra* late explicatum *cap. 9.* verbi gratia; Ex Oligarchia ſumenda erit mulcta, ex Democratia mercedula. Sic enim fiet, vt omnes ad Rempub. gerendam impellantur, diuites mulcta, tenuiores mercedula: alioqui vt ad alterutram ciuium partem, id eſt, vel ad paucos, vel ad multos: ad paucos, ſi Oligarchica illa inſtituta & doli tantum vigeant: vel ad multos, ſi Democratica, vt recidat, neceſſe eſt.

TEXTVS.

Oportet autem Rempublicam conſtare illam quidem ex iis, qui arma tantum habeant. Cenſus vero magnitudo quanta eſſe debeat, ſimpliciter quidem definiri non poteſt: ſed conſiderato, quãtus maximus eſſe poſſit, vt hi, qui Reipublicæ ſunt participes, quam qui non ſunt, plures numero ſint, tantus definiri debet. Tenuiores namque etiam non participes bonorum quieſcere volunt, ſi eos nemo contumelia, vel vllo rei familiaris detrimento afficiat. Sed hoc non facile factu eſt. Neque enim ſemper vſu venit, vt qui Rempublicam gerunt,

runt, humanitate ſint expoliti; conſuerunt autem belli tempore, ſi ſint pauperes, bellum detrectare, ſi commeatus non ſuppeditetur: qui ſi ſuppeditetur, bellum gerere cupiunt. Cæterum apud nonnullos Reſpubl. non ex militaribus tantum, ſed ex ijs quoque, qui militarint, conſtat: apud Malienſes quidem conſtabat Reſpublica ex iſtis, ſed magiſtratus ex militantibus deligebant. Prima autem Reſpublica apud Græcos ſecundum regna ex bellum gerentibus conſiſtit: ab initio quidem ex equitibus (belli namque robur & præſtantia erat in equitibus. Nam peditatus quidem abſque ordine eſt inutilis: harum autem rerum vſus & ordo ſeu inſtructio nulla erat apud veteres, quo factum, vt in equitibus omne eſſet robur.) auctis vero ciuitatibus, & equitatu valentiore facto, plures Reipublicæ ſunt facti participes. Quare quas nunc vocamus Reſpublicas, ſuperiores vocabant Democratias. Merito autem veteres Reſpublicæ erant Oligarchicæ & Regiæ. Nam propter hominum paucitatem pars media non ita erat multa. Quare & pauci numero, & propter ordinem facilius ſuſtinebant imperio ſubeſſe (nam & Democratia non eſt vna numero, itemque aliæ.) Quæ præterea ſint differentiæ, & quam ob cauſam, ad hæc, quæ Rerumpublicarum plerunque ſit optima, & ex ijs Rebuſpub. quæ quibus accommodata; eſt explicatum.

COMMENTARII.

De Republ. ſpeciali.

Δεῖ δὲ τὴν πολιτείαν εἶναι.] Altera huius capitis parte duo tractat Ariſtoteles. Nam extremo cap. totius huius libri tota velut *ἀνακεφαλαίωσις* exponitur. Hoc autem loco redit ad diſputationem de Repub. quæ dicitur communi nomine, de

qua Republ. quinque fere his capitibus, 9.10.11.12.13. Sed multis ſuo more, vt de Tyrannide, de machinis Oligarchicis, &c. interiectis, diligenter explicauit, hic tandem impoſito Colophone. De hac igitur Repub. quatuor fere hîc adferuntur. Primum eſt de ciuium genere. Nam Rempubl. non ex locupletibus vel opificibus, ſed ex militibus, armaq; habentibus maxime conſtare: quod idem & *ſupra* aliquoties iteratum eſt *lib. 2. cap. 4.* ἐκ γὰρ τῶν ὁπλιτευόντων, &c. *& lib. 3. cap. 5.* vbi de Rerumpub. generibus, ὅπου δὲ τὸ πλῆθος. Quare & *cap. ult. lib. 3.* πολιτικὸν πλῆθος vocat πολεμικόν. In hac igitur Repub. omnis Reipublicæ principatus & imperium eſt penes milites. Cur autem, expoſitum fuit *ſupra lib. 3. cap. 5.*

De Politiæ ciuibus.

De cenſu ipſorum.

Alterum eſt de cenſu horum ciuium: quantus eſſe debeat. De eo igitur ſeu eius magnitudine negat Ariſtoteles poſſe abſolute & ſtatim definiri, quanta eſſe debeat: ſed rationem quoq; habendam, in cenſu definiendo, multitudinis eorum, qui Reipub. ſunt participes. Non igitur abſolute, ſed comparate cenſus hic erit definiendus, hunc in modum; vt tantus quidem, quantus maximus eſſe poſſit, definiatur: ita tamen, vt plures cenſi reperiantur, qui Reipub. ſint participes, quam qui non ſint, id eſt, vt cenſus plures Reipub participes complectatur. Hoc namque ſemper in hac Republica eſt agendum & prouidendum, ne propter cenſum tenuiores, & infra cenſum poſiti alios numero vincant: Cum in hac Republica non tam cenſus, quam armorum & rei militaris habeatur ratio.

Ἐθέλουσι γὰρ οἱ πένητες.] Obſcuriora hæc ſunt verba de tenuioribus, quos ait primum etiam honorum expertes, facile tamen quieſcere: ſi à locupletioribus neque contumeliis afficiantur, nec rei familiaris patiantur detrimentum: deinde tempore belli militiam detrectare, ſi non præbeatur commeatus aut cibaria. Quæ quidem ad prius illud de cenſus magnitudine pertinere mihi videntur, hunc in modũ. Nam cum prius dixerat, cenſus finem & ὅρον in hac Republ. eum eſſe optimum, quo ſemper plures numero Reipublicæ ſint participes; rationem hanc eius ὅρου adiungit, à tenuioribus ſumptam. Nam ſi magnus ſit cenſus, multi vt ſint honorum & Reipub. expertes, neceſſe eſt, pauci Reipub. participes: & proinde pauci quoque, qui rem militarem tueantur, cuius in hac Repub. maxime habetur ratio. Tenuiores namque infra

Ratio.

cenſum

cenſum poſiti, & proinde Reipub. & honorum expertes, rem quoq; militarem non adiuuabunt; quos quia Reſpubl. non attingit, vt incenſos, iure à bello gerendo abſtinere poterunt. Neque vnquam, vt nomina dent, compelli poterunt, propter paupertatem, niſi ſi à Repub. & aliis alantur, & commeatus iis ſuppeditetur publice. Nam apud veteres plærique in plæriſq; ciuitatibus ciues ſuo ære militare ſolent. Quemadmodum & Romæ ſatis diu *Liuius lib. 4.* Additum, inquit, &c. vt ſtipendium miles de publico acciperet, cum ante hoc tempus de ſuo quiſque eo munere functus eſſet. Nihil, &c. Effectum eſſe fatentibus, vt pro tam munifica patria nemo, donec quicquam virium ſupereſſet, corpori aut ſanguini ſuo parceret. Quare hoc, id eſt, cibaria militibus de publico præbere, quia ciuitatibus eſt graue; melius erit, non ita magnum definire cenſum, quo plurimi tenuiores excludantur: cum propter hanc de re militari cauſam, tum propter odium ex eo oriturum, quod à potentioribus vel contumelia vel damno afficiantur. Nam tenuiores non ita magni faciunt, ſi non honorum ſunt participes: non propterea aduerſus opulentos inſurgere ſolent, ſi modo non afficiantur iniuria vel damno: gaudent ſuam rem familiarem curare & amplificare: de publica non admodum ſoliciti. Verum quia raro fit, vt potentiores ita ſibi moderentur, vt non ſint inſolentes, & iniuria vel contumelia aduerſus tenuiores vtantur, & hac ratione eos aduerſus ſe concitent, & proinde motus ac ſeditiones exiſtant: præſtat, inquam, hac quoque de cauſa cenſus horum non ita eſſe magnos, quo multi tenuiores à Republica excludantur. His igitur verbis duas has cauſas, cur cenſus ὅρος in hac Repub. non maximus eſſe debeat, contineri puto. *2. Ratio.*

Ἔστι δ' ἡ πολιτεία.] Duobus de Repub. expoſitis, hoc eſt tertium, item vt primum, de ciuium genere, ſeu potius de variis huius Reipublicæ generibus. Nam primo expoſuimus, hanc Rempubl. ex militibus conſtare. Hoc tertio dicitur, eam non tantum ex militibus, ſed interdum ex iis, qui olim fuerint milites, conſtare: quod eſt alterum huius Reipubl. genus. Eſt etiam tertium, olim Malienſibus, qui ſunt in Maliaco ſinu ad oram Locrorum, vſitatum, in quo principatus quidem ſit penes eos, qui olim fuerint milites, honores vero & magiſtratus tantum militibus permittantur: quod partim *De 2 genere ciuiũ huius Reipub. ſpecialis.* *Malienſiũ Reſpubl.*

ex militibus, partim ex iis, qui olim fuerint milites, eſt confuſum & permixtum.

De antiquitate huius Reipub. ſpecialis. Καὶ ἡ πρώτη δὲ πολιτεία.] Quartum eſt de origine & antiquitate huius Reipub. Hanc igitur ſecundum Regna primam apud Græcos & antiquiſſimam eſſe ait. Nam de regno, primo Reipub genere, diximus *ſupra lib. 1. cap. 1.* Cur autem hoc Reipublicæ genus tam ſit antiquum, cauſam nullam adfert Ariſtoteles, quæ mihi quidem hæc eſſe videtur: quia *1. Ratio.* virtus militaris prima fere cadat in homines, natura ad ſui defenſionem propenſa: vt eleganter *Lucretius lib 1. in fine.* Reliquæ virtutes mitiores, iuſtitia, temperantia, &c. poſterius *2. Ratio.* acceſſerunt. Altera eſt ratio, quam ſubindicat hîc Ariſtoteles, quia initio ciuitates fuerint infrequẽtes, & proinde pauci virtutibus illis mitioribus præditi. Nam in omnes & in plebem virtus militaris facile cadit: reliquæ non item, *inquit Ariſtot. ſupra cap. 9.* His igitur de cauſis factum puto, vt neque Oligarchiæ, neque Ariſtocratiæ, neque etiam Demo- *Occupatio.* cratiæ antiquioribus fuerint vſitatæ: etſi hanc ipſam Rempubl. antiquitas Democratiam quoque vocare ſolet, vt in qua penes plebem ſeu virtutem militarem, toti plebi facile *Reſp. equeſtris antiquior pedeſtri.* communem eſſet principatus Verum cum militum duo ſint genera, equites & pedites: adiungit Ariſtoteles, equeſtrem Rempub. pedeſtri eſſe antiquiorem, hac de cauſa, quia equitatus, peditatu ſit antiquior. Quid ita? Quia in pedeſtri exer- *Ratio.* citu magna arte in âcie diſponenda, quam Græci τακτικὴν *Approbatio* vocant, ſit opus: qua ſine (arte & aciei recta inſtructione,) plane inutilis eſt peditatus. At hanc artem inſtruendæ aciei, non niſi longo tempore & vſu cognouerunt tandem, qua, maxime Pyrrhum Epirotam excelluiſſe ſcribunt veteres. At in equitatu tanta arte minime eſt opus.

CAPVT XIV.

EXPLICATIS adhuc Rerumpublicarum generibus, rectis & vitioſis, ſiue explicato de Rebuſpũb. prius quidem communiter, poſtea ſeparatim & ſingulatim de ſingulis, ab *initio lib. 3. ad hoc vſq; cap.* aliud hic rurſus exordium de Republ. explicandi facit, partim item communiter, partim ſeparatim. Nam cum tres Reipublicæ Principes & ſummæ ſint partes, Senatus; Magiſtratus & Iudicia: de his & generaliter, id eſt, quemadmodum harum trium partium in omnibus

mnibus Rebuſpubl. ſit vſus, & quemadmodum in ſingulis, ordine & deinceps explicat. Et hoc quidem capite de ſenatu & conſilio. Cur autem de his partibus tam accurate hic explicetur, cauſas mox in Ariſtotele ipſo explicabimus. Videatur *infra lib 6.cap 2.*

TEXTVS.

De quaque autem Republica iterum & communiter & ſeparatim explicemus, de ijs quæ ſequũtur, conueniente ijs ſumpto exordio Omniũ igitur Rerumpublicarum tres ſunt partes, de quibus, quod cuique conducat, bono legumſcriptori videndum eſt: quibus bene affectis, Rempublicam bene affectam eſſe, & ex differentia harum inter ſe, Reſpublicas quoque differre inter ſe neceſſe eſt.

COMMENTARII.

Πάλιν δὲ κοινῇ καὶ χωρὶς.] Docet, quibus de rebus, quemadmodum, & cur hic ſit deinceps explicandum. Et primum quidem de ciuitatis & Rerumpublicarum partibus, quas tres eſſe ait omnium Rerumpublicarum cauſam prætermiſit Ariſtoteles, cur tres Rerumpub. Principes & ſummæ ſint partes. Cauſam ego hanc eſſe puto. Nam cum in omnibus rebus & actionibus duæ ſummæ ſint partes & capita, finis, & ea, quæ ad finem, *infra lib.7.* efficitur, duo ea in ciuitatibus quoque eſſe ſpectanda. Ex quibus continuo duæ ſummæ Reipub. partes exiſtunt; magiſtratus, qui ad finem, id eſt, ad res exequendas & perficiendas: Senatus, qui prudentia & conſilio ea quæ ad finem (nam in his conſilium cernitur, *ſupra lib.3.Ethic.cap.2. & 3.*) pertinent, perſpicit. Iam quia finis, vt & ea quæ ad finem, eſt duplex: alter ad Reipubl. alter ad priuatorum ſpectans vtilitatem, *initio tituli lib. 1. Inſtitutionum*: Hinc finis, vt ita dicam, curatorum duo exiſtunt genera; magiſtratus publici, iudices priuati, ſeu priuatarum rerum adminiſtri. Etſi iudices à magiſtratibus quidam non diſtinguunt, & iudicia quoque quædam directo (nam per conſequentias omnia) vt publica ad Reipublicæ vtilitatem pertinent. Ex his autem tribus partibus princeps & prima

Rerumpub. partitio.

Ratio.

ſeu

ſeu maxima eſt Senatus, vtpote & rerum maximarum domina, & conſilij ſeu mentis, non (vt magiſtratus aut iudices) manus & corporis: & hoc eſt, quod ait infra, κύριον δ' ἐστὶ τὸ βουλευόμενον, &c. Cur autem de his partibus hic ſit
1. Ratio ordinis. explicãdum, duas affert cauſas: quarum prior hæc eſt; Quia ex harum bona affectione & conſtitutione pendeat ſalus, & bona totius Reipublicę affectio: Merito igitur bono legumſcriptori hæ partes curæ eſſe debent, vt quam optimæ ſint
2. Ratio ordinis. affectæ. Altera priori de varijs Rerumpublicarum generibus diſputationi accommodatior, quia ex harum trium multiplici conſtitutione & varietate partium ipſæ quoque Reſpublicæ varient: id eſt, pro harum differentijs partium varia exiſtant & oriantur Rerumpublicarum genera: huius rei cognitionem Politico neceſſariam eſſe, *ſupra ſæpe* docuimus.
Methodus. Et hanc rationem iterat *lib. 6. cap. 2.* Methodus denique, quæ tamen non harum partium ſit propria, ſed vniuerſæ Reipublicæ, eadem eſt, quæ in priore diſputatione, nimirum qua quædam omnibus Rebuſpub. communia, quædam harum & illarum propria explicentur.

TEXTVS.

Harum trium autem partium, vna quidem, quæ de Republica conſultat: altera vero, quæ in magiſtratibus cernitur, id eſt, qui, etiam quarum rerum domini eſſe debeant: quæque eorum creandorum ratio: tertia denique, quæ in iudicijs. Princeps autem eſt ea, quæ conſultat de bello & pace & ſocietatibus & fœderibus & legibus & morte & exilio & bonis publicandis & rationibus referendis. Hæc autem iudicia permittenda ſunt neceſſario, vel omnibus ciuibus omnia, vel quibuſdam omnia; vt vni alicui magiſtratui, aut pluribus, aut alijs alia; vel eorum quædam quidem omnibus, quædam vero quibuſdam.

COMMENTARII.

Ἔστι δὲ τῶν τριῶν.] Quas Rerumpub. omnium partes tres ſupra eſſe monuit, eas nominatim hoc loco exponit; ſenatum,

tum, magiſtratus, & iudicia. De quibus iam ſupra dictum. De magiſtratibus autem multa quæri ſolent; qui & quot eſſe debeant; quarum rerum poteſtatem habeant; quo modo, id eſt, ſortito aut ſuffragijs ſint creandi, aliaque id genus, de quibus *cap. proximo.*

Κύριον δ' ἐστὶ τὸ βουλευόμενον.] Diſtincte iam & ordine de his partibus explicare orditur Ariſtoteles. Et primum quidem de ſenatu, ſeu parte ea, quæ de Repub. deliberandi & conſultandi poteſtatem habet: de qua parte tria fere hîc cômemorantur & explicantur ab Ariſtotele. Primum, hanc partem eſſe ſummam & principem; cuius rei cauſam ſupra expoſuimus. Deinde, quibus in rebus hæc pars verſetur & occupetur, ſiue capita rerum deliberandarum. Quæ ab Ariſtotele *lib. 1. Rhetoric.* quinque numero conſtituuntur, vectigalia, ſeu reditus, ius belli & pacis, regionis cuſtodia & tuitio, rerum importatio & exportatio, leges ſeu νομοθεσία denique. Hoc loco octo genera ſeu capita commemorantur, ius belli & pacis, ſocietates, fœdera, leges, ius vitæ, & necis, exilium, bonorum publicatio, & εὔθυνη, id eſt, vis inquirendi in magiſtratus, & repoſcendi rationes. In his capitibus ſumma fere Reipub. & principatus eſt poſitus: adeo quidem, vt quæ pars ciuium horum capitum eſt domina, penes eam neceſſario totius Reipub. ſit imperium & principatus. Romæ ex his tria fere in populi erant poteſtate; ius belli, magiſtratuum deſignatio, & νομοθεσία: Reliqua in ſenatus poteſtate, vt ærarium, cura prouinciarum, fœdera, ſocietates, legationes, publica quædam iudicia, vt coniurationis, proditionis, vniuerſa denique religio: vt eſt *apud Dionyſium libr. 2. Liuium lib. 1. Polybium lib. 6. & pulcherrime apud Ioan. Sarium lib. 2. de Senatu Romano extremo.*

De Senatu. / *Senatus pars ſumma Reip.* / *Quibus de rebus deliberet.* / *Romana Reſpub.*

Ἀναγκαῖον δ' ἤτοι.] Hoc loco accurata diuiſione docet, quemadmodum hæc rerum deliberandarum genera ciuibus ſeu ciuium partibus & ordinibus permittantur & communicentur, cuius diſtinctionis vtilitas ſeu vſus in eo cernitur, quia ex hac ipſa Rerumpub. genera diſſimilia cognoſcantur. Aut igitur hæc omnia omnibus, aut omnia quibuſdam, aut quædam denique vel omnibus, vel quibuſdam permittuntur. Huius tripartitæ diuiſionis membra mox diligenter & deinceps explicantur.

Senatus varietas. / *Vſus.*

Τὰς κρίσεις.] Sic vocat capita ſeu genera rerum deliberandarum

darum, qua de re diximus & *ſupra lib. 2. & initio lib. 3.* Verbum autem διαλύσεως Ariſtoteli & veteribus fœdus valet, eo quod fœderibus diſſoluuntur & dirimuntur controuerſiæ. — *διάλυσις.*

Ἢ περὶ πάσας.] Omnia, inquit, quibuſdam; verbi gratia, vni alicui magiſtratui omnia, vel pluribus magiſtratibus coniunctè, vel ſeparatim huic magiſtratui hoc, illi illud: ſemper ita, vt non omnibus, ſed quibuſdam omnia capita permittantur.

TEXTVS.

Omnes igitur de omnibus deliberare eſt populare; talem namque æquitatem quærit populus. Vt autem omnes poſſint, plures ſunt modi. Vnus quidem, quo per vices, non cuncti ſimul, vt in Republica Telèclis Mileſij (& vero in alijs quoque Rebuſpub. magiſtratuum collegia coacta conſultant:) Magiſtratus vero capiunt omnes per vices ex Tribubus & partibus omnino minimis Reipublicæ, donec ad omnes ſit peruentum. Conueniunt autem & de legibus tantum & de Republica, & vt, quæ à magiſtratibus edicta ſunt, audiant.

COMMENTARII.

Τὸ μὲν οὖν πάντας.] Ordine, vt dixi, & deinceps tripartitæ diuiſionis, capitumq; rerum deliberandarum communicationis membra perſequitur. Et primum quidem de Repub. populari, ſiue de primo membro, quo nimirum diximus, capita ea omnia, omnium eſſe communia. Nam hanc communitatem Democratiæ eſſe propriam, in qua nulla neq; generis, neq; virtutis, neq; diuitiarum habeatur ratio, ſed omnes pari iure viuere, explicauimus *ſupra lib 3* Huius autem membri quatuor modos exponit: quorum hic eſt primus, quo omnibus quidem omnia ea capita ſint permiſſa (nam hoc membri huius nota & proprietas poſtulat) non tamen vniuerſis & ſimul confertis, ſed viciſſim ſeu per vices ad deliberandum conuenientibus. Hunc comitiorum ſeu concionum modum & rationem in ſua Republica inſtituiſſe Teleclen,

Populare inſtitutum. — *ὑπὸ διαίρεσις.* — *1. Modus.* — *Teleclis exemplum.*

clen Mileſium, de quo latius & amplius quærendum, ait hoc loco Ariſtoteles: cui rationi non abſimilem ait eſſe eam, qua *Alia multa* multæ quoq; aliæ ciuitates vtantur, in quibus non vniuerſus *ciuitates.* populus, ſed magiſtratuum de Republ. collegia delibe- *Collegia* rent. Eleganter ea Græci vocant συναρχίας, vt Romæ colle *magiſtra-* gium prætorum, tribunorum plebis, ædilium, &c. Athenis *tuum.* Theſmothetarum τῶν ἕνδεκα. Nam cum magiſtratus ex vni- *Συναρχίαι.* uerſo populo, puta ex tribubus, curiis, gentibus, δήμοις, (ſic enim Athenis varie tributus erat populus) deſignaretur; eodem res recidebat, id eſt, ſemper penes populũ conſilii erat poteſtas, non quidem confertim, ſed per vices: Nam ad ma- *Quæ ſibi* giſtratus omnes viciſſim perueniebant. Verum in hoc pri- *pop. ſeruet* mo modo populus non de omnibus rebus, ſed de ſummis *in hoc pri-* tantum conſultandi ius & poteſtatem ſibi ſeruat, vt de legi *mo modo.* bus vel nouis iubendis, vel veteribus abrogandis, de Repub. id eſt, de rebus ad ſummam Reipublicæ pertinentibus, vt de pace & bello, de magiſtratuum deſignatione, de fœderibus, &c. Nam reliqua minutiora magiſtratibus permittunt, vt iuriſdictionem, procurationem viarum, mœnium, ædium ſacratum, &c. Alter modus comitiorum Democratiæ vſita- *2. Modus.* tus, quo vniuerſi & cuncti ad concionem ſeu comitia ve- niunt, de Repub. deliberaturi. Et hoc quoq; modo, populus *Quæ ſibi ſer* non omnia ſibi ſumit, ſed quædam tantum, vt ius magiſtra *uet pop in* tuum rogandorum, ius legum, ius belli & pacis, & ius ratio- *hoc iure.* num à magiſtratibus repoſcendarum: reliqua magiſtratibus permittens, magiſtratibus, inquam, vel ſuffragio, vel ſortito deſignatis, quorum illud eſt ciuile, hoc populare. Tertius *3. Modus.* comitiorum modus Democraticus, quo & ipſo vniuerſus quidem populus coeat, ſed perpauca ſibi ſumat deliberanda; plurima magiſtratibus ꝑmittat. Nam hoc tertio modo po- *Quæ ſibi ſer* pulus tantum de repetundis, de ſocietatibus & bello delibe- *uet pop. in* rat: legum, ærarii, præmiorum & pœnarum, aliaq; iura ma- *hoc iure.* giſtratibus concredit, quos tamen ipſe deſignarit vel ſuffragiis, vel ſortito. Quanquam ſuffragiis populus in magiſtrati *Quos magi* bus deſignandis vix vti ſolet, prætérquam in paucis, in iis, *ſtratus po-* inquam, vbi vſus rerum & ſcientia ſeu peritia magna ſit ne- *pulus ſuffra* ceſſaria. Hos vel huius generis magiſtratus populus quoque *giis creet.* ſuffragiis creare ſolet, vt conſules, imperatores ſeu duces belli, prætores, &c. Quibus neceſſaria eſt belli gerendi ſcientia, & iuris propter iuriſdictionem cognitio: quod idem &

infra

4. Modus. *infra* monet *lib. 6. cap. 2.* Quartus & omnium nequiſſimus comitiorum modus eſt, quo omnes & vniuerſi de rebus omnibus deliberare ſolent. Hos autem inter modos hæc eſt differentia, quod vltimo vtatur Democratia peſſima, vt Athenis ætate Demoſthenis, Romæ Ciceronis: prioribus vtantur meliores Democratiæ, vt Athenis ætate Solonis, Romæ Catonis.

Diſcrimen inter hos modos.

TEXTVS.

Quoſdam vero de omnibus, Oligarchicum. Habet autem & hoc multa genera. Nam cum ex mediocribus quidem cenſibus & delecti fuerint & plures propter cenſus mediocritatem, & quæ lex vetat, non permoueant, ſed ſequantur, liceatque cenſum nacto eſſe participi: eſt ita quidem Oligarchia, ſed ciuilis propter mediocritatem. Vbi vero non omnes conſilij fuerint participes, ſed delecti, ex legum vero præſcripto præſint; vt & prius, eſt Oligarchicum. Vbi vero conſilij domini ſeipſi delegerint, filiuſque in locum parentis ſucceſſerit, legumque ſint domini: hæc deſcriptio neceſſario eſt Oligarchica.

COMMENTARII.

II. Τὸ δὲ τινὰς περὶ.] Alterum tripartitæ de capitibus rerum deliberandarum diuiſionis caput, Oligarchię proprium, hoc loco explicatur, quo diximus omnia rerū deliberandarum capita non penes eſſe omnes, vt in priore membro, ſed penes quoſdam, id eſt, paucos (quod eſt Oligarchicum) eſſe. Vt igitur prioris membri, ita & huius, varii quoque ſunt modi, pro variis Oligarchiæ generibus: quæ *ſupra cap. 5. & 6.* quatuor eſſe docuimus, & ibi ſatis copioſe explicauimus. Ex quibus hoc intelligitur, moderatiſſimum in primo Oligarchiæ genere maxime intollerabilem, & grauiſſimum in vltimo eſſe ſenatum.

Oligarchicum inſtitutum.

Modi.

TEXTVS.

Vbi autem quidam de quibuſdam, vt de bello quidem

quidem & pace; & rationibus repetendis omnes; de alijs vero magiſtratus, hique delecti vel ſortito facti: Ariſtocratia quidem eſt, vel Reſpublica. Si vero de quibuſdam quidam delecti, de quibuſdam vero ſortito facti, & ſortito facti vel ſimpliciter, vel ex prælatis, vel communiter delecti, vel ſortito facti: partim quidem ea ad Rempublicam Ariſtocraticam pertinent: partim vero ad ipſam Politiam.

COMMENTARII.

Ὅταν δὲ τινῶν.] Tertium prioris de capitibus rerum deliberandarum diuiſionis caput, quo diximus ea capita non omnia omnibus, nec omnia quibuſdam: ſed quædam omnibus, quædam tantum cum quibuſdam communicari. Verbi gratia, ſi de his capitibus, de bello, inquam, & pace, & de rationibus à magiſtratibus repoſcendis, aut aliis præterea quibuſdam deliberandi & ſtatuendi poteſtas omnibus, quibus ad Rempubl. pateat aditus, permittatur: alia vero capita, vt de legibus vel ferendis, vel abrogandis, de magiſtratibus, de ærario, alia, inquam, aliis magiſtratibus mandentur; ita vt de quibuſdam quidem omnes, de quibuſdam vero quidam tantum, puta in magiſtratu conſtituti, ius habeant deliberandi: huius generis ſenatum docet eſſe proprium vel Ariſtocratiæ, vel Reipublicæ, vel Ariſtocratiæ Repub. temperatæ & mixtæ, quam Ariſtocratiam vocat ciuilem. Nam plura eſſe Ariſtocratiæ genera, explicatum *ſupra cap.8*. Et Ariſtocratiæ quidem, vbi magiſtratus non ſortito, verum ſuffragijs mandentur: Reipublicæ vero, vbi ſortito ſint facti: Ariſtocraticæ denique Politiæ, vbi magiſtratus partim ſortito, partim ſuffragio deſignati fuerint. Sortito autem magiſtratus deſignantur, vel ſimpliciter, vel ex prælatis: quos Græci vocant προκρίτους & κληρωμένους. Moris namq; erat in mandandis magiſtratibus ſorte, priuſquam ea duceretur, vel aliquot eximios deligere, quorum nomina in vrnam conijcerentur, & ex his tandem, ſorte ducta, hunc vel illum deſignare: vel nullo antehabito delectu canditatorum omnia nomina ſine diſcrimine in vrnam coniicere. Hos vocat Ariſtote-

III. *Ariſtocraticum aut mixtū inſtitutum.*

1. Ariſtocraticum.

2. Reipub.

3 Mixtum.

Magiſtratus ſortito creātur aut ἁπλῶς, *aut* ἐκ τῶν προκρίτων.

les ἁπλῶς κληρωτοὺς, illos ἐκ προκρίτων. Videatur *Budæus in commentariis Græca lingua*. Hic igitur eſt ſenatus Ariſtocraticus, vel politicus.

TEXTVS.

Pars igitur in deliberando verſans pro Republ. hoc quidem modo variat; &, prout ſupra diſtinximus, quæque Reſpublica ſe gerit in ſenatu & conſilio. Conducit autem Democratiæ ei, quæ maxime Democratia nunc eſſe videatur (talem dico, in qua populus & legum ſit dominus in conſultando) meliuſque hoc facere, quod in iudicijs Oligarchiæ (mulctam namque ſtatuunt his, quos iudices eſſe volunt, vt iudicent: Democratia vero mercedem tenuioribus.) hoc vero & in comitijs facere: nam communiter omnes conſultãtes (populus quidem cum nobilioribus, hi vero vna cum populo) melius conſultabunt. Expedit autem, & ſuffragio vel ſortito fieri eos, qui ſint deliberaturi ex partibus æquabiliter. Expedit autem, ſiquidem plebei politicos numero longe ſuperent, aut non dare omnibus mercedem, ſed quot reſpondeant nobiliorum numero, aut à ſortibus plures excludere.

COMMENTARII.

Συμφέρει δὲ δημοκρατίᾳ.] Expoſitis conſiliorum generibus: hac velut altera huius capitis parte cautiones quaſdam ſeu prouiſiones duobus his Reipublicæ generibus, Ariſtotelis ætate vſitatiſſimis, Democratiæ & Oligarchiæ, vtiliſſimas exponit, ad conſilium recte de Republica capiendum.

1. Ariſt. præceptũ de Senatu Democraticum. Ratio & vtilitas.

Et Democratiæ quidem ex tribus, quas affert, hęc eſt prima; facere hic in conſilio id, quod in Oligarchijs fit in iudicio, id eſt, tenuioribus mercedem, vt ad comitia conueniant, ditioribus multam, ni conueniant, conſtituere: qua de re dictum *ſupra cap. 13*. Hac enim machina ciuili omnes ad deliberandum

ſium conuenient: qua ex re prouiſio hæc prima naſcitur, vel cernitur eius vtilitas: nam ſi plebs tantum conueniat imprudens & temeraria; quæ ſint deliberationes & futura conſilia, perſpicuum eſt: eadem ſi regatur vel moneatur ab honeſtioribus & præſtantioribus, dum omnes in commune conſulunt; ſalubriora vt ſint conſilia, neceſſe eſt, qua de re dictum eſt & *ſupra cap.10.* Et hæc quidem cautio in ea Democratia, quã ſupra docuit eſſe omnium nequiſſimam & peſſimam, in qua omnia populi ſeu plebis imperio, non legum, gerantur, maxime eſt neceſſaria: in alijs Democratiæ generibus, quia legibus ſuum eſt imperium, non item. Altera cautio: certos, qui de Republica deliberent, vel ſuffragijs vel ſortito eſſe conſtituendos, eoſque ex ciuitatis partibus æquabiliter, id eſt, ex diuitibus non plures, quam ex tenuioribus, alijſque Reipublicæ ordinibus. Nam hoc Democratię eſt proprium, tantum tribuere tenuioribus, quantum ditioribus. Huius autem cautionis vtilitas in eo cernitur, quod hoc delectu fiet, vt non omnes, etiam imprudentiſſimi & rerum imperitiſſimi, & ſæpe audaciſſimi, tantum in conſilijs valeant, quãtum viri prudentes. Sic, inquam, non tollitur Democratiæ æqualitas, & tamen temeraria non erunt conſilia. Tertia cautio non abſoluta, ſed ſub conditione neceſſaria: tenuioribus mercedem eſſe dandam non omnibus, ſed eatenus, vt ne tenuiores numero longe ſuperent, cõueniant potius honeſtioribus, non dandam, inquam, mercedem, vel ſortium iure aliquot ſaltem eſſe priuandos, cuius cautionis non ſemper, ſed tum vbi plebeiorum longe maior, quam diuitum & nobilium eſt numerus, neceſſariæ vtilitas ex eo pẽdet, quod *ſupra cap.9. & cap.13* & alibi docuit ſæpe: Ciuitatibus eſſe vtiliſſimum, vt medij, quos vocat hoc loco Politicos, plurimum in ijs poſſint, & Reſpublicas ad hos eſſe inclinandas. Id quod hac quoque cautione faciendum monet Ariſtoteles.

In qua Democratia maxime ſit neceſſariũ.

II. Ariſtot. præceptũ de Senatu Democraticũ.

Ratio & vtilitas.

III. Ariſtot. præceptũ de Senatu Democraticum.

Ratio & vtilitas.

TEXTVS.

In Oligarchijs autem vel quoſdam ex plebe deligere, vel magiſtratum inſtituere, qualis in quibuſdam eſt Rebuſpubl. quos vocant *προβύλυς* & *νομοφύλακας*, & de his deliberare, de quibus hi antę

deliberarunt. Sic enim populus deliberationum erit particeps, neque eorum, quæ ad Rempubl. pertinent, quicquam poterit diſſoluere, præterea aut eadem vt ſciſcat populus, aut nihil ijs, quæ ad ipſum relata fuerint, contrarium: aut conſultandi quidem poteſtatem facere debet omnibus, ſtatuendi vero magiſtratibus. Atque contrarium ei, quod in Rebuſpubl. fieri ſolet, faciundum eſt. Nam abſolutionum quidem dominam facere debet plebem, condemnationum vero non item, ſed rurſus ad magiſtratum hæ referantur. In Rebuſpub. namque contrario fit modo. Nam pauci in abſoluendo quidem ſunt domini: in condemnando vero non ſunt domini, ſed res ſemper ad plures refertur. De ea igitur parte, quæ in conſultando, & in Repub. eſt princeps, hoc modo ſit explicatum.

COMMENTARII.

Ἐν δὲ ταῖς ὀλιγαρχίαις.] Nunc de commodis & cautionibus tribus quoq; Oligarchicis: quarum prima ex plebe ſeu omni populo, ſi certi quidam deligantur, aut etiam ſi certus aliquis conſtituatur magiſtratus, vt in quibuſdam fit Oligarchiis & Democratiis, qui prius de rebus deliberandis cõſultent ſoli; vel delecti, inquam, illi, vel magiſtratus certi, poſteaque ad populum eas referant, quomodo fere Romæ in ſenatu ante deliberata, poſtea ad concionem populi referebantur, vel iubenda vel vetanda: eaq; re veteres nonnulli, quos Romæ cõſules, interdum προβούλους vocabant, quod conſulum erat ad ſenatum referre, & horum προβουλεύματα ad populum. Sic enim Græci, inquit Ariſtoteles, hos rebus ante deliberandis præfectos vocant προβούλους, vel interdum νομοφύλακας in quibuſdam ciuitatibus, quaſi legum & conſilii cuſtodes ſeu Antiſtites, vt Romæ leges ferebantur fere à certis magiſtratibus, conſulibus, aut tribunis; Athenis ab Demagogis. Etſi certus Athenis erat magiſtratus, quos vocabant

I. Præceptũ Oligarchicum.

Πρόβουλος. Νομοφύλαξ.

tabant νομοφύλακας: quorum non ea erat poteſtas aut munus, vt de his huius loci commemorat Ariſtoteles, referre prius deliberata inter ipſos ad populum, ſed ſolam legum & iuris cuſtodiam habere, & curam, vt poſteriores vocabant, chartophylacii, (Cantzley) vt Romæ quæſtores, vbi tamen hæc legum & monumentorum, ſeu actorum publicorum, quanta fuerit negligentia; cōqueritur *Cicero contra Rullum, & libr.3. de legib. in fine; & exponit latius in Catone Vticenſi Plutarchus.* De probulis autem, hunc, inquam, magiſtratum eſſe Oligarchicum, exponitur latius *infra cap. proximo.* Cæterum quod ad populum in ſenatu Oligarchico deliberata hîc referri dicitur, id non ita eſt intelligendum, quaſi populo poteſtas ea re fiat, ea deliberata reſcindendi vel improbandi. Nam hoc plane eſſet Democraticum, vt Romæ: ſed ea de cauſa hoc fit, vt hac velut ſpecie populus quaſi conſilii particeps & Reipublicæ nihil moliatur aduerſus ſtatum ciuitatis. Iam enim ſæpe dictum, eos qui plane à Republica ſint remoti, inimico fere aduerſus ciuitatis ſtatum eſſe animo. Et hæc eſt huius cautionis vtilitas, quam Ariſtoteles his verbis, ἔσται γὰρ μεθέξει ὁ δῆμος τοῦ, &c. vſq; ad illa. ἢ τῆς συμβουλῆς, expreſſiſſe mihi videtur, vt eorum hæc ſit ſententia: ſic enim, inquit, fiet, vt populus conſilii tanquam particeps res nouas non moliatur, ſed vel eadem ſciſcat, quæ ſenatus deliberauit, vel ſaltem non contraria. Etſi verba ipſa, propter illud ἔτι, non ſatis video, quomodo inter ſe cohæreant, & ad eandem illam rem, id eſt, cautionis vtilitatem, quo tamen pertinent, commode accommodari poſſint.

Acta publica.

Probuli, magiſtratus Oligarchicus.

Quomodo accipiendū quod ante deliberata hic referūtur ad populum.

Ratio & vtilitas.

Altera cautio, quæ mihi his verbis, ἢ τῆς συμβουλῆς, adferri videtur, male vulgo acceptis, & Latine redditis, vno *Budæo* excepto, qua nimirum omnibus quidem ad Rempub. aditum habentibus deliberandi & cenſendi poteſtas permittatur, ſed non ſtatuendi: verum magiſtratibus tantum. Neque enim magnum eſt incommodum, multis permittere deliberationem; modo concluſio ad paucos reſtringatur. Cuius cautionis vtilitas eadem fere, quæ primæ: vt hac ſpecie conſilii participes, & tamen ſine effectu nihil mutent aduerſus Rempub.

II. Cautio Oligarchica.

Ratio.

Tertia cautio, καὶ τὸ ἀντικείμενον δὲ τοῦ, &c. qua nimirum multis permittatur poteſtas, in abſoluendo, in cōdemnando vero magiſtratibus duntaxat; quod contra in ciuitatibus fieri, aut vſitatum eſſe hîc ait Ariſtoteles. Nam receptum eſſe, vt pauci

III. Cautio Oligarchica.

abſoluere poſſint, condemnare non item: ſed ad multitudinem, ſi qui ſit condemnandus, referri; quemadmodum Romæ de capite ciuis, non niſi centuriatis, id eſt, pleniſſimis & maximis comitiis agi poterat ex legibus duodecim tabularum. Qua de re videatur *Balduinus, in commentario ad leges duodecim tabularum.* Cuius inſtituti, quod plus in abſoluendo, quam in condemnando paucis permittitur, ratio & cauſa ex humanitate, qua natura ad abſoluendum, quam ad condemnationem, ſumus procliuiores & propenſiores. *l. actionum fere. §. placet,* pendet. Sed in Oligarchia contrarium inſtitutum probat Ariſtot. vt commodius: propterea quod Oligarchicum ſit, ſemper maiorem poteſtatem ad paucos traducere, id eſt, condemnationem ad paucos, abſolutione etiam multis permiſſa: & hanc huius tertiæ cautionis puto eſſe vtilitatem.

Ratio & vtilitas.

CAPVT XV.

EXPOSITIS ſenatus, pro Rerumpub. differentiis, variis generibus: nunc de magiſtratibus, quod alterum erat caput, id eſt, eorum quoque pro Rerumpub. varietate generibus explicat hoc capite decimoquinto. Cuius priore quidem parte plures de magiſtratu controuerſias non explicat ille quidem, ſed exponit. Altera (quod huius eſt loci) quemadmodum pro Rebuſpub. varient magiſtratus, & qui quibus Rebuſpublicis ſint accommodati aut proprii, explicat.

1. Pars.
2. Pars.

TEXTVS.

His autem proxima eſt diſtinctio de magiſtratibus: Nam & hæc pars Reipublicæ quoque multas habet controuerſias: Et quot magiſtratus, & quarum rerum poteſtatem habere debeat, & de tempore, quantum cuiuſq; magiſtratus, (hi namque ſemenſtres, hi vero minoris temporis, hi verò annuos, hi denique diuturniores faciũt magiſtratus.) Et an magiſtratus perpetui, an diuturni eſſe debeant an neutrum, ſed ijdem ſæpe, aut non ijdem bis, ſed ſemel tantum: præterea de creatione

magiſtra-

magiſtratuum, ex quibus, & à quibus, & quomodo fieri debeant: nam de his omnibus, quot modis fieri poſſint, explicandi facultas adeſſe debet, poſteaque accommodandi, quæ quibus Reipublicæ conueniant (conducant.)

COMMENTARII.

Ἐχομένη δὲ τούτων ἐστιν.] Priuſquam de magiſtratibus, quod huius eſt loci, nimirum qui quarum Rerumpub. ſint proprii, explicet; adfert aliquot hoc loco de magiſtratibus controuerſias & quæſtiones, quarum quidem hæc non eſt infima, *1. Quæſtio.*
quot magiſtratus in Republ. eſſe debeant, & quarum rerum *2. Quæſtio.*
poteſtatem habere; quæ duo eodem pertinent. De qua quæſtione pleniſſime *infra toto lib. 6 cap vlt. & infra hoc capite,* ἔχει δὲ τὴν ἄλλην, aut ibi, ποῖαι δὲ ἀρχαὶ, καὶ πόσαι, &c. Eſt & a- *3. Quæſtio.*
lia de tempore, eaq; multiplex; An magiſtratus perpetui eſ- *4. Quæſtio.*
ſe debeant, nec ne: & ſi non perpetui, an ſaltem diuturni, an *5. Quæſtio.*
vero breues? & hic rurſus, annales ſeu ſemeſtres, an duorum annorum, &c. Quo pertinet & hæc quæſtio, An vni ei- *6. Quæſtio.*
demq; eundem magiſtratum bis capere liceat; quæ eſt grauiſſima de magiſtratibus quæſtio, de tempore, inquam. *Cicero lib. 3. de legib.* cæteros magiſtratus annuos, cenſuram ſolam quinquennalem eſſe vult. Erat Romæ cautum plebiſcito, ne quis eundem magiſtratum intra decennium caperet, de quo *ſæpe Liuius.* Athenis nemo bis poterat eſſe ἐπιστάτης, quod erat certi magiſtratus genus, *teſte Polluce lib. 8* Alia eſt quæſtio de magiſtratuum creatione, eaq; trimembris: quæritur namque, ex quibus ſeu quo hominum genere & ordine *7. Quæſtio.*
ſint deſignandi, per quos, ſeu quomodo; de qua quæſtione *8. Quæſtio.*
infra huius capitis altera parte: περὶ δὲ τὰς τῶν ἀρχῶν, &c. *9. Quæſtio.*

TEXTVS.

Neque vero facile eſt definire, qui magiſtratus dicendi ſint: multis namque præfectis opus habet ciuilis ſocietas. Ergo non omnes, qui vel ſuffragio vel ſortito deſignantur, magiſtratus ſunt dicendi, vt primum ſacerdotes. Id namque aliud quid à ciuilibus magiſtratibus eſt dicendum. Deinde &

Choragi & præcones, qui & Legati deliguntur. Curationes autem politicæ ciuiles quidē vel ſunt in omnes ciues vna quadam in re, vt imperatoris in milites: vel partis, vt mulieribus vel pueris præfecti: Oeconomicæ vero aliæ: ſæpe namque frumenti curatores conſtituunt: aliæ denique adminiſtræ, quas ſeruis, ſi ſit copia, tribuunt. Vt autem ſimpliciter dicam, hi maxime dicendi ſunt magiſtratus, quibus ius eſt de quibuſdam & deliberandi & iudicandi & imperandi, hocque maxime: imperare namque magiſtratus eſt magis proprium. Verum de his ad vſum quidem nihil fere intereſt. Nunquam enim iudicium eſt aut fuit inter litigātes de nomine: ſed habet aliud quoddam negocium mentis proprium.

COMMENTARII.

10. Quæſt.

Legito quoque Perioniū de magiſtratibus Græcorum & Romanorum.

1. Definitio magiſtratus. Bodini.

2. Definitio magiſtrat. Goueani.

3. Definitio Ariſtotelis.

Ἔστι δὲ οὐδὲ τοῦτο.] Alia eſt quæſtio de magiſtratibus & eorum definitione, quam Ariſtoteles non ita facilem eſſe ait; Æmylius Ferretus, iuriſconſultus inſignis, difficillimam, *teſte Goueano lib. 2. de iuriſdictione, ad legem eum qui. D de iuriſdictione.* Difficultatis argumentum etiam hoc ſit, quod hodie apud Theologos tot fere magiſtratus reperiūtur, quot ſunt capita ſeu Theologi: *Bodinus in methodo hiſtorica, pagina 195.* ita definit: Magiſtratus, inquit, eſt is, qui imperii publici partem habet: Publici, inquam, vt ab imperio herili, patrio, aut alio domeſtico diſtinguatur, vbi multis quoque verbis hunc locum & definitionem Ariſtotelis reprehendit, *Goueanus* eo loco ita inquit: Magiſtratus eſt poteſtas populi Romani ordinaria. *Ariſtotelis* hæc eſt definitio: Magiſtratus eſt is, qui ius habeat cōſilii capiendi, iuriſdictionis & imperii. His enim tribus velut notis magiſtratum definit. Iiſdem quoq; fere ciuem definiuit *ſupra lib. 3.* Nimirum vt ciuis hæc tria poteſtate tantum & aptitudine, magiſtratus re ipſa quoq; & actu, vt loquuntur, habeat. Sed multi ſunt ex magiſtratibus, qui horum trium non ſunt participes, qui ad cōſilium non admittantur. Ex his tamen tribus notis ea, quæ eſt de

eſt de imperio, veriſſima, maximeque propria eſſe videtur. *Auctoris* Nam plærique omnes magiſtratus, qua parte ſunt magiſtra- *ſententia.* tus, neque iuriſdictionem neq; conſilii capiendi ius habent: etſi ſæpius iuriſdictionem: quæ tamen quia ſine executione eſt inanis: merito vis magiſtratus proprie in imperio (cuius multæ ſunt partes & officia, vt præhenſio, vocatio, quæſtio, animaduerſio, mulctatio, &c.) ponenda videtur: neque dicendi vere ſunt magiſtratus, aut proprie, quorum nullum plane ſit imperium: contra atq; putat *Varro apud Gellium,* qui Romanos ædiles & quæſtores, vt vulgo, magiſtratus quoq; vocet: quorum tamen nullum fuit imperium: multo igitur minus hoc nomine digni erunt viatores, ſcribæ, accenſi, lictores, carnifices, & id genus alii, aut curatores leuiorum munerum, vt cuſtodes portarum, viarum. Neq; ad- *Sacerdotes* eo quoque ipſi ſacerdotes, vt qui iuriſdictionem illi quidem *non ſunt* habeant (ſunt enim religionis iudices) ſed nullum impe- *magiſtra-* rium. Et certe ſolet Ariſtoteles, vt hic & *infra lib. 6. cap vlt.* *tus.* *& libr.* 7. ſacerdotes à magiſtratibus diſtinguere, vt & *Plato, & Cicero in legibus ſuis, & Iuriſconſulti l. 1. de iuſtitia & iure in Pandectis.* Nam, vt eleganter hic Ariſtoteles, munera pu- *Munerum* blica vel ſunt diuina, vel humana & ciuilia: & hæc rurſus *publicorum* partim ſunt ciuilia, partim œconomica, partim adminiſtra. *diuiſio.* Ciuilia quidem, quæ in ciuitatis partibus occupantur, vt bello, legibus, ærario, &c. Et hæc duorum ſunt generum, vel enim aduerſus omnes ſunt ciues, vt munus Imperatoris, munus conſulis, prætoris, &c. Vel aduerſus partem ciuium, vt tutores pupillares, apud Græcos præfecti mulieribus, Lacedæmone præfecti pueris, & apud Perſas. Oeconomica, quæ in re frumentaria, aliiſque ad victum neceſſariis occupantur, vt apud Græcos Sitometrę, curatores frumenti, elæones, qui curant oleum aut ſal, aut aliud eiuſmodi aliquid. &c. De quibus copioſe *Iuriſconſultus Arcadius in Digeſt. l. vlt. de muneribus & honoribus.* Adminiſtra denique, vt ita dicam, ſeu hypiretica, quæ magiſtratibus, aliis maioribus curationibus, deſeruiunt, vt ſunt cornicularii, accenſi, ſcribæ, viatores, lictores, carnifices, quæ munera ſeruis mandari ſolent: & ſuadet Ariſtoteles, ſi ſeruorum ſit copia. Hos vltimos nemo vnquam magiſtratus dixerit, priores plærique magiſtratus vocant. Et certe vocari poſſunt cōmunius ſumpto ma- *Magiſtra-* giſtratus vocabulo, non proprie, niſi quibus eſt imperium, vt *tus voca-*

bulū alias ꝓprie, alias minus proprie ſumitur.

ſæpe vocabula alias communius, neq; ſatis proprie, alias anguſtius & proprie ſumi ſolent.

'Ἀλλὰ ταῦτα διαφέρει.] Monuit Ariſtoteles, cū alias, tum *lib. 1. ſupr.* in ſcientia politica quædam ad contemplationem & cognitionem, plæraque ad vſum & actionem referri. Etſi igitur prior de magiſtratus vocabulo & definitione diſputatio ad vſum parum facit, liberalem tamen & honeſtam atq; adeo ſcientiæ ipſi neceſſariam habet cognitionem.

TEXTVS.

Qui autem magiſtratus, & quot ſint neceſſarij, vt ſit ciuitas, & qui non neceſſarij quidem, ſed ad præclaram Rempublicam conducibiles, maior ſit quæſtio cum omnium Rerumpublicarum, tum etiam paruarum cauſa ciuitatum. Nam in magnis quidem & licet & oportet vnum vni deſtinatum eſſe operi. Nam & multi ſunt, qui magiſtratus capere poſſint, quia multi ſint ciues. Quare fit, vt alij quidem magiſtratus lōgo poſſint intermitti tempore, alij vero ſemel capi; & præſtat vt ſingula opera ſuam quidque vnam habeat curationem. In paruis vero neceſſario multi magiſtratus paucis ſunt conferendi. Nam propter hominum paucitatem difficile eſt factu, vt multi in magiſtratu eſſe poſſint. Qui enim erunt, qui his rurſus in magiſtratu ſuccedere poſſint? Interdum autem ijſdem magiſtratibus & legibus paruæ & magnæ ciuitates opus habent, niſi quod illæ quidem ijſdem ſæpe opus habeant, his vero longo id tempore accidat: quare nihil vetat multas curationes vna mandare, neque enim inter ſe impedient; & pro hominum paucitate magiſtratus, tanquam verulucernæ, neceſſario ſunt faciendi. Quod ſi igitur explicare poſſimus, quot neceſſario in omni ciuitate

ſint,

ſint, & quot non quidem neceſſario, ſed eſſe tamẽ debeant: facile quis viderit, quos magiſtratus in vnum magiſtratum conferre conueniat.

COMMENTARII.

Ποῖαι δ' αἱ ἀρχαί.] Locus eſt præclarus de numero & generibus magiſtratuum, de quo *infra* large & plene explicatur *lib.6. cap. vlt.* Hîc quæſtiones tantum exponuntur tres fere. Prima, quot magiſtratus, & qui ſint neceſſarii in omni ciuitate; aut certe ſi non neceſſarii, ſaltem vtiles. Nam, vt *eo loco infra* explicatur, magiſtratuum duo ſunt genera, alii neceſſarii, id eſt, ſine quibus ciuitas plane eſſe nequeat, alii non tam neceſſarii, quam vtiles, & ad ornatum facientes, vt mulierum, puerorum, gymnaſiorum, &c. præfecti. Ex hac quæſtione altera ſuboritur, An vni duo vel plures magiſtratus eodem tempore ſint mandandi, & quaſi copulandi: & tertia denique, quibus in magiſtratibus id commode fieri poſſit, ſiue quorum magiſtratuum coniunctio & velut copula eſſe poſſit. Hæ autem quæſtiones ex ciuitatum magnitudine & paruitate potiſſimum naſcuntur. Nam cum & paruæ & magnæ iiſdem plærunq; magiſtratibus & legibus adminiſtrentur, in paruis continuo incommodum exiſtit de eorum numero, qui ad magiſtratus capiendos ſint idonei, quos profecto propter hominum paucitatem perpaucos eſſe oporteat. Omiſſa igitur prima & principe quæſtione, ad alteram hîc Ariſtoteles breuiter reſpondet pro differentia ciuitatum. Nam in magnis non eſſe vni plures mandandos magiſtratus, duabus his rationibus. Primum, quia non ſit neceſſe. Quid ita? Quia ſatis multi in magna & populoſa ciuitate reperiantur idonei, quibus ſingulis ſui cuiq; magiſtratus diſtincte mandentur. Secundo, quia munera melius obeantur, & adminiſtrentur ſingula, quam multa coniunctim, ab vno eodemque homine: de qua ratione *ſupra lib.3.* diximus. Et præclare *Plato in Politico.* In paruis contra plures vni mandari poſſunt, neceſſitate nimirum id poſtulante, propter hominum paucitatem. Qua re futurum eſt, vt in paruis ciuitatibus magiſtratus ſint velut lucernæ vel ὀβελισκολύχνια. Nam vt ὀβελισκολύχνιον inſtrumentum eſt domeſticum, ex vna quidem parte figendis & aſſandis carnibus: ex altera

1. Quæſtio. Magiſtrat. ſunt aut neceſſarii, aut non neceſſarii.
2. Quæſtio.
3. Quæſtio.
In magnis Rebuſp. non ſunt vni plures magiſtratus competendi.
1. Ratio.
2. Ratio.
In paruis ciuitatibus plures magiſtratus v-

ni mandari poſſunt. altera vero luminibus accõmodatum & deſeruiens (quemadmodum & olim gladius Delphicus, de quo *lib. 1.* ad multos vſus habilis) ita ſunt & hi, qui plures vno tempore magiſtratus habent & gerunt. Eadem ſimilitudine & verbo vtitur Ariſtoteles *libro 4. de partibus animantium, cap. 6.* vbi docet, opus ferramento ſeu organo vno melius fieri, quam ſi vnum idemque ferramentum variis accommodetur operibus. De tertia autem quæſtione nihil quidem hoc loco definit: ſed hoc tamen monet, eam ex prima pendere & plane cognoſci poſſe; id eſt, cognito, quot & qui magiſtratus ſint neceſſarii, facile quoque cognoſci poſſe, quemadmodum & qui magiſtratus copulari & in vnum coniungi debeant. Verbi gratia: Romæ vnius ædilis multiplex erat munus: in rebus contrahendis & venalibus, in viis & itineribus; quod Athenis in plures magiſtratus & diſtinctos erat partitum, *infra lib. 6. capit. vltimo.* De hac igitur, vt & de prima, explicabitur *infra lib. 6.*

Ὀμιλίαις.

Quinã magiſtratus vni eidemq; mandari poſſint.

Exemplũ.

TEXTVS.

Neq; vero hoc ignorandum eſt, qui magiſtratus multarum rerum curam pro loco habere debeant, & quarum rerum vnus magiſtratus omni loco dominus eſſe debeat. Verbi gratia, vt recte omnia fiant, vtrum in foro quidem, foro præfectus, alius vero alio in loco, vel idem omni in loco eſſe debeat; atque vtrum pro re an pro perſonis ſint diſtinguendi. Vnus, inquam, verbi gratia, modeſtiæ, an alius puerorum & mulierum, & pro Rebuſpublicis; vtrum pro quaque & magiſtratuum genera varient, necne, vt in Democratia & Oligarchia, & Ariſtocratia, & vnius imperio (Monarchia) vtrum ijdem magiſtratus rerum quidem domini eſſe debeant, non ex paribus tamen aut ſimilibus, an alij in alijs: vt in Ariſtocratijs quidem ex bene educatis: in Oligarchijs vero ex diuitibus: in Democratijs vero ex liberis? An ſunt quidem aliquæ

quæ (Reſpublicæ) ipſis magiſtratuum differentijs accommodatæ? Et quidem eſt, vbi conueniant,& vbi differant. Nam hic quidem magnos,illic vero paruos conuenit eſſe (magiſtratus.) Sed enim & proprij ſunt quidam, vt probulorum, hic enim Democratię non eſt proprius,conſilium vero Democratiæ eſt proprium. Nam tale quid,cui curæ ſit ante populum, vt rebus ſuis vacare poſſit, deliberare, eſſe quidem debet:hoc autem,ſi pauci ſint numero, Oligarchiæ eſt proprium. Probulos autem paucos numero eſſe oportet; Oligarchiæ igitur proprij. Vbi vero vterque hic magiſtratus, Probuli ſenatoribus ſunt velut impoſiti. Nam Senator quidem ad Democratiam, Probulus vero ad Oligarchiam pertinet. Perit autem & conſilij vis in ijs Democratijs,in quibus populus ipſe coactus de rebus omnibus conſtituit. Hoc autem accidere ſolet,cum fuerit rerum copia,vel merces ad conciones venientibus conſtituta:ocioſi namque & coeunt (id eſt,conueniunt) ſæpe, & omnia ipſi dijudicant.Pueris autem & mulieribus præfectus, & ſi quis alius magiſtratus, talis curationis dominus, non Democratiæ, ſed Ariſtocratiæ eſt proprius. Nam quî tenuiorum mulieres, ne procedant, coerceri poſſunt? neque etiam Oligarchiæ; nam Oligarcharum vxores in luxu viuunt. Verum de his quidem hactenus nunc ſit explicatum.

COMMENTARII.

Ἁρμόττει δὲ καὶ τοῦτο.] Aliam de magiſtratuum generibus & numero quæſtionem adfert, eamque trimembrem. Nam quæri ſolet, an magiſtratus diſtingui debeant pro loco, an pro re & perſonis, an denique pro variis Rerumpub. generibus. Et *Quæſtiones alia.*

I. Quo ad locum. bus. Et pro loco quidem; vt, an vnus idemque magiſtratus omnib. in locis curare debeat, vt omnia recte & ordine fiant; *εὐκοσμίαν* eleganter vocant Græci, nos Latini fortaſſe modeſtiam, in hominibus maxime: an vero alius in foro, quos Græci *ἀγορανόμους* vocant, Latine ædiles dicimus; alius in templis, quos ædituos; alius in agris, quos *ἀγρονόμους* & *ὑλωροὺς* Græci vocant, *infra lib. 6. cap. vlt.* Sic in noſtris ciuitatibus ſunt, qui ſint vrbani magiſtratus: ſunt, qui in agris tantum ius dicant.

II. De perſonis. De perſonis vero, vt, an ciuium modeſtia omnium, omnis, inquam, ætatis & ordinis, vni ſit mandanda: an vero alius, qui pueris, alius qui mulieribus præfectus eſſe debeat, more Græcorum. Nam Romæ vni cenſuræ omnis hæc cura mandabatur, *teſte Cicerone in libris de Repub.* Contra, Romæ prætor alius erat vrbanus, qui inter ciues, alius peregrinus, qui inter peregrinos, vel inter ciues & peregrinos ius diceret.

III. De Rerump. generibus. De Rerumpublic. autem generibus; vt, an omnibus vnus idemque magiſtratus conuenire poſſit ſummus, an vero alius alii Reipubl. & an in omnibus ex vno, vel non diſſimili hominum genere & ordine, an vero in alia ex alio ſit deligendus.

Reſponſio. Ad has quæſtiones Ariſtoteles vix reſpondet, ſubindicat tamen his verbis, *ἔστι δ᾽ ὅπου συμφέρουσιν*, &c. quid de iis ſit ſtatuendum: maxime de tertio membro, *οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ἴδιαί τινές εἰσιν, οἷον*, &c.

Reſponſum ad I. & II. quæſtionē. Sic igitur dicendum videtur, pro diſcrimine ſeu magnitudine ciuitatum alias loci aut perſonarum habendam rationem; alias non habendam, ſed rerum duntaxat & negotiorum: nimirū in magnis quidem ciuitatibus alii in foro, alii in templo, alii in agris mandandam eſſe *εὐκοσμίαν*: & rurſus alii mulierum, adoleſcentum, ciuium, peregrinorum, &c. in paruis vero vniuerſam *εὐκοσμίαν* vni eſſe mandandam. Sic & in re militari, in magna multitudine, decuriones, centuriones, tribuni, præfecti alii diſtinguendi ſunt, in parua non item, *infra lib. 6. cap. vlt.* Huius differētiæ rationem *ſupra* iam explicauimus, in multitudine vel paucitate ciuium poſitam.

Reſponſum ad III. quæſtionem. De tertio membro vberius explicat Ariſt. Tertium eſt membrum de Rerump. generibus, an pro his potius, & ex harum differentiis, diſtinguendi ſint magiſtratus, nec ne: ſiue an in omnibus Rebuſpub iidem ſint, an alii in aliis. Nam ex iiſdem non eſſe in omnibus Rebuſpubl. certum iam eſt ex prioribus. Verbi gratia: In Ariſtocratia magiſtratus & rerum dominos ex viris

bonis

bonis (παιδονόμους vocat Ariſtoteles; de quo παιδίας verbo ſupra dictum) ſumendos & conſtituendos docuimus: in Oligarchiis ex diuitibus: in Democratiis ex liberis. Reſpondet igitur Ariſtoteles, non eſſe in omnibus Rebuſpubl. ſiue non omnibus eoſdem conuenire magiſtratus. Nam eſſe, qui magis Democratiis, & qui Ariſtocratiæ, qui deniq; Oligarchiæ magis conueniant. Verbi gratia, Probulos Oligarchiæ accommodatiores: Conſilium vero & ſenatores Democratiæ: mulieribus deniq; & pueris præfectos, & νομοφύλακας Ariſtocratiæ. Cuius diſſimilitudinis & ratio & cauſa vt intelligatur; ſciendum eſt, in ciuitate plane neceſſarios eſſe aliquot, qui de Republic. ſeu rebus ad ciuitatem pertinentibus conſultent: Senatus, inquam, pars eſt ciuitatis vel maxime neceſſaria. Hoc poſito, vt certo, & hoc alterum neceſſarium eſt, vel vt ſint pauci, vel multi, vel omnes deniq; huius muneris participes. Si omnes, iam perſpicuum eſt, nullum certum ſenatus eſſe corpus; aut ſi quod eſt, vel fuit, nullam eſſe eius vim, vel poteſtatem, vel authoritatē; quod omnia multitudinis arbitrio regantur & ſtatuantur, quod vſu venire ſolet tum & in iis ciuitatibus, in quibus vel ipſi ciues ſunt diuites, vel certe Reſpubl. Nam ſi ciues rerum copiis abundent, non ita erunt ſoliciti de rebus ſuis priuatis, & victu comparando, quin facile partem aliquam temporis & operæ concionibus ſeu conſultationibus de Repub. ſint daturi. Si vero Reſpubl. eſt diues, iam erit illi vnde mercedem facile multitudini ad conciones inuitandæ conſtituere poſſint. Atq; ita vtrolibet modo ad conſultandum frequens conueniet multitudo. Aut erunt multi, id quod ad Democratiam propius pertinet, præſertim cum omnis conſilii ſiue ſenatus ratio & inſtitutum proprie ſit Democraticum. Quid ergo, dicet aliquis, ſi βουλὴ ſeu curia Democratiæ eſt propria; nullumne erit, vel Regibus, vel optimatibus, vel Oligarchis conſilium aut ſenatus? Certe apud hos omnia potius arbitrio & manu, quam longa deliberatione aut diſputatione aguntur: & ſi quando in his interdum hæ conſultationes adhibeantur, id ex Democratia mutuati dici poſſunt, vt ſint Reſpubl. velut permixtæ. Aut denique ſunt pauci, qui de Repub. ſoli inter ſe deliberent, poſteaque ad populum ea referant, vel probanda vel improbanda: quod genus Græci προβούλους vocant. *Plutarchus* eo nomine conſules Romanos vocat *in Vitis, in*

Senatus aut conſilii conſtituēdi ratio Democratica.

Obiectio.

Solutio.

tis, in Parallelis; propterea quod conſules ſoliti ſint Romæ, quæ eſſent deliberanda, ad ſenatum referre, & eadem à ſenatu decreta (quæ *Dionyſius Halicarnaſſeus* ſæpiſſime vocat προβουλεύματα) ad populum, vel probanda vel improbanda ferre. Hi igitur probuli, quia neceſſario ſunt pauci, ad Oligarchiam propius accedunt, vt βουλὴ, quia ex pluribus conſtat, ad Democratiam. Nam vt ſint nulli, qui de Repub. deliberent, admitti nequit, vt modo diximus. Oportet, inquam, vel eſſe omnes, id eſt, ipſam multitudinem, rebus neceſſariis bene inſtructam, vel mercede inuitatam, vel certos aliquos, qui, quia multitudo ſuis rebus, vt tenuior, intenta eſſe debeat, de Repub. deliberent. Poſtremo ad Ariſtocratiam pertinent certi quidam magiſtratus, vt pueris & mulieribus præfecti, vt νομοφύλακες. de quibus *infra lib. 6. cap. vlt. in fine*; vbi eadem hæc diſtinctio iteratur. Cur autem mulieribus præfecti ad Ariſtocratiam potius, quam ad Oligarchiam vel Democratiam pertineant, cauſam hanc adfert Ariſtoteles; quod hæc muliebris modeſtia in ſola Ariſtocratia eſſe poſſit, in aliis non item: non in Democratia quidem, quia in ea mulieres plæræque ſunt plebeiæ, & quæ rebus neceſſariis emendis & vendendis ipſæ vacare conſuerint, abſq; opera vel ſeruorum vel ancillarum: non etiam in Oligarchia propter luxum; nam vbi pauci dominantur, ibi fere fit, vt & vxores & liberi magno luxu & inſolenter viuant, & fit γυναικοκρατία, vt Lacedæmone, vbi Regnum fuit Oligarchia nimirum ephororum mixtum, *vt ſupra dictum lib. 2.*

Cur mulieribus præfecti ad Ariſtocratiam pertineant.

Hoc igitur difficile erit factu, vt in modeſtia & officio & domi contineantur: Quod in Ariſtocratia, cuius propria eſt nota, bona inſtitutio & virtus, non erit difficile. Ex hoc autem loco (etſi παρέργως) obſeruandum quoq; eſt veterum Græcorum inſtitutum, de quo ita *Cornelius Nepos in præfatione libelli, de illuſtribus Imperatoribus.* Quem, inquit, Romanorum pudet vxorem ducere in conuiuium, aut cuius non materfamilias, primum locum tenet ædium, atq; in celebritate verſatur: quod multo fit aliter in Græcia. Nam neque in conuiuium adhibetur, niſi propinquorum, neque ſedet niſi in interiore parte ædium, quæ γυναικωνῖτις appellatur, quo nemo accedit niſi propinqua coniunctus cognatione. *Cicero prima accuſatione in Verrem*, id eſt, *tertia in Verrem*: quæſo, inquit, Philodame, cur ad nos filiam tuam non intro

De Græcarum mulierum cõſuetudine vitandi virorũ alienorũ conſpectum & conſortium.

Vitruuius quoq; Archit. lib. 6. cap. 10.

Γυναικωνῖτις.

intro vocari iubes, &c. Tum ille philoſophus, vt aliquid reſponderet, negauit non moris eſſe Græcorum, vt in conuiuio virorum accumberent mulieres. Xenophon in Oeconomico. Τῇ μὲν γὰρ γυναικὶ κάλλιον μένειν ἔνδον, &c. τῷ δὲ ἀνδρὶ αἴσχιον ἔνδον μένειν, ἢ τῶν ἔξω ἐπιμελεῖσθαι. *Cicero primo libro ad Atticum Epiſtolarum, Epiſtola prima*: Sed prandimus in Arcauno, noſti hunc fundum; quo cum venimus, humaniſſime Quintus, Pomponia, inquit, tu inuita mulieres, ego viros acciuero. *Arnobius lib. 2. de antiquis hominum moribus*: Matresfamiliæ veſtræ in atrijs operantur domorum, induſtrias teſtificantes ſuas. Græcorum igitur inſtituto mulieres in ſuo quodam conclaui texebant, quo viris non erat aditus, vt eſt & eleganter apud *Lyſiam in Oratione quadam*: neque ad virorum conuiuia adhibebantur, Romæ contra. Mulieribus igitur præfecti Ariſtocratiæ ſunt proprij: Pueris quoque, quod in hac vna Republ. bonæ inſtitutionis & educationis, cui deſeruiunt παιδονόμοι, habeatur ratio.

οὐκ ἐξ ἴσων, οὐδ᾽ ἐξ.] De hac verborum (ἴσων, ὁμοίων) copula diximus ſupra: vt & de hac phraſi paulo ſupra, εἰς τὰ ἀρχεῖα βαδίζειν, capere magiſtratum.

Ἢ τυγχάνουσι μὲν.] Hæc verba vſque ad ἔστι δ᾽ ὅπου συμφέρουσι, de mendo valde mihi ſunt ſuſpecta; ne dicam, omnia videri mihi ſpuria & inducenda.

Καὶ εἴ τις ἄλλος ἄρχων.] Vt Gymnaſiarcha, aut Romæ cenſor.

Aliâs cap. XVI. qua de re infra.

TEXTVS.

Diſcrimina magiſtratuum, vnde ſumantur.

De magiſtratuum autem conſtitutionibus de integro eſt explicandum. Differentiæ autem in tribus conſiſtunt terminis, quibus compoſitis, omnes modi vt ſumantur, neceſſe eſt. Horum autem trium vnum eſt quidem, qui ſint ij, qui magiſtratus conſtituant; Alterum vero, ex quibus; Tertium vero, quomodo. Vnius autem cuiuſque horum trium, tres ſunt differẽtiæ. Nam vel omnes ciues conſtituunt, vel quidam; & vel ex omnibus, vel ex quibuſdam certis ſeu definitis, vt vel cenſu, vel genere, vel virtute, vel quo alio generis eiuſ-

dem, vt Megaris ex coniuratis, & qui aduerſus populum pugnarint: atque hæc vel ſuffragijs vel ſortito. Rurſus hæc copulantur. Dico autem, vt quidam magiſtratus à quibuſdam, quidam vero ab omnibus, & quidam quidem ex omnibus, quidam vero ex quibuſdam, & quidam quidem ſuffragijs, quidam vero ſortito conſtituantur. Harum autem differentiarum cuiuſq; quatuor erunt modi. Nam vel omnes ex omnibus ſuffragio, vel omnes ex omnibus ſortito: & vel ex vniuerſis, vel per partes, vt per tribus & demos & curias, donec ad omnes ciues peruentum fuerit: vel ſemper ex vniuerſis: & partim quidem hoc modo, partim quidem illo. Rurſus ſi, qui conſtituunt, ſint quidam vel ex omnibus, ſuffragijs, vel ex omnibus ſortito; vel partim quidem hoc modo, partim vero illo: partim quidem, inquam, ex omnibus, ſuffragijs, partim vero ſortito: Quare præter duas coniunctiones duodecim exiſtunt modi. Ex his autem duæ quidem conſtitutiones ſunt populares: omnes ex omnibus, ſuffragijs vel ſortito fieri: vel vtroq; modo, partim quidem ſortito, partim vero ſuffragijs. Non omnes vero ſimul quidem conſtituere, ex omnibus vero, vel ex quibuſdam aut ſortito aut ſuffragijs, vel vtroque modo; vel partim quidem ex omnibus, partim vero ex quibuſdam, vtroque modo (vtroque autem dico, partim quidem ſortito, partim vero ſuffragijs) Reipubl. eſt proprium. Atque quoſdam ex omnibus hos quidem ſuffragio conſtituere, illos vero ſortitò, vel vtroq; modo, partim ſortito, partim ſuffragio, eſt Oligarchicum. Magis vero eſt Oligarchicum illud ex vtro-

que

que. At hos quidem ex omnibus, illos vero ex quibuſdam Ariſtocratice politicum eſt. Vel hos quidem ſuffragio, illos vero ſortito. Quoſdam vero ex quibuſdam, eſt Oligarchicum, & quoſdam ex quibuſdam ſortîto, quod tamẽ non ſimiliter fiat; & quoſdam ex quibuſdam vtroque modo: quoſdam vero ex cunctis, eſt Oligarchicum. Ex quibuſdam vero omnes ſuffragio, eſt Oligarchicum, aut Ariſtocraticum. Ergo modi quidem creandorum magiſtratuum tot ſunt numero, itaque pro Rebuſpubl. diuiduntur. Quæ autem quibus conueniant, & quemadmodum magiſtratuum creationes cum poteſtate fieri debeant, quæque ſint: facile intelligetur. Magiſtratus poteſtatem dico, verbi gratia, vectigalium & cuſtodiæ dominam; nam aliud poteſtatis eſt genus, vt præturæ militaris; aliud eius, quæ rerum forenſium ſeu contrahendarum eſt domina.

COMMENTARII.

Περὶ δὲ τὰς τῶν ἀρχῶν.] Mendoſe in quibuſdam libris aliud hic eſt caput: cum vna eademq; ſit diſputatio de magiſtratu: etſi multæ eius ſunt partes & quæſtiones: quibus adhuc iam aliquot expoſitis, hoc tandem loco eam, quæ huius loci eſt propria, qui magiſtratus quibus Rebuſpub. conueniant, aggreditur. Et primum quidem de magiſtratuum creatione, qui & quot eius ſint modi, exquiſita partitione diſtinguit. Deinde, *τούτων δὲ αἱ μὲν δύο καταστάσεις.* &c. qui modi quarum Rerumpub. ſint proprii, adiungit: Quod idem & de ſenatu *ſupra*, ſeu de conſiliorum generibus & de iudiciis *infra cap. proximo* facit. Eſt autem hic locus de magiſtratuum creatione bimembris, vt dixi; qui & quot ſint modi creandorum magiſtratuum, & qui quibus Rebuſpub. conueniant, id eſt, qui Democratici, qui Ariſtocratici, &c. adeo obſcurus & difficilis, vt ingenue fateri cogar, me eum quantumuis perpenſum, non potuiſſe aſſequi totum. Nam par-

tem facile eſt noſſe & menda quædam nonnulla deprehendi: ſed quia totum locum perpurgare non potui, Latine eum reddidi vulgata exemplaria ſecutus, explanationem doctioribus, aut alii tempori reſeruandam putaui.

CAPVT XVI.

DE tribus ſummis Reipub. partibus, quæ in Rebuſpubl. aliæ ſint in aliis, ea quæ reliqua eſt de iudiciis, minima illa quidem, ſed non minus tamen, quam ſint priores, neceſſaria, hoc capite explicatur: Cuius duæ ſint partes, quarum in priore iudiciorum genera παρέργως commemorantur: altera de modis iudicum legendorum, qui quotque ſint numero, & qui quibus Reipublicæ generibus conueniant, agitur.

TEXTVS.

De tribus autem partibus ea, quæ de iudicijs eſt, reſtat explicanda. Sumendi autem inſtituta ratione & horum ſunt modi. Iudiciorum autem differentia tribus in terminis verſatur: ex quibus, de quibus, & quomodo. Ex quibus, inquam, vtrũ ex omnibus, an ex quibuſdam. De quibus, quot iudiciorum ſunt genera. Quomodo, vtrum ſortito an ſuffragio. Primum igitur, quot iudiciorum ſint genera, explicetur. Sunt autem octo numero. Primum quidem repetundarum, aliud peculatus. Tertium, de ſtatu Reipublicæ. Quartum tam de magiſtratibus, quam de priuatis, quæ de multis ambigunt. Quintum de priuatis contractibus, ijſque magnis. Præter hæc, & de cæde, & de peregrinatione, & eius quidem de cæde genera, ſiue apud eoſdem iudices, ſiue apud alios, de conſulto & de inuite factis; & de quorum quidem facto conſtat, de iure vero ambigitur. Quartum genus de ijs, quæ cædis reis in reditu intenduntur: vt quod Athenis dicitur Phreattium iudicium. Talia autem

etiam

etiam in magnis ciuitatibus perpauca ex omni tempore accidunt. De peregrinitate autem, vnum quidem peregrinorum cum peregrinis: aliud peregrinorum cum ciuibus. Præter hæc omnia præterea de paruis contractibus, qui de drachma, vel quinque drachmis, aut paulo pluribus. Nam & de his iudicium quidē fieri debet, non tamen in multitudinem iudicium cadit. Verū hæc quidem & de cęde & de peregrinitate omittantur. Dicamus autē de ciuilibus, quæ niſi recte fiant, ſeditiones exiſtunt, & Rerumpublicarum mutationes. Neceſſe eſt igitur, vel omnes de omnibus iudicare ſuffragio aut ſortito, vel omnes quidem de omnibus, partim quidem ſortito, partim vero ſuffragio. Vel de quibuſdam eiuſdem generis, partim ſortito, partim ſuffragio factos. Sunt igitur hi modi quatuor numero, totidem vero & alij ex parte. Nam rurſus ex quibuſdam, & qui de omnibus iudicant ſuffragio, vel ex quibuſdam de omnibus ſortito. Vel partim quidem ſortito, partim vero ſuffragio: vel quædam iudicia de ijſdem & ſortito & ſuffragio factis. Hi ſunt igitur, vt diximus, modi ſupra explicatis ſimiles. Præterea hæc ipſa duplicantur. Verbi gratia: partim quidem ex omnibus, partim vero ex quibuſdam, partim ex vtriſque, vt ſi eiuſdem iudicij ſint, hi quidem ex omnibus, illi vero ex quibuſdam, & aut ſuffragio, aut ſortito, aut vtroque modo. Quot igitur iudiciorum modi eſſe poſſint, dictum eſt. Ex his autem primi quidem, qui ex omnibus aut de omnibus, ſunt populares: Alteri vero, qui ex quibuſdam de omnibus, ſunt Oligarchici. Tertij denique, qui partim quidem

ex omnibus, partim vero ex quibuſdam, Ariſto-cratici ſunt & Politici.

COMMENTARII.

Iudicū differentia & diſſimilitudo.

I. Diſſimilitudo à diuerſitate ordinū, ex quibus ſumuntur.

II. Diſſimilitudo à diuerſitate rerum, de quibus fiūt iudicia.

Ἔστι δὲ διαφορὰ τῶν.] Quemadmodum de magiſtratibus priore capite; ita & de iudiciis hoc loco omnem eorum differentiam & diſſimilitudinem tribus velut terminis & finibus circumſcriptam eſſe docet. Quorum primus hic eſt, ex quibus: ſecundus, de quibus: tertius, quomodo iudices fieri debeant. Primus, inquam, an ex omni populo, an vero ex certo duntaxat ordine; an deniq; partim ex omni populo, & partim certo ordine iudices conſtitui debeant, vt Romæ nō ex omni populo, ſed alias ex ordine ſenatorio, alias ex equeſtri, alias ex vtroque, iudicum decuriæ legebantur. *Plutarchus in Gracchis.* Alter modus, de quibus rebus, de omnibusne, an de quibuſdam partite & diſtincte, id eſt, vt alii de cauſis ciuilibus, alii de capitalibus fiant iudices: & rurſus, quia & ciuilium & capitalium cauſarum multa ſunt genera: alii de hoc, alii de illo genere, iudex conſtituatur: Quo ſecundo termino tribunalium & iudiciorum genera diuiduntur & dignoſcuntur; non primo, neq; tertio. Nam ex cauſarum ſeu controuerſiarum diſcrimine iudiciorum quoque genera & diſcrimina oriuntur; non ex perſonis iudicum, neque ex modo creandorum iudicum: qui vel eſt ſorte, vel ſuffragio, vel vtroq; modo. De duobus terminis, primo & tertio, atque adeo de omnibus in altera huius capitis parte:

De variis iudiciorum generibus.

I. Εὐθυντικόν.

in priore de ſecundo termino, ſeu potius de iudiciorum generibus breuiter explicat. Ait igitur, tribunalium ſeu iudiciorum octo eſſe genera. Primum vocat εὐθυντικὸν, quod erat aduerſus magiſtratus de peccatis & delictis ab ipſis in magiſtratu commiſſis. Vt ſi in prouincia ſocios vexaſſent, vt Verres in Sicilia: Si in vrbe corrupti, vel gratia ius inique dixiſſent, &c. Nam in Græcia poſtquam magiſtratu abiiſſent, cogebantur ſui muneris rationes ipſi exponere: Athenis quidem coram ſummo magiſtratu Nouemuirorū, quibus duo extra ordinem, huic muneri de rationibus referendis præfecti, erant adiuncti, quos vocabant εὐθύνους, *teſte Polluce lib. 8. cap. 6.* Romæ hoc inſtitutum non fuiſſe, grauiter cōqueritur *Cicero lib. 3. de legib. in fine,* vbi de cenſoribus: Apud eoſdem, qui magiſtratu abierint, edant & exponant, quid in magi-ſtratu

ſtratu geſſerint, deq; iis cenſores præiudicent, &c. Erat tamen & iudicium aduerſus magiſtratus, quod vocabant repetundarum, (*vt in Digeſtis ad legem Iuliam repetundarum*) reſpondens εὐθύνῃ Græcorum, quod *Cicero eo loco* vocare quoq; videtur rationum referendarum. Alterum videtur eſ- 2.
ſe aduerſus eos, qui Rempub. compilarint, aut ſint depeculati: quod Græci φάσιν vocant: Latini Romani peculatum, quaſi dicas furtum publicum, de quo eſt & *Titulus in Pandectis*. Tertium vocat Ariſtoteles: ſi quis in Rempublic. quid 3.
committat: quod Græci non vno, ſed multis nominibus, προδοσίας, παρανόμων, ἀστρατείας: Romani vno nomine maieſtatis aut perduellionis vocant; quod iudicium ſatis eſt notum. Quartum vocat Ariſtoteles περὶ ζημιώσεων, de mulctis 4.
& pœnis. Verbi gratia: Si magiſtratus ciuem multa æquo grauiore affecerit. Nam de mulctarum irrogatione ſæpe inter ſe magiſtratus & priuati ambigere ſolent. De Romanorum more videatur *Gellius lib.11. cap.1. & l. aliud eſt, & l. ſi qua ff. de verb ſignif.* Quintum eſt de rebus contrahendis 5.
ſeu de contractibus, iiſq; magnis. Nam alias contractus eſt & controuerſia de magna ſumma, alias de exigua, vt de drachma. Ad hoc genus pertinent omnes grauiores controuerſiæ, vt de nuptiis, de tutelis, de teſtamentis, de emptionibus, &c. Sextum genus eſt de cæde, Græci eleganter vocant φονι- 6.
κὸν: quo pertinent & vulnera, verbera, &c. Hoc autem ge- ὑποδιαίρεσις.
nus facit Ariſtoteles quadripartitum. Nam cædes vel fit cōſulto, vel non conſulto; illā Græci vocant φόνον ἐκ προνοίας: 1.
de vtroque genere cædis eleganter *Saturninus Iuriſconſultus* 2.
in l. aut facta, ff. de pœnis, & diximus nonnihil *initio libri tertii Ethicorum* Tertia de cæde quæſtio, cum de facto qui- 3.
dem conſtat, ſed de iure ambigitur; *vt in Milomana Ciceronis*, ibi de facto conſtabat; *& ſupra lib.5. Ethic cap.8.* Quar- 4.
ta de cæde controuerſia eſt aduerſus eum, qui ſemel de cæde accuſatus, & quia de inuite facta exilio mulctatus, alteram poſtea cædem fecerit, qui ſi reuertatur, eo nomine accuſetur. Hæc igitur eſt repetita velut accuſatio, propter alteram cædem aduerſus ab exilio redeuntem, inſtituenda. His quatuor de cæde controuerſiis ſuum cuique diſtinctum Athenis erat tribunal. Nam de cæde conſulto facta, iudicium fiebat *Areopagus.*
in Areopago: de cæde inuite facta in Palladio: de cæde iure *Palladium.*
an iniuria facta in Delphinio: de cæde repetita in Phreattio: *Delphiniũ.*

 Phreattiũ.

quod Athenis vocabāt ἐν vel ἐπὶ Φρεαττοῖ: ſic enim hic legendum, vt pulcre *Scholiaſtes Græcus in Ariſtocrat. Demoſthenis*, quæ tota eſt de cæde: *& Pollux lib.* 8. Septimū item eleganter vocant Græci ξενικόν. *Cic. lib 2. de leg.* de peregrinis; quod facit bipartitum Ariſtot. vel vbi peregrinus cum peregrino, vel vbi peregrinus cum ciue controuerſiam habet. His controuerſiis Athenis præerat Polymarchus, Romæ prætor peregrinus, *Pollux lib.* 8. *Pomponius in l* 2 *ff. de orig. iur. & in Cicerone quam ſæpiſſime* Octauum & vltimum eſt item, vt quintum, de rebus contrahendis: ſed illud de rebus magnis, hoc de paruis, vt de drachma, de quatuor, de ſex, &c. vt Athenis erant quadraginta viri, qui cognitionem habebant decem tantum drachmarum, *teſte Polluce lib.* 8. Sic & Romæ etiam in criminibus minores magiſtratus de paruis tantū, de maximis aut maioribus præfectus vrbis tantum cognoſcebat. Huc pertinet diſputatio Iuriſconſultorum, an de re parua iudicium fieri debeat, vt de Gallina vel ouo, *in §. Gallinarum & anſerum, in Inſtitutionibus de rerum diuiſione, & in l. id eſt*, de dolo malo. Athenis certe erat, & βολίτου δίκη, id eſt, ſterquilinii aut fimi controuerſia, ex legibus Solonis, *Ariſtophanes*, &c. (iſte locus de iudiciorum generibus eſt plane abſurdus.) Eodem pertinet, quod eſt apud *Quintilianum lib. 3. cap.* 10. vbi indicat, in fideicommiſſis maioris ſummæ cognitionem Romæ habuiſſe conſules, minoris prætorem fideicommiſſarium. Et quidem hæc ſunt octo tribunalium ſeu fori genera ab Ariſtotele hîc expoſita. Quæ partitio qua ratione nitatur, non poſſum ſatis intelligere. Cur, inquam, non vel plura vel pauciora fora Ariſtoteles faciat. Athenis quidem de rebus capitalibus quinq; celeberrima erant fora; Areopagus, Delphinium, Palladium, Phreattium & Prytaneum: rerum ciuilium Heliæa, Parabyſtum, Trigonū & Metychium: de quibus *Pollux, Suidas, Scholiaſtes, Demoſth. & alii, vt Car. Sigon. de Repub. Athen. lib. 1. cap.* 3 Iudicium quoque arbitrorum, quos Diætetas vocant. Romæ quoque alii erant prætores rerum capitalium, vt falſi, repetundarum, peculatus, parricidii, &c. quos proprie Quæſitores, & Quæſtores parricidii vocabant. Erant & alii qui Duumuiri perduellionis dicebantur: de quibus *Pompon. l. 2. ff. de orig. iur. Cic. pro Rabir.* Rerum autem ciuilium duo prætores, vnus vrbanus, alter peregrinus primum fuerunt; poſtea alii ſunt additi ſingu-

Ariſtogit.

7. ξενικόν.

8.

An de re parua litigandum ſit.

Ratio diuiſionis iudiciorum.

ti ſingularum cauſarum; vt prætor fiſcalis, fideicommiſſarius, tutelaris: de quibus *Pompon. in d. l. 2. Sueton. in Claudio, Capitolinus in Marco* Rectior igitur & melior tribunalium partitio hæc fuerit, vt, quemadmodum cauſæ & res aliæ ſunt capitales, aliæ vero ciuiles, fora quoq; ſint alia rerum capitalium, alia ciuilium: quæ ſumma tribunalium ſeu iudiciorum ſit diuiſio, cauſis ſeu rebus, de quibus fiunt iudicia, accommodata, quomodo & *Plato in lib de legib & Iuriſconſulti noſtri* partiuntur. Iam vero quia cauſarum & capitalium & ciuilium multa ſunt genera; adeo, vt graue ſit, omnes ciuiles cauſas vni foro ſeu tribunali, omnes capitales vni quoque tribunali, maxime in magna ciuitate, mandare: hinc poſtea genera alia iudiciorum ſubnaſci poſſunt. Verbi gratia, vt ſit iudicium aliud de rebus tantum tutelaribus, aliud de rebus contrahendis, aliud de rebus ad ciuitatem pertinentibus, aliud de ſacrilegio, &c.

Partitio melior.

Περὶ δὲ τῶν πολιτικῶν.] Explicaturus Ariſtoteles tribunalium ſeu iudiciorum genera ſeu modos, qui quibus Rebuſpubl. ſint accommodati & proprii (alii namq; Democratiæ, alii Ariſtocratiæ, &c. ſunt proprii) monet initio, omiſſa diſputatione de iudiciis capitalibus, & iis, quæ ſunt de peregrinis, explicandum potius eſſe de ciuilibus. In quibus & iudicia rerum contrahendarum, & de ſtatu Reipub. & alia ſupra expoſita contineantur: propterea quod ex his ciuilibus magis, quam quæ de capitalibus, aut iis, quæ de peregrinis, motus & ſeditiones in ciuitate, ſi non recte exerceantur, excitari ſoleant, atque adeo Rerumpub. ſequi euerſiones. Quare & *infra lib. 6. cap. 2.* hæc tria iudicia, quæ omnia ſunt ciuilia (rationum reddendarum, ſeu εὐθυντικόν, de ſtatu Reipub. & rerum contrahẽdarum) ait eſſe grauiſſima & maximi in Republ. momenti. Vt igitur de conſiliorum ſeu magiſtratuum generibus ſeu modis *ſupra priorib. duobus capitibus* explicauit: ita & hoc cap de iudiciorum modis explicat; quot, inquam, hi ſint numero, & quarum Rerumpub. proprii. Et de numero, duodecim modos eſſe oſtendit, hunc in modum. Modi namque iudicum legendorum vel ſimplices, vel mixti ſeu copulati & coniuncti vt ſint, neceſſe eſt. Qui vel ſimplices vel mixti ſint, mox intelligetur. Neceſſe quoq; eſt, iudices vt omnes vel ex omni, ſiue vniuerſo, ſiue per tribus diſtincto populo, vel ex certo tantum ordine, puta ex ditiori-

De ciuilib. iudiciis cũprimis hoc loco explicandum.

Ratio.

De modis 12. iudicum constituendorum.

bus duntaxat, vel ex patriciis, vel (vt Romano more nunc loquamur) ex ordine vel ſenatorio vel equeſtri legãtur. Neceſſe denique eſt, iudices vel de rebus omnibus, vel de quibuſdam duntaxat iudicandi poteſtatem habere. Poſtremo neceſſe eſt, iudices vel ſuffragio, vel ſortito, vel partim ſortito, partim legi ſuffragio. Hinc iam continuo 12. iudicum legendorum modi vt exiſtant, neceſſe eſt, quos perſpicuitatis cauſa hac tabella complectamur.

Iudicũ legendorum modi ſunt aut
- *Simplices vel*
  - *Ex omni populo.*
    - *De omnibus rebus.*
      - *1. Suffragio.*
      - *2. Sortito.*
      - *3. Partim ſuffragio, partim ſortito.*
    - *De quibuſdã tantum.*
      - *Et hi 4. modi ſunt Democratici.*
  - *Ex certa tantum parte.*
- *Coniũcti.*
  - *Quidam ex omni populo de rebus.*
    - *Omnibus.*
      - *1. Suffragio.*
      - *2. Sortito.*
      - *3. Partim ſuffragio, partim ſortito.*
    - *4. Quibuſdam.*
      - *Et hi 4. modi ſunt Oligarchici.*
  - *Quidam ex certo tantum ordine.*
    - *1. Sortito.*
    - *2 Suffragio.*
    - *3. Partim ſortito, partim ſuffragio.*
  - *4 Quidam in eodem tribunali, partim ex omni populo, partim ex certo tantum ordine.*

Modi Democratici. *Modi Oligarchici.*

¶ Ex his 12. modis 4. quidem primi ſunt populares & Democratici: eo quod Democratiæ hoc ſit proprium, partes Reipub. cum vniuerſo populo communicare. Quatuor vero alii ſimplices modi, quia non ex omni populo, ſed ex certo ordine, quod Oligarchiæ eſt proprium, merito ſunt Oligarchici.

garchici. Poſtremo coniuncti quatuor modi ſunt & Ariſto-cratici & Politici. Propterea quod vt hæ ipſæ Reſpublicæ, Ariſtocratia inquam & Politia, ex 2.illis, Democratia & O-ligarchia, velut ſunt mixtæ & temperatæ, *vt ſupra explicatum initio huius libri:* ita & hi modi coniuncti ex prioribus duobus generibus, Democratia & Oligarchia, ſunt permixti & temperati.

Modi Ariſtocratici & Politici.

FINIS LIBRI IV.

LIBER

LIBER V.

ARGVMENTVM.

EXplicantur in hoc libro cauſæ & initia Rerumpub. & mutandarum ſeu euertendarum & conſeruandarum: cuius duæ ſunt partes. Cum vere duo quoque ſint Imperiorum genera; plurium quæ Reſp. vnius quæ monarchia dicitur. In priore de Rebuſpublicis, nouem primis capitibus, ſeu octo potius: in altera de monarchiis, id eſt, regno & tyrannide reliquo libro explicatur. Extremo tãdem Platonis hac de re diſputatio, breuiter omnium ſeditionum & mutationum capite ſeu fonte, cauſas mutationum & euerſionum Rerump. explicat: vniuerſe quidem ſeu communes, quæque in omnes Reſpublicas conueniant, primis illis capitibus 2.3.4. Singulatim vero cauſas, quæ ſingularum Rerumpublicarum ſint propriæ, proximis tribus capitibus, Democratiæ quinto, Oligarchiæ ſexto, Ariſtocratiæ & Politiæ ſeptimo. Deinde de cauſis ſalutis & incolumitatis agit: quæ etſi ex contrariis facile cognoſci poterant: tamen de his rurſus & vniuerſe & ſingulatim, maxime tamen vniuerſe, explicandum putauit cap. 8. & 9. vt vulgo diuidunt. Et hac quidem de Rebuſpublicis. Altera huius libri parte, vt dixi, de vnius Imperio, Regno & Tyrannide: primum, quibus ex cauſis mutentur & intereant: deinde, quemadmodum conſeruentur, explicat doctiſſime 10. & 11. Videantur & Plato lib. 8. de Repub, & Polybius lib. 6.

CAPVT I.

TRIA fere hoc cap. exponũtur: Caput & fons omnium ſeditionum & motuum Rerumpub. Mutationum genera: & extremo cap. breuis Rerumpub. de diuturnitate comparatio. de primo tamen maxime hîc agitur; ſiue eſt ſcopus capitis, vt aiunt Iuriſconſulti.

TEX-

TEXTVS.

Ergo de alijs quidem, de quibus conſtitueramus, dictum fere eſt de omnibus: quibus autem ex rebus, & quot numero, & qualibus Reſpublicæ mutentur, quiq; ſingularum Rerumpublicarum ſit interitus, & ex quibus in quas maxime mutentur: præterea, quæ ſint ſalutes & communiter omnium & ſeorſim ſingularum: præterea, per quæ quæque Reſpublica maxime conſeruetur, videndum eſt deinceps.

COMMENTARII.

Περὶ μὲν οὖν τῶν ἄλλων.] Clauſula eſt methodica, qua inſtitutæ diſputationis rationem & ordinem indicat. Nam poſtquam de aliis rebus omnibus, quas explicandas ſuſceperat, adhuc diligenter explicarit: quæ vna reliqua erat de cauſis interitus & ſalutis Rerumpub. diſputatio, recte & ordine, id eſt, prioribus cõuenienter hîc explicatur. Vnam autem hanc de Rerumpub. mutationibus diſputationem eſſe reliquam, perſpicitur *ex lib. 4. cap. 2.* vbi diligenter exponit, de quibus ſit diſſerendum: nimirum quot Rerumpub. ſint genera: quæ maxime ſit communis & poſt optimam maxime expetenda: quæ quibus ſit aptior & accommodatior; & quemadmodum ſingulæ Reſpub. in ſuo quæque genere quam optime ſint inſtituendæ: quæ deniq; mutationum Rerumpubl. ſint cauſæ. Ad illum igitur locum his verbis, περὶ μὲν οὖν ἄλλων, ὧν προειλόμεθα, de quibus ſtatueramus diſputare, alludere & ſpectare videtur Ariſtoteles: etſi alii ad omnes priores libros ea referunt. *Ordinis ratio.*

Καὶ ἐκ ποίων εἰς ποίας.] Nam interdum ex Democratia exſiſtit Oligarchia, vel contra: vel ex Democratia tyrannis, &c. quod caput, quæ Reſpubl. in quas mutentur, non ſatis explicaſſe Platonem notat *infra Ariſtot. cap vlt.* *Mutatio Rerumpub. generũ inter ſe.*

Ἔτι δὲ σωτηρίαι.] Miror hanc *παλαιολογίαν* in Ariſtotele. Nam hæc duo ἔτι idem valent, eodemq; pertinent, de cauſis conſeruandarum Rerumpublicarum. Quare haud ſcio, an non rectius alterum tolli poſſit.

TEX-

TEXTVS.

Primum autem caput exiſtimare oportet multas exſtitiſſe Reſpublicas, dum omnes ius quidem aſſentiuntur, idque proportione æquum: in eo tamen aberrant, vt & ante dictum eſt. Nam Democratia quidem exſtitit ex eo, quod quadam re pares omnino putent eſſe pares. Nam quia omnes pariter ſint liberi, omnino ſe pares eſſe putant: Oligarchia vero ex eo, quod vna quadam re (impares) omnino impares eſſe putent. Nam diuitijs impares putant, ſe omnino eſſe impares. Inde illi quidem, vt pares, rebus omnibus paribus dignos ſe putant: hi vero, vt impares, ſuperiora quærunt: quod enim plus, eſt impar. Omnes igitur Reſpublicas nituntur illæ quidem iure quodam: aberrant vero omnino; eamque ob cauſam cum ex hac perſuaſione, quam vterque habent, non fiant participes Reipublicæ; ſeditiones mouent. Omnium autem meritiſſimo ſeditiones mouerent, minime vero id faciunt, qui virtute ſuperant. Nam rationi maxime eſt conſentaneum, hos tantum eſſe impares omnino. Sunt autem, qui genere præſtantes, propter hanc inæqualitatem ſeu imparitatem æquis rebus non ſunt contenti. Nam genere nobiles videntur eſſe, quibus maiorum eſt virtus & diuitiæ. Itaque hæc quidem ſunt principia & fontes, vt ita dicam, ſeditionum, vnde ſeditiones mouent.

COMMENTARII.

Caput & fons omniũ motuum & ſeditionum.

Δεῖ δὲ πρῶτον.] Priuſquam ad cauſas cõuerſionum & mutationum Rerumpublicarum explicandas aggreditur, hoc cap. vt ſupra monui, omnium motuum & ſeditionum caput & fontem prius aperit: quod caput docet eſſe errorem ſeu

ſeu perſuaſionem iniuſtam, ex eo natam, quod ius diſtinguere neſciant. Nam, *vt & ſupra lib.3. cap.6. & 8. eſt explicatum*, omnes Reſpubl. iure quodam nituntur: omnes, qui dominantur, aut principatum ſiue in Democratia, ſiue in Oligarchia, ſiue in Regno, ſiue in Ariſtocratia quærunt, iuris quandam ſpeciem afferre & prætendere ſolent: vt in Democratia libertatem, in Oligarchia diuitias aut nobilitatem, in Ariſtocratia virtutem, vt & in Regno. Populus igitur quia omnis libertate ſit par, æquum eſſe ait, vt nemo alteri præferatur: Contra pauci in Oligarchia, quia reliquam ciuium multitudinem diuitiis & genere ſuperant, æquum eſſe putant, ſe ſolos eſſe Reipublic. principes, excluſa multitudine. Nam hoc iuris & iuſtitiæ eſt proprium, vt ſuum cuique tribuatur, id eſt, paribus paria, imparibus imparia. Verum peccat in aſſumptione ſeu minore propoſitione: eo, quod pares ipſi vel impares eſſe ſe putant omnino ſeu omni ex parte: puta vel diuitiis, vel libertate ſint vel pares vel impares: omnino autẽ & abſolute pares ſunt hi duntaxat, qui virtute ſunt pares, vt in Ariſtocratia: quare & hi virtute pares, & reliquis virtute præſtantes iuſtiſſimam cauſam habent, cur ipſi ſeditionem mouere poſſint, ſi à magiſtratibus & Republica excludantur, vt quibus propter æquitatem, non illam ex parte, ſed eam, quæ eſt omnino, debeatur principatus Reipublicæ. Videre tamen licet hos minime eſſe ſeditioſos, vt præclare hîc ait Ariſtoteles; quæ magna eſt virtutis laus, & virorum bonorum: qui cum iure poſſint: tamen nolint temere res tractare turbidas. Obſeruandus eſt igitur hic locus de virtute: Ea Reſpublicas non perturbari, ſed conſeruari: etſi hæc fuit perpetua fere in Chriſtianos calumnia, eos eſſe ſeditioſos & turbulentos: quam accurate refellit *Tertullianus in Apologetico*. Cur autem neq; diuitiis, neque opibus, neque generi, ſed virtuti debeatur principatus: rationem iam diximus; quod qui illis rebus ſunt ſuperiores, aliis præſtent ex parte tantum: qui hac, omnino & abſolute. Merito namq; hæc virtuti prærogatiua & laus debetur, vt eius præſtantia reliquarum præſtantiis rerum ſit anteponenda & veriſſima iudicanda præſtantia.

Virtuoſi minime omnium ſeditioſi.

Τὸ γὰρ πλεῖον ἄνισον.] Hoc pertinet ad prius verbum πλεονεκτεῖν. Diuitiis, inquit, vel genere impares ſeu aliis ſuperiores omnia ſtatim ſuperiora habere volunt ſeu πλεονεκτεῖν (id enim

enim hic valet: non, vt alias plærunque, in malam partem) propterea quod τὸ πλέον, id eſt, plus, ſiue ſuperiora, aut quod ſuperat, eſt impar & inæquale: eaque propter inæqualibus conueniens. Notum eſt ex *Ethic. lib 5.* plus & minus eſſe inæqualia, medium & iuſtum his interiectum eſſe æquale.

Nobilitatis vulgata, veraq́ definitio.

Εὐγενεῖς δ.] Eſt nobilitatis deſcriptio, maiorum videlicet virtus & diuitiæ, vulgata: *de qua diximus & ſupra lib. 2. 4. cap 8* Nam veram nobilitatem Ariſtoteles non maiorum, ſed ſuam virtutem *paulo infra* eſſe indicat, & eleganter *Cic. in epiſt. quadam* nobilitatem definit, eſſe notam virtutem.

T E X T V S.

Quare & mutationes merito fiunt. Nam aliâs quidem aduerſus ſtatum Reipublicæ, vt ex eo, qui nunc eſt, alium inſtituant: vt ex Democratia Oligarchiam, vel ex Oligarchia Democratiam, aut Rempublicam & Ariſtocratiam ex his, aut has ex illis. Aliâs vero non aduerſus Reipublicæ ſtatum, qui nunc eſt: ſed eundem quidem ſtatum eſſe volunt: in ſua vero poteſtate hunc eſſe volunt, vt Oligarchiam ſeu Regnum & Monarchiam. Præterea de eo, quod magis & minus, vt vel Oligarchiam magis aut minus reddi Oligarchicam, vel Democratiã magis aut minus reddi Democraticam. Itẽque in reliquis Rebuſpubl. vt vel intendantur vel remittantur. Præterea ad partem aliquam Reipublicæ mutandam, vt magiſtratum aliquem introducendum vel abrogandum, quemadmodum Lacedæmone Lyſandrum quidam ſcribunt conatum eſſe Regnum tollere; & Regem Pauſaniam, Ephoriam: Dyrrhachij quoque parte quadam mutauit Reſpublicas. Nam Phylarchorum loco curiam induxerunt.

C O M M E N T A R I I.

Διαίρεσις, ;

Διὸ καὶ.] Expoſito capite & fonte omnium ſeditionum & muta-

mutationum, interiicit hoc loco Ariſtoteles de generibus *ſeu varia mutationũ genera.* mutationum ſeu conuerſionum: qui locus eſt pulcherrimus & digniſſimus obſeruatu, vt qui nuſquam, quod equidem meminerim, tam accuratus reperiatur. Quatuor igitur mutationum ſeu conuerſionum genera breuiter exponit. Nam primum, quod quidem eſt notiſſimum, ait eſſe, quo ipſe ciuitatis ſtatus ſeu Reipublicæ genus mutetur: verbi gratia, ſi loco Democratiæ inſtituatur Monarchia, loco Regni Tyrannis, &c. vt Romæ regnante Tarquinio, cuius Tyrannide ſublata inſtituta fuit Ariſtocratia, poſt Politia, tandem Democratia, & rurſus Monarchia. Alterum mutationis genus, quo, manente ciuitatis ſtatu & eodem Reipubl. genere, rectorum ſeu ſummorum magiſtratuum fit translatio: quemadmodum in Sicilia, Gelonis Tyranni filio remoto & excluſo, Regnum ſeu Tyrannidem occupauit & in ſe tranſtulit quidam à Gelonis cognatione alienus, & idem ab Dionyſio Siciliæ principatum ad ſe traducere conatus eſt Dio. Sic olim in Epiro Euagoras, Eunuchi Regis filio interfecto, Regnum ſibi vindicauit: *infra cap.10.* Sic & olim apud Francos Pipinus, Hilderico Regis Dagoberti filio remoto, vt ignauo, Regnum Franciæ occupauit. Tertium mutationis genus, quo neq; ſtatus, neque mutatur rector ſeu princeps: ſed ſtatus fit vel intentior vel remiſſior. Notum namque eſt ex prioribus, ſtatus Rerumpubl. alias eſſe leniores & mitiores, alias ſeueriores & vehemẽtiores, vt de Democratia maxime & Oligarchia eſt explicatum. Quam mutationis tertiam ſpeciem eleganti ſimilitudine explanare & illuſtrẽ reddere poſſumus, ea quam Ariſtoteles affert de naſo *infra cap. 9.* Huius generis mutatio Athenis ex moderata Solonis Democratia in extremam ætate Demoſthenis & Ariſtotelis facta eſt, & Romæ ætate Ciceronis: & Heracleæ Oligarchia, à paucis ad ſexcentos imperio translato, facta eſt ciuilior. *infra cap. 6.* Sicyone Myronis Tyrannis ſæuior in Clyſthenis Tyrannidem mitiorem conuerſa eſt, *infra cap. vlt.* Quartum mutationis genus à prioribus diſcrepans, quod illa vniuerſam Rempub. attingunt, hoc in parte duntaxat conſiſtat: quo videlicet magiſtratus vnus aut alter vel nouus inſtituit, vel vetus tollitur: vt Lacedæmone Regiam poteſtatẽ Lyſander Spartanorum Dux nobiliſſimus tollere conatus eſt, vt hic ait Ariſtoteles, *& Diodorus Siculus & Plut. in Lyſand. &*

1. Mutationis genus.

2. Mutationis genus.

3. Mutationis genus.

4. Mutationis genus.

Cornel Nepos etiam in Lyſand Sic in eadem vrbe Rex Pauſanias Ephoros Regum aduerſarios abrogare voluit & conatus eſt, vt ait Ariſtoteles hîc & infra, quemadmodum Sylla Romæ tribunos, conſulum aduerſarios, non ille quidem ſuſtulit: ſed omnem fere poteſtatem ademit, *Plut. in Sylla, Cic. 3. de legib.* Ad hoc mutationis genus pertinere mihi videtur & illa in Republica Romana mutatio, cum loco conſulum Decemuiri eſſent creati: etſi *Liuio* ad primum vel ſecundum pertinere videtur: ſic enim ait *lib.3* Anno ccc. altero, quam condita Roma erat, iterum mutatur forma ciuitatis ab conſulibus ad Decemuiros, quemadmodum ab Regibus ante ad conſules venerat translato imperio.

Heliæa. Εἰς δὲ τὴν ἡλιαίαν.] Quæ hîc de Heliæa & Archonte adferuntur, ſunt obſcura maxime, quo ea pertineant ſeu ſpectent Erat Athenis Heliæa ſummum tribunal, in quo iudices alias 500. alias 1000. alias mille erant quingenti: ſic dictum; quia ſoli maxime, vt edito in loco, expoſitum. de quo foro ſeu tribunali *Demoſth. in Ariſt. Dynarchus in Demoſth. Pauſanias in Attic. Pollux lib. 8. Heſychius, Suidas.* Archon Athenis erat magiſtratus, cuius cum alia erant officia, tum quod ab eo Athenienſes tempora notabant, vt Romæ per conſules, *teſte Polluce lib.8.* hinc *Cic de fin.* Epicurus, inquit, mortuis Archonte Pytharato, &c. Verum in tempore huius magiſtratus Athenis fuit variatum. Nam ſublato Athenis Regno, vt Romæ conſules, ſic Athenis Archontes ſummo cum imperio fuerunt; ſed conſules annui, Archontes primum perpetui, deinde decem annorum, poſtremo annui, *teſte Euſebio in Chronico.* Ariſtoteles autem hoc loco de Heliæa quidem videtur dicere, nullum in ea iudicem legi potuiſſe, niſi qui ante magiſtratum iam geſſiſſet: hoc nuſquam præterea reperi. De Archonte vero, fuiſſe eum in Repub. Athenienſi olim perpetuum velut Regem, quod modo ex *Euſebio* iam ipſi adduximus. Hæc de his afferre hîc videtur Ariſtoteles: cur ea afferat, non video. Sepulueda, vt doceat, inquit Ariſtoteles, Rempublicam Athenienſium ex paucorum potentia factam eſſe popularem: ſed non de hac re, verum de generibus mutationũ agebatur. Quare de toto hoc loco, mea quidem ſententia, valde mendoſo in his verbis, εἰς δὲ τὴν ἡλιαίαν, vſque ad hæc, ἔστι δὲ δῆλον, amplius quærendum.

TEXTVS.

Æquale autem duplex eſt. Nam aliud quidem numero, aliud vero eſt dignitate. Et numero quidem, quod multitudine, aut magnitudine eſt idẽ & æquale: dignitate vero, quod ratione. Vt numero quidem æqualiter tria duo, & hæc vnum ſuperãt: ratione vero quatuor duo, & hæc vnum. Nam æqualis eſt pars duo quatuor, & vnum duorum: vtrumque namque dimidium. In eo igitur ius omnino eſſe id, quod ex dignitate, conſentientes diſſentiũt, vt ſupra dictum; hi quidem, quod, quia ex parte ſint æquales, omnino ſe pares eſſe exiſtiment: illi vero, quia, cum ex parte ſint impares, omnia imparia ſibi vindicent.

COMMENTARII.

Ἔστι δὲ διττόν.] Expoſitis Ariſtoteles mutationum generibus, redit ad caput & fontem mutationum Reipublicæ, iniuſtam illam de ſe perſuaſionem: quam alii æquitatem ſeu æqualitatem, alii iactãt inæqualitatem: cui rei melius explicandæ adiungit hoc loco æquitatis partitionem *in Eth. lib. 5. & ſup. quoq; lib. 3. c. 6.* explicatã. Æquum, inquit, eſt duplex, aliud numero, quam vocamus Arithmeticam æquitatem: aliud dignitate, quam Geometricam vocamus, quas inter æquitates hæc eſt differentia, quod in Arithmetica multitudo tantum & magnitudo, in Geometrica ſpectetur ratio tantum ſeu proportio: verbi gratia, vt tria ſuperant duo, ita duo vnum, vno nimirum, id eſt, pari multitudine: vt quæ ratio eſt τῶν 4. ad 2. eadem eſt duorum ad vnum, duplex videlicet; vel quæ ratio eſt duorum ad vnum, eadem eſt τῶν 20. ad 10. eadem eſt ratio, numerus non item. Ex his autem æquitatibus Arithmetica quidem in rebus maxime priuatis, Geometrica in publicis, vt magiſtratibus mãdandis, &c. (de quibus hîc agitur) vtimur. Recte igitur Ariſtoteles ius ait eſſe poſitum in Geometrica æquitate, nimirum hoc loco, vbi de magiſtratibus & Republica agit; & in hoc, inquit, conſentiunt omnes, vt nimirum pro dignitate, tanquam iure, ita poſtu-

Æquitas duplex: Arithmetica & Geometrica.

Vſus æquitatis Arithmeticæ & Geometricæ.

lentur, mandentur magiſtratus & imperia, id eſt, vt qui pares ſint dignitate, cum omnibus imperia communicentur: qui impares, non item. Verum in dignitatis generibus diſſident: alii namque dignitatem in libertate: alii in genere aut diuitiis: alii denique in virtute collocandam putant. hos autem recte: illos perperam ſentire *ſupra* docuimus; nimirum veram dignitatem ſeu æquitatem, quæ omnino, virtute, non diuitiis aut libertate, eſſe metiendam: qua in re errare illos, qui eam vel libertate tantum, vel genere aut diuitiis æſtiment: illi quidem, quia libertate ſint pares, vere & omnino pares ſe eſſe arbitrantes: contra, qui diuitiis, id eſt, ex parte impares, omnino ſe impares eſſe arbitrantes. Sed de hac re & ſupra.

TEXTVS.

Quare & duæ maxime exiſtunt Reſpublicæ; popularis & paucorum. Nobilitas namque & virtus in paucis: hæc autem in multis (ſcilicet reperiuntur.) Nobiles namque & boni nuſquam centum: egeni vero multi multis in locis. Vitioſum eſt autem ex altera plane æquitate omnino inſtitui: clarum hoc ex euentu. nulla namque talium Rerumpublicarum eſt ſtabilis: cuius rei cauſa eſt, quod fieri nequeat, quin ex peccato in principio facto ad malum aliquem finem perueniatur. Vtendum eſt igitur æquitate partim Arithmetica, partim ea, quæ ex dignitate: veruntamen Democratia, quam Oligarchia, eſt firmior & motibus minus obnoxia. Nam in Oligarchijs quidem duo exſiſtũt motus, cum paucorum inter ſe, tum præterea cum populo; in Democratijs vero is tantum, qui cum paucis; ipſi vero populo ſecum motus, qui quidem ſit memorabilis, nullus exſiſtit. Præterea mediorum Reſpublica Democratiæ magis eſt finitima, quã Oligarchiæ: quæ talium Rerumpublicarum eſt ſtabiliſſima.

COM-

COMMENTARII.

Διὸ καὶ.] Hac vltima huius capitis parte de duabus Rebuſpublicis, Democratia & Oligarchia, tria hæc adfert Ariſtoteles. Primum, has duas Reſpublicas cæteris eſſe frequentiores, & ſæpius reperiri, quam vel Ariſtocratiam, vel aliam Reipublicæ formam. Cauſam & rationem hanc eſſe ait, quod, quæ has Reſpublicas conſtituunt, omnibus fere in locis & ſæpe reperiantur; quæ alias, non item. Nam de Democratiæ cauſâ, tenuiorum multitudine, res eſt certa & clara: ſæpe quoq; diuites aut à maioribus genere nobiles multi reperiuntur: vnde Oligarchiæ conſtant. Sed qui vera virtute veraq; nobilitate cæteris præſteut, perexiguus omnibus fere in locis ſolet eſſe numerus. Puto autem hæc verba, εὐγενεῖς γὰρ καὶ ἀγαθοὶ, vſq; ad τὸ δ' ἁπλῶς, &c. vix eſſe neceſſaria: vt quibus explicetur tantũ ratio his verbis, εὐγένεια γὰρ, comprehenſa, neque tamen ſatis plene. Nam illud, ταῦτα, duo, nimirum paupertatem & diuitias, ſonat, cum hîc, ἄποροι δὲ, paupertatis tantum fiat mentio: vbi in quibuſdam editionibus eſt, εὔποροι: niſi ſcribas εὔποροι ἢ καὶ ἄποροι πολλοί. Alterum, quo docet has Reſpubl. eſſe vitioſas, ſeu non recte inſtitutas: cuius rei argumentum & documentum ex tempore petit. Nam, inquit, vitioſe eas eſſe inſtitutas, ex eo intelligi poteſt, quod minime ſint diuturnæ & facile laborent motibus aut ſeditionibus. Argumentum igitur hoc eſt ab euentu vel exitu. Cur autem hæ Reſpublicæ vitioſe ſint inſtitutæ, cauſam hanc adfert; quod omnes illæ Reſpublicæ vitioſe inſtituantur, quibus vnius tantum æquitatis habeatur ratio, ſiue Arithmeticæ, ſiue Geometricæ: illæ vero Reſpub ſint diuturniores, & melius inſtituantur, in quibus vtriúſque æquitatis habeatur ratio: hoc eſt, vbi & libertatis & excellentiæ, ſiue virtutis, ſiue diuitiarum, ſiue generis ratione mandentur magiſtratus & imperia in politia. Tertium, quo duæ hæ Reſpublicæ inter ſe comparantur ſtabilitate. Nam tametſi neutra eſt ſtabilis aut valde diuturna: tamen Democratiam Oligarchia minus laborare ſeditionibus, magis diuturnam & ſtabilem eſſe docet duabus rationibus. Primo, quia in Oligarchiis aduerſus duos exſiſtunt motus, in Democratia aduerſus vnum tantum ordinem. Nam in Oligarchiis alias pauci inter ſe tumultuantur: alias ipſi aduerſus

Democr. & Olig. cæteris generib. Reſpub frequentiores.

Democr. & Olig Reſp. ſunt vitioſa.

1. Argum. ſeu ratio.

2. Ratio.

Democratia minus laborat ſeditionibus, quam Oligarchia.

1. Ratio.

populum. Cuius [illegible] ſeu motus gemini exempla multa explicantur, *infra cap. 6.* in Democratiis autem populus vnus ſecum non diſſidet, ſed cum paucis diuitibus aut nobilibus, vt aduerſario ſibi & inimico ordine. Deinde, quia Democratia cum Politia (quam ſupra docuit, & infra explicabit omnium Rerumpub. ab optimo Reipublicæ ſtatu diſſidentium eſſe ſtabiliſſimam, minimeq; motibus obnoxiam) maiorem habet cognationem & affinitatem, quam Oligarchia: propterea quod & in Politia æquitatis Arithmeticæ aliqua, in Democratia tota ſeu omnis, in Oligarchia nulla habeatur ratio: & in Democratia omnibus, in politia plæriſque, in Oligarchia paucis pateat aditus ad Rempublicam & magiſtratum.

2. Ratio.

Error primus, grauis tandē mali cauſa.

Τούτου δ' αἴτιον, ὅτι ἀδύνατον.] Elegans Ariſtotelis dictum, ex peccato & errore principi graue tandem malum aliquando exſiſtere: quemadmodum & eleganter *lib. 1. de cœlo*, paruus, inquit, initio error, multiplicatus tandem, multiſq; partibus maior in fine redditur: tanti eſt rebus in omnibus principium: qua de re & *infra cap. 4.* Adfert autem hoc dictum ea de cauſa Ariſtoteles, vt doceat, cur Reſpublicæ non ex vtraque æquitate, ſed ex altera tantum temperatæ non ſint ſtabiles: quia nimirum ab initio male inſtitutæ propter alteram tantum æquitatem, hinc, id eſt, ex malo initio, malus quoq; finis vt conſequatur, neceſſe eſt.

CAPVT II.

EXPOSITO capite & fonte omnium motuum, hoc capite paruo illo quidem, ſed inſigni & fundamento vniuerſæ de Rerumpubl. mutationibus diſputationis, ſummatim exponit Ariſtoteles cauſas & principia omniū motuum ſeu ſeditionum, omnibus Rebuſpublicis communes: quas proximo capite ſigillatim explicat, & quarto demum capite alias præterea quaſdam adiungit. In quibus omnibus cauſis exponendis & explicandis quædam ab Ariſtotele prætermittuntur, quæ ab aliis tamen, *Platone, Plut. Cic.* cauſæ quoque motuum ſtatuuntur, de quibus ſuo loco.

TEXTVS.

Quoniam autem diſputamus, quibus ex rebus & ſeditiones fiant, & Rerumpublicarum mutationes:

tiones: primum vniuerſe ſtatuenda ſunt principia & cauſæ illarum. Sunt autem tres fere numero, quæ per ſe primum ſummatim ſunt dicendæ. Statuendum namque eſt, & quomodo affecti ſeditiones moueant, & quarum rerum cauſa, &, quod eſt tertium, quæ ciuilium motuum & ſeditionum inter ſe ſint principia.

COMMENTARII.

'Επεὶ δὲ σκοποῦμεν.] Monet iam initio Ariſtoteles, quæ ſint explicanda, nimirum principia & cauſæ motuum & mutationum Rerumpub Nam cum hæc diſputatio & ſermo huius libri de Rerumpub. mutationibus ſit inſtitutus, & hæc ſit res, de qua agitur, vt loquuntur Iuriſconſulti; recte & ordine faciundum ſibi putauit Ariſtoteles, ſi in cauſas & principia horum motuum & mutationum diligenter inquireret. Nam hoc Politici & politicæ prudentiæ eſt propriũ, vt phyſici rerum naturalium, ita huius rerum ciuilium cauſas inquirere & noſſe. Et certe cognitis cauſis, facilia quoque ſunt adiumenta ſeu remedia ſanandorum ſeu tollendorum motuum. Nam tametſi politicus maxime hoc agit, vt concordia ſit in ciuitate, *vt ſupra initio lib 8. Ethic. 1. cap.* tamen quia ſæpe motus & diſcordiæ exſiſtunt, harum & cauſæ & remedia, hæc, inquam, duo Politico in hac quæſtione de motibus maxime ſunt cognoſcenda.

Cauſa motuũ & mutationum.

Vſus & vtilitas huius inueſtigationis.

Εἰσὶ δὲ σχεδὸν.] Locus hic de mendo valde mihi eſt ſuſpectus: propterea quod principia ſeu cauſæ motuum tres numero hîc ſtatuantur, quas conſtat multo eſſe plures: quare malim hæc in neutro genere ſcribi pro τρεῖς, τρία, pro αἱ, ἃ, αὐτὰς, αὐτά. Nam tria quædam eſſe ait Ariſtoteles, quæ in hac diſputatione de Rerumpub. motibus diligẽter ſint conſideranda. Primum, quemadmodum ſint affecti hi, qui ſeditiones & motus in Republica mouent & tumultuantur. 2. Quarum rerum cauſa ſeditiones moueant, vel cõſequendarum vel euitandarum. 3. Quæ cauſæ & principia ſint motuum ſeu ſeditionum. Vulgata ſcriptura vltimum tantum caput ex his tribus complectitur, de cauſis, inquam, & principiis motuum. Nam his verbis, τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς αἰτίας αὐτῶν, tertium illud indicari & intelligi, perſpicue intelligitur, cum

Tria quædã in motibus Rerumpub. conſideranda.

ex his verbis, καὶ τρίτον, τίνες ἀρχαὶ, tum ex iis, quæ paulo infrà; αἱ δ᾽ αἰτίαι καὶ ἀρχαὶ. Hæc igitur Ariſtotelis videtur eſſe ſententia; quia de Rerumpub. mutationibus iam quæritur: primũ de cauſis & principiis eorum eſſe videndum. Verum ante omnia tria quædam capita ſunt conſtituenda: quæ profecto tria capita maximi ſunt momenti, & in quibus omnis hæc de motibus poſita eſt quæſtio: Quare & ipſa omnia, nõ tertium tantum, communiter & vniuerſe cauſæ quoq; & initia motuum ſeu mutationum dici poſſunt, vt ne quid temere mutemus. Ad eundem modum Ariſtoteles & *in Rhet. lib. 2. in princ.* de affectibus, quos oratores mouere ſolent, explicaturus, tria quoq; his affinia aut certe non abſimilia capita conſideranda eſſe monet, eaq; ipſe in ſingulis affectuum generibus diſtincte & diligenter perſequitur, nimirum 1. affectu aliquo præditi, quemadmodum ſint animati & affecti. 2. aduerſus quos. 3. ob quæ, vel quas ob res.

TEXTVS.

Ergo cur ipſi ad mutationem quodammodo ſint affecti, cauſa vniuerſe ſtatuenda eſt maxime, de qua iam diximus. Nam hi quidem æqualitatem expetentes ſeditionem mouent, ſi plura habentibus pares, ipſi ſe minus habere putent. illi vero inæqualitatem & excellentiam (ſcilicet expetentes) ſi impares ipſi putent ſe non plus, ſed æquum vel minus habere. Hæc autem poſſunt quidem iuſte, poſſunt vero & iniuſte expeti. Nam inferiores ſeditiones mouent, vt ſint pares: & pares, vt ſint ſuperiores.

COMMENTARII.

1. Quomodo ſint affecti, qui mouent ſeditiones.

Τῶ μὲν οὖν.] Primum caput quo quemadmodum affecti & animati ſint, qui motus & ſeditiones mouent, ait iam *ſupra 1. cap.* explicatum. Omnes namque, qui ad diſſidendum inducuntur, ita fere ſunt animati, vel, quia cum ſint pares, paria quoq; in ciuitate ſe omnia obtinere debere putent: quę ſi non obtinent, ſed alii ſint qui plura & ſuperiora omnia, ipſi pauciora conſequantur: ſeditiones mouere ſolent: vel, quia

ſint

ſint impares, aliiſq; prestantiores & ſuperiores, maiora quoque & ſuperiora omnia habere ſe debere putent. recte quidem, ſi vere vel pares vel ſuperiores, pares aut impares fuerint: iniuſte vero & perperam, ſi non vere vel pares vel ſuperiores ſint. Nam, vt ſupra explicauimus, falſa ſæpe perſuaſione qui vna tantum re, diuitiis puta aut opibus aut genere, ſunt ſuperiores, aut libertate ſunt pares, vere & omnino ſe vel ſuperiores vel pares eſſe putant: cum vel æquitas vel præſtantia hæc non iis rebus, ſed virtute duntaxat æſtimetur.

TEXTVS.

Ergo quemadmodum affecti quidem ſint, qui ſeditiones mouent, expoſitum eſt. De quibus autem rebus ſeditiones moueant, ſunt quæſtus & honos, hiſque contraria. Etenim aut ignominiam aut damnum fugientes vel ſuum vel amicorum, ſeditiones in ciuitatibus mouent.

COMMENTARII.

Περὶ ὧν δὲ στασιάζουσι.] Alterum caput, quod eſt de rebus, quas propter motus & ſeditiones concitentur, breuiter hîc exponitur. Duas igitur res eſſe ait, propter quas omnes motus in ciuitate oriantur; quas, inquam, ſeditioſi ciues ſpectare & quærere conſuerint, aut certe euitare; quæſtum videlicet & honorem, aut horum contraria, damnum & ignominiam, ſiue ſuo iure amicorum nomine. Et certe hæ duæ omnium Rerumpubl ſunt peſtes, ambitio & auaritia: quemadmodum Ariſtoteles *2. cap. 7. ſupr.* ex his duobus velut fontibus omnes iniurias & maleficia manare, ex φιλοτιμίας, inquit, & φιλοχρηματίας: & eleganter Timon ille μισάνθρωπος apud *Stobæum ſub tit. 10:* ἀπληστίαν καὶ φιλοδοξίαν omniũ malorum & calamitatum στοιχεῖα ſeu elementa vocat: & grauiſſimus author *Thucyd.* omnium, inquit, earum Reipublicæ calamitatum & motuum ἀρχὴ, aut διὰ πλεονεξίαν, aut διὰ φιλοτιμίαν: & *Cic. 1. Offic.* magnam autem partem ad iniuriam faciendam aggrediuntur, &c. *Liu lib. 6.* Omnium igitur ſimul rerum, quarum immodica cupido inter mortales eſt, agri, pecuniæ, honorum diſcrimine propoſito conterriti patres cum trepidaſſent, &c. & omnium pulcherrime atq; copioſiſſi-

II. Quã ob rem ſeditiones moueãtur.

Ambitio & auaritia omnium Rerump. peſtes.

 pioſiſſi-

pioſiſſime *Saluſt. initio Catilinæ.* Primo igitur, inquit, pecuniæ, dum imperii cupido creuit: ea quaſi materies omnium malorum fuere. Namque auaritia fidem, probitatem, cæteraſque bonas artes ſubuertit: pro his ſuperbiam, crudelitatem, Deos negligere, omnia venalia habere docuit. Ambitio multos mortales falſos fieri ſubegit. Iam vero de ambitione ſeparatim Ariſtot. in διατριβαῖς apud *Stobæum ſub tit. 43.* plurimæ, inquit, ſeditiones ciuitatum ex ambitione exſiſtunt. Nam de honoribus non infimi, ſed ſummi fere concertare ſolent. Notum eſt autem vel ex vna Republica Romana, quot motus & ſeditiones cõtentio magiſtratuum pepererit: vt de tribunis creandis, de cõſulatu cum plebe communicando, aliiſque magiſtratibus; quo pertinent & contentiones de iudiciis, quæ alias ſoli ſenatores, alias equites, alias alii ordines ad ſe trahebant. De auaritia, hoc eſt, vel appetendis diuitiis, vel damnis & paupertate fugienda dictum eſt & *ſupra lib. 2. cap. 4.* vbi & ex *Plat. lib. 4. de Repub.* egeſtatem oſtendimus omnium ſeditionum & motuum velut parentem eſſe & nutriculam. Nam ſæpe alieno ære oppreſſi ſeditiones mouent, vt perturbata Republica & ipſi forte dominatum aſſecuti creditores eludant. quod Catilinam tentaſſe ſcribunt *Cic. & Saluſt.* idem Antonio obiicit *Cicero.* Sic bellum olim Peloponneſium in patriam ſuam Pericles concitauit. Huc pertinent crebræ & grauiſſimæ Græcorum & Romanorum agrariæ contentiones.

Ambitio.

TEXTVS.

Cauſæ autem & principia motuum, vnde ipſi & afficiantur illo modo, & de ijs, quæ diximus, alias quidem numero ſunt ſeptem, alias vero plures: ex quibus duæ quidem ex prioribus ſunt eædem, ſed nõ ſimiliter, id eſt, eodem modo: propter quæſtum namque & propter honorem inter ſe incitantur; non vt ſibi ipſi, quemadmodum prius dictum, parent; ſed quia alios cernant, hos quidem iuſte, illos vero iniuſte in his ſuperiora omnia habere. præterea propter contumeliam, metum, pręſtantiam, contemptum, augmentum immoderatum.

tum. Prætérea vero & alio modo, propter vile vitæ genus, ὀλιγωρίαν, exiguitatem, & diſſimilitudinem.

COMMENTARII.

Αἱ δ᾽ αἰτίαι.] Præclarus eſt hic locus: cui, haud ſcio, an vſquam in vllo ſcriptore exſtet conſimilis: quo breuiter cauſæ omnium ſeditionum & motuum velut in tabella proponantur. Et ſeptem quidem principes cauſas & irritamenta motuum eſſe ait, quibus nimirum homines laceſſiti & inſtincti ſeditiones moueant, & Rempublicam perturbent: adiungit & alias quatuor à prioribus tamen diſcrepantes. Nã priores mutandarum Rerumpubl. ſunt cauſæ cum tumultu atque ſeditione: hæ fere abſq; tumultu. Et hoc eſt, quod ait; ἄλλον τρόπον, vt *infr. cap.3.* his verbis, μεταβάλλουσι δ᾽ αἱ πολιτεῖαι ἄνευ στάσεως, indicat: quanquam diſſimilitudo eſt; στασιωτικὸν, hoc eſt, vix fit ſine tumultu. His vndecim cauſis adiungit & alias *cap.4.* nimirum amorem ſeu vxoriam conditionem. Nam de vxore, maxime de puellis locupletibus & epicleris magnas ſæpe mutationes & turbas exſiſtere. Ex partibus ciuitatis, ſi vel plebs, vel optimates re aliqua præclare geſta magnum ſibi nomen pariant: aut etiam cum hæ partes neutra quidem alteram ſuperet, ſed pari ſint potentia, mediocrium autem numerus vel ſit perexiguus, vel nullus. Hæ fere tredecim numero mutandarum Rerumpubl. cauſæ communes omnium ab Ariſtotele duobus his capit. accurate hîc explicantur.

III. Cauſa mutationũ.

Cauſa mutationis Rerumpublic. 7. Principes quæq; cum motu fieri aſſolent. 4. minus principes, & q̃ abſq; motu fere fiunt.

Ὧν δύο μέν ἐστι.] Ait, duas ex his cauſis eſſe eaſdem cum ſupra explicatis, ſed non eodem modo; quæſtum videlicet & honorem. Nam ſupra hæc duo, quæſtus & honos, conſiderantur, vt res, de quibus diſſidetur & contenditur in motibus ciuilibus, vt quas quiſque ſibi petit: hic autem, vbi de cauſis ſeditionum agitur, alia ratione conſiderantur, eadem licet, nimirum quibus homines iniquo animo ferentes, hos vel illos & eſſe diuites & magno in honore; ſe vero & inglorios, & egeſtate laborare, concitentur ad motus & perturbandas Reſpubl. Breuius: prius hæc conſiderantur, de quibus περὶ ὧν στασιάζουσιν homines: hic δι᾽ ἃ, per quæ. de quibus duabus rebus etſi ſupra ſatis multa adduximus: videatur tamen & pulcherri-

cherrimus locus *in Lucret. lib. 3. in princ.* deniq; auarities & honorum cæca cupido, &c.

Ἐριθεία. Δι' ἐριθείαν. Vulgo plærique vertunt propter pudorem aut verecundiam; mendoſe. Nam ἐρίθεια proprie munus eſt textoris, vt & ἐριθεύεσθαι: ſed latius pertinet & adcommodatur ad omnes ſordidas opificum artes. Cauſa igitur mutandæ Reipub & hæc eſt, cum Reipublicæ & magiſtratibus præeſſe ſordidos opifices alii ind gne ferant. Oligoriæ verbum a- Ὀλιγωρία. lias negligentia aut incuria Latine reddi ſolet, ſed non ſatis proprie & germane. valet, vt ita dicam, idem quod paruifactio: de quo multa *Ariſtoteles lib. 2. Rhetor.*

CAPVT III.

Cavsæ & initia motuum ciuilium & conuerſionum Rerumpub. priore capite breuiter ab Ariſtotele & à nobis expoſitę latius & planius his duobus capitibus proximis explicantur, & exemplis plæraque illuſtrantur.

TEXTVS.

Harum autem rerum contumelia quidem & quæſtus, quam vim habeant, & quemadmodum ſint cauſę motuum, fere eſt perſpicuum. Nam cum hi, qui ſunt in magiſtratu, & contumelia alios afficiunt, & auaritiæ ſtudent; ſeditiones mouent & inter ſe & aduerſus Reſpublicas, quæ licentiam dent: auaritia autem fit nunc quidem in rebus priuatis, nũc vero in communibus. De honore quoque perſpicuum eſt, & quid poſſit, & quomodo ſeditionis ſit cauſa. Etenim ignominia affecti ipſi, alioſq; in honore cernentes, ſeditionem mouent, Hæc autem iniuria quidem fiunt, vbi præter dignitatem aliqui afficiuntur vel honore vel ignominia: iure vero, vbi pro dignitate. Propter excellentiam autem ſeditiones fiunt, vbi quis opibus præſtet amplius, quam vnus aut plures, aut quam Reſpublica ſiue ciuitas & opes Reipublicæ ferant.

ex ta-

ex talibus namq; exſiſtere ſolet vel monarchia,vel δυναςεία. Quare interdum oſtraciſmo vti ſolent, vt Argis & Athenis: etſi melius initio videre, ne tantum alio præſtantes in Republica ſint, quam poſtquam permiſſi ſint exiſtere, poſtea mederi. Propter metum autem ſeditiones mouent, & qui iniuria alios affecerint, metuentes, ne pœnas dent: & qui iniuria ſint afficiendi, volentes iniuriam anteuertere; vt in Rhodo Principes aduerſus plebem coniurarunt propter iudicia, quæ illis intenderentur. Propter contemptum autem & ſeditiones mouent, & coitiones faciunt, vt & in Oligarchijs, vbi plures ſint, qui Reipublicæ non ſint participes: potentiores namque ſe eſſe putant: & in Democratijs locupletes, diuites, contempta perturbatione in Republica & magiſtratibus; vt & Thebis poſt pugnam in Vinetis commiſſam, cum male Reſpublica adminiſtraretur, Democratia ſublata eſt, & Megarenſium propter perturbationem Reipublicæ & magiſtratuum victorum, & Syracuſis ante Gelonis tyrannidem, & in Rhodo populus ante coniurationem aut defectionem. Fiunt autem &, propter augmentum vltra proportionem, Rerumpublicarum mutationes. Nam vt corpus conſtat ex membris, & proportione quadam augeri debet, vt partes & membra inter ſe reſpondeant (quod ſi non, interit corpus: vbi pes quidem quatuor ſit cubitorum, reliquum vero corpus duorum palmorum, interdum vero etiam in alterius animantis formam mutetur, ſi non tantum quantitate, ſed etiam qualitate vltra proportionem augeatur) Sic & ciuitas conſtat ex partibus,

tibus, quarum interdum aliqua occulte augeſcit, vt in Democratijs & Politijs tenuiorum multitudo. Hoc autem interdũ & fortuito accidit; vt Tarenti, cum Principes ab Iapygibus plerique victi & deleti eſſent, paulo poſt Medica tempora ex Politia facta eſt Democratia: Et Argis cum in hebdomada conciſi eſſent à Cleomene Spartano, Caſtellanos aliquot ciuitate donare ſunt coacti: Et Athenis Principes pauciores ſunt facti, clade accepta; quia pedites militarent in bello Spartano. Quod idem accidit & in Democratia, rarius tamen. Nam ſi plures fiunt ditiores, vel augeſcentibus patrimonijs; mutantur in Oligarchias & Dynaſtias.

COMMENTARII.

Τούτων δὲ ὕβρις.] Septem principes motuum & conuerſionum cauſæ, omnium Rerumpub. communes, hic primo explicantur: & de tribus quidem, contumelia, quæſtu, & honore, rem ait eſſe perſpicuam; quantam, inquam, hæ tres vim & poteſtatem ſeu momentum ad motus & mutationes habeant. Nam de contumelia quidem motus exſiſtere ſolent, vbi hi, qui magiſtratibus præſunt, priuatos contumeliis afficiunt: quemadmodum Romæ decemuiri, & in his maxime Ap. Claudius, cum ciuis Virginii filiam ſtuprare moliretur, omni poteſtate ſunt exuti, & partim morte, partim exſilio affecti: ſic nuper ob contumeliam in ciuem illatam Alexander Medices dux Florentinus principatum cum vita amiſit. Plura huius generis exempla paſſim hoc libro infra commemorantur ab Ariſtotele. Eadem cauſa contumeliæ & iniuriæ Heluetii non ita pridem, excuſſo nobilitatis iugo, inducta Democratia in libertatem ſe vindicarunt: eadem cauſa & Philippo Macedoni vitam cum Regno, multis quoq; Imperatoribus Romanis, Caio, Neroni, Domitiano, &c. Imperium plærunque cum vita ademit. Quare diligenter operam dare debent, qui præſunt aliis, ne contumelioſe & libidinoſe aut crudeliter ciues ſuos tractent ſiue magiſtratus ſiue principes

1. Cõtumelia.

cipes & Reges: propterea quod nulla fere ſit cauſa, quæ tam facile & tam graues Rerumpubl. motus, quam hæc, excitet. Ad hanc cauſam, i. contumeliam pertinet pulcherrimus ille locus de beneuolentia ciuium aduerſus principes, vel contra de metu principum à ciuibus, de quo loco videantur *Cic. lib. 2. Offic.* Rerum omnium autem nec aptius eſt quicquam (per duas pag. aut amplius) &c. *Iſocr. ad Philip.* πολλῷ γὰρ κάλλιόν ἐστι πᾶς, &c. *Saluſtius in Catilina*, vbi de Romanorum veterum moribus; in pace vero beneficiis magis, quam metu imperium agitabant, &c. & elegantiſſime *Micipſa apud Saluſtium initio Iugurthæ. Et Cyrus moriens ad filios apud Xenophontem libr. 8.* παιδείας. *Cornelius Nepos in Timoleonte & Dione. Cicero quoq; in 1. Philip. & Dio lib. 37. de Mithridate;* οὐκ ἔγνω, ὅτι οὐδενὶ οὐδὲν οὔτε, &c. Altera eſt quæſtus ſeu lucrum, eaq; bimembris. Cum fiat alias, vt qui præſunt, vectigalia & bona publica depeculentur, alias vt etiam priuatorum & ciuium, vel eorum, qui ipſis pareant, fortunas inuadant. Huc pertinet pulcherrimus locus de abſtinentia magiſtratuum: de quo *Cic. lib. 2. Offic.* Caput autem eſt in omni procuratione negotii & muneris publici, vt auaritiæ pellatur ẽt minima ſuſpicio, &c. Eodem pertinent & *Liuii hæc verba in proœmio:* Cæterum, inquit, aut me amor negotii ſuſcepti fallit, aut nulla vnquam Reſpublica nec maior, nec ſanctior, nec bonis exemplis ditior fuit, nec in quam tam ſero auaritia, luxuriaque immigrauerit, nec vbi tantus, ac tam diu paupertati ac parſimoniæ honos fuerit. & *Saluſtii lib. 1. hiſtoriar. libri 2. apud Auguſtinum de ciuitate Dei*; At diſcordia, inquit, & auaritia atque ambitio, & cætera ſecundis rebus oriri ſueta mala, poſt Carthaginis excidium maxime aucta ſunt. Nam iniuriæ validiorum, & ob eas diſceſſio plebis à prioribus, aliæque diſſenſiones domi fuere: iam inde à principio, neque amplius quam Regibus exactis, cum motum cum Tarquinio bellum & cum Etruria æquo & modeſto iure agitatur. Huc pertinent tot motus & ſeditiones Regnorũ & Rerumpubl. ob nimia aut noua vectigalia, vt hac de cauſa mortuo Solomone, in Roboamũ orto ab Iudæis motu, ſciſſum fuit Regnum in Iudam & Iſraelem, *lib 1 Reg. cap. 12.* Et nuper grauiſſimus motus in Hiſpania ſub initium Imperii Caroli Quinti, *vt eſt apud Iouium in vita Adriani VI.* Et in Gallia ſiue Aquitania Rege Henrico II. *vt eſt apud Ferron. & Bellaium.*

2. Quæſtus ſeu lucrum. ὑποδιαίρεσις.

De magiſtratuũ abſtinentia.

Vectigalia nimia aut noua.

Onuph. Pãuin. de Rõ. Principibus pag. 414.

[*4. Nota-*

[4. Notetur ex Io. Pomarij hiſt. ſeu Chron. Saxon. vbi ait anno Chriſti 1509. Erfurti ſeditionẽ motam ob grande æs alienum, quod ab Senatu plebe inſcia, contractum fuerit, exactioneſq; cotidianas, quæ abſq; vlla intermiſſione ſubinde fiebant. Quam etiam ob cauſam Henricus Kelnerus conſul in vincula coniectus, ſequentiq; anno in patibulum ſublatus, multaque alia indidem mala & incommoda ſint exorta.]

[5. Exemplum eſto Venetiarum duplex, de quibus Donat. Gianott. de ea Repub. mihi pag. 12. b.]

Tab. noua. *Leges agrariæ.*

Hinc nouæ, quæ dicebantur, tabulæ apud Romanos, & apud Græcos χρεοκοπίαι ſiue σεισάχθεια primum à Solone inducta, *teſte Laertio & Plut.* Et leges quoque Agrariæ: quas, vt ciuitatum duas ſummas peſtes, nouas, inquam, tabulas & leges Agrarias, grauiter & *Liuius & Cicero ſæpe*, eleganter autem *lib. 2. Offic* deteſtantur; Tabulæ autem nouæ, inquit, quid habent argumenti, &c. *Liu lib. 2. extremo:* vbi Appius Sextus, inquit, & Licinius tanquam Romulus & Tatius, in vrbe Romana regnent: quia pecunias alienas, quia agros dono dant: tanta dulcedo eſt alienis bonis prædandi: nec in mentem venit, altera lege, ſcilicet Agraria, ſolitudines vaſtas in agris fieri pellendo finibus dominos: altera fidem abrogari, cum qua omnis humana ſocietas tollitur. Hinc & Catilinæ & Gracchorum ſeditiones, *vt eſt apud Ciceron. eo loco. & Plut. in Gracchis, & Appian. Alex. de bell. ciuil. lib 1.*

ὑποδιαίρεσις. Inuaſio bonorũ 1. publicorum, qui peculatus. 2. Priuatorum, q crimen repetundarũ.

Ἡ δὲ πλεονεξία.] Diſtinguit Ariſtoteles cauſam ſecũdam, & bifariam eâ peccari monet; vel publice, vel priuatim. Nam interdum eos, qui præſunt, bona publica, id eſt, vectigalia & ærarium publicum non ad communes, ſed ad ſuos priuatim vſus conuertere: quod furtum Romani peculatum vocant: vel in priuatorum ciuium prouincialium; breuiter, eorum, qui parent, bona & fortunas inuadere: quo pertinet locus de abſtinentia magiſtratuum, de quo ſupra, & motus illi de nexis & nimiis vſuris ſeu fœnore potentiorum aduerſus tenuiores.

Abſtinẽtia magiſtrat. Nexi. Vſuræ ſeu leges fœnebres & leges de repetund. 3. Honores. ὑποδιαίρεσις.

Δῆλον δὲ καὶ ἡ τιμή.] Tertia motuum & ſeditionum, bellorumque ciuilium cauſa, honores & imperia, hîc explicatur. Hac igitur cauſa bifariam fieri ait, vt homines ad motus & ſeditiones impellantur. Nam vel ipſi ſe omni honore orba-

ſeſ

ſos & expertes eſſe dolent; vel ſuos propinquos, vel amicos aut ſodales, grauiter ferentes imperia & honores ad alios omnia vel omnes deferri:

Illum adſpectari, claroq; incedere honore.

Vt ait *Lucret, initio lib. 3.* Quare prudentes Politici aut Principes curare debent, vt magiſtratus & imperia iuſte mandentur, id eſt, pro dignitate, id eſt, idoneis & benemeritis; ſtultis, ignauis & indignis non item. Nam alioqui, cum videlicet idonei & benemeriti prætereuntur, & indigni imperia & honores ſoli capiunt: neceſſario fit, vt illi magno animo præditi, indignos ſibi prælatos videntes, ad ſeditiones concitentur. Hinc olim Romæ de conſulatu alijſque honoribus tot exſtiterunt motus & ſeditiones inter patritios & plebem: qua de re diximus & *ſupra cap. 2.* Eodem pertinet & locus de moderatione ſeu effuſione honorum ſeu magiſtratuum, de quo hoc tenendum eſt præceptum; honores non eſſe temere peruulgandos, aut effuſe dandos: alioqui namque eos obſoleſcere. Raros enim honores & tenues eſſe glorioſos: effuſos & peruulgatos eſſe obſoletos & contemptos. Quod enim, inquit eleganter *Plato*, rarum, idem eſt venerandum & præclarum, *in lib. de legibus.* De hoc loco videatur pulcherrime *Demoſth. aduerſus Ariſtocratem*, *Corn. Nepos in vita Miltiadis, & in vita Thraſybuli, in fin.* Παράγγελμα.

Δὶ ὑπεροχήν.] Quarta motuum cauſa, excellentia ſiue præſtantia vnius alicuius ciuis aut plurium, à nobis explicata eſt copioſe *ſupra lib. 3. cap 9.* in quam Iulium Cæſarem peccaſſe indicat *Cic. initio lib. 1. Offic.* Declarauit id modo temeritas C. Cæſaris, qui omnia iura diuina atque humana peruertit, propter eum, quem ipſe ſibi opinionis errore finxerat, principatum, &c. Sic Lyſander Lacedæmone quia præter cæteros excelleret, Reipublicæ ſtatum, tollendo Regno, mutare conatus eſt, vt *ſupra* diximus *cap. 1.* Vbi igitur hæc exſtiterit excellentia, ibi plærunque vel tyrannis, vel δυναστεία, id eſt, Oligarchia deterrima oriri ſolet: tyrannis quidem, vbi vnus aliquis duntaxat cæteris vel præſtantior vel potentior; δυναστεία, vbi plures id genus exſtiterint. *4. Præſtantia.*

Καί τοι βέλτιον ἐξ ἀρχῆς.] Præclara eſt ſententia, morbos, vulnera ſeu peccata Reipublicæ ab initio potius cauenda, quam poſtea quærendam iis medicinam: qua in re Ariſtoteles peccaſſe hoc loco Græcos ſignificat, qui negligerent in-

 terdum,

terdum, quoſdam ciues opibus augeri, auctos crudeliter & iniuſte vita aut exſilio mulctarent. Sic & *Cic.* ſe ipſe & ſenatum accuſat *in epiſtolis ad Atticum*, qui Cæſarem potentia & opibus ipſi auxerint, poſteaque contra ius ſpoliare ſint conati.

5. Metus. ὑπ[illegible]αίρεσις. *1. Metus oppreſſionis.*

Διὰ δὲ φόβον στασιάζουσιν.] Quinta cauſa eſt metus: quem ait eſſe duplicem. Nam alias metuunt imbecilliores aut tenuiores, ne iniuria à potentioribus afficiantur: vel nobiles à plebe, penes quam ſit imperium, vt in Rhodo hîc accidiſſe ait Ariſtoteles. Eadem cauſa & Cæſarem concitauit & impulit, metuentem, ne dimiſſo exercitu priuatus, Romam & & domum reuerſus, à potentiſſimis inimicis opprimeretur.

2. Metus pœnæ.

Vel metuunt propter maleficia & ſcelera perpetrata, ne pœnas dent: quas vt effugiant, motus concitare, & Rempublicam potius, quam ſe, perdere malunt. Hoc metu impulſi Catilina, Lentulus & alii (*teſte Saluſtio & Cic.*) grauiſſimum motum excitarunt. Eodem metu olim Pericles, qui metueret, ne propter male collocatam pecuniam publicam in iudicium capitis vocaretur, bellum Peloponneſium, quo patria eius Athenæ interiit, excitauit, ſuggerente puero Alcibiade, *vt eſt apud Plut. in apophthegmatibus.* Eadem cauſa grauiſſimos motus nuper in Gallia excitauit. Huc pertinent & Ciceronis hæc verba *lib. 1. Offic.* Atque illæ quidem iniuriæ, quæ nocendi cauſa de induſtria inferuntur, ſæpe à metu proficiſcuntur: cum is, qui alteri nocere cogitat, timet, ne, niſi id alteri fecerit, ipſe aliquo afficiatur incommodo, &c.

6. Contemptus.

Διὰ καταφρόνησιν] Sexta motuum cauſa, contemptus, tam in Democratiis, quam in Oligarchiis euertendis & immutandis, per exempla aliquot hîc explicatur. Nam Democratias quidem euerti à diuitibus aut nobilibus tum facile poſſe docet, vbi in iis magna rerum ſeu ordinum eſt confuſio & perturbatio, nulla aut exigua iudiciorum vis & poteſtas, magiſtratuum deſcriptio nulla vel iniuſta, & quæ largitionibus aut corruptelis fiant: hac perturbatione obſeruata à nobilibus facile plebs opprimi & eius dominatus euerti ſolet. quod in his quatuor Rebuſpublicis, Thebana, Megarenſi, Syracuſana, & Rhodi accidiſſe olim commemorat; & in quibus propter eam ἀναρχίαν plebs contemni ſit cœpta, & à nobilitate oppreſſa. Contra Oligarchiæ euerti ſolent eadem,

dem, contemptus, de cauſa: nimirum vbi plebs numeroſior & potentior facta locupletum aut nobilium ordinem contemnere, vt minus potentē & inferiorem, cœperit: quod olim & Athenis & Romæ accidiſſe notum eſt. Eadem de cauſa olim Regnum Francorum Pipinus, Rege Hilfricho, vt contempto, ſeu indigno & ignauo homine, remoto, occupauit. Et ſane magna huius cauſæ, id eſt, contemptus, vis eſt & poteſtas in imperio conſeruando, vel amittendo, ſiue ciuili, ſiue Eccleſiaſtico, ſiue domeſtico : quibus omnibus qui præſunt, magiſtratus, ſacerdotes, & patresfamiliæ; ſimul ac contemni cœperint, imperium vna diſſoluatur & corruat, neceſſe eſt: propterea quod his, quos contemnimus, dicto audientes eſſe & parere recuſemus. De domeſtico imperio notum eſt ex γυναικοκρατία : de ciuili hîc Ariſtoteles, & quædam *Cic. lib 2. Offic.* de Eccleſiaſtico, id eſt, de contemptu miniſtrorum & diſciplina Eccleſiæ, vt conſequatur euerſio doctrinæ, ſchiſmata & hæreſes; præclariſſime *Cyprianus in epiſtola ad Cornelium*, Legi literas tuas, &c. *Et in epiſtola ad Rogatianum Epiſcopum. & ad Pulpianum, & in lib. de vnitate Eccleſia, & in libro de zelo & timore.* Contemptus autem cauſas diuinitus explicat Ariſtoteles *lib. 2. Rhetor.*

Οἷον καὶ ἐν θήβαις.] Quatuor hæc exempla amplius ſunt quærenda. Meminit hîc prælii in Vineis facti; eius & *Plut.* mentionem facit, quo Megalopolitæ & Archiæ à Lacedæmoniis, duce Cleomene Rege, ſint ſuperati.

Πρὸ τῆς γέλωνος.] De Gelone, qui Syracuſis & in Sicilia Tyrannidem occupauit, eaque tamen humaniter eſt vſus, & *infra cap. 12. & Plut. in Dione*, vbi Gelonis principatum, vt humanum, laudat. *Dionyſius maior*, ob hanc humanitatem, eum vocare ſolet non γέλωνα, ſed γέλωτα Siciliæ.

Πρὸ τῆς ἀναστάσεως,] Fortaſſe intelligit defectionem Rhodiorum à fœdere Attico, procurante Alcibiade exule.

Οἷον ἐν θήβαις.] De hoc prœlio in Oenophytis reperi tandem veram hiſtoriam *apud Platonem in Epitaphio*, μετὰ δὲ τούτου γενομένου τοῦ πολέμου, &c. Nam poſt bellum Perſicum Lacedæmonii, aduerſus Bœotos & Thebanos bello ſuſcepto, cum Bœoti de ſalute & libertate periclitarentur, ambiguo primum commiſſo prœlio in Tanagra, tandem auxiliis Athenienſium (nam reliqui ſocii iam erant dilapſi) altero in *Camerar. allegat quoque Thucy. li. 1. et Diod. Sic. lib. 11.*

Oenophytis commiſſo prœlio ſuperiores, pulſis Lacedæmoniis, libertatem vindicarunt.

7. Augmẽtum ordinis alicuius immoderatũ.

Γίνονται δὲ καὶ δι' αὔξησιν.] Septima motuum cauſa, incrementum ſiue decrementum partis vel ordinis Reipublicæ, diligenter & curioſe hîc explicatur: quæ cauſa à tertia ſupra explicata qua in re diſcrepet, facile eſt videre. Nam illa de vnius hominis præſtantia ſiue excellentia & magnitudine, hæc de vniuerſi ordinis alicuius ſeu partis incremento & præſtantia intelligitur. Eſt autem hic locus de partium & ordinum Reipublicæ ſtatu & incolumitate pulcherrimus; qui ſtatus ſi perturbetur, Rempubl. euerti neceſſe eſt, id eſt, ſi ordo vnus alterum vel qualitate vel quantitate longe ſuperet. Nam *ſupra lib. 4. cap. 12.* docuimus, partes & ordines ciuitatum æſtimari & ſpectari partim qualitate, vt diuitiis, genere; partim quantitate, vt numero. Cur autem ex ordinum perturbatione Reipublicæ conſequatur mutatio, ſimilitudine à corpore humano ſumpta docet Ariſtoteles. Nam & in corporibus ſi partes mutentur vel quantitate vel qualitate, vt linea; aliud atque aliud animal ſeu corpus exſiſtere ſolet, ſiue monſtrum potius: vt ſi pes ſit quatuor cubitorum, reliquum omne corpus duarum palmarum; cum cubitus ſex contineat palmas: eandem partium ſeu ordinum Reipublicæ compoſitionem Ariſtoteles *libr. 4.* Platonem imitatus, muſico concentui comparat: quemadmodum hîc & corpus, ſi membra, & concentus, ſi fides & numeri analogia quadam inter ſe reſpondeant, optime ſunt affecta & permanent, contra, ſi male & abſurde, & pereunt: ita & in illis vſuuenire ſolet, vt & ipſæ floreant, ſi inter ciuitatis ordines proportio quædam ſeruetur: pereant, ſi vnus reliquos ſuperet & opprimat ordines: exempla huius rei affert Ariſtotel. varia: prius tamen erudite & breuiter monet hanc ordinum perturbationem duobus fere modis fieri: vel occulte & ſenſim: vel perſpicue & ſubito: ſenſim quidem, vt in Democratiis fere & Politiis: vbi paulatim ſuccreſcit tenuiorum numerus & cumulus: perſpicue vero, vt caſu quodam, verbi gratia, ſi pars aliqua ciuitatis prœlio forte aliquo occubuerit, quod & Tarenti, & Argis, & Athenis olim accidiſſe oſtendit: de quibus exemplis amplius quærendum. Cæterum in ordinum ſtatu aut mutatione quantum momentum ſit poſitum, multis in locis docet *Cic. lib. 3. Offic. lib. 1. epiſt. 15. & lib. 2. epiſt. 1.*

1. ὁμοίωσις. (margin, beside "nere; partim quantitate")

2. ὁμοίωσις. (margin, beside "contineat palmas")

Incrementum hoc fit aut occulte aut perſpicue.

piſt.1.ad Attic.& lib.4.in Catilinam: vbi in ordinum Reipublicæ Romanæ trium, ſenatorii, equeſtris & plebei cōcordia ſalutem Reipublicæ, in diſcordia peſtem eſſe poſitam, demonſtrat: quem ſtatum ordinum quia primus perturbauit Gracchus, depreſſo ſenatorio, & nimis exaggeratis reliquis; primus quoq; Reipublicæ euerſor habetur Romanæ. Sic olim Athenis Themiſtocles, optimatum & principum fracta auctoritate, & confirmatis tenuiorum opibus, ex Ariſtocratia ſiue Politia malam Democratiam induxit. Noſtris moribus in aliis quidem Regnis plærunque duo ſolent eſſe ordines, equeſtris, & ciuium, ſeu plebeius: etſi tertius, Eccleſiaſticus, huic adiūgi fere ſolet. In imperio plures ſunt ordines, principum electorum, alter aliorum principum, tertius equeſtris, reliquus Rerumpub. & ciuitatum: qui quidem ordines olim tam eleganter & prudenter fuerunt temperati, vt hæc vna temperatio non minima & tranquillitatis & diuturnitatis imperii etiam ab exteris cauſa habeatur: videatur *Nicol. Machiauellus in libello de ſtatu Germaniæ*: hodie vetus analogia non parum eſt perturbata, aucto nimirum valde ordine equeſtri, & Rerumpub. diminuto.

Τῶν ἐν τῇ ἑβδόμῃ.] Verbum, ἑβδόμῃ, à quibuſdam de tempore, ſed non recte: ab aliis plæriſque de loco, aut certi loci nomine ſumitur, rectius: nam Græci de tempore non ita loqui ſolent ἐν τῇ ἑβδόμῃ, aut ἕκτῃ, &c. verius igitur Hebdoma locus fuerit, vbi prœlium fuerit commiſſum. Ἑβδόμῃ.

Τῶν περιοίκων.] De hoc verbo *ſupra lib.3.*

Καὶ ἐν Ἀθήναις] Hæc verba varie reddunt interpretes: quorum tamen ſententia hæc eſſe videtur; Athenis quoque principum & nobilium numerum, quia bello Lacedæmonio merere cogerentur, ob cladem terra acceptam, fuiſſe deminutum.

Συμβαίνει δὲ τοῦτο καὶ ἐν ταῖς δημοκρ.] Quod de Oligarchiis exemplo Tarentinorum, Argiuorum & Athenienſium ex ordinum perturbatione accidiſſe docuit: idem in Democratiis quoque, ſed rarius, vſuuenire, oſtendit; vt inquam Oligarchias, ita & Democratias ex ordinum ſeu partium ciuitatis perturbatione interire: nimirum ſi vel nobilium vel locupletum numerus creſcat, adeo vt plebeium ordinem ſuperare poſſit. Cur autem rarius in Democratiis, quam in Oligarchiis, id accidat; cauſa hæc eſſe videtur, quod in plæ- *Plebeiorum & tenuiū.*

riſque ciuitatibus maior ſemper quam vel nobilium vel locupletum ſit numerus.

TEXTVS.

Mutantur autem Reſp. & ſine motu cum propter vile vitæ genus, vt Hercæ (ea re namq; , quod viles homines ſuffragijs deſignarent, magiſtratus ſuffragio deſignari ſolitos, ſortito fecerunt) tum propter contemptum ſeu Oligorian: cum ijs, qui Reipublicæ non ſint amici, permittant aditum ad ſummos magiſtratus, vt Orei deleta fuit Oligarchia, Eracleodoro ex prætoribus vno facto; qui ex Oligarchia Politiam & Democratiam reddidit: præterea propter exiguum: exiguum autem voco, quia ſæpe inſtitutorum magna violatio occulte ſubrepit, dum exiguum contemnitur, vt Ambraciæ cenſus erat exiguus; tandem vero præerant etiam nullo cenſu: quia exiguum nullo ſit finitimũ, aut parum diſcrepans: turbulentum vero eſt & nõ eiuſdem eſſe generis, donec conſpiret. Nam vt ciuitas non ex qualibet multitudine, ita nec quolibet in tempore conſtituitur. Quicunq; igitur aut inquilinos aut aduenas iam receperunt, plærique ſeditionibus laborarunt, vt Sybarin Achiui vna cum Trœzenijs incoluerunt: poſtea potentiores Achæi facti Trœzenios expulerunt: quæ Sybaritis malorum fuit cauſa: & Thurijs Sybaritæ ijs, qui vna incoluerint. Nam priora omnia habere cupientes, vt in ſuo agro; ſunt eiecti. Byſantijs quoque aduenæ inſidiarij deprehenſi prælio fuerunt expulſi: & Antiſſæi Chiorum exules, quos receperãt, prælio eiecerunt. Zanclæi autem receptis Samijs, ipſi pulſi fuerunt. Apolloniatæ quoque hi, qui

qui ſunt ad pontum Euxinum, inductis aduenis, ſeditionibus laborarunt. Syracuſani quoque, poſt tyrannidem hoſpitibus & mercenarijs militibus factis ciuibus, ſeditionibus laborarunt, & ad prælium quoque venerunt. Atq; Amphipolitæ Chalcidenſium exulibus receptis plærique eorum ab ipſis fuerũt pulſi. Multi autem inde in Oligarchijs quidem ſeditiones mouent: quia iniuria afficiantur in eo, vt ſupra dictum eſt, quod cum ſint pares, paria tamen non auferant præmia: In Democratijs Principes, quod, cum non ſint pares, paria tamen ferre debeant. Interdum autem ciuitates & propter loca ſeditionibus laborant, cum Regio natura non ſit accommodata ad hoc, vt vna ſit ciuitas, vt Clazomenis qui in Chytro, ad eos qui in Inſula, & Colophonij, & Auſtrales. Atque Athenis non eodem modo ſunt affecti: ſed populares magis ſunt, qui Pyræum habitant, quam qui in Aſtu. Nam quemadmodum in bellis foſſarum, etiam valde paruarum, interualla diſtinent legiones: ſic omnis diſſimilitudo diſſidium afferre videtur. Maximum autem diſſidium eſt virtutis & vitij: deinde diuitiarum & paupertatis: atque ita aliud alio maius: quorum in numero eſt & illud, quod iam explicauimus.

COMMENTARII.

Μεταβάλλουσι δὲ αἱ πολιτεῖαι.] Diximus *ſupra cap.* 2. Reſpublicas mutari bifariam, vel cum motu & ſeditione, vel abſque: de his igitur mutationibus cum motu adhuc eſt ex-explicatum: nunc de iis, quæ abſque motu. Ex quibus prima eſt illa, quæ *ἐρίθεια* ab Ariſtotele, vilitas & contempta vitæ ratio ſeu genus dicitur: nimirum ſi magiſtratus ſordidiſſimo & viliſſimo mandentur, indignantibus honeſtiori- *8. Vilitas.*

bus: quomodo olim Hereæ, quod oppidum eſt Ambraciæ, ratio mandandorum ſeu creandorum magiſtratuum mutata fuit, de ſuffragio in ſortem. Hanc vilitatem & profanationem magiſtratuum olim Romæ & patricii aduerſus plebem ſæpe exaggerabant, vt videre eſt apud *Liuium ſæpe in prima Decade*. Hac eadem de cauſa olim Imp. Auguſtus nouo & admirabili delectu, ſenatu, in quem propter longa bella ciuilia ſordidiſſimi quique (qua de re *Cicer. in epiſt. ad Attic.* tanquam de re indigna, conqueritur ſe mulionibus in ſenatu aſſidere debere) irrepſerant de infima plebe, ſæpe recenſere & purgare coactus fuit, *teſte Suetonio & Dione libr. 54.*

9. ὀλιγωρία. Καὶ δι' ὀλιγωρίαν.] Altera cauſa mutandarum Rerumpub. motus expers, Græce ὀλιγωρία, Latine hodie vacat nomine, niſi negligentia, non ſatis tamen ſignificanter, aut barbare paruifactio reddatur. Ea eſt, inquit Ariſtotel. vbi ſummi magiſtratus non bene erga Rempubl. affectis, vt peregrinis, vt hoſtibus, vt alii principi aut ciuitati obſtrictis, vt nullos liberos aut propinquos, & bona, tanquam pignora & prædes habentibus, mandantur, id eſt, cum verbotenus vel princeps, penes quem poteſtas ſit mandandorum magiſtratuum, non admodum laboret & ſit ſolicitus, cui, id eſt, an bene an male affecto dentur magiſtratus. Nam quin hoc magno cum Reipublicæ malo fiat perſpicuum eſt, maxime ex his, quæ *ſupra* explicauimus *lib. 4.* vbi iis, qui Reipublicæ præſunt, tria neceſſaria eſſe docuimus; vt ſint viri boni, vt ſint idonei, & vt ſint patriæ ſiue Reipublicæ amantes tuendæ & amplificandæ. Quod malum olim vrbem Eubœę Inſulæ Oreum ſenſiſſe monet hîc Ariſtoteles, vbi Heracleodorus quidam factus prætor Oligarchiam mutauit in Democratiam, vel in finitimam Politiam. Eadem ſtultitia laborarent, qui hodie principes cancellarium, verbi gratia, ſibi deligerent peregrinum, aut certe male affectum. *Exemplũ.*

10. *Exiguitas.* Ἔτι διὰ τὸ παρὰ μικρὸν.] Tertia huius generis cauſa eleganter ab Ariſtot. dicitur τὸ παρὰ μικρὸν, & μικρὸν, exiguum, à Latinis & paulatim & ſenſim efferri poteſt: de qua cauſa iterat aliquoties, *infr. vt cap. 4. 7. 8.* καὶ μάλιστα τὸ μικρὸν. *& lib. 6. cap. 4. in fi.* quam cauſam valde periculoſam & lubricam eſſe ait: propterea quod propter exiguitatem malum non animaduertatur, & occulte ſenſimq; obrepat; tandemque

Huc referri poteſt exẽpl. Hernoia, de quo Dauid Chyt. Chrõ.

ſque huic naſcenti facile occurri poſſe, aucto & amplificato non item, vt in morbis quoque vſuuenit. Principiis, inquit Poeta, obſta; ſero medicina paratur. quo modo Rempub. in Ambracia mutatam olim fuiſſe, hoc loco, & Thuriorum, *infra cap.7.* memorat Ariſtoteles. Quam autem magnum huius cauſæ ſit periculum, cum exemplis Rerumpub. & veterum licet initiis exiguis, eaq; propter contemptis, doceri poteſt, tum ex aliis rebus ſimilibus, vt dixi de morbis, vt olim puerum coturnicibus oculos eruentem, Areopagitæ morte condemnarunt, vt Lacedæmone ephorus quidam puerum male pila ludentem verberibus affici curauit: quod qui initio rebus non dextre vteretur, etiam adultus ad Rempublicam minus idoneus illi videretur, vt commemorat *Demetr. Phaleraus in libello de elocutione.* Eodē pertinet, quod Hannonem, licet principem Reipublicæ, quia Leonem manſuefecerit, Carthaginenſes mulctarunt, *teſtibus Maximo Tyrio in orationib. & Plin. lib.10.cap 16.*

Saxon. lib. 3. pag. 277.

Στασιαστικὸν δὲ καὶ τὸ.] Eſt & hæc Rerumpub. mutandarum cauſa grauiſſima, ſed cum motu diſſimilitudo. Nam vt *ſupra lib.8. Ethic.* explicatum eſt, æquitatem ſiue ſimilitudinem amicitiæ & concordiæ eſſe parentem ſeu matrem: ita contra motuum & diſcordiarum parens eſt diſſimilitudo: quæ etſi eſt multiplex, tamen duo duntaxat genera, nationis ſiue gentis & loci, ab Ariſtotele hîc exponuntur: & nationis quidem diſſimilitudinis multa profert exempla, de altera pauciora. Ad priorem diſſimilitudinem pertinet & locus communis de peregrinis, quem attingit *Cic. lib.3. Offic.* Sed vtilitatis ſpecie, &c. Sciendum eſt igitur, recipiendis exteris, ſi ſunt pauci, parum inde eſſe periculi: propterea quod aduerſus ciuium multitudinem nihil facile ſint auſuri, periculi, inquam, aperti: nam occultis machinationibus pauci multis magis ſunt metuendi. Verum his de multis agitur, de quibus ita diſtinguendum. Aut enim ciuitas ex multis diſſimilibus gentibus, id eſt, conuenis initio conflatur & exoritur: vel ex vna primo gente inſtituta, alios poſtea vel aduenas vel colonos recepit ſponte vel coacta, ſenſim vel multos vno eodemq; tempore, vt in colonis fere fieri ſolet: & hæc exempla Ariſtotelis intelligi debent. Ex hac triplici permixtione duplex fere motus exſiſtere ſolent, vel triplex malum. Nam vel diſcordia tantum inter ciues & inimicitia, vel etiam bella,

Diſſimilitudo.

Ratio.

I. *Diſſimilitudo nationis.*

aut etiam prœlia inter eos, quibus prœliis vel aduenæ ſint ſuperiores, vel originarii. In ea igitur ciuitate, quæ ex conuenis conflatur, ſolet fere inter ciues diſcordia tantum & inimicitia graſſari: quæ tamen ſæpe temporis progreſſu coaleſcentibus conuenarū animis, lingua, moribus, in ſummam concordiam conuerti ſolet: quemadmodum de Roma *Saluſtius in proœmio Iugurthæ*, vbi de Troianis & Aboriginibus, ex quibus conflata fuerit Roma: hi, inquam, poſtquam in vna mœnia conuenere, diſpari genere, diſſimili lingua, alius alio more viuentes, incredibile memoratu eſt, quam facile coaluerint: vt Angli cum Britannis, Franci cum Gallis, Longobardi cum Italis, Gothi cum Hiſpanis. De iis autem ciuitatibus, quæ non initio, ſed poſtea, peregrinos receperint, alii quidem motibus tantum & diſcordiis laborant, vt Apolloniatæ & Syracuſani: de quibus hîc Ariſtoteles: aliæ etiam ad bella & prœlia ſunt progreſſæ, quibus interdum fieri diximus, vt ipſi ſuperiores ſint aduenæ & expellant eos, à quibus ſint recepti vel accerſiti; quod Ariſtoteles hîc de Zancleis (ciuitas eſt Siciliæ) commemorat, eos per Samios, quos receperint ipſos, fuiſſe expulſos, & Amphipolitæ per Chalcidenſes in Macedonia: Sic olim Longobardi à Narſe Duce Imper. Iuſtiniani primi Magni (alius etiam Iuſtinianus fuit, cui naſus erat præciſus) in Italiam ex Germania, aut potius Pannonia vicina euocati, eos ipſos, à quibus fuerunt euocati, oppreſſerunt, vt eſt apud *Paulum Diaconum*. Sic in Britanniam vocati Angli ſuppetias aduerſus Pictos & Scotos, imperante Theodoſio iuniore, oppreſſis Britannis, dominatum ipſi arripuerunt (tempore Hieronymi hæc facta ſunt.) Idem in Hiſpania accidiſſe commemorat *Taraph. in Chronico Hiſpaniæ*, vbi Gothorum imperium, euocatis in Germaniam Arabibus, hoc fere modo deletum fuit. Ex nationum igitur diſſimilitudine tales tantique motus exſiſtere ſolent.

2. *Diſſimilitudo locorum.*

Locorum quoq; diſſimilitudo quam ſit idonea ad motus & ſeditiones, Ariſtoteles & exemplis tribus, Clazomenarum, Colophonis, & Athenarum, & eleganti ſimilitudine à re bellica ſumpta demonſtrat. Nam vrbem Ioniæ celebrem Clazomenas motibus laboraſſe parte vna, quam Chytreum ſeu Chytrum nominabant, *teſte Strab. lib. 14.* diſſidente ab altera, quæ parua erat inſula Chytreo ponte commiſſa. Colophon quoq; & Notium, quia flumine ſolum Haleſo interla-

terlabente diuiderētur, etſi vna vrbs eſſet, tamen propter hoc fluminis diuortium multa inter Notiones & Colophonios erant diſſidia. Athenis denique, quæ vrbs duabus partibus æſtimatur, quarum altera dicebatur Aſtu, altera diceretur Piræus, ipſi Aſtu commiſſus longis, vt vocant, muris: qui Piræum habitabant, vtpote nautici, Democratiam, vt populares & plebei: qui Aſtu, vel Oligarchiam, vel Ariſtocratiam amabant: quin etiam *Plut. in Solone*, qua de dictum & *ſupra lib. 2. cap. 2.* tres ait fuiſſe hominū ſeu ingeniorum diſſimilitudines pro trium locorum in Attica differentiis, Nam montanos fere Democraticos, qui in planos incurrerent, Oligarchicos, maris accolas fere medios fuiſſe. Sic & olim Romæ, & non ita pridem pars vrbis tranſtyberina diſſenſit ab altera: & Pariſiis, quam vrbem mediam diuidit Sequana, pars vna factionis erat Aurelianenſis, altera Burgundiæ, *teſte Monſtrelatio lib. 1.* Atrebatibus quoque pars vna, quam ciuitatem vocant, diuiſa ab altera, quam villam vocant; ciuitas, inquam, partium erat Gallicarum, illa Burgundiarum, *teſte Phil. Cominæo lib. 5 cap. 15.* Huiuſmodi, id eſt, loci diſſimilitudo eſt & Baſileæ, Olingiæ, Brunſuigæ, & in Hiſpania Hiſpali. Vniuerſe autem quam vim & poteſtatem in afficiendis hominum non corporibus tantum, ſed animis quoq; & ingeniis habeat, pulchre *Hippocr. in lib. de aere, & Liuius Decad. 5.* vbi de Gallogræcia ſiue de Gallatia, *& Plato lib. 5. de legib. & initio Timæi.* Cæterum non tantum patriæ aut loci, ſed alia quoque omnis diſſimilitudo ad motus eſt idonea, vt victus, cultus, & inprimis religionis. Rationem ſupra diximus: quod omnis ſimilitudo amicitiæ, ſiue differentia omnis diſcordiæ ſit mater: qua cauſa commoti multi olim & peregrinos vrbe ſua prohibuerunt, & ſuos ciues peregrinationibus interdixerunt: quod vtrumque Lacedæmonii ſeruarunt: etſi *Cic. lib. 3.* alterum modū de peregrinis vrbe prohibendis, vt inhumanum, *& Strabo ex Arato*, vt barbarum, reprehendunt. De Germanis noſtris *Cæſar lib. 4.* Mercatoribus eſt, inquit, aditus, magis eo, vt, quæ bello ceperint, quibus vendant, habeant, quam vllam rem ad ſe importari deſiderent. *Cicero* autem; male etiam, qui peregrinos vti vrbibus prohibent, eoſque exterminant. Sic & religionis cauſa Iudæos & Chriſtianos, Romæ diſſidentes, expulit Claudius Imper. *vt eſt apud Suet. in Claudio, & apud Ioſephum.* Huc pertinent & leges

Vitruu. Archit. lib. 1. c. 4. & lib. 8. ca. 3. & lib. 6. cap. 1.

3.
Diſſimilitudines reliqua.

Ratio.

leges vet. Impp. de hæreticis pellendis ſub titulo C. de hæret. pell. Hac ætate China & Cathagio apud Indos memorant non permitti mercatoribus noſtris, vt è nauibus pedem efferant.

Σύγκρισις diſſimilitudinum. Στασιάζουσι δέ.] De hac re explicatum ſupra *lib. 3. cap. 6. & 8. & initio huius libri*, vbi diximus, fontem & originem motuum eſſe perſuaſionem illam & opinionem de ſe, qua alij ſe pares rati, paribus tamen præmijs non frui doleant: alii ſe ſuperiores & præſtantiores eſſe arbitrantes eodem cum inferioribus iure ſe vti ægre ferant.

Μεγίστη μὲν οὖν ἴσως.] Hac clauſula continetur breuis comparatio diſſimilitudinum & differentiarum inter ciues, quarum duo genera (gentis & loci) modo expoſuit Ariſtoteles. Omnem igitur diſſimilitudinem concludit eſſe pernicioſam & diſcordijs ſerendis idoneam, verum aliam alia magis, prout etiam ipſæ diſſimilitudines alia alia eſt grauior & maior: *Sũma diſſimilitudo.* vt ſumma eſt virtutis & vitii, id eſt, bonorum & improborum ciuium: proxima tenuiorum & locupletum, patriciorum & plebeiorum habitantium hanc vel illam partem, huius vel illius gentis vel linguæ, vt nuper Tridenti, & Mediomatricibus. Ad primam diſſimilitudinem pertinere, vel in primis *Religionis diſſimilitudo.* mihi videtur Religionis diſſimilitudo. quare Imp. Diocletianus cum Religionem Chriſtianam valde inualeſcentem cerneret, ei grauiſſimum & vltimum indixit bellum, hoc nixus axiomate Politico, quod in ore identidem habere ſolebat: non poſſe ſaluam vel tranquillam eſſe Rempub. vbi religionis eſſet diſſimilitudo.

CAPVT IV.

Locus hic paulo confuſior. MONVIMVS ſupra *cap. 2.* ſummas & principes mutandarum & perturbandarum Rerumpublicarum cauſas vndecim eſſe numero; quibus tres præterea adiungi poſſint, *Conditio vxoria.* de quibus hoc *cap. 4.* explicatur: conditio vxoria, partis Reipublicæ incrementum, & partium Reipublicæ æquatio. etſi de increm̃eto partium Rerumpublicarum ſupra iam eſt explicatum: quare hæc Ariſtotelis tractatio ſatis mihi perturbata eſſe videtur; ſatiuſque fuiſſet XI. prioribus cauſis vnam hanc addere, conditionem vxoriam, de qua quidem accurate hic explicatur, non tamen tanquam de cauſa principe, vnaque ex iis, propter quas Reſpublicæ mutentur; ſed hoc potius conſilio, vt Ariſtoteles doceat, Rerumpublicarum muta-

mutationes & euerſiones ſæpe leuibus de cauſis fieri; verbi gratia, propter matrimonium, propter hæreditatis diuiſionem. Nam fere & breuiter tria hæc iſto cap. explicantur. Primum, Reſpublicas perturbari ſæpe leuibus de cauſis. Secundo, μεταβάλλουσι δὲ καὶ, &c. iteratur cauſa illa Rerumpublicarum mutandarum ſupra explicata, partis vel ordinis Reipublicæ alicuius incrementum. Tertio, τινῶν δὲ αἱ πολιτεῖαι, &c. Reſpublicas quoq; ex eo commutari, quod partes & ordines Reipublicæ mutentur: id, quod ad illam quoque cauſam referri poteſt. His tribus explicatis, quæ quidem ad cauſas Rerumpublicarum euertendarum pertinent; ſubiungit Ariſtoteles extremo capite cauſarum diuiſionem, quibus Reſpublicæ mutentur, & velut modos. Nam generaliter & vniuerſe duos docet eſſe modos, quibus Reſpubl. mutentur: vi vel dolo.

1. Pars huius capitis. 2. 3. 4.

TEXTVS.

Exiſtunt igitur motus nō de paruis, ſed ex paruis rebus: ſunt autem de magnis. Parui autem maxime inualeſcunt, cum inter principes fuerint: vt antiquis temporibus accidit Syracuſis: mutata namque fuit Reſpublica ex eo, quod adoleſcentes duo in magiſtratu motus excitarent in cauſa amatoria. Altero enim peregrinante alter amores eius ad ſe pellexit: contra huic ille iratus, vxori eius, vt ad ſe veniret, perſuaſit. vnde aſciſcentes eos, qui Rempublicam adminiſtrarent, omnes ſeditionibus inuoluerunt, eos concitarunt. Quare talibus naſcentibus malis occurrendum eſt, motuſque principum & potentum dirimendi. Eſt enim peccatum in principio, ac principium totius dimidium eſſe dicitur. Quare & paruum in eo peccatum reſpondet aliis aliarum partium. Vniuerſe autem principum motus totam quoq; ciuitatem ſecum trahunt: vt Heſtiææ poſt bellum Perſarum accidit ex fratrum de paterna familia erciſcunda diſſen- *1. Exemplū.*

diſſenſione. Nam pauperior quidem, quia alter bona & theſaurum, quem pater reperiſſet, non indicaret, populares ſibi aſciuit: alter vero, bonis ab-
2. Exempl. undans, ditiores. Delphis quoque, orto ex affinitate diſſidio, initium fuit omnium, qui poſtea ſint conſecuti, motuum. Nam cuidam auguranti cum infortunium portenderetur; reuerſus ad ſponſam, non duxit, ſed abiit: illi vero velut iniuria affecti, illum, qui tanquam inter ſacrificandum ſacram pecuniam furatus eſſet, inſimularunt; poſt-
3. Exempl. eaque, vt ſacrilegum, occiderunt. Mitylenis quoque, motu ex Epicleris orto, multorum malorum fuit initium, belliq; aduerſus Athenienſes, in quo Paches eorum vrbem cepit. Nam Timophanes ex locupletibus vnus, cum duas filias reliquiſſet; Doxander quia repulſam eſſet paſſus, eaſque ſuis filiis impetrare non poſſet, ſeditionis fecit initium, & Athenienſes, cuius vrbis eſſet hoſpes,
4. Exempl. concitauit. Atque apud Phocenſes, motu inter Mnaſeam Mneſonis patrem & Euthycratem Onomarchi patrem propter Epiclerum exorto, principium fuit hæc ſeditio Phocenſibus belli ſa-
5. Exemplũ. cri. Dyrrhachii quoq; ex re vxoria mutata eſt Reſpublica. Nam cum filiam quidam deſpondiſſet, eumque ſponſi pater vnus ex magiſtratu multaſſet; aſciuit ille, vt iniuria affectus, eos qui Rempublicam non adminiſtrarent.

COMMENTARII.

Motuũ & ſeditionum initia ex rebus ſæpe paruis oriũtur: Γίγνονται μὲν οὖν αἱ στάσεις.] Expoſitis, vt monui, vndecim Rerumpub. cauſis mutandarum, ſubiungit hoc loco Ariſtoteles inſignem, quæ ex priore diſputatione facile colligatur & elici poſſit, ſententiam communem omnibus motibus ſeu earum cauſis: nimirum, motus plærunque eſſe ex rebus paruis,

paruis, ſed de rebus magnis, id eſt, motuum quidem initia & cauſas ſæpe eſſe leues & nugatorias; eſſe tamen de rebus magnis, vt de magiſtratibus, de honoribus, de vniuerſa Republica, ſtatu eius aut interitu. Motus igitur etſi de grauiſſimis rebus, tamen ex leui ſæpe occaſione paruiſque initiis exoriri accurate multis exemplis allatis docet Ariſtoteles: & quod ſæpe alias, vt ſupra dixi, priori capite id quoque inculcat; initiis propterea, etſi leuibus & exiguis, continuo tamen occurrendum eſſe; maxime ſi hæc initia vel diſſidia, quantumuis leuia, inter principes ciuitatis exoriantur. Nam principum diſſidia eſſe pernicioſiſſima: eo quod horum magnæ ſint & familiæ & clientelæ; facileq; magnam aliquam multitudinem ciuium aut ciuitatis partem ad ſe pertrahant: neque hoc mirum eſſe: nam & alias principium eſſe dimidium totius, id eſt, quemadmodum aliis in rebus principium cum aliis partibus comparatum maximi momenti eſt; adeo vt, ſi quid in principio ſit peccatum, toti hoc reliquo operi magnopere noceat; &, vt ait Ariſtoteles *lib.1. de cœlo*, leuis initio error progreſſu temporis & paulatim infinitis partibus fit maior: ita & in Reipublicæ corpore & partibus ſiue ordinibus magis nocent Reipublicæ principium, quam reliquorum ciuium, diſſidia & motus. Quare & *infra cap. 8.* monet ſolicite Ariſtoteles, cauendum eſſe, ne inter principes diſſidia oriantur. Quod autem ratione, principum diſſidia valde eſſe periculoſa & Regnis Rebuſquepublicis pernicioſa, idem quoq; exemplis compluribus demonſtrat Ariſtoteles, quæ quidem diſſidia etiam leuibus de cauſis oriantur. Atq; ita exempla hæc Ariſtotelis ad duo hæc principia Politica (prius quidem, diſſidia & motus Rerumpub. ex paruis ſæpe initiis oriri; alterum vero, principum diſſidia & diſſenſiones maxime eſſe pernicioſas) accommodari debent. Affert igitur Ariſtoteles ſex Rerumpub. exempla, Syracuſanæ, Heſtiæenſis in Eubœa, Delphenſis, Mityleneæ, Phocenſis & Dyrrhachinæ, in quibus magni fuerint motus ob principum inter ſe diſſenſiones; eaſque leuiſſimis de cauſis (quas duas potiſſimum commemorat, matrimonium, & hæreditatis diuiſionem) exortas: de quibus exemplis amplius quærendum. Ad eundem modum Rempublicam quoque Athenienſem perdiderunt principum diſſenſiones Niciæ & Alcibiadis, & ante Themiſtoclis & Ariſtidis, & poſt Demoſthenis,

ſunt tamen de reb. magnis.

Initiis occurrēdum.

Principum præcipue diſſidia Reip. noxia.

Exempla alia.

nis, Æſchinis, Lycurgi & aliorum Rhetorum. Sic & Romæ Cæpionis & Metelli diſſenſione, orto bello ſociali, labefactari cœpit Reſpub *teſte Plin. lib. 33 cap. 1.* & paucis poſt interiectis annis tota corruit ex diſſidio Pompeii & Cæſaris: quamuis *Cic. pro Ligario* aſſentans Cæſari & extenuans, ait tantum fuiſſe ciuile quoddam diſſidium. Nam diſſidia principum, eorumque, qui in Repub. verſantur, duorum ſunt generum: vel ciuilia, eorum ſcilicet qui eodem quidem omnes ſpectent, vt Reſpublica ſit ſalua, ſed diſſimili vtantur via & ratione adminiſtrandi: cuius generis diſſidium ait fuiſſe *Cic. lib 1 Offic.* vbi de ambitione inter Scipionem Africanum & Q. Metellum *& Agellius lib. 7. cap. 9.* inter Tiberium Gracchum & Scipionem. Sic diſſenſerunt quoque Ariſtides & Themiſtocles, multique alii: & huius quoq; generis diſſidium fuiſſe vult *eo loco Cicer.* Sic enim ait: quomodo autem tu de Republica bene meritus eſſes, ſi tot ſceleratos incolumi dignitate eſſe conceſſiſti: ſeceſſionem tu initio exiſtimaſti, non bellum Cæſar; nec hoſtile odium, ſed ciuile diſſidium, vtriſque ſcilicet cupientibus Rempublicam ſaluam: ſed partim conſiliis, partim ſtudiis à communi vtilitate aberrantibus. Alia Politicorum diſſidia plane ſunt hoſtilia, quibus nimirum non de Reipublicæ ſalute, ſed interitu potius, cuius in manu & imperio ea ſit futura, digladiantur: de quibus diſſidiis hîc fere agit: quo modo diſſenſerant Cicero quoq; & Antonius, illo Rempublicam ſaluam eſſe cupiente, hoc nolente. Sic & in imperio Romano grauiſſima exſtiterunt diſſidia: in Regno Angliæ inter familias Eboracenſem & Lancaſtriam: & apud Gallos inter familias Burgundiam & Aurelianenſem. Et hæc quidem de principio (principum diſſenſionibus non priuatas tantum familias, ſed vniuerſas infici & euerti ſæpe Reſpublicas) ſint ſatis. De altero, diſſenſiones & diſſidia ciuilia plæraque ex paruis initiis & cauſis ſuboriri, nō Ariſtotelicis tantum, ſed aliis quoq; exemplis doceri & confirmari poteſt, vt Romæ prope belli ſocialis originem & exitia rerum, vt loquitur *Plin. eo loco*, ex contentione inter Cæpionem & Metellum de anulo in auctione emendo.

Diſſidiorū inter Principes, &c. varietas.
1. Ciuilia.
I. Exemplū Scipion. & Metelli.
2. Gracch. & Scip.
3. Ariſt. & Themiſt.
4. Pompei & Cæſaris.
II. Hoſtilia.
1. Exempū.
2. Exemplū generale.
3. Exempl.
4. Exempl.
Parua plærūq; harum diſſenſionū initia.
Exempl. ex Plin. lib. 33. cap. 1.

Οἱ μὲν γὰρ.] Subindicatur veterum inſtitutum, quos ſcribit *Cicer. de Diuinat.* nihil aut priuatim aut publice inauſpicato ſuſcepiſſe. quare & vxorem ducturi augurium prius capere ſole-

Auſpicato res oēs aggreſſi ſunt veteres.

ſolebant,vt *ibidem* teſtatur *Cic.& Horat.in ſermonibus.*

Πρόξενος ὢν τῆς πόλεως.] Veterum inſtituto ciuitates & priuati iura quædam hoſpitii inter ſe colebant. Nam ſolent, verbi gratia, hæc vel illa Reſpub. in alia aliqua ciuitate ciuem aliquem ſibi deligere,apud quem publico nomine miſſi diuerterent,quem Græci nominant *πρόξενον*: quomodo & priuati mutuum inter ſe hoſpitij ius colebant, vt ſæpe videre eſt apud *Cic.in Verrinis & alibi.* Πρόξενοι.

Ἐξ ἐπικλήρου.] De puellis aut mulieribus, quas Græci, eoſque imitati Latini Epicleros vocant, alibi explicauimus, *ſupra.* ἐπίκληροι.

Ἀρχὴ τοῦ ἱεροῦ πολέμου.] Belli huius ſacri ſeu Phocici originem Ariſtoteles hîc leuem plane & nugatoriam, alij vniuerſam hiſtoriam, *vt Diodorus lib.16. Pauſanias lib.10. Iuſtin. lib.8.* diligenter exponunt.

TEXTVS.

Commutantur autem & in Oligarchiam & in Democratiam, & in Politiam ex eo, quod magiſtratus aliquis, vel ciuitatis pars floreat aut amplificetur. vt Senatus in Areopago bello Perſico florens intendiſſe videbatur Rempublicam : contra vero nautica multitudo victoriæ ad Salaminem auctor, & ex ea principatus propter opes maritimas Democratiam reddidit firmiorem:atque Argis nobiles (Principes) in prælio ad Mantineam aduerſus Lacedæmonios re bene geſta, Democratiam tollere aggreſſi ſunt. Syracuſis quoque populus victoriæ in bello aduerſus Athenienſes auctor Politiam in Democratiam conuertit:&Chalcide populus, Phoxo tyrãno cum nobilitate ſublato,Rempublicam continuo occupauit.Ad eundem modum & in Ambracia etiam populus, tyranno cum coniuratis pulſo, Rempublicam ad ſe tranſtulit. Atque vniuerſe hoc ſciendum,eos qui opum ſiue potentiæ fuerint auctores, cum priua-

ti, tum magiſtratus, tribus denique, & omnino pars, ſiue qualiſcunque multitudo, ſeditioně mouere. Nam vel qui his inuident, vt honoratis, ſeditionis faciunt initium; vel hi ipſi propter excellentiam æquo iure nolunt viuere.

COMMENTARII.

2. Partis ſeu ordinis alicuius excellentia.

Μεταβάλλουσι δὲ καὶ εἰς ὀλιγαρχίαν.] Exponit hoc loco Ariſtoteles motuum & mutandarum Rerumpublicarum cauſam, excellentiam ſeu incrementum partis alicuius Reipub. vt vel ſenatus, vel plebis, vel nobilitatis. Nam ſi pars aliqua re bene geſta vel domi vel in bello inſigne aliquod nomen ſibi compararit, ita vt reliquis partibus clarior iam & præſtantior eſſe videatur: hinc fere fieri oſtendit, vt motus & ſeditiones exoriantur: id quod docet & ratione & exemplis: & ratione quidem bifariam poſſe fieri oſtendit, vt motus hinc exſiſtant, partim ex inuidia aliorum, partim ex ipſorum ſu-

1. Ratio. perbia & inſolentia. Nam reliquę quidem partes hanc vnam præter alias claram & potentem, omnibuſque honoribus affectā cernentes, ſe vero contemptas; dubium non eſt, quin inuidia commoti ſeditiones ſint excitaturi: de qua inuidiæ

2. Ratio. cauſa *ſupra latius initio cap. 2.* Rurſus, pars hæc rebus bene geſtis iam clarior, quia ex iis rebus geſtis magnos ſibi ſpiritus, vt inſolēs omnis eſt victoria, facile ſumat: dubium quoque non eſt, quin, pari licet iure antea cum reliquis ciuibus viuere aſſueta, nunc dominatum ſibi ſit arreptura, aut certe eius potiundi ſeditiones motura. Nam & hoc ſupra aliquoties docuimus, fontem & cauſam omnium motuum eſſe hāc opinionem & perſuaſionem de pari ſeu æquā, vel impari & iniqua inter ſe conditione & iure. Idem quoque confirmat aliquot illuſtribus exemplis in tribus his ſtatibus ſeu Rerumpublicarum generibus, Oligarchia, Democratia & Po-

1. Exemplū in Oligarchia. litia, eueniſſe: & in Oligarchia quidem Argis hoc accidiſſe: vbi pauci principes nimirum ſiue nobiles, quia bello aduerſus Lacedæmonios ad vrbem Arcadiæ celeberrimam Mantineam bene rem geſſerint, ſublata Democratia, paucorum

2. Et reliqua exempla aliarū Rerumpub. imperium ſeu Oligarchiam inducere voluerint. In Democratia vero exempla affert Athenienſium, Syracuſanorum, Chalcidenſium & Ambraciorum. Quod autem de ſenatu

Areopa-

Areopagitico principio affert, ad Politiam aut ei vicinam Ariſtocratiam reuocari poteſt Alia exempla expoſita ſunt ſupra aliquoties, vbi de hac ipſa cauſa, id eſt, parte Reipublicæ præter cæteras florente explicatum eſt *hoc lib. cap. 3.* γίνονται δὲ καὶ διʼ αὔξησιν, &c. *& lib. 2. cap. 10.* Sic olim & Romæ, Annibale Italiam bello premente, dominabantur Principes, iacebat plebs: contra, pulſo Annibale & Victo Antiocho, militum & plebeiorũ maxime armis, ſpiritum ſibi ſumere plebs, & inſurgere, agros poſcere, & totam ad ſe Rempublicam conuertere: & antea, confecto bello Tarentino, plebs victrix à nobilitate vel inuita imperiorum & magiſtratuum partitionem extorſit. In Politia denique ſiue ei finitima Ariſtocratia exemplum affert Ariſtoteles de Senatu Areopagitico. Nam Athenis olim bello Perſico cum Themiſtoclis cõſilio claſſe cum Perſis decertandum eſſet, eique claſſi inſtruendæ pecunia deeſſet; Senatus Areopagiticus, huius rei adiuuandæ cauſa, militibus octonas drachmas de ſuo ærario ſuppeditauit: qua liberalitate, re poſtea bene geſta aduerſus Perſas, magnum ſibi nomen peperit ſenatus, tanquam auctor victoriæ; eoque nomine maiorem quoque auctoritatem ſibi, atque adeo vim ipſi Ariſtocratiæ maiorem & firmiorem acquiſiuit: etſi eadem victoria plebs quoq; magnos ſibi ſpiritus ſumpſit; quod, quia nauale eſſet prælium & victoria naualis, nautici homines fere de plebe eius fuiſſent actores & auctores, *vt & ſupra Ariſtoteles lib. 2. cap. 10.* vbi diximus De hac autem Areopagitarum liberalitate *Plut. in vita Themiſtoclis.*

Καὶ ἐν συρακούσαις ὁ δῆμος.] De hoc bello & victoria Syracuſanorum de Athenienſibus copioſe *Thucyd. lib. 6. 7. 8. & Plut. in vita Nicia.*

TEXTVS.

Mutantur autem Reſpublicæ etiam, cum ciuitatis partes, quæ contrariæ eſſe videntur, inter ſe coæquantur, vt diuites & populus; media vero pars eſt exigua, vel nulla plane. Nam ſi alterutra pars longe excellat; reliqua aduerſus eam, quæ aperte ſit potentior, non ſolet periclitari. Quare &

virtute præſtantes non temere ſeditionem mouent, quia pauci ſint aduerſus multos.

COMMENTARII.

3. Exæquatio partium ſeu ordinũ Reipub. Κινοῦνται.] Elegans eſt & eruditus locus de motibus & ſeditionibus, quo ſubtilis ſeu acuta motuum cauſa indicatur, nimirum partium ſiue ordinum Reipub. æquatio. Nam ſi ordines Reipublicæ æquentur, id eſt, vt neuter alterum ſuperet (ſint duo, verbi gratia, diuitum & tenuiorum) fere tum fieri ſolet, vt neuter alteri parere velit; adeo, vt ſi penes alterum ſit imperium Reipublicæ, alter ſe non imparem putans facile ſeditionem arripiat. Quod ſi ordines non ſint pares, ſed alius alio longe ſit ſuperior; quia reliqui ſe impares videant, facilius præſtantiſſimo ordini parere ſolent, neque ſe facile commouere audent. Exempla huius rei reperiuntur in omnibus Rebuſpublicis, in quibus nimirum ſi ordo vnus alios longe ſuperat viribus & opibus, facile alios continet in officio, ne ſeditiones moueant. Rurſus in quibus pares facti ordines, continuo ſeditiones mouere ſint ſoliti, vt Romæ patricii primo reliquis longe ſuperiores ſecure dominabantur; paulatim plebs potentior facta ſeditionem de imperio & honoribus mouere cœpit. His autem Rebuſpublicis maxime hæc calamitas accidere ſolet, in quibus duo hi ordines locupletum ſiue nobilium & plebis, ſiue tenuiorum magnas habent vires, tertio ordine mediocrium vel nullo vel exiguo. Nam contra in quibus tertius hic ordo mediocrium potens fuerit, in his raro motus hi excitari ſolent, *vt ſupra explicatum eſt lib. 4. cap. 11.* vbi docuit Ariſtoteles, eas ciuitates, in quibus mediocrium hic ordo maxime floreret, eſſe & maxime ſtabiles, & motibus minime obnoxiam.

Quibus in Rebuſpubl. maxime hãc ob cauſam ſeditiones moueãtur.

Ratio. Cauſas igitur, cur ordinum hæc æquatio, ſeu pares vires, motuum ſit cauſa, hanc, vt dixi, affert hîc Ariſtoteles à contrario ſumptam: quia, inquit, vbi ordines ſunt impares, id eſt, vnus altero longe ſit potentior, non facile inferior potentiori ſe opponere auſit; inferior, inquam, ſiue multitudine ſiue quantitate, id eſt, diuitiis, genere, doctrina, aliiſq; id genus præſtantiis.

Exemplũ. Longe autem deteriores vel inferiores præſtantioribus non facile ſe opponere, etſi per ſe eſt clarum: tamen illuſtrat Ariſtoteles exemplo virtute præſtantium virorum. Nam hi, inquit, cur non facile ſeditiones moueant,

ueant, cauſa eſſe videtur; quia ſint perpauci, id eſt, numero longe inferiores, vt ſemper improborum magnus eſt numerus. Obſeruandus eſt autem hic locus de viris bonis, eos ad motus & ſeditiones minime eſſe procliues; eo quod, inquit Ariſtoteles, ſint pauci. Attulit & alteram rationem *ſupra* initio *cap. 1.* quia virtus etiamſi vna honoribus & imperiis eſt digniſſima, ſua tamen ſponte & natura à motibus & diſſidiis maxime abhorret.

TEXTVS.

Atque in omnibus quidem Rebuſpublicis vniuerſe motuum & mutationum cauſæ ita ſe habent. Mutant autem Reſpublicas aliâs quidem vi, aliâs dolo: vi quidem vel ſtatim ab initio, vel poſterius vi cogentes: nam & dolus eſt duplex: nam alias quidem principio adhibito dolo, volentibus ciuibus, mutant Rempublicam, poſt deinde, inuitis, retinent, vt in quadringentis accidit, qui populum dolo induxerunt, regem aientes pecuniam ad bellum aduerſus Lacedæmonios præbiturum: mentiti vero Rempublicam retinere conabantur: alias vero & ab initio perſuaſione adhibita, & poſtea rurſus perſuaſis volentibus ijs imperant. In omnibus igitur Rebuſpublicis abſolute mutationes ex cauſis ſupra expoſitis accidere ſolent.

COMMENTARII.

Καθόλου μὲν.] Meminimus ſupra, Ariſtotelem de cauſis motuum & ſeditionum bifariam explicare; vniuerſe & ſingulatim. Hoc igitur loco expoſitis iam communibus omnium mutandarum Rerumpublicarum cauſis, priuſquam ad ſingulas Reſpublicas, quod erat proximum, accedat; inſignem ſuperiori diſputationi adiungit clauſulam, item communem omnibus Rebuſpublicis, qua præclare monet, Rerumpubl. euertendarum aut mutandarum modos duos eſſe principes & ſummos, dolum & vim. Nam interdum armis, ſeditionibus & vi aperta Reſpublicas opprimi, vel ex vna in *Reſp. mutātur aut aperta vi aut ſubdole.*

aliam commutari, vel occulte & doloſe callido aliquo ſtratagemate aut perſuaſione, & blanditiis ſeu promiſſis. Hos ὑποδιαίρεσις. autem modos rurſus partitur Ariſtoteles. Nam de vi quidem, alias eam adhiberi ſtatim initio euertendæ Reipublicæ, alias in Republica dolo ab initio mutata, vi poſtea retinenda. Dolum vero item dupliciter adhiberi: vel initio, vel poſtea. Quod ad vim igitur attinet, cernere plærunque licet, tyrannides hoc modo mutari in Democratias vel Oligarchias, cæſo nimirum vel pulſo tyranno, quod Romæ accidit. Dolo fere mutari ſolent Regna in Tyrannides, & Ariſtocratiæ in Oligarchias, nimirum dum vel Reges vel optimates moderatum imperium paulatim intendendo & pro legibus & iure vel ſuam libidinem vel adulatores ſequuntur. Sic olim Romæ Ariſtocratia in Oligarchiam fuit cõmutata. Iam vero initio quidem vi adhibita multæ mutantur Reſpublicæ; vt olim Athenienſis Democratia in Oligarchiam ab Lacedæmoniis, duce Lyſandro, atque adeo omnes fere ciuitates in Athenienſium poteſtatem armis & vi redactæ Democratiam, ab Lacedæmoniis Oligarchiam ſuſcipere & amplecti cogebantur, *vt ſupra l.b. 4 docuimus*. Sic & Romæ Democratia, à Iulio Cæſare armis oppreſſa, in monarchiam fuit conuerſa: ſic & hac ætate liberas ciuitates ſub vnius imperium, id eſt, in ducatum, aut comitatum, vt nuper Florentinam & Senenſem Rempublicam, redigi videmus. Multæ quoq; ſunt Reſpublicæ, quarum mutatio principio quidem dolo cepta, poſtea vi confirmetur & retineatur: cuius rei exemplum hic vnum affert Ariſtoteles ex Republica Athenienſium. *Exemplũ.* Nam olim cum inter Athenienſes & Lacedæmonios graue eſſet bellum; Alcibiades Athenis pulſus & exul apud Perſas, quo Athenienſium legati auxilii petendi cauſa venerant, iis legatis, inquam, promiſit, ſe à Perſis ſeu Tiſſapherne Perſico ſatrapa auxilia ipſis impetraturum, ſi ipſi domum reuerſi Rempublicam mutandam curarent, id eſt, Democratiam in Oligarchiam: id quod propter auxilii ſpem populus non grauate conceſſit. Itaque Athenienſis populi imperium à populo ad paucos, nimirum quadringentos, hoc modo, id eſt, promiſſis & dolo fuit tranſlata: poſtea vero idẽ Alcibiades cũ callide imperium ab illis paucis ad populum reducere conaretur; illi pauci imperium ſibi delatum, & dolo ſemel partum, vi & armis retinere, ſed fruſtra, ſunt conati,

vt eſt

vt eſt late *apud Iuſtin. lib. 5.* De doli autem generibus, ſunt item Reſpubl. quæ dolo initio tantum adhibito mutentur, poſtea vi conſeruentur. Exemplum ſit idem, quod modo attulimus de vi. Quo modo multos tyrannos legimus eſſe vſos, qui ſuauibus promiſſis populo primum delinito, imperium nacti, poſtea vi & armis illud conſtabilierint, qua de re *infra hoc proximo cap.* copioſius. Aliæ vero ſunt Reſpub. quæ dolo & initio, & poſterius adhibito mutentur & conſeruentur, nimirum vbi, populo primum promiſſis perſuaſo, nactus quis imperium idem poſtea non vi & crudelitate, ſed ſimilibus promiſſis & perſuaſionibus blandis conſeruare & propagare conetur. Et hæc quidem modorum duo genera diligenter ſunt obſeruanda. Poteſt & alia modorum fieri partitio, quam etiam hoc libro Ariſtoteles commemorat, qua Reſpublicæ omnes mutentur vel euertantur, aliæ ſua, aliæ cauſa externa & aduentitia: ſua videlicet, vbi Reſpublicæ malæ fuerint inſtitutæ & temperatæ: externa, vbi vi & armis hoſtium & externorum, quemadmodum ædificium bene exſtructum vi externa & tormentis aut incendiis, aut male exſtructũ ſua ſponte collabitur. Cuius diſſimilitudinis multa quoq; exempla ſuppeditant hiſtoriæ. Verum Ariſtoteles hoc libro de eo potiſſimum modo explicat, quo Reſpublicæ non aliena, ſed ſua vi & vitio mutantur & euertuntur.

Mutationes aut acciduͤt à cauſa interna, aut externa.

CAPVT V.

QVOD modo monuimus, id iam perſequitur Ariſtoteles: nimirum vt cauſis omnium Rerumpub. communibus explicatis, nunc ſingulas ſeu proprias ſingularum Rerumpublicarum cauſas euertendarum aut mutandarũ perſequatur, Democratiæ, Oligarchiæ, Ariſtocratiæ. Nam de Regno & Tyrannide extremo demũ hoc libro cur ſeparatim explicet, cauſam eo loco exponemus. Hoc igitur capite de Democratia, id eſt, de cauſis & modis eius mutandæ propriis explicatur. Nam Democratiam quidem alias in Oligarchiam, alias in Tyrannidem, alias denique (nam hæ ſint huius capitis veluti tres partes) vnam Democratiam (*ſupra lib. 4.* de pluribus Democratiæ generibus dictum) in aliam Democratiæ ſpeciem commutari.

Retractatio ad quadam verba cap. 4. nimirum hæc:

Ἐνέβαλον τῶν ἱερῶν χρημάτων.] Hæc verba, alios plæroſq;

ſecutus, perperam ſupra reddidi, vere ita reddenda;

Rem diuinam eo faciente, occulte ſubiecerunt de rebus ſacris aliquam.

Id quod ex *Plut.* didici, apud quem *in lib. de præcept. Reipublicæ bene gerendæ plane extremo*, quo loco de diſſidiis Reſpublicas adminiſtrantium agit, exemplum hoc ab Ariſtotele hic explicatum planius & vberius exponitur. Nam apud Delphos, inquit Crates (huius filiam ducturus erat Orgilaus, iſq; propterea quod cratera quædam media crepuiſſet, veluti malo omine abſterritus ſponſam Cratetis filiam repudiaret) Crates, inquam, hac veluti ignominia & iniuria permotus, Orgilao poſtea rem diuinam faciente, vas quoddam ſacrum clam & occulte ſubiiciendum curauit, qua ſpecie mox Crates Orgilaum, vt ſacrilegum, cum fratre de ſaxo deiecit, multoſque eius familiares & notos, idem in templo Prouidentiæ interfecit; tandem & Crates vita & bonis multatus fuit. Eodem loco *Plut.* primum illud Syracuſanum exemplum hic *initio cap. 4.* indicatum paulo latius explicat.

TEXTVS.

Quæ in ſingulis vero Rebuſpublicis accidant; ex his, facta partitione, conſideranda ſunt. Ergo Democratiæ quidem maxime ex Demagogorum petulantia mutantur. Nam partim quidem eos, qui bona habent, priuatim calumniantes, conſpirare eos faciant (communis namque metus & inimiciſſimos conciliat) partim vero plebem in eos publice incitantes. atque hoc in multis ita fieri quis videat. Nam & in Coo Democratia malis in ea exortis Demagogis, mutata fuit: Principes namque conſpirarunt: & in Rhodo. Nam & mercedem dabant Demagogi, & vetabant triremium præfectis ſua perſolui. Hi vero, coniuratione facta, iudiciorum metu Democratiã diſſoluere ſunt coacti. Diſſoluta eſt autem Democratia etiam Heracleæ per Demagogos ſtatim à deducta colonia.

Prin-

Principes namque ab ijs iniuria affecti ſolum mutarunt: poſtea collecti hi, qui ſolum verterant, & aduerſus Rempublicam profecti, Democratiam ſuſtulerunt. Ad eundem modum & Megaris ſublata eſt Democratia. Nam Demagogi, vt bona publicare poſſent, multos Principes expulerant, donec multos efficerent exſules: qui reuerſi prælio populum ſuperarunt, & Oligarchiam inſtituerunt. Quod idem accidit & Cumanæ Democratiæ, quam ſuſtulit Thraſymachus. Fere autem in alijs quoque, qui attenderit, cernere poſſit mutationes ad eundem ſe modum habere. Nam alias quidem, vt gratificentur, Principes iniuria afficiendo concitant, vel bonis æquandis, vel mercede muneribus publicis inſtituenda ex vectigalibus: alias vero, vt diuitum bona publicare poſſint, calumniando.

COMMENTARII.

Καθ' ἕκαστον δ' εἶδος τῆς πολιτείας.] *Plato lib 8. de Repub.* vbi copioſe de Democratia, docet & vult eam commutari in Tyrannidem: à quo diſſentiens Ariſtoteles docet Democratiam antiquitus quidem ſæpe in Tyrannidem conuerti ſolitam, ſed alias quidem in Oligarchiam, alias in Tyrannidem, alias denique vnam Democratiæ formam in aliam commutari, *vt & ſupra diximus.* Huius autem trifariæ mutationis cauſam omnem confert in Demagogos, tanquam peſtes & pernicies omnis Democratiæ. De Demagogis diximus *ſupra lib 4.cap.4.* in quos mille locis grauiſſime inuehitur Demoſthenes, ipſe ſummus & peſſimus Demagogus, quibus Romanorum tribuni plebis plane ſimiles & gemini fuerunt, maxime poſteriores: de quibus, vt Reipublicæ Romanæ peſtibus, grauiſſime conqueritur *Cicero lib. 3. de legib.* Iniuriarum autẽ Demagogicarum duo ſumma facit genera Ariſtoteles, priuatas & publicas ſeu communes: quibus Demagogi aduerſus diuites & principes Reipublicæ vtantur. Nam

Platonis opin. Democratiam in Tyrannidẽ ſemper degenerare.

Ariſtotelis ſententia.

Cauſa harum mutationum.

Demagogi.

I. Modus mutandarum Democrat.

Iniuria Demagogica ſunt vel priuata, vel publica.

ſolent Demagogi vel calumniis & iudiciis vexare locupletiores, eaq; ratione bonis illorum inſidiari, vel plebem vniuerſam aduerſus eos concitare; vel propoſita nimirum bonorum exæquatione, qua velut eſca plebs illecta locupletes inuadat; vel etiam ditiorum aut principum faſtu & inſolentia aduerſus plebem exaggeranda. His modis Demagogos vti ait Ariſtoteles, quibus ad coitiones faciendas & ad coniurationes tandem impellantur principes aut locupletes, & coitione facta populare imperium euertant: cuius generis exempla affert Ariſtoteles quinque, Rerumpublicarum quinque. Nam & in inſulis Choo & Rhodo, & in vrbibus Heraclea Ponti, Athenienſium colonia, Megaris & Cumis principes Demagogicis iniuriis laceſſitos, euerſis Democratiis, Oligarchias in locis iis inſtituiſſe: de quibus exemplis amplius quærendum. Ad eundem modum & Romæ tribuni plebis multas ſæpe turbas grauiſſimas dederunt rogationibus ſuis agrariis, quam primam Romæ promulgauit Sp. Caſſius à patre ſuo poſtea necatus, *teſte Valerio libro 5. cap. 8.* etſi *Liuius & Dionyſius* non Caſſium, ſed Licinium Stolonem primum Agrariam legem tuliſſe ſcribunt. Multis poſt annis Q. Flaminius item Agrariam legem tulit, inuito ſenatu. Sed grauiſſimos motus eadem lege roganda excitarunt Gracchi, Tiberius, Dorius, Titius, alii tribuni plebis, ēt Seruilii, Rulli Cicerone conſule ipſe etiam Cæſar. Quam bonorum æquationem, qua nimirum ſuæ diuitibus poſſeſſiones auitæ eripiebantur, vel publica vectigalia Reipublicæ adimebantur, & plebi ac tenuioribus diuidebantur, Rerumpublicarum peſtem nominant omnes veteres, *Cic. Saluſt. Dionyſ.* &c. Capitalis oratio eſt, inquit *Cic. libr. 2. Offic.* ad æquationem bonorum pertinens: qua peſte quæ poteſt eſſe maior? Et *pro Sextio:* Frumentariam legem C. Gracchus ferebat: iucunda res plebi Romanæ. Victus enim ſuppeditabatur large ſine labore: repugnabant boni: quod & ab induſtria plebem ad deſidiam auocari putabant, & ærarium exhauriri videbatur. Sed videatur pulcherrimus *Ciceronis* locus *lib. 2. Offic.* Sed quoniam de eo genere beneficiorum, &c *Liuius lib. 6. in fi.* vbi Appius aduerſus legem Agrariam, Sextius, inquit, & Licinius, tanquam Romulus & Tatius, in vrbe Romana regnent: quia pecunias alienas, quia agros dono dant: tanta fortuna eſt ex alienis bonis prædandi:

Exempla Ariſtotelis.

Exēpla Romanæ Reipublicæ.

dandi: nec in mentem venit, altera lege ſolitudines vaſtas in agris fieri, pellendo finibus dominos: alterá eorum, qui debent, fidem abrogari, cum qua omnis humana ſocietas tollitur.

Σύμμαχοι ϗ͂.] Quaſi dicat, etſi locupletes vel diuites, quia ſæpe & ipſi inter ſe diſſentiant, non facile vniuerſi ad conſenſionem & conſpirationem aduerſus plebem impelli poſſunt: tamen propter communem metum iniuriæ à Demagogis expectandæ coitiones facere ſolent. Nam, inquit, communi periculo etiam inimiciſſimi inter ſe conſentiunt: quod elegans prouerbium profert Ariſtoteles & *lib* 1. *Rhet.* ὅθεν λέγεται, &c. Hinc eſt, quod dici ſolet, malis coniungi homines, vbi vtriſque idem noceat; quod de Cretibus veteres commemorant pacis tempore inter ſe diſſentientibus & tumultuantibus, belli ab hoſtibus externis illati aduerſus eos conſpirantibus & rem cõmunem propugnantibus. Eraſmus in prouerbio Syncretiſmus. Eo pertinet & quod ſcribit *Socrates Eccleſiaſticæ ſententiæ lib.*3.*cap.*3. de Epiſcopis Catholicis & Hæreticis ſiue Arrianis inter ſe quidem diſſentientibus, ſed aduerſus paganos ſiue profanos omnem Chriſti religionem impugnantes coniunctis animis & viribus defendentibus: verum mea quidem, inquit, ſententia & qui ſimultatem inter ſe gerant in ſeditionibus, ad nequam & perditorum hominum vires oppugnandas ipſi inter ſe conſpirare ſolent.

Μισθοφορεῖν δὲ οἱ δημαγωγοί.] Verba hæc eſſe perobſcura cum per ſe liquet, tum indicio ſunt interpretes, qui iis Latine reddendis mire variant: mihi tamen eorum hæc videtur eſſe ſententia: Demagogos, ſtipendiorum militarium ſoluendorũ præfectura ſibi ſumpta & vindicata, caligatis quidem & gregariis militibus (gratiæ à plebe ineundæ cauſa, quod hi milites fere ſint de plebe) æs ſuum perſoluere ſolitos: præfectos autem, qui fere ex honeſtiore eſſent loco, ære militari ſuo fraudare.

Ὅτε μὲν ϗ͂ ἵνα.] Et hæc verba item ſunt perobſcura: quorum tamen ſententia hæc eſſe videtur; Demagogos aut priuatorũ bona aut publica vectigalia diuidere in plebẽ, priuatorum quidem exæquatione bonorum & condonandis debitis, publica vero vectigalia muneribus publicis. Nam *ſupra lib.* 4. docuimus aliquoties, vſitatum eſſe in Democratiis,

tiis, vt hi qui magiſtratu aliquo funguntur aut curationem habent, annuo aliquo honorario vel ſtipendio à Republica accepto ſuſtententur, & veluti incitentur ad ipſa illa munera capeſſenda.

TEXTVS.

Cæterum antiquitus, cum idem eſſet Demagogus & Imperator, in tyrannidem mutabantur: nam plærique veterum Imperatorum ex Demagogis fere exſtiterunt. Cauſa autem, cur tunc quidem exiſterent, nunc vero minus: quia, qui tum eſſent Demagogi, fere eſſent ex Imperatoribus: neq; dum enim valebat eloquentia: nunc vero ea aucta, qui dicendo valent, ſunt illi quidem Demagogi; verum imperitia rei bellicæ non inuadunt tyrannidem, præterquam ſicubi talè quid exiguũ accidat. Exiſtebant autem tyrannides antea magis quam nũc etiam propterea, quod magna imperia quibuſdam mandarentur, vt Mileti ex Prytania: Prytanis namque multarum magnarumq; rerum poteſtatem habebat. Præterea, quia ciuitates tum non eſſent magnæ, ſed populus occupatus operibus ruſticis ruri verſaretur: qui populo præerant, ſi eſſent bellicoſi, tyrannidem inuadebant. id autem omnes fidem apud plebem conſecuti factitabant. Fides erat inimicitiarum cum diuitibus: vt Athenis Piſiſtratus, ſeditione aduerſus Pediacos mota; & Megaris Theagenes, diuitum pecoribus (ad flumen ea paſcentia nactus) mactatis: & Dionyſius, cum Daphnæum diuiteſque accuſaret, tyrannidem eſt conſecutus, fide habita propter inimicitias eum eſſe popularem.

COMMENTARII.

II. Modus. De muta-

Ἐπὶ δὲ τῶν ἀρχαίων.] Hic de altera Democratiarum mu-
[illegible] tatione

tatione iam explicatur, quam vnam probare *Platonem lib. 8. 9. de Repub. ſupra* monuimus, nimirum qua Democratiæ in Tyrannides mutentur. Huius igitur mutationis Ariſtoteles tribus exponendis cauſis hoc quoq; vna docet; cur antiquis temporibus, quam ſua ætate, crebriores eſſent Tyrannides. Primam igitur cauſam affert hanc: quia olim Demagogi plærique iidem eſſent Imperatores, ſua ætate oratores; atq; hinc fieri, cur olim facile exſiſterent Tyrannides: quia nimirum olim rei militaris periti veteres Demagogi facile vi & armis Rempublicam opprimerent. quod poſterioribus Demagogis, quia cauſid ci & rabulæ tantum eſſent, factu fuit difficilius: niſi ſi qui rei quoque militaris vſum aliquem ſibi comparaſſent. Hæc igitur vna eſt mutandæ Democratiæ in Tyrannidem cauſa, ſi ii, qui populo præſunt domi & in pace, iidem quoque in bello imperent, magnumque rei militaris vſum habeant. Altera cauſa, ſi alicui aut quibuſdam præter cæteros maxima imperia mandentur, hique magiſtratus, quorum maxima ſit vis & poteſtas, vt eſt prætura militaris, Prytania apud Mileſios, Dictatura Romæ, aut Conſulatus. His namque opibus adiuti & ſublati homines ambitioſi, & regnandi cupidi, facile ad tyrannidem & affectandam & inuadendam inducuntur. Quod inſtitutum inuadendi ſummos magiſtratus, quia olim, quam ſua ætate, eſſet vſitatius; id quoque in cauſa eſſe monet, cur & tyrannides frequentiores, ac tunc, eſſent. Exemplum affert de Republica Mileſiorum. Exemplo quoque ſit Iulius Cæſar, de quo *Cic. in Epiſt. ad Att.* ſæpe conqueritur, ſenatum ipſum tyrannidis eius per imprudentiam fuiſſe auctorem, quod ei imperium mandaſſet nimis magnum & inſolens in decennium. Huc pertinet diſputatio de Oſtraciſmo, de qua *ſupra lib. 4.* vbi docuimus, in Democratiis prudenter inſtitutum fuiſſe Oſtraciſmum, ne per eos, qui inter ciues genere, diuitiis, clientelis, eloquentia, honoribus & opibus excellerent, Democratia in Tyrannidem conuerteretur. Tertia cauſa: ſi populus, abiecta omni Reipubl. cura propter priuatas occupationes (quod per opifices, alioſque id genus humiliores viros fieri, monuimus *ſupra lib. 4.*) omnem adminiſtrationem aliis maxime rei militaris peritis & bellicoſis hominibus concedant. Nam populi hac negligentia, tanquam occaſione occupandæ tyrannidis, homines ambitioſos & potentes vti ſolitos:

tione Democratiæ in Tyrannidẽ.

I. Cauſa, cur olim crebrius mutatio hæc acciderit.

1. Cauſa huius mutationis.

2. Cauſa huius mutationis.

II. Cauſa, cur olim hæc mutatio crebrius acciderit.

Exemplũ.

Oſtraciſmus.

3. Cauſa huius mutationis.

III. Cauſſa, cur olim hæ mutationes crebriores. ſolitos: quæ eadem fuerit cauſa, cur olim quoque crebriores eſſent tyrannides, quod populus rure fere ageret, & in vicos diſperſus non vnam aliquam magnam ciuitatem incoleret & concelebraret. Nam vbi magna eſt populi multitudo, nõ facile per vnum aliquem opprimi ſolet aut poteſt. Præclarum eſt autem, quod tribus his cauſis Ariſtoteles expoſitis *Fides popularis ſingulare adiumentũ potiundæ tyrannidis.* adiungit, omnibus tyrannis, tyrannidemq; ſiue ex prima ſiue ex aliis cauſis affectantibus & inuadentibus vnicum & ſingulare fuiſſe adiumentum potiundæ tyrannidis, nimirum fidem apud plebem ſeu populum. Huius rei tria affert Ariſtoteles exempla; ciuitatum Athenienſium, Megarenſium, *1. Exemplũ.* & Syracuſanæ. Nam Athenis quidem Piſiſtratus, quia Pedicis ſiue Pedianis infeſtũ ſe præberet, plebi charus eſſe cœpit, & hac occaſione tyrannidem occupauit. Erant Athenis & in Attica teria tres factiones; ſiue tres in partes populus Atticus erat diſtributus, cuius rei & ſupra quoq; meminimus: Diacrios, id eſt, montoſa loca incolentes, qui fere erant Democratici: in Pedicos ſiue Pediacos, qui erant fere Oligarchici, planiorem Atticæ partem incolentes: & in Paralos ſiue Paralios, quaſi maritimos, qui fere erant Politici, mediumque ſtatum ſequebantur: quamuis & hi ad Democratiam inclinarent. Adeo vt præcipuæ populi Attici partes eſſent Diacrii & Pediaci; ſiue Democratici, & Oligarchici. De quibus duabus Athenienſium factionibus, Populari & Optimatum, meminit & *ipſe Cic. lib. 1. Offic. Plut. in Solone, &* *Dionyſii exemplum.* *alibi, & Herod. lib. 1.* vbi commemorat idem hiſtoricus, Dionyſium, animaduerſa hac partium diſſenſione, popularibus ſe adiunxiſſe aduerſus nobiles & paucos, & audaci ſtratagemate ſe vulnerando magnam nobilibus inuidiam conflaſſe, &, adiuuante eiq; dedito populo, tanquam populari, occu- *2. Exempl.* paſſe tyrannidem. De altero exemplo, nimirum Theagenis qui occidendis iumentis & pecoribus diuitum auram popularem Megaris captauit, eaque ratione plebi demonſtrauerit ſuam aduerſus diuites inimicitiam & odium, amplius *3. Exempl.* quærendum. De Dionyſio, quemadmodum & ille nobilibus & ditioribus accuſandis & in crimen inq; inuidiam vo- *Agathoclis exemplum.* candis apud plebem (Piſiſtratum imitatus) tyrannidem obtinuerit Syracuſis, & ibidem poſtea Agathocles, diligenter *Exempla Romanorũ.* exponit *Diodorus Siculus lib. 13. 19.* Similes tribunorum aliquot Romanorum actiones, aliorum quoque, vt Pompeii,

Cæſa-

Cæſaris in plebe Romana delinienda largitiones, & in primis Marii *apud Saluſtium* aduerſus nobilitatem, videre licet in multis locis *apud Liuium, Ciceronem & alios.*

TEXTVS.

Mutantur autem ex vſitata Democratia in recẽtiſſimam. Nam vbi magiſtratus electione fiunt, non quidem è cenſu (ex diuitijs:) ſed eligit populus, Demagogi ſummo ſtudio eo rem deducunt, vt legum quoque Dominus ſit populus. Cuius rei remedium, vt vel non fiat, vel rarius fiat: & ſi magiſtratus non ab vniuerſo populo, ſed tributim creentur. Itaque Democratiarum quidem omnes mutationes ex his fere cauſis fiunt.

COMMENTARII.

Μεταβάλλουσι δὲ.] Tertius mutandarum Democratiarum modus hic exponitur, quo Democratiæ non in aliud Reipublicæ genus, ſed in idem commutẽtur, nimirum quo ſpecies vna Democratiæ conuertatur in aliam, bona ſiue moderata & temperata Democratia, quemadmodum veteres & ante Ariſtotelis tempora fere erant Democratiæ, in immoderatam ſiue eam, qua omnia non legum imperio, ſed plebis aut populi libidine regerentur, qualis Democratia Athenis erat ætate Ariſtotelis: qua de re & alias ſæpe, maxime *ſupra lib. 4.* diximus, eamq; propterea vocat recentiſſimam. Talis autem mutatio Democratiæ moderatæ in immoderatam facta fuit olim Athenis ſub tempora Demoſthenis & Ariſtotelis, & Romæ ſub tempora Ciceronis: quæ Democratiæ ſpecies quia ſit grauiſſima & valde pernicioſa, vt in qua non leges, ſed plebs tantum dominetur; vt ea, inquam, caueatur & impediatur, inſignem rationem & viam ſiue remedium hîc attingit leuiter Ariſtot. in magiſtratibus creandis poſitum: nimirum ſi magiſtratus creentur non ab vniuerſo populo, ſed tributim, id eſt, ſi magiſtratuum creandorum poteſtas permittatur non paſſim & cuilibet de populo, ſed certis tantum, qui ex quaque tribu ſint deligendi. Hac namque ratione futurum putat Ariſtoteles, vt maior legum

III. Modus mutandarum Democratiarum.

Exempla.

Remediū.

habenda

habenda ſit ratio, & minor ſit futura libido aut auctoritas populi. Nam vniuerſus populus vel corruptelis vel fauore & ſtudiis vel aliis iniuſtis rationibus permotus in mandandis magiſtratibus propter multitudinem & conſenſum quia nō temere puniri vel in eum animaduerti poteſt; liberior eſſe ſolet, quod contra fiat in paucis, in quos quia facilius animaduerti poſſit, cautius in magiſtratibus mādandis ſint verſaturi, quo argumento *Cic. lib.3. de legib.* tribunatum plebis Reipublicæ Romanæ ſalutarem eſſe oſtendit. Cæterum de variis magiſtratuum creandorum modis & rationibus alias per vniuerſum populum, alias per partem populi, vt tribus (vt Romæ erant comitia centuriata & tributa, etiam curiata) expoſuimus *ſupra in fi. lib. 4.*

CAPVT VI.

Duæ ſummæ mutandarum Oligarchiarū cauſæ.

EXPLICATIS priore capite cauſis mutandarum Democratiarum propriis, deinceps hoc capite eas perſequitur, quæ Oligarchiarum mutandarum ſint ſuæ & propriæ. Duas autem principes & ſummas maximeque perſpicuas eſſe oſtendit, vel paucorum in plebem iniurias, vel paucorum inter ſe diſſenſiones: & de priore quidem breuiter:
1\.
2\. de altera, vt quæ ſit varia & multiplex, copioſe diſſerit toto fere capite.

TEXTVS.

Oligarchiæ autem duobus modis maxime perſpicuis mutantur: vno quidem, ſi plebem iniuria afficiant. Nam quilibet dux eſt idoneus, maxime vero vbi accidit, vt ex ipſa Oligarchia dux fiat, vt in Naxo Lygdamis, qui & tyrannidem poſtea nactus eſt apud Naxios: Ex aliis autem orta ſeditio habet quoq; varietates: nam alias quidem ex ipſis diuitibus, qui quidem non ſint in magiſtratu, fit diſſolutio: cum hi, qui ſunt in honoribus, valde ſunt pauci, vt Maſſiliæ & Iſtri & Heracleæ & multis aliis in ciuitatibus accidit. Nam qui non fuerant magiſtratuum participes, ſeditionem mouebant,

bant, donec participes fierent primum ſeniores ex fratribus, poſtea rurſus iuniores. Nam nō capiunt magiſtratum eodem tempore alibi quidem & pater & filius, alibi vero frater ſenior & iunior: & alibi quidem Oligarchia facta eſt Politiæ affinior: Iſtri vero in Democratiam deſinit: Heracleæ vero à paucioribus ad ſexcentos deuenit. Mutauit autem & in Cnido Oligarchia, ipſis principibus inter ſe tumultuantibus: eo quod pauci honorum eſſent participes, &, vt diximus, ſi pater eſſet, quia filius non eſſet; & ſi plures eſſent fratres, quia non niſi maximus natu eſſet particeps. Nam diſſidentibus populus, accepta occaſione, duceq; ex principib⁹ accepto, impetu facto ſuperior euaſit: quod enim diſſidet, infirmum eſt. Erythris quoque, quo tempore Baſilidæ Oligarchiam tenebant vetuſto, quantumuis recte ii, qui Reipublicæ præerant, munere ſuo fungerentur; populus tamen, quia grauiter ferret paucis parere, Rempublicam commutauit.

COMMENTARII.

Αἱ δ' ὀλιγαρχίαι.] De Oligarchiæ mutationibus hoc capite, vt ſupra monuimus, explicaturus Ariſtot. initio præclare monet, duas mutationum Oligarchicarum ſummas & principes maxime notas & vſitatas eſſe cauſas; iniuriam plebis, & diſſenſionem paucorum inter ſe. Et de iniuria quidem, ſi nimirum plebs à paucis genere aut diuitiis præſtantibus opprimatur, excutiendi huius iugi cauſa ducem ad motus & ſeditiones mouendas ſibi quærere ſolet, etiam qualemcunque & de plebe. Qui tamen ſi & ipſe de paucorum numero fuerit, iam facilius Oligarchia euerti poterit, propterea quod hic opibus quoque & imperio præſtans inter ipſos paucos diſſenſionem ſerere & ex iis aliquot ad ſuas partes pertrahere poſſet. Sic Romæ plebs, Gracchos tribunos nacta duces, ſenatus & principum paucorum poteſtatem facilere-

Oligarchia mutandæ cauſa.

I. Iniuria.

Dux huius mutationis ſi fuerit vnus è paucis maxime commodus erit.

Exemplum Rom. le repreſſit, poſteaque nacta Cæſarem, euertit: etſi ea ætate Romæ non tam Oligarchia eſſet, quam Democratia: erat tamen & tum non exigua principum ſenatuſque auctoritas. *Exemplum Ariſt.* Sic in Inſula Naxo ducem plebs nacta Lygdamin, ex potentioribus ciuibus vnum, Oligarchiam euertit; ita tamen, vt, quemadmodum & Romæ ſub Cæſare, paulo poſt ſub tyrannidem recideret: hoc namque fere fieri ſolitum monet & *Hi Duces plærumque inuadunt tyrannidē.* infra Ariſtoteles, vt duces hi populares plærique tyrannidem poſtea inuadant, quod & ſupra dictum eſt. Et hæc quidem de iniuria paucorum in plebem. Nam de iniuria, quæ & omnium Rerumpub. euertendarum communis eſt cauſa, ſupra eſt explicatum.

II Cauſa euertend. Olig. diſſenſiones eorum, qui Remp. tenent. Ἔχει δὲ καὶ ἡ ἐξ ἄλλων.] Altera cauſa euertendæ Oligarchiæ explicatur hoc loco, & quidem toto hoc reliquo capite, quũ ait, non ex plebe, ſed aliunde, nimirum ex ipſis paucis ſiue nobilibus ſiue diuitibus Rempublicam tenentibus naſci & oriri; idque multifariam, prout multæ variæq; diſſenſionum Oligarchicarum ſunt cauſæ, & genera.

I. Cauſa huius diſſenſionis. Ὅτι μὲν γὰρ ἐξ αὐτῶν.] Diſſenſionis paucorum inter ſe & Oligarchiæ cauſam primo Ariſtoteles affert ex honorum & magiſtratuum cõmunione. Nam fieri interdum, vt etiamſi omne Reipublicæ imperium eſt penes diuites aut nobiles, vel patricios: tamen id ſit non penes omnes diuites, ſed pe- *Eiuſdem ὑποδιαιρέσεις.* nes paucos duntaxat: quod quidem & ipſum variis modis, aliterque alia ex cauſa alia in ciuitate accidere poteſt; puta 1. vel quia pauca ſint magiſtratuum & honorum genera, diui- 2. tes aut nobiles ſint multi: vel quia ex prima inſtitutione certis tantum familiis, reliquis, licet peræque potẽtioribus, excluſis, vt Venetiis, mandentur & communicentur: vel quia 3. ex inſtituto Reipublicæ patre magiſtratũ gerente filius excludatur, vel ex pluribus fratribus maximus natu tantum ad imperia & honores admittatur. His igitur aliiſq; modis quia ſæpe vſuuenire poteſt, vt in Oligarchiis non omnes, vt dixi, diuites, ſed ex iis pauci duntaxat honores & magiſtratus capiant; reliqui, vt opibus & genere pares, quia imperio & honore impares ſe vident, facile ad motus impelluntur, factaq; *Mutatio huius cauſæ, ratione extremi, in quod.* inter ſe coniuratione, adhibita (vt plærunque fit) plebe aduerſariam factionem facile opprimere ſolent, & Oligarchiam vel plane euertere, ex eaque efficere Democratiam, vel ſaltem in Politiam Oligarchiæ finitimam, & tanquam ex vno

ex vno Oligarchiæ genere in aliud commutare: cuius trifariæ ſeu triplicis mutationis exempla, de Politia, vt videtur, Maſſiliam, de Democratia Iſtrum ciuitatem (quo nomine multæ fuerunt vrbes) affert ipſe Ariſtoteles, de quibus amplius quærendum. Affert & alia duo de ciuitate Cnido, quæ eſt vrbs Cariæ & de Erythris ſiue Erythra vrbe Ioniæ, in quibus duabus ciuitatibus populus Oligarchiam in Democratiam conuertit, nactus maxime Cnidi popularem ducem ex ipſa paucorum factione. *Exempla.*

Καὶ ἡ θάτερ.] Locus eſt inſignis ex tractatu de magiſtratibus, an propinquis vel affinibus duobus aut pluribus vno eodemq; tempore honores aut imperium mandari debeant. Huic loco nõ eſt diſſimilis ille, qui eſt de magiſtratibus perpetuandis, de quo explicatum eſt *lib. 2. ſupra.* De hoc autem videantur *l. 1. C. de honorib & munerib. non continuand. &c. l. honor. §. vlt. & penult. ff. de honor. & muner.* Et hoc quidem inſtituto, vt ne eodem tempore propinqui in ſenatũ aſciſcantur aut ſummis fungantur magiſtratibus, multæ Reſpub. hodieq; vtuntur, quo tamen veteres Romanos vſos eſſe non arbitror. *Vtrum plurib. propinquis vno & eodem tempore honores ſint mãdandi.*

Ἐπὶ τῆς τῶν βασιλιδῶν ὀλιγαρχίας.] Elices, quæ vrbs eſt Ioniæ, aliquot familiæ vel gentes fuiſſe videntur, quæ, quia ex Regio eſſent ſanguine, Baſilidarum dicerentur, & in ea vrbe imperium tenuerint Oligarchicum: de quibus Baſilidis & *Strabo lib. 14.* genus eos duxiſſe ab Androclo Codri Regis Athenienſium vltimi filio Coloniarum Ionicarum ab Athenienſibus deductarum apud veteres hiſtoricos valde celebrium principe & auctore. *Baſilidæ.*

TEXTVS.

Mutantur autem & Oligarchiæ ex ipſis etiam propter Demagogorum contentionẽ. Demagogia autem eſt duplex: alia quidem inter ipſos paucos: nam etſi pauci fuerint, Demagogus exſiſtit, vt & Athenis inter triginta Charicles, Demagogum ſe gerendo inter triginta viros, magnam potentiam eſt conſecutus; & Phrynichus eodem loco inter quadringentos: vel vbi qui Oligarchiæ ſunt parti-

participes, turbæ Demagogos ſe præbuerint, vt Lariſſæ Politophylaces populo, quia ab eo crearẽtur, Demagogos ſe præbebant: atque in Oligarchijs, in quibus magiſtratus creantur, non hi, ex quibus ſunt magiſtratus: ſed ſunt quidam magiſtratus ex magnis cenſibus, vel ex factionibus: creantur vero à militibus vel à populo, quod accidit in Abydo, vel quibus in locis iudicia exercentur non ab ijs, quos penes eſt ſumma Reipublicę: nam Demagogi Rempublicam ad iudicia transferunt, quod & Heracleæ Ponti accidit.

COMMENTARII.

II. Cauſa ſeu occaſio mutãdæ Oligarchiæ, ab ipſis Oligarchis orta ſeu inteſtina.

ὑπὸ διαίρεσις.

Κινοῦνται δὲ καὶ αἱ ὀλιγαρχίαι.] Diximus ſupra; alteram mutandæ Oligarchiæ cauſam ex ipſis Oligarchis inter ſe diſſidentibus manare, & quidem multifariam. Hic igitur alius modus ſiue occaſio eius mutationis ab Ariſtotele exponitur, nimirũ Demagogia Oligarchiarum: de Demagogis & Democraticis in commutandis & euertendis Democratiis expoſitum eſt *ſuperiore cap. prox.* hic de Oligarchicis Demagogis, quorum duo ait eſſe genera: nam ex Oligarchis ſiue paucis alias quidẽ reliquis paucis & Oligarchis, alias vero multitudini & plebi. Nam fieri interdum ſolet, vt ex paucis illis

1. Ratio.

vnus aliquis exſiſtat, qui reliquis blandiendo tandem omniũ fauorem colligat, atq; ita magnas opes & potentiam conſequatur, adeoque tyrannidem quandam inuadat. Huius Demagogiæ Oligarchicæ duo exempla ex Republ. Athenienſium affert Ariſtoteles. Talem fere inter Decemuiros Romanos *Liuius aliiq; hiſtorici* deſcribunt Appium Decemuirum. Rurſus ſæpe fit, vt ex paucis vnus aliquis potentiæ ſibi comparandæ cauſa popularem ſe præbeat, populiq; fauorem & rumuſculos colligat: id, quod Ariſtoteles in illis ciuitatibus & Rebuſpublicis ait maxime accidere, in quibus ius & poteſtas magiſtratuum creandorum ſit penes ipſum populum ſeu plebem, vt in Republica Lariſſæa & Abydena, velut exempli loco, accidiſſe commemorat. Idem & Romæ accidiſſe clariſſimum eſt. Nam tametſi magiſtratus, honores & imperia primum patriciis tantum ſiue paucis & Oligarchis

Exempla Athenienſium.

Exempla Romanorũ.

2. Ratio.

Exempla.

garchis mandarentur, populus tamen mandandorum eorum ius & poteſtatem ſolus habebat: hæc enim tria (mandandorum magiſtratuum, belli indicendi, & ſciſcendarum legum ius & poteſtatem) populum ſibi ſola reſeruaſſe *Dionyſ. Halicarnaſ. & alii* commemorant. Et de his quidem Demagogis popularibus, etſi non de plebe, tamen de Oligarchis & principibus eſſent, dictum eſt & *ſupra cap 5.* & hic initio de Lygdami Naxiorum Demagogo & poſterius tyranno; & hîc, vt dixi, exempla Lariſſæ, Abydi, & Heracleæ quoque Ponti (nam plures eo nomine vrbes fuerunt) exempla commemorantur, de quibus amplius quærendum.

Οἷον ἐν λαρίσσῃ οἱ πολιτοφύλακες.] Diximus & *ſupra lib. 2. cap 6.* eos, qui Reipublicæ præeſſent in vrbe hac Theſſaliæ celeberrima Lariſſa, dictos fuiſſe πολιτοφύλακας, proprio eius Reipublicæ nomine, vt olim Romæ fuerunt fere Dictatores. *Πολιτοφύλαξ.*

Οἷον ἐν τοῖς τριάκοντα.] Athenienſibus Spartani deuictis triginta tyrannos (ſic enim eos poſtea vocarunt Athenienſes) conſtituerunt, Democratia in Oligarchiam, id eſt, paucorum, puta horum xxx. imperium commutata: de qua mutatione & Athenienſium calamitate copioſe *Plut. in Lyſandro Spartanorum duce.*

Καὶ ἐν τοῖς τετρακοσίοις.] De altera hac in Republica Athenienſi Oligarchia, qua imperium à populo ad quadringẽtos Oligarchas artibus & conſiliis Alcibiadis fuerit tranſlatum, diximus & *ſupra cap. 4.*

Καὶ ἐν ὅσαις ὀλιγαρχίαις.] Hic de altero Demagogorum genere, nempe Democratico ſeu populari, de quo latius *ſupra*, cuius generis duas potiſſimum cauſas hîc exponit Ariſtoteles, magiſtratuũ creandorum & iudiciorum ius & poteſtatem. Nam quibus, inquit, in Oligarchiis ius creandorum magiſtratuum non penes ipſos Oligarchas, ſed eſt penes plebem, vt Romæ penes vniuerſum populum: his in locis hæc Demagogia exſiſtere ſolet, nimirum dum hi paucis petendis & ambiendis magiſtratibus populi fauorem & auram blanditiis, muneribus, viſcerationibus, epulis captare ſolent; ſiue magiſtratus ex certo cenſu mandẽtur, vt in plæriſque Oligarchiis; ſiue ex certis familiis aut collegiis & factionibus: cuius generis Oligarchiam Abydi fuiſſe ait, & hîc, & *paulo infra hoc cap.* Iudiciorum quoq; exercendorum *Cauſa Demagogorũ popularium in Oligarchiis.*

poteſtas ſi non penes paucos, quorum in manu alioqui ſit Reſpub. ſed penes plebem remaneat: hic quoq; metu iudiciorum plebi adulantur potentes, & tandem Rempublicam ex Oligarchica faciunt Democraticam, popularem, aut tyrannicam; quod Heracleæ Ponti ait accidiſſe. Sic olim & Romæ maximæ contentiones de iudiciorum poteſtate exercendorum inter ordines ſenatorium & equeſtrem fuerunt: de quibus videantur *Cic. lib. 3. de legib. & in Diuinat.* *& Liuius extrema fere epitome*, vbi de lege Liuia & lege Cornelia, *Paulus Manut. in lib. de legib & in Diuinat. Carolus Sigonius in lib. de vet. iur. Rom.* de Iudiciis dictum eſt & *ſupra lib. 4. cap. vlt. & infra quoq; hoc cap.* ἐν δὲ τῷ δικαστηρίῳ.

Roma contentiones de iudiciis.

TEXTVS.

Præterea vbi paucorum potentiam ad pauciores nonnulli redegerint. Nam qui æquitatẽ quærunt, populi opem adhibere coguntur.

COMMENTARII.

III. Cauſa ſeu occaſio, ſeu modus, quo euertitur Oligarchia, ab ipſis Oligarchis ortus, ſeu inteſtinus.

Ἔτι δὲ ὅταν.] Alium exponit hoc loco modum diſſenſionis paucorum inter ſe, ſiue aliam cauſam, nimirum ſi Oligarchiam ex ipſis Oligarchis aliqui anguſtiorem facere conentur, ſiue paucorum imperium redigere ad pauciſſimos, reliquis paucorum excluſis; qui reliqui dum pauciſſimis illis pares ſe eſſe ſtudent, & peræque atque pauciſſimi illi ad honores & commoda Reipublicæ admitti; populum ſocium & adiutorem adhibent: atque ita populus hac mutatione euerſo hoc imperio Rempub. ad ſe conuertit.

TEXTVS.

Exſiſtũt autem Oligarchiæ mutationes etiam, cum intemperanter viuendo ſua conſumpſerint: hi namque & rebus nouis ſtudere ſolent, & tyrannidem vel ipſi inuadunt, vel alium impellunt, vt Syracuſis Dionyſium Hipparinus, & Amphipoli is, cui nomen Cleotimus, Chalcidẽſium colonos adduxit, & adductos eos aduerſus locupletes concitauit: in Ægina quoq; is, qui Charetis geſſit cauſam,

ſam, parę de cauſa Rempublicam mutare conatus eſt. Itaque alias quidem mutare conantur, alias vero publica compilant: vnde ſeditiones mouēt aduerſus eos vel ipſi, vel qui compilantibus ſe opponunt, quod Apolloniæ Ponti accidit.

COMMENTARII.

Γίγνονται δὲ καὶ αἱ μεταβολαί.] Alia mutandæ Oligarchiæ cauſa, inteſtina, ſiue ab ipſis Oligarchis exoriens (nam de hac nūc agitur) æris alieni magnitudo, hîc exponitur. Nam ſæpe hoc fieri vt pauci, conſumpto patrimonio vel alea, vel comeſſationibus, vel luxuria qualibet, ſeditiones moueant & coniurationes faciant, atque adeo vel tyrannidem ipſi inuadant, vel alium aliquem impellant; aut certe, omiſſis motibus & ſeditionibus, ærarium & publica vectigalia compilent; atque ita lacunam rei familiaris pecunia publica expleant: hæc namque duo mala (vel ſtudium rerum nouarum, vel ærarii, vel publicorum vectigalium compilationem) æs alienum conſequi: ex quo etiam poſteriore, nimirum compilatione, nihilominus contentiones, ſeditiones, & motus oriantur, vel ab ipſis compilatoribus inter ſe diſſidentibus, vel ab aliis aduerſus hos Demagogos ſe opponentibus. Vtriuſque mali exempla adfert Ariſtoteles; rerum quidem nouarum ſtudii in Rebuſpublicis Amphipolitana, Syracuſana, & Æginetana; Compilationis, in Apollonia eorum qui fuerunt ad Pontum. Huius autem loci communis de ære alieno & obæratis illuſtre exemplum in Catilina habemus, de quo ita *Saluſtius*; agitabatur, inquit, magis indies magiſque, &c. & paulo poſt de moribus ſui ſeculi; igitur ex diuitiis, inquit, iuuentutem ex luxuria & auaritia, &c. & mox, hæc, inquit, iuuentutem, vbi familiares opes defecerant, ad facinora incendebant, &c. qui pulcherrimus eſt locus: & *Cic. lib. 2. in Catil. de Catilinæ ſodalibus & gregariis*; nemo, inquit, non Romæ, ſed non vllo Italiæ in angulo ære alieno oppreſſus fuit, quem non ad hoc ſcelus fœderis aſſumere, &c. & mox; patrimonia ſua profuderunt, fortunas ſuas abligurierunt, res eos iam pridem, fides decipere nuper cœpit: & poſtea copioſe, vbi de ſex Catilinæ gregariorum generibus. *Idem Cic. lib. 5. Epiſt. ad Seſtium* iocans, itaque, inquit, me nunc ſcito

IV. Cauſa ſeu occaſio, ſeu modus mutandæ Oligarchiæ ab ipſis Oligarch. ortus ſeu inteſtinus.

Duo mala æs alienum comitātia.

Exempla.

tantum habere æris alieni, vt cupiam cõiurare, ſi quiſquam recipiat, &c. Huc quoque pertinent ea, quæ alias attulimus de legibus Agrariis, & de nouis tabulis, & quæ de paupertate, qua impellantur plærique ad malas artes & ad maleficia.

Ὥσπερ ἱππαρχῶν Διονύσιον.] De his quatuor exemplis amplius quærendum.

TEXTVS.

Oligarchia autem conſentiens non facile per ſe ipſa euerti poteſt: argumento eſt Reſpub. Pharſalica. Illi namque pauci, quia inter ſe recte vtantur, multorum ſunt domini.

COMMENTARII.

Ὁμονοοῦσα.] Adhuc docuit Ariſtoteles, Oligarchias mutari & euerti partim per populum aut plebem, id eſt, per alios, partim per ipſos Oligarchas, nimirum inter ſe diſſenſionibus & diſcordia, quæ multifariam & multimodis exoriatur: quod idem hoc loco à repugnantibus confirmat; eas nimirum Oligarchias eſſe ſtabiles, quæque difficile mutentur aut euertantur, vbi inter Oligarchas ſeu paucos ſit concordia: exemplum affert de Oligarchia Pharſalica; alterum ſit noſtræ ætatis Veneta & Norica. Nam & his in locis Oligarchiæ vel certe huic non longe abſimilis Politiæ (quæ tamen Reipublicæ ſpecies in aliis potius imperii ciuitatibus eſſe videtur) inſtituta perſeuerant.

Ratio à repugnantib.

Exempla.

TEXTVS.

Diſſoluuntur autem & cum Oligarchiæ alteram ſuperinduunt: id quod tum accidit, cum tota Reipublicæ adminiſtratione penes paucos conſtituta, non omnes pauci maximorum magiſtratuum ſint participes, quod in Elide aliquando accidit. Nam, Repub. penes paucos ſenes conſtituta, omnino pauci reddebãtur: eo quod eſſent perpetui, & quidem nonaginta, creatio vero Dynaſtiæ propria, & ſimilis ei, quæ Senum apud Lacedæmonios.

COM-

COMMENTARII.

Καταλύονται δέ.] Alius diſſoluendæ Oligarchiæ modus, quo nimirum paucorum imperium ad pauciores contrahatur: quem modum *ſupra* quoque attigiſſe videtur his verbis, ἔτι, ὅταν ἔνιοι, &c. etſi hi duo modi & loca nonnihil inter ſe differre dicantur. Nam priore ex Oligarchis pauci ſiue quidam omnem ad ſe Rempub. eiuſque adminiſtrationem pertrahunt, reliquis plane excluſis & remotis: hoc vero ex Oligarchis quidam ad ſe pertrahunt non omnem Rempublic. quidem, ſed ſummos tantum magiſtratus & imperia: ita vt minores magiſtratus cum aliis nihilominus communicentur: quod Ariſtoteles ait in Elide accidiſſe, vbi ſumma Reip. penes paucos ſenes fuerit. Sic enim qui ſummam Reipublicæ te..erent appellati in ea vrbe fuiſſe videntur, vt & Lacedæmone. Nam & Lacedæmoniæ Geruſiæ, i. ſenatui, eam Elidenſem comparat Ariſtoteles in modo creandi, quem ait fuiſſe vtrobique δυναστευτικὸν, id eſt, turbulentum & factioſum, ſiue Dynaſtiæ, quæ ex plurimis Oligarchiæ formis eſt nequiſſima & deterrima, ſimilem *ſupra lib. 4.* accommodatum. Iam vero quia hæc Elidenſis Geruſia eſſet perpetua, neceſſario accidebat, vt multi ex Oligarchis morbo præuenti eum ſummum magiſtratum non caperent: & hinc motuum & ſeditionum initia, quod nimirum duplex quodammodo ibi eſſet Oligarchia, vna ęquabilior & moderatior, qua multis ſaltem Oligarchis ad minores magiſtratus pateret aditus: altera magis factioſa & tyrannica, eaq; quæ dicitur δυναστεία, qua nimirum pauciſſimis ad magiſtratus pateat aditus. Ad eundem modum ſæpe hoc vſuuenit, vt aliis quoque in Rerumpubl. generibus minores magiſtratus etiam infimo pateant ordini, iiſque qui de plebe; maximi non, niſi principibus & patriciis: vt initio Romæ diu decertatum fuit de conſulatu, de cenſura, aliiſq; maioribus mãgiſtratibus; qua de re & *ſupra* nonnihil expoſuimus *lib. 4.*

V. Cauſa ſeu occaſio, ſeu modus mutãdæ Oligarchiæ inteſtinus. Huius & tertiæ diſcrimen.

Exemplũ.

TEXTVS.

Cæterum Oligarchiarum mutatio fit & in bello & in pace; in bello quidem, quia ex diffidentia aduerſus populum militibus vti cogãtur. Etenim cui præfecturam mandarint, hic ſæpe fit tyrannus,

vt Corinthi Timophanes: ſi ſint plures, δυναςείαν hi ſibi vendicant. Interdum autem hæc metuentes cum plebe Rempublicam communicant: quia vti ea coguntur. In pace vero propter diffidentiam inter ſe militibus cuſtodiam committũt, & præfecto veluti arbitro, qui vtriuſque partis interdum fit dominus, quod Lariſſæ accidit principatu Aleuadarum eorum, qui in Samo, & Abydi ſub tempora factionum, quarum vna fuit Iphiadæ.

COMMENTARII.

VI. Cauſa ſeu occaſio ſeu modus euertendæ Oligarchiæ, inteſtinus ſeu ab ipſis Oligarchis ortus.

1. Exempl.
2. Exempl.
Ante hoc quoq; ponatur exempl. Põpeii, Cæſaris & Craſſi, de quo Appia.
3. Exempl.
Suo an externo milite res gerendæ.

Γίγνεται δὲ μεταβολὴ] Alius euertendæ Oligarchiæ modus, ἀπιςία ſiue fides ſuſpecta, &, vt ita dicam, diffidentia, hic exponitur: qui quidem modus & pacis & belli tempore vſuuenire ſolet: in bello quidem ex fide populi ſuſpecta, in pace vero ex fide ipſorum inter ſe. Nam belli quidem tempore quia populo milite vti non auſint, ne hic vel armatus, vel hac potentia & vſu militari inſtructus arma tandem non tam in hoſtes externos, quam in ipſos Oligarchas conuertat, eoſque opprimat: hac igitur de cauſa quia non ſuo, ſed externo milite vti debeant Oligarchæ; hinc fit ſæpenumero, vt his militibus præfectus, hac nimirum potentia ſubnixus, tyrannidem occupet, ſi ſit vnus; ſin plures, vt hi Rempublicam inter ſe veluti partiantur & nouam inſtituant Oligarchiam, euerſa vetere: ſic olim de Camillo metuebant Romani, quem ea propter in exilium egerunt: ſic poſtea Iulius Cæſar tot ſuis decennio in Gallia exercitatis legionibus armatus patrię bellum intulit, eaq; oppreſſa tyrannidem occupauit vnus: ſic paulo poſt triumuiri, M Antonius, Octauianus, & Lepidus Rempublicam Romanam inter ſe ſunt partiti; etſi his præfectura metu populi, aut propter ſuſpectam eius fidem Romæ ab Oligarchis non fuit mandata, ſed ab ipſo populo vel ab ipſis occupata. Ex his autem verbis pendet & locus ille communis de iure militari, ſeu de re militari, vtrum ſuo an externo milite res ſint gerendæ, de quo & *infra hoc libro*. Pacis vero tempore, quia ab externo hoſte non eſt periculum, à populo nihil metuunt, vt qui, ſi ab

externis

externis opibus non impediantur, ſatis ipſi populum in officio cōtinere poſſint. Verum vt belli tempore, id eſt, in communi periculo Oligarchæ plærumque inter ſe conſpirant (συνάγει γὰρ, &c. *ſupra cap. 5.*) ita contra in pace ſæpe diſſenſiones aut ſuſpiciones inter ipſos Oligarchas exoriri ſolent: quibus controuerſiis & contentionibus dirimendis, quia ipſi inter ſe non fidunt, metuuntque, ne ex ipſis tyrannidem vnus inuadat, & opprimat reliquos; externum quærunt præſidium aut etiam domeſticum, eaque cuſtodia ſtudent cauere, ne quis tyrannidem inuadat: verum ſæpe accidere ſolet, vt huius præſidii & cuſtodiæ præfectus, qui etiam tanquam arbiter honorarius his controuerſiis & ſuſpicionibus tollendis deſignatus fuerit, vt hic (inquam) tyrannidi auertendæ conſtitutus ipſe tyrannidem inuadat. Huius rei duo exempla affert Ariſtoteles: id namque & Lariſſæ & Abydi ait accidiſſe. Sic & Romæ olim ſublata fuit Dictatura metu Tyrannidis; & Pompeium nouo more ſolum gerere conſulatum maluerunt adiuncto cuſtodiendæ vrbi præſidio, quam deſignare Dictatorem, de quo Pompeii Conſulatu tertio omnes veteres ſcriptores, *Plut Cic.* &c. *Exempla.*

Καὶ ἄρχοντι μεσιδίῳ.] De hoc verbo dictum eſt *in Ethic. libr. 5.*

Ἐπὶ τῆς τῶν ἀλευαδῶν.] Olim apud Theſſalos in principe vrbe Lariſſa illuſtris & regia fuit familia Aleuadarum, literarum & doctorum hominum patrona ampliſſima, quam eo nomine grauiter laudat *Plato initio Menonis*, eiuſq; magnam aduerſus Simonidem Poetam benignitatem prædicat *Sozomenus in præfat. hiſtoriæ Eccleſiaſticæ.* Quod autem Ariſtoteles hîc ait, τῶν περὶ σάμον, non ſatis intelligo; niſi hoc velit, hos Aleuadas è Samo (puto intelligendum Samothracem) ortos & Lariſſam vocatos. *Aleuadæ.*

Ἐπὶ τῶν ἑταιρειῶν, ὧν ἦν μία ἡ ἰφιάδου.] De ſodalitatibus & quidem ipſius huius vrbis Abydeæ dictum eſt & *ſupra hoc cap.* ἀλλὰ καὶ αἱ μὲν ἀρχαὶ, &c. harum autem per vrbes multas Græciæ & Aſiæ inſtituendarum, quia ad Oligarchias ſint peropportunæ, Lacedæmonios Oligarchiæ ſtudioſos, duce maxime Lyſandro Lacedæmonio, auctores eſſe dicuntur. Videatur *Plut. initio Lyſandri & Nepos in Lyſandro.* Cæterum locus hic de ſodalitatibus inſignis alibi eſt explicandus. *Sodalitates.*

TEX-

TEXTVS.

Fiunt autem motus & ex eo, quod alij ab alijs ijs ipſis, qui ſunt in Oligarchia, vexẽtur & tumultuentur in nuptijs & iudicijs: vt ex nuptiali quidem cauſa prius expoſiti: & Eretrienſem Oligarchiam Equitum Diagoras in matrimonio iniuria affectus diſſoluit. Ex iudicum vero iudicio Heracleenſis motus exſtitit: & Thebanus ex cauſa adulterij pœna ſumpta, iuſte illa quidem; ſed ſeditione, ab Heracleenſib. quidem de Eurytione, Thebanis vero de Archia. Nam tanta contentione aduerſus eos vſi ſunt inimici, vt in foro ad palum fuerint vincti.

COMMENTARII.

VII. Cauſa ſeu occaſio, ſeu modus euertendæ Olig. internus ſeu ab ipſis Oligarchis ortus. Exemplũ. De iniuriis iudicialib.

Γίνονται δὲ στάσεις.] Alius euertendæ Oligarchiæ modus, Oligarchiarum mutuæ inter ipſos iniuriæ & offenſæ vel in matrimoniis vel in iudiciis. De iniuriis matrimonii explicatum eſt *ſupra cap. 4.* quarum & hîc vnum prætere a exemplum affert, quo docet à Diagora tali iniuria affecto Eretriæ (quæ vrbs eſt Eubœæ) Oligarchiam paucorum, quam tenerent equites, euerſam eſſe. De iniuriis iudicialibus quædam & *ſupra* ſunt allata *cap. 3. in principio*: vbi tamen non tam de iniuria quam de metu iudiciorum agitur, vt & *ſupra cap. 5. in princ.* quibus in locis adduximus & motus, qui ex hac iudiciorum cauſa & Romæ fuerint grauiſſimi & plurimi, vt videre licet ex legibus illis iudiciariis, Sempronia, Liuia, Cornelia & Aurelia: de quibus *Cic. in Diuinat. & Verrinis ſæpe: & in eum Aſcon. Velleius lib. 2. Florus epit. 61. & 75. Tacit. lib. 12. Appian. lib. 1. de bell. ciu.*

Pœnarum nimia acerbitas.

Hoc autem loco de contumelioſa ratione & exſecutione ſiue pœna iudiciorum & nimis acerba agit Ariſtoteles, vt ſi pœnam quis meritus, æquo tamen contumelioſius ac acerbius puniatur: cuius rei duo exempla hîc affert Ariſtoteles.

Exempla.

Nam & Heracleæ Eurytionem, & Thebis Archiam, adulterii conuictos, etſi pœnam legibus debitam iuſtamque eſſent meriti; tamen quia inuſitato more per contumeliam in foro ad palum eſſent vincti acerbi-

acerbitate & contentione inimicorum: poſtea coitione facta, oppreſſis inimicis, Oligarchiam euerterunt.

Ἐπ' αἰτίᾳ μοιχείας.] Ex hoc loco intelligere licet (id quod latius Iuriſconſulti perſequuntur *ad tit. de adulteriis*) antiquiſſimo tempore apud Græcos & Romanos pœnam adulterii non fuiſſe capitalem. *Adulterii pœna.*

Ὥστε δεθῆναι ἐν ἀγορᾷ ἐν τῷ κύφωνι.] De hoc ſupplicii & ignominiæ genere, quo palam & in foro ad Numellam aut ad palum aſtringuntur nocentes, *Cicero in Verrinis, & Budæus in Pandectis.*

TEXTVS.

Multæ Oligarchiæ autem ab ijs, qui in Republica indigne ferant, ſunt euerſæ: ea quoque de cauſa, quod nimis eſſent heriles, vt Oligarchia Cnidia & Chia.

COMMENTARII.

Πολλαὶ δὲ καὶ.] Alius euertendæ Oligarchiæ modus, nimia eius intentio & aſperitas. Nam ſępe accidere ait, vt & ex ipſis Oligarchis aliqui grauiter ferant nimium & importunum dominatum (herilem vocat Ariſtoteles ſiue plane ſeruilem:) atque ita Oligarchiam euertant ipſi: quod in Chio & in Cnido accidiſſe ait. Huc pertinet grauis illa diſputatio de Rerumpublicarum nimia vel intentione vel remiſſione, eam eſſe certam illarum peſtem & perniciem: de qua *infra cap. 9.* & dictum quoque *ſupra lib. 4. cap. 11.* *IIX. Cauſa ſeu occaſio ſeu modus euertendæ Olig. inteſtinus. Exempla.*

TEXTVS.

Fiunt autem & ex euentu multæ mutationes tam ex ea, quæ dicitur Reſpublica, quam ex Oligarchijs, in quibus ex cenſu & comitia & iudicia alijque magiſtratus geruntur. Sæpe namque accidere ſolet, vt cenſus primo definitus, & ad ea tempora accommodatus ſit, quo in Oligarchia quidem paucis, in Politia vero medijs ad Rempublicam pateat aditus; vt rebus affluentibus vel propter pacem, vel aliam quampiam felicitatem eædem

dem poſſeſſiones precio multis partibus maiore æſtimentur, adeo vt omnibus ad omnia pateat aditus: quæ quidem mutatio alias quidem fiat paulatim & occulte, & velut alluuione quadam; alias vero citius.

COMMENTARII.

IX. Modus inteſtinus communis Oligar. & Politiæ

Γίγνονται δὲ καὶ ἀπὸ συμπτώματος] Inſignis hic eſt mutandarum non tantum Oligarchiarum, ſed eius quoque Reipub. quæ communi nomine Politia ſeu Reſpub. dicitur, communis modus & cauſa, cenſus mutatio: quem modum vocat ex euentu ſeu fortuitum, cum priores plæriq; omnes ſint ex conſilio, & deliberati: ſic & *ſupra cap. 3* vbi de partibus & ordinibus ciuitatum, caſu interdum fieri docet, vt vnus ab altero multitudine ſuperetur. Cur autem modus hic Oligarchiæ non ſit proprius, ſed Politiæ quoq; communis, hæc eſt cauſa: quia in vtroque Reipublicæ genere habeatur cenſus ratio, *vt ſupra explicatum lib. 4.* Cuius cenſus in aliis Reipublicæ generibus regno, optimatum, populi, notum eſt nullam haberi rationem. Itaq; ſi cenſus initio definitus, ſiue diuitiarum modus Reipublicæ conſtituendæ accommodatus, poſterius mutetur, quandoquidem ex hoc modo, tanquam forma, Reſpublica cohæreat; mirum non eſt, ipſam quoque Rempubl. eius mutatione veluti interire & mutari. verbi gratia, in Oligarchiis cenſus ita definiri ſolet, vt pauci ad Rempubl & honores admittantur, magnus nimirum pro diſcrimine Oligarchiarum: in Politiā minor cenſus conſtitui ſolet, hoc nimirum conſilio vt plures, puta medii, id eſt, qui mediocres ſaltem facultates habēt, ad Rempub. admittantur; ſoli excludantur tenuiſſimi & viliores. Iam vero ſic temperata vel Oligarchia vel Politia, ſi ciuium & priuatorum diuitiæ poſterius augeantur, adeo vt, qui primo propter tenuitatem ad Rempubl. non admittebantur, iam ditiores facti cenſum ſiue eius modum legibus primo definitum nacti fuerint: efficitur profecto, vt, omnibus iam propter cenſum reſerato ad Rempubl. aditu, ex Oligarchia vel Politia exoriatur Democratia. Huic autem vitio, & aliis plæriſque ſupra explicatis, quemadmodum à prudente & ſapiente Politico

Ratio. *Remedium.*

litico occurri debeat, præclare explicatur *infra ab Ariſt. c.8.* περὶ δὲ τὴν διὰ τὰ &c.

Βυλεύουσι καὶ δικάζουσι.] Attingit ſiue perſtringit tres illas omnium Rerumpub partes, quæ Senatu, Magiſtratibus, Iudiciis continentur: de quibus *ſupra lib.4.cap.14.*

Εὐετηρίας γιγνομένης.] Adiungit ſiue interponit hîc Ariſtoteles modum, quo diuitiæ interdum amplificentur, ciueſque fiant ditiores, nimirum, pacem, inquit, vel aliam aliquam εὐτυχίαν, puta victoriam aut imperii prolationem, aut noua reperta metalla auri, argenti, &c. aut inſtitutionem noui mercatus, &c. quibus magna rerum affluentia & proſperitas (quam Græci eleganter εὐημερίαν & εὐετηρίαν vocant) magnæq; diuitiæ conſequantur & veluti redundent. Verum memorabile eſt, quod adiungit Ariſtoteles, rerum hac affluentia & proſperitate rerum ipſarum promercalium & inprimis poſſeſſionum pretia augeri & amplificari. Huius rei cauſa eſſe videtur; quod, pecuniæ magna copia, ciues non magnopere curent aut laborent res & poſſeſſiones magno comparare. Deinde, quia tum luxus & luxuria, eiq; cognata vitia ſubnaſcentia nullum ſumptus & impenſarum modum curent aut ferant. Exempla huius rei illuſtria cum alia aliarum ætatum ſunt multa, tũ duo inprimis obſeruanda. Nam olim Romæ deuicto Antiocho, & Aſia, duce Scipione Aſiatico, eiuſq; fratre Africano, cum diuitiis ex Aſia & rerũ pretia maiora & magna luxuria eſſe cœpit. Noſtra item ætate, vel potius parentum noſtrorum, ex nouo orbe, per Hiſpanos reperto in hunc noſtrum importata incredibilis & inexhauſta vis auri magnam rerum omnium caritatem & intollerabilem attulit luxuriam.

Diuitiarũ amplificandarum modi aliquot.

Rerum venaliũ maximeq; poſſeſſionũ caritas repentinas haſce diuitias comitatur.

1. Ratio.

2. Ratio.

1. Exempl.

2. Exempl.

Ἐκ παρασυγωγῆς.] Elegans dicendi genus veteribus vſitatum, quod idem valet, quod ſenſim, pedetentim. Eo vtitur & *infra cap. 8.* ἀλλὰ ἐκ παρασυγωγῆς, &c. *de eo & Budæus in comment.*

ἐκ παρασυγωγῆς.

TEXTVS.

Omnino autem & Democratiæ & Oligarchiæ mutantur interdum non in contrarias Reſpubl. ſed in eas, quæ in eodem ſunt genere; vt ex Democratiis & Oligarchiis, in quibus leges dominantur,

nantur, in eas, quæ ſuo arbitratu omnia admini-ſtrant; & ex his in illas.

COMMENTARII.

In quas Reſpubl. mutētur Democ. & Oligarchia.

Ὅλως δὲ καὶ αἰ.] Expoſitis adhuc duarum Rerumpub. Democratiæ & Oligarchiæ, mutandarum cauſis, ſeparatim adiungit hîc Ariſtoteles clauſulam vtrique Reipubl. communem, qua breuiter complectitur, quas in Reſpublic. vtraque conuertatur. Nam grauis & magna hæc eſt quæſtio de mutatione Rerumpublicarum, non tantum quibus ea ex cauſis fiat, qua de quidem his iam capitibus potiſſimum agitur: ſed hæc quoque, quam in Rempub. hæc vel illa mutetur, vt an Democratia in Monarchiam vel Oligarchiam, &c. de qua quæſtione ſatis diligenter infra explicatur *cap. vlt.* & hoc quidem commune præceptum & peruulgatum hac in re afferri ſolet, Reſpublicas plærunque in contrarias conuerti & mutari, *vt in eo cap. vlt.* cuiuſmodi generis ſunt Oligarchia & Democratia; pauci namque multis repugnant. Hinc igitur de his duabus Rebuſpubl. de quibus hactenus explicatum, efficitur & concluditur, Democratiam fere in Oligarchiam, & hanc in illam conuerti. Verum hoc loco Ariſtotel. præceptum hoc monet non eſſe perpetuum: ſæpe namque vſuuenire, vt hæ duæ non in contrarias conuertantur, ſed in ſui generis Reſpublicas, vt Democratia in Democratiam, Oligarchia in Oligarchiam. Cum enim iam notum ſit ex *lib.4* vtriuſque eſſe plura genera, & maxime duo, quorum vnum ſit, in quo leges præſint; alterum, in quo non leges, ſed in Democratia multi, in Oligarchia pauci ſuo omnia arbitratu & libidine adminiſtrant (vocat eos eleganter ἀνόμους πολιτείας:) fieri ſolet vt legibus adminiſtrata Democratia conuertatur in Democratiam populi arbitrio adminiſtratã, & contra, vt & ſupra monuit *cap.5. in fin.* μεταβάλλουσι δὲ καὶ ὀλιγαρχίαι, &c. eadem eſt & Oligarchiæ ratio.

Axioma ſeu regula Politica de mutatione Rerumpub.

Exceptio.

CAPVT VII.

EXPLICANTVR hoc capite cauſæ aliquot mutandæ & euertendæ Ariſtocratiæ & huic affinis Politiæ, ſiue communi nomine Reipublicæ.

TEXTVS.

In Ariſtocratiis vero ſeditiones exſiſtunt, aliæ quidem

quidem ex eo, quod pauci honorum ſint participes; quare expoſitum eſt & Oligarchias permoueri. Nam & Ariſtocratia eſt quaſi Oligarchia: ſiquidem in vtraque pauci ſunt, qui præſunt: etſi non eadem ratione pauci.

COMMENTARII.

Ἐν δὲ ταῖς ἀριστοκρατίαις.] Cauſam euertendæ & mutandæ Ariſtocratiæ principio exponit in honoribus, de qua cauſa iam ſæpe expoſuit; Primo communiter, deinde ſeparatim cap. priore, vbi de Oligarchia. Nam communiter quidem docuit in omnibus fere Rebuſpublicis de honoribus contentiones exſiſtere. In Oligarchiis vero, quia pauci honores & magiſtratus capiant, reliquos ab honoribus remotos ſeditiones mouere ſolitos, vt *ſupra* explicatum *cap.6. initio*, ὅτε μὲν γὰρ ἐξ αὐτῶν τῶν ἀπόρων, &c. Quemadmodũ igitur hanc de honoribus & magiſtratibus communicandis contentionem de Oligarchiis ſupra docuit: ita & hoc loco de Ariſtocratiis initio monet eandem hanc eſſe peſtem & perniciem, ſumpto argumento velut à genere ad ſpeciem, quod nimirum Ariſtocratia ſit Oligarchiæ velut ſpecies quædam, ſit quodammodo Oligarchia; recte quidem quodammodo, quatenus nimirum qui præſunt Reipublicæ, vtrobique ſunt pauci. Nam quatenus hi pauci non eodem modo ſunt affecti, vt quia in Oligarchiis genere vel diuitiis præditi, in Ariſtocratia virtute: Si igitur quantitatem ſpectes, Ariſtocratia ſpecies quædam erit Oligarchiæ, ſi qualitatem, non item. ſic enim & Ariſtoteles hæc verba qualitatis & quantitatis hac in re poſuit *ſupra lib.3. vel 4.* Et de hac Ariſtocratiæ & & Oligarchiæ, quo ad quantitatem, ſimilitudine ſiue affinitate aliis quoq; in locis memoratur. Qua ſimilitudine multi imprudenter falſi eam, quæ vere eſt Oligarchia, ſæpe ſolent vocare Ariſtocratiam, vt Rempublicam Venetorum & Noricam *Contarenus & alii.*

I. Cauſa ſeu modus euertendæ Ariſtocratiæ.

Honores cauſa motuum in omnibus Rebuſpu. Oligarchiis & Ariſtocratiis.

Ratio.

Similitudo & diſſimilitudo Ariſtocratiæ & Oligarchiæ.

Error quorundam Ariſtocratias nominantium, quæ reuera ſunt Oligarchiæ.

Ἐπεὶ δοκεῖ γε διὰ τοῦτο] Quod hîc dicitur, Ariſtocratiam videri eſſe Oligarchiam, quia modo commodiore loco fuerat expoſitum; ea re hæc clauſula mihi ſuperuacanea videtur: etſi in omnibus editionibus, etiam in veteri tralatione reperitur.

TEXTVS.

Hoc autem maxime neceſſe eſt accidere, vbi multi ſint animo elati, vt virtute pares, quales Lacedæmone, qui dicebantur Partheniæ: erant namque ex paribus, quos vbi inſidiatos ſibi compererunt, Tarentum ablegarunt in coloniam. Vel vbi ignominioſe habentur aliqui viri, alioqui magni & nemine virtute inferiores, à quibuſdam, qui maiore ſunt in honore, vt Lyſander à Regibus; vel vbi quis fortitudine præſtans honorum non ſit particeps; vt Cniado, qui, Rege Ageſilao, coniurationem aduerſus Spartanos fecerat.

COMMENTARII.

Μάλιϛα δὲ.] Ad cauſam de honoribus hæc omnia pertinent. Nam docet his Ariſtoteles, varie accidere motus & ſeditiones ex honoribus in Ariſtocratiis. Nam primo quidem Reſpubl. à paucis optimatibus obtineri, & ab iis ſolis adminiſtrari: ſæpenumero id accidere, vt reliqui indignentur & ægre ferant, non hi tantum, qui magno ſint animo & gloriæ cupidi; ſed alii quoque de plebe, & parui atque anguſti animi homines, nullaq; virtute præditi; quibus hoc tantum ſit ægre, paucos omnia adminiſtrare. Et huc pertinent ea, quæ paulo ſupra ſunt allata. Iam vero adiungit Ariſtoteles alios modos, quibus ſeditiones & motus Ariſtocratici facilius exoriantur ex honoribus, nimirum per eos, qui vel magno ſint animo præditi, vel fortes videantur, vel ſi qui virtute pares & magni viri à potentioribus minus digne & honeſte tractentur; ſiue hi ſint multi, ſiue vnus aliquis. Nam hi, quia aut virtute ſint pares, aut certe magnos gerant ſpiritus, magnique ſint animi; & proinde ſe aliis velut pares iiſdem quoque honoribus dignos cenſeant, & peræque digne & honorifice habendos: hinc motus & ſeditiones aduerſus optimates concitare ſolent. Nam & *ſupra* iteratum eſt aliquoties, *maxime initio huius libri*, hanc paritatis ſiue æqualitatis perſuaſionem omnium fere motuum eſſe fontem & cauſam. Exempla affert Ariſtoteles de Republica Spartana, quam optimatum

1. Rat. qua ob honores mouētur ſeditiones in Ariſtocratia.

2. Ratio ſeu modus.

Ratio.

Exemplū.

natum imperio adminiſtratam fuiſſe plærique dicerent, nimirum triginta: etſi Ariſtoteles eam varie mixtam & temperatam fuiſſe oſtendit *ſupra lib. 2.* & primum quidem de multis, poſtea de ſingulis. Nam Lacedæmone olim Parthenias, cum ſe reliquis ciuibus pares putarent, & ab iis tamen velut ſpurii & nothi contemptim haberentur, tandem coniuratos conſilium cepiſſe de ſenatu & optimatibus trucidandis; qua coniuratione Helotarum indicio quorundam conſciorum ſenatus cognita, non armis Parthenias opprimendos putauit, ſed perſuaſos alio migrare compulit, qui duce Phalanto in magnam Græciam ſeu extremam Italię Regionem profecti vrbem Tarentum occuparunt. De his Partheniis, & cur ita dicerentur (quia ex virginibus tantum eſſent editi incerto & permixto concubitu) copioſe *Strabo lib. 6. ex Ephoro, Trog. li. 3. Pauſan. in Phocicis, & Lactan. lib. 1. cap. 20.* Et hoc quidem eſt exemplum, quod multi aduerſus Ariſtocratiam ſeditiones moueant: reliqua duo ſunt de ſingulis, eaque etiam inter ſe diſſimilia, & diſſimili ex cauſa. Nam interdum accidere docet, vt viri aliqui virtute & dignitate præſtantes, vnus aut alter, aut pauci grauiter ferentes, ſe, quibus virtute ſint pares, ab iis contemptim haberi, & ignominioſe tractari, res nouas aduerſus Rempub. moliantur, quod Lacedæmone quoq; ſuſcepiſſe ait Lyſandrum: qui cum rei militaris gloria nemini facile cederet, quia tamen Reges (erant ſemper Lacedæmone bini, iiq; ex familiis certis) maiore in honore eſſe cerneret, conſilium cepit de Regno tollendo, aut certe cum aliis quoque familiis communicando. Verum coniurationis hac de cauſa & fœderis cum Perſis facti conuictus capite pœnas luit: quod commemorant *Cor. Nepos, & Plut. in Lyſandro, & Diodorus Siculus late lib. 12.* Interdum vero accidere ſolet, vt vnus quoque aliquis non tam virtute & dignitate, quam audacia & robore præſtans ſeditiones moueat, qui hac re fretus & ſuperbus grauiter ferat, ſe honorum eſſe expertem: cuius generis Lacedæmone quoque fuit Cinado, alter velut Catilina & Spartacus, qui tamen minore cum contumelia, quam Catilina, fuerit oppreſſus: de quo *Xenophon lib 3. rer. Græcar.*

Παρθενίαι. *3. Ratio ſeu modus.* *Exemplū.* *4. Ratio ſeu modus.* *Exemplū.*

Ἀνδρώδης.] Valet hoc verbum idem, quod Latine magni & alti animi, quo & *lib. 2. Rhetor.* vtitur, vbi ditiores plærunque ait eſſe φιλοτιμωτέρους καὶ ἀνδρωδεστέρους.

ἀνδρώδης.

TEXTVS.

Præterea vbi alij quidem nimis ſint pauperes, hi vero nimis diuites: atque in bellis hoc maxime accidit & fit: accidit aũt hoc & Lacedæmone bello Meſſeniaco; quod ex Tyrtæi poëmate, quod Eunomia dicitur, perſpicuum eſt. Nam bello quidam attriti (afflicti) flagitabant agrorum diuiſionem.

COMMENTARII.

III. Modus ſeu cauſa euertẽdæ Ariſtocratiæ. Nimia paupertas vel diuitiæ. Ἔτι ὅταν οἱ μὲν.] Alius tertiuſque modus euertendæ Ariſtocratiæ, ex nimia vel paupertate vel diuitiis, hîc exponitur; nempe ſi ex optimatibus aliqui ad ſummas rei familiaris anguſtias redigantur, reliquis bonis ad paucos deuolutis. Nam fere accidere, vt hi, qui bonis ſint lapſi, ſeditiones moueant; & quos agros ſoli poſſideant diuites, ſecum petant communicari, atque ita agros rurſus æquabiliter diuidi: quod Græci vocant *Ἀνάδαστον ποιεῖν χώραν ἢ οὐσίαν.* ἀνάδαστον ποιεῖν, vel χώραν, vel οὐσίαν; petant, inquam, bona æquari; quod fit partim tabulis nouis, partim agris æquabiliter diuidendis. Quare & *Liuius lib. 32. in fi.* vbi de Na-
1. Exemplũ. bide Lacedæmoniorum tyranno; concione, inquit, conuocata rationem promulgarunt, vnam de tabulis nouis, alteram de agro viritim diuidendo, duas faces nouantibus res, ad plebem in optimates accendendam. *Et Iuſtin. lib. 16.* vbi
2. Exempl. de Heraclea vrbe Ponti, & plebis in ea aduerſus ſenatũ diſſenſionibus; paſſi, inquit, ſunt inter plurima mala etiam tyrannidem. Siquidem tum plebs & nouas tabulas & agrorum diuiſionem diuitum impotenter efflagitaret, &c. Siue igitur ex optimatibus ipſis aliqui ſiue plebs ad ſummã paupertatem reciderit: motus inde aduerſus optimates reliquos ditiores excitari ſolent. Sic & *ſupra cap. 5* ex hac quoq; cauſa docuit Oligarchias euerti, inquiens, ἢ τὰς οὐσίας & *infra cap.*
3. Exempl. *prox. fere in fi.* δεῖ δὲ ἐν μὲν ταῖς δημοκρατίαις, &c. Exemplum huius rei ſiue cauſæ affert Ariſtoteles ex Repub. Spartana, vbi motus tempore belli Meſſenici hinc, id eſt, ob nimiam quorundam paupertatem fuerint exorti. Alterum *ex Iuſtino* de Heraclea modo attulimus: In Republica Romana de tabulis nouis & agris diuidendis ſæpiſſime actum eſt, & multi fuerunt motus.

Καὶ μάλιστα ἐν τοῖς πολέμοις.] Affert cauſam paupertatis, bellum, id eſt, multos ad paupertatem redigi, quod relicta rei familiaris cura in expeditionibus & bellis pro patria totam vitam conſumpſerint. *Bellū cauſa huius paupertatis.*

Συνέβη δὲ καὶ τοῦτο] De bonorum inæqualitate apud Lacedæmonios monuit, & ipſum eorum legumſcriptorem Lycurgum reprehendit Ariſtoteles *lib. 2.* vbi de Republ. Lacedæmoniorum.

Ὑπὸ τὸν μεσσηνιακὸν πόλεμον.] De hoc bello Meſſenico valde diuturno, quod Lacedæmonii aduerſus Meſſenios ſuſceperant, & in eo gerendo plus quam viginti annos domo abfuerunt, cōmemorant cum alii, tum *Strabo lib. 6. Geograph. & Iuſtinus lib. 9.* *Bellū Meſſenicum.*

Ἐκ τῆς τυρταίου.] Ait Tyrtæum facere mentionem in ſuo poemate huius inæqualitatis bonorum apud Lacedæmonios. Hic Tyrtæus ciuis Athenienſis & Dux fuit Lacedæmoniorum in bello hoc Meſſenico, de quo poſtea victor carmen ſeu poema Eunomiæ nomine conſcripſit, cuius meminit & *Strabo lib. 8.* *Tyrtæus.*

TEXTVS.

Præterea ſi magnus quis ſit, quique etiam maior eſſe poſſit, vt ſolus imperio potiatur, vt Pauſanias Lacedæmone bello Medico prætor, videtur & Carthagine Hanno.

COMMENTARII.

Ἔτι, ἐάν τις μέγας.] Quartus euertendæ Ariſtocratiæ modus & cauſa exponitur, vnius alicuius nimia in ciuitate potentia aut magnitudo, qua ille fretus tyrannidem & imperium ſolus inuadere poſſit, ſi ex optimatibus vnus aliquis talis exſiſtat. Nam hi fere, oppreſſis reliquis optimatibus, tyrannidem affectare conſueuerunt. Affert Ariſtoteles duo exempla Rerumpub. Spartanæ & Carthaginenſis. Verum de hoc loco ſeu cauſa non Ariſtocratiæ propria, ſed reliquarum quoque Rerumpub. communi, nimia vnius vel potentia vel præſtantia, libertati Reipublicæ intolerabili, explicatum *ſupra cap. 3. in princ.* vbi de oſtraciſmo. Quod idem monet Demoſth. ἐν τῷ περὶ τῆς παραπρεσβείας etiam in Democratia diligenter cauendum, ne quis vnus præter cæteros ex- *IV. Modus.*

cellat, οὐ γάρ ἐστι. &c. nihil, inquit, eſt, quod peræque ſit cauendum, atque hoc, ne quis vnus populo vniuerſo maior fiat, vt hoc loco.

1. Exempl. Ὥσπερ ἐν λακεδαίμονι.] De Pauſaniæ Regis Lacedæmonij, qui bellum gerens aduerſus Perſas, captus tandem luxurie Perſica, & ambitione affinitatis Regiæ impulſus, Regi Perſarum patriam occulte prodere voluerit, vt eius Regis potentia ſubnixus pro libidine ſolus regnaret Lacedæmone, diligenter exponunt *Thucyd. lib. 1. Nepos in Pauſania, Diodorus lib. 11. Plut in Themiſt & Ariſtide & Iuſtin. lib. 2.*

Medi. Κατὰ τὸν μηδικὸν πόλεμον.] Alibi monuimus, Perſas ab Atticis dici Medos, quos & *Latinus Poëta Horat.* ſæpe imitatur.

2. Exempl. Καὶ ἐν καρχηδόνι] De hac Annonis vnius ex Regibus ſeu Principibus Reipublicæ Carthaginenſis affectatione tyrannidis reperi *apud Iuſtin. lib. 21* & breuiter *apud Oroſium lib. 4. cap. 6.* Dictum autem *ſupra lib. 2. & alibi etiam lib. 4.* in his duabus ciuitatibus, Sparta & Carthagine, *accommodata fuiſſe exempla * fuiſſe Ariſtocratiam.

TEXTVS.

Maxime autem diſſoluuntur tam Democratiæ quam Ariſtocratiæ iuris in ipſa Republica aberratione. Principium namque. (eſt) quod non bene ſit temperata, in Politia quidem Democratia & Oligarchia, in Ariſtocratia vero & virtus: maxime vero duæ; duas, inquam, Democratiam & Oligarchiam. Has namque cum Politiæ temperare conantur, tum multæ, quæ vſurpantur Ariſtocratiæ. Nam hoc Ariſtocratiæ ab illis, quæ Politiæ dicuntur, differunt. Quare & ex ipſis hæ quidem minus, illæ vero magis ſunt ſtabiles. Nam quæ ad Oligarchiam magis inclinant, Ariſtocratias vocant; quæ vero ad multitudinem, Politias: tales igitur alteris ſunt ſtabiliores. Nam quod plus eſt, idem plus poteſt: & qui æquale obtinent, magis ſunt contenti: qui autem diuitijs affluunt, ſi ex ſtatu Reipublicæ primas

primas habeant, iniurijs alios afficere, & omnia ad ſe rapere ſolent: ad ſummam, quocunque Reſpublica inclinarit, eo tranſuertuntur, vtriſque ſuam agentibus partem: vt Politia quidem in Democratiam, Ariſtocratia vero in Oligarchiam: vel in contraria, vt Ariſtocratia quidem in Democratiam (tenuiores namque, vt iniuria affecti, in cõtrarium flectunt,) Politiæ vero in Oligarchiam: Nam dignitate æquum ſolum eſt ſtabile, & ſua quemque retinere. Quod diximus, accidit Thurijs: Nam cum à multo quidem cenſu crearentur magiſtratus, Reſpub. ad minorem cenſum & plures magiſtratus eſt traducta. Cum vero totam regionem Principes contra legem poſſediſſent (nam Politia magis erat Oligarchica, adeo vt poſſent ad ſe omnia rapere ſeu pertrahere:) populus, bello exercitatus, bonis præſidio ſuperior factus eſt, donec hi agris diſcederent, qui maiorem partem tenerent. Præterea, quod omnes Reſpublicæ Ariſtocraticæ ſint Oligarchicæ, eo plus ſibi vindicant Principes; vt Lacedæmone ad paucos bona veniunt: & licet Principibus, quicquid velint, facere, & quo cum affinitatem velit contrahere: quare & Locrorum ciuitas ex Dionyſij affinitate interijt: quod in Democratia non facile fiat, aut in Ariſtocratia bene temperata.

COMMENTARII.

Λύονται δὲ μάλιστα.] Expoſuit adhuc Ariſtoteles Ariſtocratiæ proprias aliquot euertendæ modos: hoc loco affert alium, ſed Ariſtocratiæ & Politiæ communem, quem vocat *παρέκβασιν τοῦ δικαίου*, ſiue aberrationem iuris: qui modus vt intelligatur, res paulo altius eſt repetenda *ex lib. 3. cap. 6. & 8. lib. 4. cap. 8. & 9. & ſupra huius lib. cap. 1.* quibus in lo-

V. Cauſa ſeu modus euertendæ Ariſtocratiæ & Politiæ communis.

Ius quæq; Reſp. prætexit. cis, vt ſummatim complectamur, explicatum fuit, ciuitates omnes ius quamque ſuum prætexere & aſſerre, quo nixa de principatu & imperio contendat; quod ius triplex fere ſit, Libertas, Diuitiæ ſeu Genus, & Virtus: ex quibus iuris partibus Democratia libertate, Oligarchia diuitiis, virtute nitatur Ariſtocratia ſimplex & optima; Politia vero, & tria reliqua Ariſtocratiæ genera, quia mixtæ ſunt Reſpublicæ, vt mox dicetur, non vno, ſed duobus vel omnibus his iuris generibus nituntur, verbi gratia: Politia libertate ſiue paupertate & diuitiis, Ariſtocratia & his duobus & præterea virtute. Nam in Politiis & diuitum & pauperum habetur ratio, ita vt Politia ex Democratia & Oligarchia ſit mixta & temperata: Sic & Ariſtocratia (excepta optima, quæ ex ſola virtute conſtat) partim ex populari ſiue pauperibus & tenuioribus, partim ex diuitibus, partim ex viris bonis conflari ſolet: quin etiam eo ventum ait Ariſtoteles, vt ne in Ariſtocratiis quidem, quarum tamen propria velut nota & vis eſt virtus, tertii eius iuris, puta virtutis, ſæpe nulla, ſed reliquarum duntaxat iuris partium (libertatis, ſiue paupertatis, diuitiarum, aut generis) habeatur ratio, non ſecus atque in Politiis; adeo vt inter Ariſtocratias vſitatas ſua ætate & Politias differentiam vix fateatur eſſe aliam, quam quæ in eo, quod magis aut minus (vt vocant Dialectici) eſt poſita, id eſt, vt eadem Reſpublica, ſi magis ad Oligarchiam ſpectet, iam dicatur Ariſtocratia; ſin propius ad Democratiam, iam dicatur

V. Cauſæ explicatio. Politia. His ita præmunitis & aliunde repetitis; hic iam ait Ariſtoteles harum Rerumpublicarum Politiæ & Ariſtocratiæ, interitum & euerſionem exſiſtere ex peccato ſiue aberratione in iure, ſiue ex eo, quod ab initio ſint non recte mixtæ & tẽperatę. Et hoc eſt, quod ait, *ἀρχὴ γὰρ τὸ μὴ μεμίχθαι*, &c. quibus verbis iuris peccatum in eo poſitum eſſe exponit & velut explanat, quod initio earum Rerumpublicarum conſtituendarum peccatum fuerit in partibus illis iuris bene & prudenter temperandis. Quemadmodum autem hæ duæ Reſpublic. Politia & Ariſtocratia, quam optime temperentur & miſceantur, aut minus recte; explicatum *ſupra, cap. 7. 8. 9 lib. 4. & cap. 12. in fin.* quod autem hîc ait harum Rerumpub. interitum & euerſionem, & contra ſalutem & diuturnitatem poſitam eſſe in recta ab initio facta tẽperatione: idem & *ſup. huius lib. ca. 1. in pr.* indicat his verbis, *δεῖ δὲ πρῶτον, &c.*

Διαφέ-

Διαφέρουσι γὰρ.] Verſiculus hic, propter verbum, τούτῳ, quo quid ſignificetur, non ſatis liquet, ſatis eſt obſcurus. Prærerea vetus interpres, niſi codices ſint mendoſi, legit ταῦτα: ea quoque quæ ſequuntur, διὰ γὰρ τοῦτ᾽ εἰσὶν, item non ſatis inter ſe connecti videntur, & item mox iterari διόπερ ἀσφαλεστέρας. Etſi igitur in verbis propter has cauſas obſcuritas eſt: tamen ſententia totius loci hæc eſſe videtur, quæ in his duobus capitibus ſit poſita. Nam primo Ariſtocratias & Politias ex iiſdem quidem olim temperatas, Oligarchia & Democratia, non eundem tamen in modum. Nam alias ex iis ita temperatas, vt propius ad Oligarchiam; alias ita, vt ad Democratiam propius accedant: & has quidem vulgo Politias vocari, illas vero Ariſtocratias, id quod & *ſupra lib. 4. cap. 7. extremo & 8.* explicatum; quare & *infra hoc cap.* Politias has Ariſtocratias vocat, quaſi ambæ ſint Politiæ, mixtæ nimirum ex Democratia & Oligarchia: quæ Politiæ eſt nota, *vt ſupra cap. 9 lib. 4.* Sed altera Ariſtocratia, ea nimirum, quæ ad Oligarchiam accedit (nam Ariſtocratia quædam Oligarchia videtur, *vt ſupra initio huius cap.*) altera non item, quæ Democratiæ ſit ſimilior, Politia tamen communi nomine dicatur. Alterum eſt, quod huc magis pertinet, de harum interitu Rerumpub Politias his Ariſtocratiis eſſe ſtabiliores & diuturniores: cuius rei cauſam hanc affert, quod in altera hac Repub. puta in Politiis maior ſit tenuiorum multitudo: in altera, puta his Ariſtocratiis, maior diuitum; quos inter hæc nota eſt differentia, quod tenuiores, aut certe mediocres, ſua ſorte contenti pari iure viuere conſuerint, cum diuites nacti præterea imperium Reipublicæ impotenter ſe gerere, omnia ſibi rapere, aliis petulanter inſultare ſint ſoliti, vt eſt *apud Ariſtotelem lib. 2. Rhetor.* Atque huc pertinent, quæ *ſupra* diſſeruit *lib. 4. cap. 11.* de Politiæ diuturnitate: hanc ciuitatis formam maxime eſſe ſtabilem, & ex cæteris, quo huic ſit magis cognata, eo aliam alia eſſe ſtabiliorem, vt & Democratias eodem argumento *ſupra* docuit *cap. 1. huius lib. in fi.* Oligarchiis eſſe diuturniores. Et hoc eſt, quod ait, κρεῖττον γὰρ τὸ πλεῖον, &c. id eſt, in Politiis, quam in his Ariſtocratiis, maior eſt tenuiorum (quos hic vocat τὸ πλεῖον, eo quod eorum ſemper maximus ſit numerus, *vt ſupra dictum cap 1. in fin.*) multitudo.

Ratio Ariſtocratiarũ & Politiarum, quas ætate Ariſtotelis ita vocabant.

Politiæ Ariſtocratiis tunc vſitatis ſtabiliores.

Ratio.

De Politiæ diuturnitate.

Οἱ δ᾽ ἐν ταῖς εὐπορίαις.] Subindicat Ariſtoteles, imperia, ſi

Hominum

opulentorũ & improborũ potentia quam noxia. mandentur aut recidant ad homines opulentos & improbos, maiorem his feneſtram ad mala facinora ſuſcipienda aperiri, id quod & *ſupra* monuit *lib.3.* de egentibus hominibus & imprudentibus, quæ pertinent ad eum locum, quibus hominibus mandanda ſint imperia, de quo explicatur *ſupra lib 4.* & ad ſententiam Platonis, tum demum beatas fore Reſpubl. ſi hæc duo, ſapientia ſiue virtus, & potentia ſiue imperium coniungantur. de qua *Cic. lib.1. epiſt.1. ad Quint. Frat. & Plut. in vita Dionis.*

Regula generalis de mutationibus Rerumpub. Ὅλως δὲ ἐφ' ὁπότερον] Quod modo de duabus Rebuſp. Politia & Ariſtocratia, dictum, eas partim ad Democratiam, partim ad Oligarchiam ſpectare; eius rei iam vſum huc pertinentem, & quidem communius, affert Ariſtoteles hoc nimirum propoſito principio; omnes Reſpub. in eam mutari, ad quam inclinent, interdum tamen in contrariam: qua de re & *ſupra* nonnihil dictum *cap.6 in fi.* Cuius rei cauſam, cur (inquam) in eas, quo inclinarint, commutentur, hanc affert, quod pars ea ciuitatis, quæ plus habet virium & roboris, omnem Rempublicam tandem ad ſe trahat, & ſola dominari tandem velit, altera plane excluſa; id quod latius explicatur *ſupra lib 4. cap.11.* vbi hoc argumento docuit, cur duo tantum Rerumpub. genera ſua ætate fere eſſent vſitata, Oligarchiæ & Democratiæ: verbi gratia, Politia Democratiæ vicinior in eam tandem degenerare ſolet, Ariſtocratia in Oligarchiam; interdum tamen, vt diximus, hæ duæ Reſpublicæ, Ariſtocratia & Politia, non in vicinas vel ſimiles, ſed in contrarias Reſpublicas commutari ſolent; Ariſtocratia in Democratiam, Politia in Oligarchiam.

Ratio.

Cur Ariſtocrat. interdum cõuertatur in Democratiã. De Ariſtocratia quidem hanc adiungit rationem, cur ea in contrariam Democratiam commutetur; quod tenuiores ab optimatibus iniuria affecti, non contenti optimates repreſſiſſe, totam Rempublicam ad ſe trahant, tanquam præmium victoriæ, inquit *ſupra cap.11. libr.4.* id quod Romæ accidiſſe notum eſt.

Cur Politia interdũ in Oligarchiã mutetur. De Politia vero, cur ea in contrariam Oligarchiam interdum commutetur, cauſam ſubiungit hanc; quod dignitate æquum & ſua tenere, ſolum ſit ſtabile, id eſt, quod cum duo ſint æquitatis genera, numeri alterum, alterum dignitatis, Arithmeticum & Geometricum, de quibus *lib.5. Ethic. & ſupra cap.1. huius lib. & alibi ſæpe* dictum & *lib.3. c.6. & 8.* ex his duobus altero, quod eſt dignitate, melius mutantur ciuitates;

uitates; nimirum ſi pro meritis, & ratione dignitatis, præmia & honores, commoda, & imperia diſtribuantur; quod quia in Politiis, iis maxime, quæ propius accedunt ad Democratias, in quibus τὸ ἴσον ἀριθμῷ, ſiue omnia ſunt paria, omnes pari iure, vix reperitur; fit, vt diuites & nobiles hac re indignati, quia non meliore habeantur in loco & iure quam infimi quique, aut certe ipſis longe deteriores, grauiterque ferant, ſe non ea, quæ debent, tenere, ſed cum aliis ea communicare: hinc fit (inquam) vt aduerſus Rempublicam coitione inter ſe facta, conſpirent, atq; ita Politia in Oligarchiam commutetur. Exemplum affert Ariſtoteles ex Republica Thuriorum, vbi Politia ſiue Ariſtocratia in Democratiam fuerit conuerſa, ea nimirum occaſione, quod cum principes omnia ad ſe bona pertraxiſſent, plebs autem bellis præterea exhauſta eſſet; præſidio, quo ſuum imperium principes tueri ſunt ſoliti, oppreſſo, exæquatis ita bonis & communicatis cum plebe, factum eſt, vt, cum antea pauci ex maximis cenſibus ad magiſtratus admitterentur principes & diuites, poſtea cum pluribus & plebe magiſtratus communicarentur: de quo exemplo amplius quærendum. *1. Exempl.*

Ἔτι διὰ τὸ πάσας.] Quod ſupra monuit, diuites, ſi cum diuitiis coniunctum habeant imperium, & Reipublicæ etiam præſint, plærunque aliena inuadere, omniaq; ſibi ſumere & vindicare: id hoc loco docet accidere etiam Ariſtocratiis, non omnibus illis quidem, ſed iis, quæ potius ſint Politiæ quædam Ariſtocraticæ, de quibus hic agitur. Nam in his quoque plærunque fieri, vt qui Reipub. præſunt ſiue principes, auare ſe gerant, & aliena inuadant propterea quod tales Ariſtocratiæ magnam cum Oligarchiis (quarum propria eſt ea diuitum aduerſus tenuiores πλεονεξία) affinitatem habeant; quod & *ſupra initio huius cap.* dictum de omnibus Ariſtocratiis; eas eſſe velut ſpecies Oligarchiæ. Huius rei, nimirum πλεονεξίας, id eſt, auaritiæ & licentiæ eorum, qui Reipublicæ præſunt in his Ariſtocratiis, exempla præter illud prius de Thuria Repub. duo hîc adiungit Ariſtoteles Rerumpubl. Spartanæ & Locrenſis. Nam Lacedæmone quia pauci optimates Reipubl. præeſſent, hac πλεονεξίᾳ factum fuit, vt ad eos paucos omnes fortunæ & bona ciuium reciderent, multitudine plane egena, & ditioribus illis ſeruiente: quod idem & *ſupra* in hac Repub. reprehendit Ariſto- *Inſolentia magiſtratuum Ariſtocratias quoq; interdum euerti.* *2. Exempl.*

Ariſtoteles *lib. 2. cap. 7. & Iſocrates in Panathenaico,* ταῦτα δέ τις πράξαντες, &c Locrenſis autem Reſpub. ex hac licentia plane interiit, nimirum ex affinitate cum Dionyſio Iuniore Siciliæ tyranno inita: hîc namque vxore Locrenſi ex diuite & nobili familia ducta, eius affinitatis occaſione & adiumento capto ipſam Rempublicam Locrorum inuaſit.

3. Exempl.

Πλεονεξία hæc quibus rebus metienda.

Inde intelligitur hanc πλεονεξίαν non fortunis tantum & diuitiis, ſed aliis quoque rebus metiendam, puta matrimonio ſeu affinitate, & alia qualibet licentia in ſumptu, in veſtitu.

Cur hæc nõ accidant in Democrat. & Ariſtocrat bene temperatis.

Recte autem Ariſtoteles hæc nec in Democratia nec in Ariſtocratia bene temperata accidere ait. Nam de Ariſtocratia quidem ſatis eſt perſpicuũ, vt in qua magna æqualitatis habeatur ratio, neque vni præter alterum multa liceant: in Democratia vero etſi magna plebis eſt licentia, tamen omnes ciues volunt eſſe pari iure, neque temere patiuntur, vt vnus vel cum exteris affinitatem contrahat, & velut reginam domum ducat, vel multorum bona & agros cõtinuet ſolus: vnde magnæ illæ Romæ initio contentiones inter optimates & plebem exſtiterunt.

TEXTVS.

Maxime autem occulte mutant Ariſtocratiæ exigua illa diſſolutione, quod ſupra dictum vniuerſe de omnibus Rebuſpublicis, exiguum quoq; mutationum eſſe cauſam Nam poſtquam eorum, quæ ad Rempublicam pertinent, aliquid neglexerint; poſtea aliud quoque maius mutant facilius, donec totum ordinem mutarint: quod in Thuriorum quoque Republica accidit: nam cum lege præturæ belli quinquennium eſſet præſcriptum; iuniores quidam bellicoſi & apud præſidiorum multitudinem magna in exiſtimatione exſtiterũt, qui contemptis ijs, qui Rempublicam adminiſtrarent, & facile ſe id aſſequi poſſe arbitrati, primum hanc legem tollere cœperunt, vt ipſis liceret ijſdem perpetuis eſſe prætoribus, cernentes plebem ipſos facile deſignaturam: Magiſtratus autem,

tem, quibus huius rei cura erat mandata, (ſymbulos vocāt) aduerſari quidem primo cœperunt aggreſſi; poſtea acquieuerunt, exiſtimantes, eos, hac lege mutata, nihil amplius aduerſus reliquā Rempublicam tentaturos: cum deinde alijs mutandis obſiſtere vellent, nihil egerunt: quin potius tota Reipublicæ deſcriptio in eorum, qui rebus nouis ſtuduerant, dominatum ſiue Dynaſtiam tranſijt.

COMMENTARII.

Μάλιστα δὲ λανθάνουσι.] Alius euertendæ Ariſtocratiæ modus, quem vocat κατὰ μικρὸν, exiguæ rei mutatione: qui modus eſt ille quidem communis, & in omnibus Rebuſpub. attente obſeruandus & cauendus, eo quod occulto obrepat: in Ariſtocratiis tamen euertendis eſt frequentiſſimus. Vnum affert exemplum Ariſtoteles de Thuriorum Republica, vbi vnius legis mutatio neglecta paulatim vniuerſam Ariſtocratiam in Oligarchiam & Dynaſtiam, quæ peſſima eſt Reipublicæ ſpecies, conuertit. Aliud exemplum *ſupra* quoq; attulit *cap 3.* vbi vocat παρὰ μικρὸν, de Republica Ambracenſium. vocat alias τὸ μικρὸν Ariſtoteles *infra cap. prox.* vbi docet hunc modum omnium eſſe periculoſiſſimum, quod, vt modo dixi, propter exiguitatem negligatur & velut contemnatur initio valet: * quod, vbi paulatim accreuit, cum initio facile poſſet, tandem nullo modo poſſit opprimi: Similitudinē affert ibidem Ariſtoteles de fortunis ſiue bonis, quæ eadem ratione, id eſt, exiguo ſumptu paulatim ita tota abſumantur & pereant. *Polyænus quoq; in libr. de Repub Macedonum apud Stobæum lib. 41 de Repub.* grauiter monet, hoc μικρὸν & τοὐλάχιστον, minimum, vt vocat *Cic. & Lucret.* Rebuſpublicis eſſe occaſionem interitus, &c. Exemplum huius rei affert Ariſtoteles in Republ. Thuriorum, vbi ex vnius inſtituti mutatione reliqua paulatim labefactari, donec Reſpublica in Dynaſtiam ſiue deterrimam Oligarchiam mutaretur, cœperunt. Præclare igitur Ariſtoteles *cap. prox* hunc poſtremum Rerumpub. conſeruandarum modum commemorat, curam de veteribus inſtitutis & legibus conſeruandis, & ne minimo quidem mutando.

VI. Modus ſeu cauſa.

1. Exempl.

2. Exempl.

Hic modus omniū perıculoſiſſimus ὁμοίως.

Cautio.

TEX-

TEXTVS.

De externis mutandarum Rerump. cauſis.

Omnes autem Reſpublicæ diſſoluuntur alias quidem per ſe, alias vero extrinſecus, nempe ſi contraria ſit Reſpublica vel prope, vel longe quidem, ſed quæ ſit potens; id quod Athenienſibus & Lacedæmonijs accidit. Nam Athenienſes quidem Oligarchias, Lacedæmonij vero Democratias vbique diſſoluebāt. Mutationes igitur rerum & ſeditiones, vnde exſiſtant, fere explicatum.

COMMENTARII.

Πᾶσαι αἱ πολιτεῖαι.] Inſignis hic eſt locus de duobus generibus mutationum omnium Rerumpublicarum. Nam cauſas mutandarum Rerumpublicarum eſſe duas; aliam inteſtinam & domeſticam, aliam externam: de cauſis inteſtinis explicatum hactenus: de externa & aduentitia breuiter hoc loco, & *infra cap.10.* φθείρεται δὲ τυραννὶς, &c. *in fi. ferè. & Ioannes Bodinus in lib. vel methodo hiſtorica, pag.254. & 259. in fi. in editione prima.* Externa igitur interitus cauſa ab externis hoſtibus, ſiue vicinis & finitimis, ſiue remotioribus & longinquis affertur; maxime ſi exteri & hoſtes contrario Reipublicæ genere vtantur. Nam alioqui ſi eodem vtantur, & victores fiant; ſæpenumero non Reſpub. ſed magiſtratus aut perſonæ, quæ præſunt, mutari ſolent. De qua magiſtratuum & perſonarum mutatione ſiue tranſlatione dictum & *ſupra cap.1.* quo modo multa Regna Aſſyriorum, Perſarum, &c. mutata fuerunt, non quo ad Rempubl. ſiue Politiam, ſed quo ad perſonam. Verum vbi contrariæ ſunt Reſpubl. inter ſe vicinæ & infeſtæ, ibi plærunque accidere ſolet, vt victrix victæ formam mutet in ſuam. Contrarias Reſpub. notum eſt eſſe Democratiam & Oligarchiam ſiue Ariſtocratiam, quæ Oligarchiæ quaſi ſpecies eſt quædam. Et hoc quidem modo olim & Lacedæmonii & Syracuſani quia Oligarchia ſiue Ariſtocratia ipſi vterentur, deuictorum à ſe populorum ſtatus in Oligarchias quoque commutabant: Athenienſes contra, qui Democratia vterentur, in Democratias conuertebant, vt hîc *& infra d. cap.10. & ſupra lib.4.cap.11. Iſocrates in Panathenaico* de Athenienſibus confirmat,

quod

quod hic ait Ariſtoteles, de Lacedæmoniis non item, *οἱ μὲν γὰρ ἡμέτεροι πατέρες*, &c. inquit, maiores enim noſtri ſociis ſuadebant, vt eandem, quam ipſi amabant, Rempub. ſequerentur & conſtituerent, &c. Lacedæmonii vero inſtituebant neque ſuæ neq; aliorum ſimilem, ſed decemuiros deſignabant. &c. etſi hic decemuiratus eſt Oligarchicus, eaque propter Spartano ſimilis. Nam Spartanos Oligarchia vſos eſſe *idem* fatetur *in Nicocle*, vbi de Spartanis & Carthaginenſibus domi & in pace eſſe vſos Oligarchia, in bello Monarchia ſiue Regno vſos oſtendit.

CAPVT VIII.

De cauſis mutandarum & euertendarum Rerumpubl. tam communibus, quam propriis, prioribus capitibus *Argument. & συνεχεί-* ſex adhuc eſt explicatum. Nunc contra de cauſis conſeruan- *ας ratio.* darum Rerumpublicarum tam communibus, quam propriis, explicat Ariſtoteles his duobus capitibus 8. & 9. perperam diſtinctis, cum vnum potius caput eſſe debeat, vt infra intelligetur. Cur autem hæc de cauſis ſalutis & incolumitatis, quam ea de cauſis interitus, ſit breuior diſputatio, rationem expoſuit ipſe Ariſtoteles initio huius capitis, nimirum quod cognitis interitus cauſis, cognoſcantur & facile cauſæ ſalutis, vt contrariorum eadem eſt doctrina & cognitio. *Cur diſputatio de cauſis ſalutis breuior quã altera de cauſis interitus Rerũpubl.* Etſi igitur hæc diſputatio de cauſis ſalutis, vt ex priore interitus nota prætermitti fortaſſe poterat: tamen, vt quæſtio hæc de Rerumpublicarum mutationibus ſit plenior & tota abſoluatur, de integro, & ſeparatim de his quoque cauſis explicatur; quarum ſummam ſi quis faciat, vndecim fere cauſas communes reperiet, duas præterea Oligarchiæ & Democratiæ proprias, de quibus certe potiſſimum tota hac diſputatione agitur; de Democratia (inquam) & de Oligarchia, & cum his affinitatem habẽtibus, Politia & Ariſtocratia. Nam de reliquis duobus Reipublicæ generibus, Regno & Tyrannide ſeparatim, infra explicatur *cap. 10.* de cauſis interitus, & *cap. 11.* de cauſis ſalutis.

TEXTVS.

De ſalute autem & communiter & ſeparatim cuiuſq; Reipublicæ conſequens eſt explicare. Primum igitur perſpicuum eſt, ſi ea, quibus euertun-

tur

tur Reſpublicæ, tenemus, ea quoque quibus conſeruentur, nos tenere: nam contraria contrariorum ſunt efficientia: at interitus ſaluti repugnat.

COMMENTARII.

Περὶ δὲ σωτηρίας καὶ κοινῇ.] Quod duo hîc ait Ariſtoteles initio explicandum, iam de cauſis ſalutis, & earum notitiam ex cauſis interitus, *ſupra initio* expoſitis petendam, modo in argumento ſeu præfatione explicauimus.

Contrariorum eadem poteſtas.

Τῶν γὰρ ἐναντίων.] De contrariis & eorum vi ac poteſtate elegans extat diſputatio huc pertinens, *apud Muretum lib 8. cap 7. variarum lectionum.* Nam vulgatum eſt, contrariorum eandem eſſe vim & poteſtatem: quod axioma erudita adhibita diſtinctione explicat: *de quo & ſupra d. lib. 5. Ethic.*

TEXTVS.

In Rebuſpublicis igitur bene temperatis, vt ſi quod aliud, maxime videndum, ne quid contra leges fiat, & exiguum maxime cauendum: occulte namq; obrepit detrimentũ, quẽadmodum facultates paruis ſumptibus ſæpe iteratis conſumũtur. Latet autem detrimentum, eo quod non fiat vniuerſum: capitur namque mens ab ipſis tanquam captio eſt ſophiſtica, ſi ſingula exigua, & omnia. Hoc autem eſt quidem quodammodo: eſt vero quodammodo non. Totum namq; & omnia non exiguum, ſed de exiguis ſunt concreta. Vna igitur cautio huic principio eſt adhibenda.

COMMENTARII.

1. Ratio cõſeruandarũ Rerump.

Ἐν μὲν οὖν ταῖς.] Prima conſeruandarum Rerump ub. ratio & cautio, in legũm & inſtitutorum exquiſita obſeruatione poſita, hic explicatur. Nam diligenter operam eſſe dandam aut cauendum, ne ex veteribus inſtitutis quicquam mutetur, ne minimum quidem. Nam tametſi vnius fortaſſe legis

Ratio.

aut inſtituti etiam minimi, paruique momenti, mutatio per ſe non magnifacienda videatur: tamen propter conſequentias, ne inde, licet paulatim, mutationes plures obrepant, etiam

jam initio huic, licet exiguo, occurrendum prudenter monet Ariſtoteles; in eoque initio, licet minimo, maximum momentum & periculum verſari: propterea quod propter exiguitatem vix cerni poſſit, niſi à prudentiſſimo Politico, quemadmodum *infra lib. 6. cap. 4.* mala, inquit, parua vix cernuntur & contemnuntur, aucta magis incurrunt in oculos: *vt & ſupra dictum cap. 4. in princ. & cap. 7. in fi.* vbi de hoc exiguo. Affert autem hoc loco Ariſtoteles duas ſimilitudines, vnam à ſumptibus rei familiaris, alteram à captione ſophiſtica: quibus oſtendit partim, quam periculoſum ſit hoc exiguum in legum & inſtitutorum mutationibus, partim qui fiat, vt non ita attendatur facile, ſed occulte obrepat & fallat, niſi acutiſſimos. Nam quemadmodum, inquit, bona & fortunæ ſæpe vniuerſæ exhauriũtur minutis licet ſumptibus, ſed ſæpe & paulatim iteratis: ita & in patriis inſtitutis accidere ſolet, vt ſæpe omnia euertantur, id eſt, tota Reſpublica mutetur ex ſingulorum inſtitutorum & legum mutatione. Iam vero quam difficilis cautio, qua huic malo occurratur, exponit & oſtendit ducta ſimilitudine à captione ſophiſtica, quæ ſorites dicitur. Nam vt in ſorite à minima cauillatione & captione, quæ initio facile admittitur, gradatim tandem ad maximi momenti cauillationem fit progreſſus, vbi principium velut admittatur, vt dixi, & velut contemnatur; factus tandem aceruus & σωρὸς non item: ita & in hac leui initio inſtitutorum mutatione capi & falli nos monet Ariſtoteles. Captionem Ariſtoteles ita conformat; ſi ſingula ſunt parua, ergo & omnia; vt vnum, vt duo, vt tria, &c. ſunt exigua: ergo & numerus ex iis coaceruatus erit exiguus. Reſpondet, partim id eſſe verum, partim falſum. Nam quo ad partes, ex quibus totum conſtat, exiguum quoq; dici poteſt: quo ad ſe, non item. Sic & omnia diſtribute & ratione partium dici poſſunt exigua; collectione, vt loquuntur, non item. Videatur *lex cauillationis, ff. de verb. ſign.* Huc quoque pertinet locus de legum mutatione, à qua adeo cauendum ſeu abſtinendum eſſe monuit *ſupra* Ariſtoteles *cap. 6. lib. 2.* etiam minima, vt conſilium putet potius iniuſta quædam retineri poſſe, quam vt mutationis vel etiam iuſtæ fiat initium.

Ap̃batio.

Similitudo.

1. ὁμοίωσις.

2. ὁμοίωσις.

TEXTVS.

Prætereà, quæ capiendi cauſa aduerſus plebem ſunt inſtituta, commentis minime fides habenda eſt: Reipſa namque refelluntur. Quæ autem Rerumpublicarum dicamus commenta, ſupra explicaui.

COMMENTARII.

2. Ratio cõſeruan. Rerump.

Ἔπειτα μή.] Altera conſeruandis Rebuſpublicis cautio aduerſus Politica ſophiſmata hic exponit, prioris cautionis velut pars quædam. Nam vt prior aduerſus exiguum, eiuſq; velut captionem & paralogiſmum, ita & hæc aduerſus captiones & fraudes Politicas eſt comparata: quibus item non aperte & vniuerſe, ſed occulte & ſenſim Reipublicæ forma commutetur. De quibus Politicis ſophiſmatis & fraudibus explicatum *ſupra lib. 3. cap. 13.*

TEXTVS.

Præterea videndum, quaſdam non tantum Ariſtocratias, ſed etiam Oligarchias conſiſtere, non quo ſint ſtabiles Reſpublicæ, ſed quia, qui præſunt magiſtratibus, commodi putantur, & ijs qui ſunt Reipublicæ expertes & ijs, qui ſunt participes: ijs quidem, qui non ſint participes, iniuria non afficiendo, & cum eorum principibus Republ. communicanda, atque honorum cupidis non afficiendis ſeu lædendis ignominia, vulgo vero ad quæſtum: ad eos vero, qui & participes ſint, populariter inter ſe vtendo. Nam quam populares in multitudine quærunt æquitatem, ea inter pares non ſolum eſt iuſta, ſed etiam vtilis. Quare ſi plures ſint Reipublicæ participes, vtilia ſunt multa inſtituta popularia; verbi gratia, ſemenſtres eſſe magiſtratus, vt pares omnes capere poſſint. Nam pares ſunt iam velut multitudo: quare & inter hos ſæpe Demagogi

magogi exſiſtunt, vt ſupra explicatum: Præterea minus ad Dynaſtias recidunt Oligarchiæ & Ariſtocratiæ. Nam qui paruo tempore præſunt magiſtratui, non tam facile nocere poſſunt, quam qui longo: ſiquidem hinc fit, vt in Democratijs & Oligarchijs tyrannides exſiſtant: nam in vtraque Republica tyrannidem inuadunt vel maximi, hic quidem Demagogi, illic vero Dynaſtæ; vel qui maximis præſunt magiſtratibus, ſi longo præſint tempore.

COMMENTARII.

Ἔτι δ' ὁρῶν.] Tertia cautio ſiue conſeruandarum Rerumpubl. ratio hic explicatur, poſita in vſu ſiue conſuetudine, in facilitate & communitate eorum, qui præſunt, aduerſus eos, qui parent, & ipſorum quoq; inter ſe. Nam etſi difficile eſt factu, vt, qui magnis præſunt imperiis, non iis abutantur cum tenuiorum iniuria: præclarum tamen id eſſe & Reipublicæ maxime ſalutare, confirmat hoc loco Ariſtoteles exemplo etiam non optime conſtitutarum Rerumpubl. nempe Oligarchiarum; quas conſtat eſſe ex numero vitioſarum, minimeque ſtabiles; has tamen, inquit, cernere licet hac cautione diuturniores & ſtabiliores effici. Exemplum attulit *ſupra cap.6.* de Oligarchia Pharſalica, vbi concordia & magna communitas eorum, qui præeſſent, inter ſe fuerit. Nam in Oligarchiis, qui præſunt, operam dare debent, vt faciles ſe præſtent etiam aduerſus eos, qui parent, ſiue quibus Reſpubl. non communicatur propter tenuiorem cenſum (hinc enim definiuntur Oligarchiæ) iis, qui altiore ſunt ingenio, ignominia non temere afficiendis, reliquis in lucro & re familiari non fraudandis aut vexandis. Illis igitur altioris ingenii & honorum cupidis aditum quoq; ad Rempubl. & honores aperient, multitudini vero quæſtu aliquo deliniendæ viam aperient. Sic enim pars vtraque viuet contenta & quieta, neq; tumultus ad Rempublicam euertendam excitabit. Nam *& ſupra lib.2 cap.5. & infra lib.6 cap.4. & hoc cap. extremo. & cap. 11. & ſupra initio huius lib.* dictum, cum duæ ſint res principes, propter quas omnes motus exſiſtant, hono-

III. Ratio

Exemplū.

honores & diuitiæ: illos præſtantioribus, diuitias & quæſtum multitudini fere eſſe curæ. Inter ſe autem, qui Reipublicæ præſunt, ſumma eos facilitate & comitate vti debere; itaque ſe gerere, quaſi omnes ſint pares, populari plane modo. Nam cum omnibus ad Rempubl. pateat aditus, & proinde ſint pares; perſpicuum eſt, ius illud, quod maxime Democratiis tribui ſolet, nimirũ ius ſiue æquitatem Arithmeticam, non Geometricam, inter eos Oligarchas quoque eſſe debere, & eſſe maxime ſalutare. Nam alioqui ſi ex Oligarchis alius alium opprimere, tanquam potentior, aut cõtemnere cœperit; hinc motus exſiſtere ſolent, quod *& ſup. cap. 6.* docuit Ariſtoteles, motus in Oligarchiis exſiſtere, non tantum ab iis, qui honorum non ſint participes, ſed etiam ab ipſis Oligarchis inter ſe. Quare prudenter hoc loco, quemadmodum vtriq; motui ſit occurrendum, docet. Ex his quia intelligitur, inter Oligarchas ſiue paucos æquabile illud ius Democratiæ proprium reperiri; perſequitur Ariſtoteles diligentius hanc Oligarchiæ & Democratiæ cognationẽ. Nam primo paucos inter ſe quandam velut Democratiam conſtituere: quod idem *& infra lib. 6. cap. 7. in fi.* vulgares Oligarchias eſſe velut paruas Democratias, cui rei hoc eſſe argumento. Primo, quia vtrobique æquitati Arithmeticæ, omnes vt ſint pari iure, locus ſit, vt iam dictum. Deinde, quod vtrobique Demagogi exoriantur, non ſolum in Democratiis, ſed etiam in Oligarchiis, vt *ſupra* explicatur latius *cap. 6.* Quare cum tanta inter has duas Reſpub. ſit affinitas; efficitur primum, quemadmodum in Democratiis populi inter ſe, ita & in Oligarchiis paucorum inter ſe debere eſſe ſummam comitatem & æquitatem. Deinde efficitur hoc quoque; quæ in Democratiis ſunt vtilia: eadem Oligarchiis eſſe ſalutaria plæraque. Quæ autem Democratiis ſunt ſalutaria & propria, Ariſtoteles hic vocat νομοθετήματα popularia; explicantur *infr. lib. 6. cap. 3. 4. & 5.* Ex quibus vnum hoc loco commemorat de tempore magiſtratuũ, qui grauiſſimus eſt locus Politicus, an magiſtratus perpetui, nec ne, eſſe debeant: de quo *& ſupra lib. 2. cap. 3. in fi. & cap. 7. Dionyſ. Halicarnaſ. lib. 4.* vbi de conſulatu inſtituendo Romano, *& Io. Bodinus methodi hiſtoricæ cap. 6.* Ariſtoteles multis in locis improbat magiſtratus perpetuos, his duabus potiſſimum de cauſis: tum quia aliis ita præcludatur aditus ad honores; quæ res

Democratia & Olig. quædã inter ſe cognatio.

1. Ratio.

2. Ratio.

De tempore magiſtratuum.

Ariſtotelis ſententia.

1. Ratio.

res ambitioſis & honorum cupidis & excellentibus ingeniis ſeditionis & motus cauſam ſuppeditare ſolet, vt ſupra dictum: tum quod inſolentiores ita reddantur magiſtratus tam propter diuturnum imperium, quam quia rationum reddendarum ſic expertes reddantur & immunes; quæ res facit, vt ſæpe perpetui magiſtratus tyrannidem inuadant. Cui rei exemplo ſit Iul. Cæſar, qui propter propagatum in Gallia imperium, priuatus poſtea viuere neſcius, Rempubl. inuaſit, *vt Cic. ſæpe in epiſtolis ad Attic. & libris Offic. conqueritur*, & *ſupra* explicatur *cap. 6.* His igitur duobus grauiſſimis malis deuitandis aut depellendis tanquam medicinam & optimum conſilium eſſe putat Ariſtoteles, ſi magiſtratus ſint non perpetui, ſed ſemeſtres vel annui; nam hac ratione fieri, vt & omnibus, & qui pari ſunt iure, communicentur, vt exiguo tempore imperii Rempublicam non multum aut facile lædere, vel occupare poſſint. Cæterum de magiſtratus tempore, quod in Democratiis, ſine controuerſia, finitum eſſe debet, & earum exemplo, in Oligarchiis quoque debere eſſe oſtendit hic Ariſtoteles, grauis, vt dixi, eſt quæſtio, reuocata hypotheſi ad genus vniuerſum, id eſt, an in omnibus Rerumpub. generibus magiſtratus perpetui eſſe debeant; an in nullis; an denique in quibuſdam, de qua videantur, quæ ſupra attulimus.

2. Ratio. *Exemplū.*

TEXTVS.

Conſeruantur autem Reſpub. non ſolum, quia longe abſunt ab ijs, quæ interitum afferunt: ſed interdum &, quia prope: metuentes namque magis tractant Rempublicam. Quare debent, qui Reipublicæ curam gerunt, terrores inijcere, vt vigilent. &, tanquam nocturnam vigiliam, non deſerant Reipublicę cuſtodiam: atque, quod procul, facere prope.

COMMENTARII.

Σώζονται δ᾽ αἱ πολιτεῖαι.] Quarta Reipubl. conſeruandæ cautio, in aſſidua ſolicitudine & vigilantia poſita, hic explicatur: ſolicitudine, inquam, ex Reipub. periculis interitum minantibus & plane impendentibus, qua in re paradoxon

IV. Ratio conſeruād. Rerumpub.

 quod-

quoddam ſitum eſſe videtur, ſalutem nimirum Rerumpubl. ſitam eſſe in eo, quod pericula Reipublicæ impēdeant, cum potius interitus inde afferri aut certe metuendus videatur. Nam eas maxime diuturnas vel incolumes manere dicimus Reſpublicas, quæ ab periculis quam longiſſime abſint. Verum huius paradoxi, cur (inquam) impendentia pericula ſalutem afferant Republic. ratio ab Ariſtotele affertur iſta; quod metus hic propinqui & impendentis periculi ciues in Republica curanda & cuſtodienda facit diligentiores & attentiores, & velut erectos ad omnia Reſpubl. vitia & morbos ſtudioſe ſcrutandos & excutiendos: longa pace & otio & ſecuritate ſtudium & diligentia remitti ſolent, eoq; noncurantia & negligentia ſuccreſcere paulatim, mala & morbi. Iam vero quia perſpicuum eſt pericula quoq; imminentia & ex iis metum Reipubl. quoq; eſſe ſalutarem; adiungit Ariſtoteles, eos, qui Reipub præſunt, interdum etiam comminiſci velut ſtratagemate quodā debere pericula licet vana & terrores, quibus nimirum ciues erecti in perpetua velut vigilia ſtent, & Reipublicæ curam, tanquam excubias nocturnas, nūquam remittant: quam à vigilia militari ſumptam ſimilitudinem ad Reipubl. præfectos paſſim accommodat: qui magiſtratus plærunque vigiles & cuſtodes, eorumque miniſtros canes vocat. Quod autem de vanis his terroribus attentioris vigiliæ cauſa & curæ excitandæ faciendis in Republica monet Ariſtoteles; ſumptum quoque eſt à re militari, vbi hoc ſtratagema ſæpe neceſſarium eſt de quo *Frontinus lib. 3. ſtratagematum cap. 12.*

Ratio.

Stratagema.

TEXTVS.

Præterea Principum contentiones & motus, & danda eſt opera, vt per leges caueantur; & qui extra ſeditionem ſunt, antequam & ipſos implicent; ita vt primum exoriens malum non vnius cuiuſq; ſit noſſe, ſed viri Politici.

COMMENTARII.

V. Ratio. Ἔτι δὲ τῶν γνωρίμων.] Quinta Reipublicæ conſeruandæ cautio, in concordia Principum ciuium & vitandis eorum motibus poſita, explicatur; nimirum hoc Reipubl. maxime fore ſalutare, ſi legibus ita ſit temperata, vt inter principes

motus

motus & diſſenſiones quam minime oriantur: quæ (diſſenſiones & inimicitiæ) ſi nihilominus oriantur, vt ijs continuo occurratur, ne ad reliquos ciuitatis ordines & partes omnes permanent: id quod plærumque accidere ſolere, vt Principum factionibus reliqua multitudo vel ſtudio vel mercede vel furore quodam ſe adiungant, ſupra explicauimus *cap. 4.* Verum quam difficile hoc ſit factu, Principum (inquam) diſſenſionibus ſtatim & ab initio occurrere, prius quam reliqui ciues implicentur, adiungit Ariſtoteles; non, inquit, cuiuſque eſt id præſtare, ſed viri Politici & ciuili arte præſtantis; nimirum qui etiamnum naſcentes ſeditiones ſubodoretur, & ijs prudenter ſalutarem afferat medicinam. Vulgus & Reipublicæ regendæ imperiti exigua mala & morbos cum alios, tum diſſenſiones Principum. initio vel non vident, vel contemnunt, vt ſupra dictum, vbi de exiguo vel minimo. Ex his perſpicuum eſt, hanc cautionem eſſe velut bimembrem. Nam vel ita legibus temperandam eſſe Rempubl. vt quam rariſſimæ ſint Principum diſſenſiones & motus: vel ijs exortis id agendum, vt continuo hi reſtinguantur & ſedentur: nam, vniuerſa ijs implicata ciuitate, difficulter tolli aut ſedari poſſunt. Ex his quoque perſpicuum eſt, non probari Ariſtoteli Solonis Paradoxon ſiue legem admirabilem, qua cautum fuit, vt in ciuium ſeditione omnes ſeditioni implicarentur, nemo neutrarum eſſet partium. Pulchre *Plut in libro de preceptis ciuilib.* alia, inquit, apum, alia Reipublicæ eſt ratio. Nam apũ ſanitas & bona valetudo de ſtrepitu & murmure in apiarijs faciendo: ciuium & ciuitatum ſalus & incolumitas de tranquillitate & quiete ſpectari ſolet: quo loco & Solonis paradoxon refellit.

Diffi ultas huius rationis.

1. Membrũ.

2. Membr.

Solonis inſtituti refutatio. Quod tamen tueri certaque ratione fulcire conatur Agell. noct. attic. lib. 2. cap. 12. pag. 1473.

TEXTVS.

Ad mutationem autem, quæ fit in cenſu, Oligarchiæ & Politiæ vitanda, vbi hoc vſuuenerit; eodem quidem manente cenſu, ſed maiore hubertate; vtile erit communis cenſus magnitudinem ad præteritum ſpectare, in ijs quidem ciuitatibus, quæ quotannis cenſentur, in maioribus vero tertio aut quinto quoque anno. Et ſi multis

Ioh. Bodin. de Rep. lib. 4. cap. 7. ſeu pag. 486.

partibus priore fuerit maior: cum cenſus inſtitueretur Reipublicæ legem ferre, & cenſus vel intendere vel remittere; ſi maior fuerit iuſto hubertas, pro augmento, intendendo; ſi minor, remittendo, & minore faciendo cenſu. Nam ni faciant vno quidem modo in Oligarchijs quidem & Politijs; fit, vt hic, id eſt, in Politijs Oligarchia, illic vero Dynaſtia exſiſtat: alio vero modo ex Politia quidem Democratia, ex Oligarchia vero aut Politia aut Democratia.

COMMENTARII.

VI. Ratio. Πρὸς δὲ τὴν.] Sexta Reipublicæ conſeruãdæ ratio ſeu cautio, in cenſus deſcriptione & æquabili & recta poſita, hic explicatur. Nam cum rerum hubertate & copijs ſæpe fiat, vt ciuium bona amplificentur, aut contra calamitatibus minuantur; ſi cenſus initio deſcripti ratio manet eadem, vt Rerumpublicarum mutatio ſequatur, neceſſe eſt, nimirum ex bonorum amplificatione, vt ex Oligarchia fiat Democratia vel Politia, & ex Politia Democratia. bonis vero deminutis ex Politia fiat Oligarchia, & ex Oligarchia fiat Dynaſtia, id eſt, peſſima & deterrima Oligarchia. *Ratio.* Cur autem non ijſdem, ſiue mutatis, id eſt, vel auctis vel deminutis bonis, eodem tamen & non mutato cenſu veteri, hæc neceſſario conſequatur mutatio; facilis eſt ratio, & cauſa eſt in promptu: quæ exemplo melius cognoſcatur & intelligatur. Si igitur, *Exemplũ.* verbi gratia, Reſpubl. initio è cenſu temperata, ita vt nemini ad Rempublicam pateat aditus alij quam qui decem millia aureorum in bonis habeat; & hi primo cenſeantur ex decem ciuium millibus; ſiue reperiantur mille aut quingenti potius; poſtea vero auctis facultatibus ciuium reperiantur tria aut quatuor aut quinque millia ciuium eo cenſu, aut plæriq; etiam fere eo cenſu, vt pauci ſint tenuiores: perſpicuum eſt, cum ante paucis ad Rempublicam eſſet aditus, nunc eum factum eſſe plurimis, id eſt, ex paucorum Republica ſiue Oligarchia bonorum hac amplificatione factam eſſe vel Politiam vel etiam Democratiam: quod idem eadem ratione in alijs mutationibus, quas modo expoſuimus, vſuuenire poſſe, cui-

ſe, cuique veterem cenſum cum præſente comparanti facile eſt perſpicere. Huic igitur mutationi cautionem hic ſalutarem affert Ariſtoteles, nimirum vt auctis facultatibus augeatur & cenſus pro rata: deminutis deminuatur & remittatur. Id quod facile factu erit, & bona priora, & cenſum priorem cum præſente comparanti viro Politico, maxime in iis ciuitatibus, in quibus cenſus agatur, & bona ciuium cenſu agendo internoſcantur. Cenſum autem in aliis quidem ciuitatibus, maxime minoribus, quotannis ſubinde actum fuiſſe, inquit Ariſtoteles; in maioribus, tertio quoque anno, vel etiam quinto, ſiue luſtro; quod ſpacium, luſtri (inquam) interuallum in cenſu agendo ſecutos eſſe Romanos, omnibus notum eſt.

Cautio.

Cenſus agendi tempora.

Xenophon de Republ. Athen. pag. 407. lib. 22.

TEXTVS.

Eſt autẽ & in Democratia & Oligarchia & Monarchia & omni Republica commune, neminem augere præter modum; ſed dare operam potius, vt parui & diuturni honores mandẽtur, quam ſtatim magni. Nam corrumpuntur: neque cuiuſuis eſt hominis, ſecundam ferre fortunam: quod ſi non, ne ſaltem, vbi vniuerſos mandaris, rurſus vniuerſi & ſimul adimantur, ſed ſenſim. Atque maxime quidem dare operam, vt ita legibus regantur, ne quis vel ab amicis, vel à diuitijs longe præſtet potentia: quod ſi non, facere, vt vrbe ipſi diſcedant.

COMMENTARII.

Κοινὸν δὲ καὶ ἐν δημοκ.] Septima cautio non vnius tantum aut duarum Rerumpubl. vt prior, propria, ſed communis, omnibuſque Rebuſpublicis adhibenda, in æquitate ciuium poſita, hic explicatur: quæ bimembris eſſe videtur; vel in honoribus & magiſtratibus ſiue imperiis, vel in priuatis opibus, vt diuitiis, vt amicorum & clientum multitudine, aut contra, poſita. Nam conſeruandæ Reipublicæ maxime ſalutarem eſſe hanc rationem, ſi ciuium nemo vnus prę̨ter cæteros vel honoribus augeatur, vel priuatis opibus; hi namq;

VII. Ratio.

alioqui tyrannidem ſæpe inuadere ſolent: quod late expli-
1.Cautio,in mandandis honoribus adhibenda. catum *ſupra cap.3.& lib.3. cap.9.* Itaque quod ad honores, operam Reſpublica dare debet, ne ad vnum vniuerſos & ſummos deferat, ſed potius, vt exiguos & tenues, eoſq; diuturnos aut longiores, vt tempore ſeruatur honoris exiguitas. Nam vni omnes & maximos ſtatim mandare quam ſit periculoſum, docet Ethica ſententia pulcherrima; nimirum difficile eſſe ſecundam ferre fortunam: quod quam ſit difficile, hinc intelligi poteſt; quod ambiguum ſit, vtrum ſit difficilius aduerſam, vt vulgo putant, an ſecundam ferre fortunam: propterea quod fortuna aduerſa homines ſapere doceat & vigilantes reddat; ſecunda inſolentes, inertes, negligentes & contemptores, vt pulchre *Diodorus Siculus lib. 19.*
1. Exempl. διόπερ ἔνιοι, &c. Quare & *Nepos in Timoleonte,* & id, inquit, quod difficilius videbatur, multo ſapientius tulit ſecundam,
2. Exempl. quam aduerſam fortunam: & contra *in Conone*; accidit huic, quod cæteris mortalibus, vt inconſideratior in ſecunda, quam in aduerſa eſſet fortuna. de eadem difficultate & *Thucydides lib 3.* τὰ δὲ πολλὰ, &c. *& Saluſtius in Catil.* ſecundæ res ſapientiam, &c. *& Tacit. lib.9.* fortunam adhuc, &c. *& ipſe Ariſtoteles infra lib.4. cap.16. & lib.2. Rhet.* ſecunda reddi inſolentiores, aduerſa æquiores & tranquilliores. Hoc i-
2.Cautio in honoribus mãdandis. gitur Reipublicæ curandum, ne quem magnis honoribus ſtatim augeat; quod tamen ſi fecerit, alteram cautionem, velut ἕτερον πλῆν, adhibendam Ariſtoteles præſcribit iſtam; id eſt, ſi ad vnum aliquem Reſpublica omnes honores ſtatim detulerit, vt hoc igitur curet, ne iidem illi ſtatim adimantur, ſed ſenſim & paulatim; nimirum hoc vult Ariſtoteles, neminem ciuium ſtatim vel collocandum in ſummo gradu, vel collocatum eſſe deiiciendum. Nam hoc magnum in Republica eſſe vitium monet: *& Corn. Nepos in Miltiade, & Demoſth. aduerſus Ariſtogit.* vbi pulcherrime locus communis de honorum & magiſtratuum vel facilitate vel
Exemplũ. raritate explicatur: vt Athenis Demetrio Phaleræo, ætate Ariſtotelis extrema, trecentas ſtatuas erexerat populus, quas paulo poſt vno omnes die deiecit. Hac igitur cautione in honoribus vtendum docet; in reliquis vero opibus & po-
1. Cautio quo ad opes cæteras. tentia duplicem quoque cautionem exponit. Nam optimum quidem factu eſſe ait, ita legibus ab initio Rempublicam temperare, ne quis ciuium vnus præter cæteros excellere

tellere & opibus præſtare poſſit; quod tamen ſi aliter acci- *2. Cautio.*
dat, κατὰ δεύτερον πλοῦν hanc adhibendam cautionem & velut medicinam, vt, ſi qui tales exſtiterint, dimittantur & in exilium pellantur; qua poſteriore cautione in oſtraciſmis Græcos ſæpe vſos eſſe *ſupra* monuit, & nos explicauimus *lib.3 cap.9. & hoc libro cap 3.*

TEXTVS.

Quia autem propter priuatas vitas res nouas quærunt: inſtituendus eſt magiſtratus aliquis, qui obſeruet eos, qui Reipublicæ non viuant accommodate, in Democratia quidem Democratiæ, in Oligarchia vero Oligarchiæ, itemq; aliarum cuique Rerumpublicarum.

COMMENTARII.

Ἐπεὶ δὲ καὶ διὰ τοὺς.] Alia Rerumpublicarum conſeruan- *IIX. Ratio.*
darum cautio, in priuatorum vita & moribus regendis poſita, hic explicatur, quo pertinere videntur & ea, quæ *infr. cap. proximo fere in fin.* afferuntur his verbis, μέγιστον δὲ τῶν πάντων τῶν εἰρημένων, &c. de ciuium ſingulorum diſciplina & inſtitutione ſua cuique Reipublicæ accommodata. Nam pro Reipublicæ diuerſitate diſciplinam quoque variare, aliter vt in Democratia inſtituendi ſint ciues, aliter in Oligarchia, Monarchia, &c. Quam rem ibidem monet, etſi vulgo neglectam, maximi tamen eſſe momenti ad ſtatum Reipublicæ conſeruandum incolumem. Videntur tamen his duobus locis duæ quoque, licet cognatæ, Rerumpublicarum tuendarum cautiones contineri: illic quidem de diſciplina & educatione ciuium recte & Reipublicæ congruenter & accommodate inſtituendam: hic vero de ciuibus in ea diſciplina Reipublicæ conueniente, magiſtratus cuiuſdam cura, velut Epiſcopi, continendis. Cuius generis magiſtratus Romæ erant cenſores, moribus ciuium regendis præfecti. Athenis in ciuium vitam, mores, & artes in Areopago inquirebatur. Erat & paſſim apud Græcos mulierum moribus præfectus certus, qui γυναικονόμος dicebatur; de quo & *infra lib.6.cap. vlt in fin.* Sic & Romæ bellis ciuilibus grauiſſime perturbata Repub. C. Cæſar & poſterius Auguſtus moribus

tribus præfecti deſignati fuerunt, vt eſt *apud Dionem hiſtoricum, in epiſt. Cic. etiam ad Attic.* Quanti autem interſit, ſingulorum in vitam & mores inquiri, neq; permittere, vt alii luxu & deſidia & alea rem familiarem perdant, alii nimiopere eam augeant, vel alia vitia in ciuium vitam priuatorum influant, quod morũ hanc mutationem ſæpenumero ipſius Reipublicæ & ſtatus mutatio ſubſequatur; vel ex eo perſpicuum, quod optimæ quæque Reſpub. ſtudioſe id cauere ſint ſolitæ, ne peregrinus luxus vel deprauati mores in ciuitatem, vel per mercatores & exteros, vel per ipſorum ciuium peregrinationem, importarentur: quo nomine *Lyſandrum Plut. in eius vita* reprehendit, qui ea ratione patriam ſuam Lacedæmona corruperit, quemadmodum Romam, luxuria Aſiatica per milites maxime, & imperatores, id eſt, belli duces, maxime Sullam, Lucullum & alios importata, euerſam fuiſſe grauiſſime conqueruntur *Saluſtius, Liuius & alii.* Ex quibus perſpicuum eſt, hanc de moribus præfecto in Republica inſtituendo valde neceſſariam & ſalutarem eſſe cautionem.

Ratio ab exemplis.

TEXTVS.

Adhibenda quoque eſt cautio ei ciuitatis parti, quæ præter cæteras floreat ijſdem de cauſis (vel; Cauendum quoque ijſdem de cauſis, ne qua pars ciuitatis præter cæteras floreat:) cuius rei medicina, res gerendas & magiſtratus ſemper contrarijs partibus committere (contrarios eſſe dico bonos multitudini & diuitibus pauperes) operamq; dare, vel vt pauperum diuitumque multitudo permiſceatur, vel pars media augeatur: ea namq; tollit ſeditiones ex inæqualitate naſcentes.

COMMENTARII.

IX. Ratio.

Καὶ τὸ ὐνημεροῦν δὲ.] Alia cautio, non in vno ciue, non in priuatorum moribus, vt duæ priores, ſed in parte ſeu ordine aliquo Reipublicæ (vt in plebe, in diuitibus, in nobilibus, &c.) poſita, hic explicatur. Nam *ſupra cap. 3. & cap. 4.* docuit Ariſtoteles, ſæpe accidere, vt in Rebuſpub. nunc vna pars ſiue or-

ne ordo floreat, nunc alia floreat vel iaceat, nunc alia: eaque re fieri, vt pars ea nimis excellens & reliquis partibus potentior inſoleſcat, & Reipublicę ſtatum ad ſe trahat & commutet; plebs ad Democratiam, nobiles ad Oligarchiam. Huic igitur initio hîc occurrendum monet, & operam dandam, ne quid tale accidat, ne qua pars præter cæteras excellat; ſed ſuo quæque in ſtatu permaneat: iiſdem, inquit, de cauſis, id eſt, nam vt in prioribus duabus cautionibus ex vnius præpotentis inſolentia & ſingulorum deprauatis moribus & petulantia ſiue libidine rerum nouarum ſtudium & Reipublicæ mutatio metuenda eſt: ita & ex nimia huius vel illius ordinis potentia ſiue præſtantia. Quemadmodum autem effici id poſſit, ne qua pars præ cæteris effloreſcat & augeatur: pulchre adiungit & docet Ariſtoteles tribus expoſitis viis & rationibus: quarum prima hæc eſt, ſi magiſtratus & imperia reſque gerendæ mandentur contrariis partibus, id eſt, vt ſi qua pars præter alias augeſcat, non huic parti, ſed contrariæ potius magiſtratus, Reſquepub. gerenda committatur. Nam alioqui pars augeſcens, etiam imperiis & magiſtratibus aucta, maiores continuo opes & potentiam ſibi acquirit & reliquas opprimit; quod ſæpe accidiſſe, planum fecimus, *ſup. cap. 3. & 4.* Hac arte & cautione hac ætate Venetos ſæpe vſos ferunt, qui infirmiori ſeu imbecilliori ſe applicando hoc perfecerunt, vt potentioris ſaltem curſus ſiſtatur: cui potentiori ſi ſe coniunxiſſent, metuendum fuerat, ne imbecilliore à potentiore oppreſſo illi quoque tandem victoris præpotentis præda ſupereſſent. Sic ſe inter Hiſpanos & Gallos geſſiſſe feruntur. Hæc igitur vna eſt via & inſignis medicina, ei initio, nimiæ (inquam) ordinis aut partis alicuius excellentiæ, adhibenda. Altera in partium permixtione eſt poſita, qua ita partes & ordines permiſceantur, vix vt agnoſci poſſint, atque ita diſtincte notari non poſſint pars aliqua & factio diuitum, & pars tenuiorum: & tollatur diſcrimen popularium & optimatum; qua de re ita *Cic. lib. 1. Offic.* omnino qui Reipublicæ, inquit, præfuturi ſunt, duo Platonis præcepta teneant, &c. Qui autem parti ciuium conſulunt, partem negligunt; rem perniciofiſſimam in ciuitatem inducunt, ſeditionem atque diſcordiam; ex quo euenit, vt alii populares, &c. diximus & *ſup. lib 3. cap. 8 in fin.* Quid ergo, dicet aliquis, nullum ciuium vel ordinum diſcrimen in Republica remanebit?

Ratio.

1. Modus.

Exemplū.

2. Modus.

Obiectio.

Solutio. nebit? Certe manebit primum diſcrimen inter magiſtratus & priuatos, deinde inter diuites ſiue nobiles & alios; ita tamen, vt non ſint factiones, & ordines diuitum pauperumq; plane inter ſe diſiuncti & diſtincti, & velut inter ſe pugnantes: adeoq; diſcrimen in ſingulis potius, quam in certis partibus aut ordinibus appareat. *3. Modus.* Tertia via & ratio tollendæ partium ſiue ordinum excellentiæ in ordine ſiue parte mediocrium augendo cernitur. Nam ſi mediocrium ciuium amplificetur & creſcat multitudo, vt reliquis duabus extremis, nempe vel prædiuitum, vel pauperum vel tenuiorum partibus & ordinibus excellat: nullus erit amplius metus vel à plebe vel à diuitum & nobilium factione. Et de hoc quidem medio, ſiue mediocrium ciuium ordine, hunc præter cæteros augeri & florere, quam Reipub ſit ſalutare, explicatum *ſup. lib. 4 cap.* 12. quo pertinet, quod docuit *ſup. huius lib. cap.* 1. *in fin. & cap.* 7. ciuitates ex mediocribus temperatas omnium Rerumpublicarum maxime eſſe diuturnas & ſtabiles. Cuius rei cauſam & ibi explicauimus, & hîc adiungit *Ratio.* Ariſtoteles; Nempe quia ſeditionum & motuum parens ſiue fons ſit inæqualitas, vt ſupra explicatum *cap.* 1. *initio:* In mediocrium vero ſtatu maxima ciuium inter ſe ſit æquitas, nec alius alium diuitijs & opibus longe antecellat.

TEXTVS.

In omni autem Republica maximum eſt, & qua legibus, & qua alia deſcriptione, ita ea eſſe temperata, vt magiſtratus ex ea quæſtum facere nequeant; id quod maxime in Oligarchicis eſt obſeruandum. Multitudo namque non tam indigne fert, à magiſtratibus ſe arceri (quin potius lætatur, ſi quis eam ſuis rebus vacare ſinat) quam ſi putet, magiſtratus publica depeculari: tum enim vtrumq; dolorem affert, nec honorum eſſe participem, neque quæſtuum. Vno autem modo fieri quoque poteſt, vt Democratia ſimul ſit & Ariſtocratia, ſi qui hoc efficiat. Fieri namq; poterit, vt & principes & multitudo obtineat, quæ vtrique velint.

ſint. Nam omnibus quidem licere magiſtratus capere, eſt populare: principes vero gerere magiſtratum, eſt Ariſtocraticum. Hoc autem erit, cum ex magiſtratibus quæſtum capere non licebit: tenuiores non volent magiſtratus gerere, quia nihil inde ſit lucri; ſed potius ſuis rebus vacare: diuites vero, quia nulla publica pecunia egeant, poterunt. Itaque fiet, vt tenuiores quidem, quia ſuis in rebus verſentur, diteſcant: principes vero humilibus & contemptis non pareant. Itaque vt publica quidem non compilentur, pecuniæ traditio, omnibus ciuibus præſentibus, fiat; & exempla rationum per curias & centurias & tribus deponantur. Vt autem ſine quæſtu magiſtratus gerantur, honores iis, qui magiſtratum præclare geſſerint, conſtitui oportet.

COMMENTARII.

Μέγιστον δὲ ἐν πάσῃ.] Alia Reipublicæ conſeruandæ cautio inſignis hic exponitur, quam & Ariſtoteles maximam vocat & velut caput in omni Republica, poſitam in magiſtratuum abſtinentia, hoc eſt, ſi Reſpublica ita ſit temperata, vt ex magiſtratibus & imperiis, qui præſunt, quæſtum aut lucrum facere non poſſint: quod cum in omnibus Rebuſpubl. tum maxime in Oligarchiis ſeruandum eſſe monet. Hac enim ratione fieri poſſe, vt Oligarchia maxime ſit ſtabilis & diuturna, ſi nullus quæſtus ex magiſtratu capiatur. Nam ſic fiet, vt plebs vel potius tenuiores, quibus in Oligarchiis ad magiſtratus non patet aditus, eos non ſint petituri, vtpote nullo inde quęſtu ſperãdo, cuius plebei & tenuiores fere ſunt cupidiores, quam imperiorũ aut honorum, vt & *ſup* dict. *lib. 2. cap. 5.* alioqui ſi quæſtuoſi ſint magiſtratus, grauiter ferent, vtraque re ſe excluſos eſſe, & honore & quæſtu: vnde motus poſtea aduerſus diuites & principes exſiſtere ſolent. Nam grauiſſime multitudo ferre ſolet, ærarium & publicam pecuniam eos, qui magiſtratibus & Reipublicæ præſunt, depeculari & in ſuos vſus conuertere. Quod autem ad locupletes

X. Ratio.

Ratio.

pletes & principes, alterum Reipublicæ Oligarchicæ ordinem, pertinet; hi etſi magiſtratus non erunt quæſtuoſi, neque ad rem familiarem ſuam ſeu ſe tuendos à Republica, annuum aliquod ſtipendium capient; poterunt nihilominus magiſtratibus præeſſe propter copias domeſticas & patrimonium locuples. Hi autem vt velint (nam poſſe, iam docuimus) magiſtratus, licet non quæſtuoſos, capere: honores & præmia erunt proponenda, quibus eo inuitentur ii, qui in magiſtratu ſe bene geſſerint, vt primi conſeſſus ſiue *προεδρίαι*, ſtatuæ, coronæ, victus quoq; publicus, immunitas vectigalium, ius nobilitatis, certa veſtium genera, &c. Nam labores his præmiis & honoribus maxime apud diuites & generoſis animis compenſari ſolent, vt eleganter *Xenophon* imperatorum labores & pericula, quæ ſæpe maiora, quam milites, ſubire cogantur, honore ſolo leniri. His igitur rationibus effici poteſt, vt in officio contineantur, neque Rempub turbent & tenuiores & diuites ſeu principes. Hic autem inſignis locus de magiſtratuum abſtinentia explicatur & *à Cic. lib. 2. Offic.* Caput autem eſt, inquit, in omni procuratione negotii & muneris publici, vt auaritiæ pellatur etiam minima ſuſpicio, &c. de quo & *ſupra* nonnihil *lib. 2. cap. 10. & Cic. quoq; in Orat. pro lege Manil. & Corn. Nepos in Epaminonda.*

Ratio, cur magiſtratꝰ nō quaſtuoſi inſtituendi.

Τοῦτο δὲ μάλιστα ἐν ταῖς.] Hæc cautio de magiſtratibus non quæſtuoſis inſtituendis, cur in Oligarchiis maxime ſit adhibenda; rationem ipſe Ariſtoteles reddit; quia in Oligarchiis maxime diuitiarum & paupertatis habeatur ratio: nam cenſu eam Reipublicæ formam definiri notum eſt. Quare cum tenuiores in Oligarchiis magiſtratum capere non poſſint, & ab omnibus honoribus ſint remoti; contra locupletiores magiſtratus & honores ſoli capiant, ſi iidem & quæſtus (hæc autem ſunt duo de quibus maxime certari ſolet, honos & quæſtus, vt *ſupra* explicatum *cap. 2.*) illi quidem expertes, hi vero ſoli ſint participes, mirum non erit, facile tum motus exſiſtere poſſe; non erit (inquam) ei, qui priorem diſputationem generalem de cauſis motuum explicatam *ſupra cap. 3.* norit, perſpectu difficile: vbi explicatum, graue eſſe, & honoribus & omni quoq; lucro orbari.

Plebei maxime curāt

Οὐ γὰρ οὕτως ἀγανακτοῦσιν.] Sæpe hoc iteratur in his libris, plebem aut eos, qui nullo ſint in munere, lucrum & diuitias

tias appetere : eos vero, in quibus maior eſt animus, quos Ariſtoteles vocat χαρίεντας, de honoribus contentiones mouere, vt *ſupra lib.2.cap 5. & infra lib.6.cap.4.* vbi Ariſtoteles idem plane, quod hoc loco, eleganter oſtendit, multitudinem maxime agricolarum & paſtorum iucundius ſibi ducere, ſuum agere negotium, ſuiſque rebus vacare, quam Reipublicæ aut magiſtratibus præeſſe; ſi (inquit) ex magiſtratibus non magnus eſt quæſtus.

lucrũ: οἱ χαρίεντες, honores.

Exceptio.

Μοναχῶς δὲ καὶ ἐνδέχεται.] Rarus & inſignis eſt locus de mixto Reipublicæ genere ex populari & optimatum temperatæ : de quibus Reipublicæ generibus, de mixtis (inquam) quædam allata ſunt & *lib.2 & lib.3.* Hoc autem loco velut extra rẽ Ariſtoteles monet de mixto quodam Reipublicæ genere, ex Democratia (inquam) & Ariſtocratia conflatæ, quemadmodum inſtitui & deſcribi poſſit. Nam hac maxime cautione id poſſe fieri, nempe ſi omnibus quidem ad magiſtratus & honores pateat aditus, id quod eſt populare; eos tamen capiant & gerant ſoli optimates & principes, quod eſt Ariſtocratiæ proprium. Soli autem hi vt magiſtratus capiant & gerant, ex ea cautione efficitur, id eſt, ſi ex magiſtratibus nullus redundet quæſtus : tum enim à tenuioribus non expetentur, vt iam eſt explicatum. Quæ Reſpublica, in qua optimates & optimi quiq; pareant præſidi, quin ſit egregia & ſtabilis, non eſt dubium, & explicat latius *infra* Ariſtoteles *lib. 6. cap. 4.*

Genus quoddam Reip. mixtum ex Democratia & Ariſtocratia.

Ὥστε συμβήσεται.] Ait, tenuiores, ſi à ſuis rebus non diſtrahantur, ſed iis ſolis inſeruiant & vacent, diteſcere, & vt *infra lib. 6. cap. 4.* ſi eos in operis nemo impediat vel ſpoliet, vel quid detrahat, facile vel diteſcere vel ſaltem non egere: quod tenuiores ſi aſſequuntur, præclare ſecum actum putant, & contenti tranquille agunt. Principes autem ſi ipſi ſoli præſint, & ſi deterioribus parere non debeant (quod generoſis animis eſt grauiſſimum) & ipſi præclare ſecum actum exiſtimant Quæ omnia eo pertinent, vt intelligatur, quam hæc cautio ſit ſalutaris & ad Reipublicæ ſtabilitatem vtilis & neceſſaria.

Τοῦ μὲν οὖν μὴ κλέπτεσθαι.] Conſuluit adhuc Ariſtoteles, vel viam & rationem docuit, qua vtrique ordini, plebi ſeu tenuioribus & principibus Rempublicam gerentibus, conſuli poſſit, magiſtratibus non quæſtuoſis: plebi quidem, ſi in ſuis

rebus nõ interpellectur: principibus vero, ſi ad magiſtratuum & imperiorum moleſtias leniendas, præmia quædã nõ quæſtuoſa, ſed honeſta inſtituantur. Nunc viam & rationẽ affert

Modus obtinẽdæ huius rationis

huius cautionis aſſequendæ, ſiue qua effici poſſit hęc cautio, effici (inquã) vt magiſtratus nõ ſint quæſtuoſi, vt, qui iis præſunt, depeculari & compilare nihil poſſint, aut publicam pecuniam in ſuos vſus cõuertere: etſi duas has rationes & vias, alteram qua conſulatur principibus, alteram qua conſulatur ærario, Ariſtoteles hic explicat, hanc quidem prius, illam poſterius. Viam igitur & rationem qua caueri poſſit vt ne magiſtratus ſint quæſtuoſi, vel ne ærarium expiletur à magiſtratibus, hanc affert. Nam pecuniæ publicæ traditionem & rationes, præſente vniuerſo populo & teſte, vult fieri, earumq; exempla non vno tantum in loco, vt fere vſitatum eſt, vnum, ſed multa multis in locis, vt in ſingulis tribubus aut curiis deponi & aſſeruari. Sic enim hacque adhibita diligentia & acceptorum propter præſentiam totius populi, & expenſorum propter diligentem cuſtodiam, rationem optime haberi poſſe. Quod autem hoc loco, idem & *in Rhetoricis ad Alex. cap 3.* τοῦτο δὲ ὅπως αὖ κατασκευάσωσιν, &c. vt locupletes & nobiles ad magiſtratus inuitentur, ita commodiſſime effici poſſe docet, ſi ſumptuum, quos in magiſtratu faciunt, loco honores quidam, tanquam præmia inſtituantur. Cæterum de hoc loco, id eſt, de magiſtratuum abſtinentia & auaritia ac peculatu præclare *Plato lib. 1. de Repub.*

Ratio, qua effici poſſit, ne quid publici compiletur à magiſtratibus.

Qua ratione nobiles & locupletiores ad magiſtratus inuitẽtur capeſſendos.

TEXTVS.

Plutarch. præcep pol.

Atque in Democratijs quidem temperandum eſt à ditioribus, non tantum à poſſeſſionibus, ſed etiam à fructibus publicandis ſeu diuidendis. id quod in quibuſdam Rebuſpublicis occulte fieri ſolet: quin præſtiterit quoque, etiam volentes vetare, munera ſuſcipere ſumptuoſa & non vtilia, vt Choragi, Lampadarchæ, & quæ alia ſunt eius generis. In Oligarchia vero tenuiorum magna ratio & cura eſt habenda; & magiſtratus, vnde quæſtus, ijs tribuendi ſunt: & ditiorum ſi quis contumelioſe inſoleſcat, in hos maiores pœnæ eſſe debent,

quam

quam ſi illorum ipſorum. Hæreditates quoq; non teſtamento, ſed agnatione ſunt deferendæ, & ad eundem non plures vna. Sic enim facultates magis erunt æquabiles, & tenuiorum plures fient locupletes. Vtile quoque eſt tam in Democratia, quam in Oligarchia ijs, qui Reipublicæ minus ſunt participes, rerum aliarum aut pares aut potiores partes tribuere: in Democratia quidem locupletibus, in Oligarchia vero tenuioribus: præter maiores Reipublicæ magiſtratus: hos enim ijs, qui Reipub. ſunt participes, vel ſolis vel plæriſque mandare oportet.

COMMENTARII.

XI. Ratio ſeu cautio. Ne in Democ. & Olig. qui parẽt iniurioſe & contumelioſe tractentur ab iis, q Reip. præſunt.

Δεῖ δ' ἐν μὲν ταῖς δημοκρατίαις.] Vt prior cautio de duobus potiſſimum Reipublicæ generibus, Democratia & Oligarchia, ita & iſte locus, quo tres præterea cautiones exponuntur, de iiſdem diſſerit. Nam primo docet Ariſtoteles, in his duabus Rebuſpubl. diligenter cauendum, vt ne pars, quæ præeſt, alteram, quæ paret, iniuria vel contumelia afficiat; verbi gratia, in Democratia, quia plebs & tenuiores præſunt, qui plærunq; ditiorum bona appetere & inuolare ſolent, temperare ſibi debent à bonis & poſſeſſionibus principum & locupletium; non tantum, inquit, ab ipſis poſſeſſionibus occupandis & inter ſe partiendis, ſed etiam à fructibus, reditibus, vectigalibus poſſeſſionum. Hoc autem quam ſæpe veteres iactitarint in Græcia & Romæ ferendis legibus & agrariis & frumentariis; *ſupra* explicauimus *cap. 5.* & Ariſtoteles hic fieri interdum ſolitum, ſed paulatim & occulte, monet, hoc eſt, non aperta vi & legibus agrariis, ſed oneribus & muneribus publicis imponendis ordini ditiorum, vbi faciẽdis ſumptibus paulatim hi ditiores exhauriantur: quod Athenis vſitatum fuit, vbi ad ſuſtinenda munera publica ciues bona ſua inter ſe permutare cogebantur, etiam inuiti. Atque ita ſæpe accidebat, vt ditiſſimus à tenuiore ad permutationem prouocatus cogeretur vel munus tenuiori impoſitum ſuſcipere, vel ſua illi bona tradere. Et hæc eſt occulta (de qua hic Ariſtoteles) bonorum diuidendorum & æquandorum

Exempla contraria. Λανθάνει, &c.

Exemplum Athenienſium.

dorum ratio. Sed Ariſtoteles eam improbat; qua nimirum onerentur ditiores nimiopere. quin etiam putat Ariſtoteles ne volentibus quidem permittendum eſſe ditioribus, vt hæc munera publica temere ſuſcipiant, & in ea plærunque omne patrimonium effundant ambitionis potius, quam vtilitatis Reipublicæ cauſa: cuius generis munera ſumptuoſa Athenis erant Chori ſeu Theatri, Lampadũ, Triremium, Epularum, Palæſtrarum præfecturæ: de quibus & hic Ariſtoteles, *& Vlpianus in Leptinianam Demoſth.* Vt autem hoc loco, ita & in alio opere Ariſtoteles has largitiones & ſumptus in hæc munera popularia reprehendit, *teſte Cic. lib. 2. Offic.* Omnino duo ſunt genera largorum, &c. vbi & ipſe epulas, viſcerationes, gladiatorum munera, ludos, venationes, & nimios ædilium ſumptus Romanorum improbat. Sic de Cæſ. ſcribit *Plutarchus*, omne illum exhauſiſſe conſumpſiſſeque patrimonium muneribus ſuis ædilitiis. Eandem munerum inſolentiam, luxum & perditos ſumptus reprehendit & *Iſoc. in Areopagitico.* Prudenter autem & caute hic Ariſtoteles non omnium ſumptus munerum, ſed minus vtilium aut neceſſariorum Reipubl. vt ſunt ludi ſcenici, & Athenis lampadum tradendarum, Græce λαμπαδοφορίας, & Romanorum item ludorum circenſium & munerum ædilitiorum reprehendit. Nam qui in munera Reipublicæ neceſſaria, vt triremium, vehiculorum, tributorum conferendorum, & alia patrimonii munera (vt vocant Iuriſconſulti, & diſputant *in l. vlt. ff. de muner.*) in hæc igitur factos ſumptus non improbat hoc loco Ariſtoteles: quin potius *lib. 4. cap. 4.* (quo loco de Reipublicæ partibus ſiue ordinibus diſputat.) ſeptimo loco commemorat & Reipublicæ neceſſarium eſſe oſtendit eum quoq; ordinem, nempe locupletum, qui ſuis poſſeſſionibus, earumque fructibus munera Reipublicæ patrimonialia ſuſtinere poſſit. Et hæc quidem de Democratia, in qua Repub. licet Domina, plebs in locupletum & principum bona nõ debeat inuadere, eaq; illis eripere aut vi aperta, aut tacite & occulte per ſumptus in munera hæc popularia. Contra de Oligarchia, quia hic rerum potiatur paucorum factio, diuitum & nobilium, vt in Democratia diuitum, ita hic tenuiorum habenda eſt ratio & cura gerenda: cuius duas partes hic commemorat Ariſtoteles. Nam magiſtratus eos, ex quibus quæſtus aliquis ſperetur & obueniat, plebi eſſe man-

Βουλομένοις κωλύειν.

Quales ſint λῃτουργίαι δαπανηραὶ μὲν, μὴ χρήσιμοι δέ.

Vlpian. vetus interpres.

Ariſtot.

Cicero.

Cæſar.

Iſocrates.

Sumptus in munera Reipub. neceſſaria.

Oligarch.

1. Ratio plebis conciliandа.

ſe mandandos, & hac velut offa ſeu bolo obiecto placandã; cui plebi cum præter quæſtum nil fere ſit curæ, præclare ſe cum agi putabit, ſi vel quæſtuoſos, licet infimos, magiſtratus capere poſſit: de quo plebis lucro tantum intentæ & contentæ ingenio & moribus dictum *ſupra h. cap & alibi.* deinde maiorem multam vel pœnam conſtituendam & infligendam eſſe ditiori ſeu principi tenuiorem iniuria afficienti vel contumelioſe tractanti, quam tenuiori, id eſt, quam ſi plebei inter ſe iniuria afficiant alter alterum. Nam hac ratione & plebs magis pacabitur & acquieſcet in ſtatu Reipublicæ magiſque gaudebit, tuta ab inſolentia & petulantia atq; iniuriis diuitum ac principum Rempublicam adminiſtrantium: & ipſa quoque paucorum factio, Reipub. domina, ſiue Oligarchi reprimentur, quorum alioqui magna ſolet eſſe aduerſus plebem tenuem & infimam multitudinem ſuperbia: Illis, *vt ait Saluſt. in Iugurth.* fere innata, contumeliæ, iniuriæ, &c. quod idem & ſupra de ingenio & moribus diuitum & nobilium aliquoties expoſuimus, *& Ariſtot lib. 2. Rhet.* Verum hæc ſua ætate minus ſeruari tam in Democratia quam Oligarchia grauiter queritur Ariſtoteles *infra cap. prox. & lib. 6. cap. 7. in fin.* *Approbatio.* *2. Ratio..* *Ap pbatio.*

Καὶ τὰς κληρονομίας.] Ex tribus harum Rerumpublicarum Democratiæ & Oligarchiæ propriis cautionibus, de quibus modo, hic exponitur altera; Hæreditates non teſtamento aut legatis, ſed iure cognationis ſiue agnationis, lege, ab inteſtato eſſe deferendas: atque ad vnum eundemque non niſi vnam: bimembris eſt igitur hæc cautio. Nam priore membro & capite tolluntur teſtamenta, altero etiam ab inteſtato reſtringitur, non tollitur ſucceſſio: cuius cautionis rationem & cauſam adiungit Ariſtoteles iſtam; quod hæc ſit ratio optima æquandarum facultatum & patrimoniorum: de qua ratione mox. Iam Reipublicæ eſſe vtiliſſimum, maxime Democratiæ & Oligarchiæ, ciuium facultates & patrimonia quam minimum eſſe diſparia & inæqualia, & contra maxime pernicioſum, vnum aliquem vel duos vel opibus vel diuitiis ſuperare cæteros, & diligenter hoc eſſe cauendum, ſæpe iam explicatum *lib. 2 in princ. 4. 5.* vbi de Oſtraciſmo & aliis locis. De teſtamentis autem (quæ tollit hic Ariſtoteles, & improbat in Democratiis & Oligarchiis, vt & *ſupra lib. 2. cap. 7.* reprehendens Lycurgum, qui hanc teſtamentorum *XII. Ratio.* *Ratio.*

libertatem ſuis permiſerit, vnde poſterius magna bonorum & patrimoniorum *ἀνωμαλία* ſeu inæqualitas Lacedæmone ſit conſecuta) magna ſemper fuit diſputatio, Reipub. ea ſint

De teſtamentis.

vtilia nec ne. Olim quidem apud plæraſque gentes nullum fuiſſe teſtamentorum vſum, ſed ad liberos & ſanguine coniunctos hæreditates & bona parentum ſeu propinquorum deuolui ac deferri ſolita, facile doceri poteſt. Nam non tan-

Germanor. priſc. mos. Athenienſ.

tum de Germanis id ſcribit *Tacit. de mor. Germ.* Sed & de Athenienſibus *Plut. in vita Solonis.* Ratio huius inſtituti veteris eſſe videtur, quod iure naturæ & naturali ratione, quam

1. Ratio ἀνασκευαστικὴ teſtamētorum.

antiquiores ſpectare ſolent, parentum bona non ad extraneos, ſed ad liberos pertineant, *vt ait Iuriſconſult. in l. vlt. ff. de bon. dam & Plato lib. 11. de legib.* Contra teſtamentorum inducendorum rationem hanc affert *Cic. lib. 3. de teſtament.*

1. Ratio cōtraria.

affectionem hominum inter ſe bene merentium & bene mereri cupientium. Eſt & altera teſtamentorum ratio, eaque

2. Ratio cōtraria.

ciuilis, quod Dominis rerum ſuarum poteſtas diſponendarum non ſit adimenda, hoc eſt, donandarum, retinendarum, alienandarum, &c. *l. mandati. C. mand.* Verum his duabus rationibus inducendorum teſtamentorum tres aliæ obſi-

2. Ratio ἀνασκευαστικὴ.

ſtunt: primam ſupra iam attulimus: Altera hæc eſt, quod qui teſtamentum facit, etſi eo tempore eſt dominus; tamen quia demum poſt mortem teſtamenta vim habent, quo tempore teſtator non modo dominus non eſt, ſed ne eſt quidem: etiam ciuilis ratio ſuadere videtur, vt nemo teſtamentum facere poſſit: vtpote de rebus non ſuis. Et hæc quoque cauſa fuit, cur certa lege Solonia Athenis & XII. Tab. Romæ fuerit opus, quæ teſtamenta confirmaret, *l. verbis, de verb. ſign.*

Amplificatio.

quinetiam hoc tentat *Plato lib. 11. de legib* Res & bona ne viuentium quidem eſſe ciuium & valentium, ſed Reipublicæ potius, vt & de liberis hominibus ait *Iuriſconſult. in l. lib. homo. ff. ad leg. Aquil.* Tertiam rationem item eiuſdem hic &

3. Ratio ἀνασκευαστικὴ.

ſup. lib 2. affert Ariſtoteles, ſed non ita communem, verum duarum Rerumpublicarum, Democratiæ & Oligarchiæ, propriam, in quibus duabus diſputatio eſſe ſolet de paupertate & diuitiis, vt ſupra explicatum. Hanc igitur affert; quod teſtamentorum & legatorum licentiā bonorum & poſſeſſionum prima conſtitutio mutetur & tollatur. Nam id Romæ

Exemplū.

quam fuerit factitatum, vel vno *Cic.* exemplo cognoſci poteſt: qui cum ab Antonio accuſaretur, quaſi nemini carus,

vtpote

vtpote cui nemo quicquam in teſtamento relinqueret, non veritus eſt dicere *in Philippicis*, ſe non multa quidem, ſed quadraginta tamen milia coronatorum legatis amicorum accepta ferre poſſe. Atq; ita perſpicuum eſt, hac ratione fieri, vt, qui alioqui initio pauperes ſint, ſummas diuitias conſequi poſſint. Fit quoque, vt ab vna familia diuitiæ transferantur in aliam: quæ duo, hoc eſt, transferri diuitias, & tenues locupletari, & ſæpe vnum aliquem (quod tertium eſſe poteſt ex hac licentia incommodum) nimium locupletari, vt Romę Craſſum, Lucullum, &c. quã ſint his duobus Reip. generibus pernicioſa; ex eo perſpicuum eſt, quod Oligarchię ex vno illo incommodo, quo diximus, vnum ſæpe nimias diuitias conſequi, in huius præpotentis & prædiuitis tyrannidem incidant: translatione autem & communicatione, hoc eſt dum tenues locupletantur, Democratiæ vt in Politias, & dum locupletes ſeu eorum familiæ bonis orbantur, vt Oligarchiæ in Democratias conuertantur. Qua vltima ratione commotus Ariſtoteles non tantum teſtamenta tollenda putat, ſed etiam ab inteſtato vetat, ne plures ad vnum hæreditates deferantur.

1. Incõmodum. *2. Incõmodum.* *3. Incõmodum.*

Ne vni plures hæreditates deferantur.

Συμφέρει δὲ καὶ ἐν δημοκρατίᾳ.] III. Cautio duarũ Rerumpublicarum propria hic exponitur, qua iubet Ariſtotel. Reipublicæ gerendæ expertibus paria vel etiam ſæpe priores partes & maiora commoda tribui, quam iis, qui Reipublicæ habenas tenent; verbi gratia, in Oligarchia, vt plebi; in Democratia, vt paucis & diuitibus. Hoc enim, velut dolo & aſtutia ciuili ſeu captione quadã & ſophiſmate Politico, quia plurimum ſe honorari iudicabunt, à ſeditione & commouendo Reipublicæ ſtatu continebuntur. Sic *& inf cap. prox. & ſupra hoc cap.* monuit Ariſtoteles, in Oligarchia plebem comiter eſſe habẽdam, colendam & obſeruandam, ſiue humaniter tractandam, non vexandam vel opprimendam, etſi vulgo contra fieret: in Democratia vero principes ſiue diuites & nobiles item humaniter eſſe tractandos: quia in re vtraque grauiter peccari, id eſt, vt non ſolum non amplius tribuatur plebi in Oligarchiis, principibus in Democratiis, ſed etiam plærumque vexentur, & iniuriis afficiantur (plebs in Oligarchiis, principes in Democratiis) à contraria populi parte ſiue ordine, qui Reipublicæ præſit, vt ait & *ſupra lib. 4. cap. 12. in fin.* Etſi autem in Oligarchiis plebi, in Democratiis

XIII. Ratio. *Ratio* *Error vulgi.* *Cautio.*

multum principibus eſt tribuendum: nunquam tamen maiores magiſtratus cum illis ſunt communicandi, ſed hi iis tantum, qui Reipublicæ præſunt (vt in Democratiis multitudini, in Oligarchiis paucorum factioni nobilium ſiue diuitum) ſunt mandandi & concredendi. Maiores magiſtratus & minores qui olim eſſent Romæ, explicat *Agell. in Noct. Att.* ex differentia maiorum auſpiciorum: ſed auſpiciorũ extincta vanitate maiores vere ſunt & dicũtur, quorum maior & amplior ſit maieſtas, maius imperium, maior procuratio ſiue rerum maiorum adminiſtratio, vt in quibus Reip. ſumma eſt poſita, domi & foris, in bello & in pace. Huius generis erant Romæ coſſ. Prætores, Dictatores, Cenſores, Imperatores ſiue Prætores militares, &c. Athenis Theſmothetæ, Areopagitæ, Prætores militares, &c. Argentorati Tredecimviri, Quindecimviri, & in primis Seviri ſeu Sexviri quos coſſ. vocant. Cur autem maiores magiſtratus cum illis non ſint communicãdi, duplex ratio eſſe videtur. Prior eſt, ne illi hac occaſione adiuti, & auctoritate ac poteſtate muniti ſtatum Reip & formam mutent. Altera eſt, quod tali communicatione ſtatim ipſo iure ſtatus ipſe mutetur Reipubl. Nam, vt *ſupra lib. 3 & lib. 4.* explicatum, differentiæ Rerumpublicarũ inter ſe nota hæc eſt veriſſima, principatus ſiue τὸ κύϱιον Reipublicæ, quod in ſummis magiſtratibus, quia iis Reipub. ſumma continetur, maxime cernitur. Verbi gratia, ea demum eſt Oligarchia, vbi paucis tantum & ὀλίγοις ἀϱχὴ, id eſt, principatus & imperium committitur, iis ſolis ad Rempublicam pateat aditus, excluſa multitudine: quod contra fit in Democratiis. Iam ſi in Oligarchiis imperia omnia etiam maiora cum multitudine communicentur, vel in Democratia cum paucis ſiue diuitibus & nobilibus; non erit profecto iam Oligarchia vel Democratia amplius, ſublata illa differentiæ ſiue diſcriminis velut anima & nota: ſiue potius vtrobique erit Democratia, in qua ſolet omnibus tam tenuioribus quam diuitibus, tam plebeis quam nobilibus & patriciis ad Rempub. eſſe aditus.

Magiſtrat. Rom. maiores & minores qui.

1. Ratio.

2. Ratio.

CAPVT IX.

VT multa alia, de quibus alias, ita & hoc caput male & perperam à priore eſt diuulſum, quod & *ſupra* monuimus, his duobus capitibus eadem, nempe de cautionibus con-

conſeruandarum Rerumpubl. explicari. Induxit alios initium capitis, quod non tam de cautionibus, quam de alia quadam re agit, ſed de eo mox. Nam Ariſtoteles poſtquam monuerat maiores magiſtratus non quibuslibet, ſed iis tantum, qui Reipublicæ præſunt, (vt plebi in Democratia, paucis in Oligarchia) eſſe committendos; iis, inquam, ſolis & iis omnibus aut certe plæriſque eorum; quia hoc non ſatis explicatum videtur, adiungit pulcherrimam obſeruationem, qua in maioribus magiſtratibus cui mandandis & cōmittendis ſit vtendum, eo velut parentheſi interiecto & explicato, reliquas Rerumpubl. conſeruandarum cautiones perſequitur: & hoc eſt, quod ait; ἢ πλείοσι, id eſt, aut plæriſque, quaſi dicat, iis quidem ſolis, ſed ſæpe non omnibus, vt mox explicat. τῆς συνεχείας ratio.

TEXTVS.

Sunt autem tria, quæ in iis, qui maioribus magiſtratibus ſint præfuturi, ineſſe debeant. Primum quidem ſtudium & amorem erga Rempubl. ſiue ſtatum Reipub. Deinde munerum & officiorum magiſtratus facultatem maximam: tertio virtutem & iuſtitiam in omni Repub. eam, quę reſpondeat Reipublicæ. Nam ſi non idem in omnibus Rebuſpub. ius eſt, iuſtitiæ quoq; differentias eſſe neceſſe eſt. Sed quæri ſolet; vbi hæc omnia in eundem non concurrunt, quemadmodum facienda ſit diſtinctio: verbi gratia, ſi ad præturam quidem militarē quis ſit aptus, idem ſit improbus & Reipublicæ non amicus: ille vero iuſtus & amicus, quemadmodum facienda ſit diſtinctio. Atq; duo videntur ſpectanda; cuius rei maiorem omnes habeant partem, & cuius minorem. Ideoq; in prætura quidem militari vſus magis, quam virtus, erit ſpectandus. Nam huius minus ſunt participes, virtutis vero magis. In cuſtodia vero & quæſtura, contra: maiore namque virtute eſt opus, quam

quantam vulgus habeat: ſcientia autem communis eſt omnibus. Quærat autem aliquis; ſi facultas aſſit Reipubl. & amor; quorſum virtute ſit opus? Nam & per hæc duo ea, quæ requirantur, perficiet: an, quod fere fit, vt, qui hæc duo habeant, ſint impotentes: vt quemadmodum ne ſibi ipſi quidem ſeruiunt ſcientes, & ſe ipſi amantes; ita & nihil vetet quoſdam erga commune eſſe affectos.

COMMENTARII.

παρέκβασις de virtute magiſtratus.

Τρία δέ τινα.] Inſignis eſt hic locus & perquam rarus de tribus rebus, quibus hi, qui ſummis magiſtratibus præſint, inſtructi & ornati eſſe debeant: eas Ariſtoteles ait eſſe ſtudium ſiue amorem erga Rempubl. ſcientiam & vſum, virtutem denique, probitatem & iuſtitiam formæ Reipubl. congruentem. Cui plane geminus & ſimilis eſt locus *initio 2. Rhetor. Ariſtotelis*, vbi tres quoque res eſſe ait quibus Oratores fidem & authoritatem ſibi parent: *φρόνησιν*, prudentiam; *ἀρετὴν*, virtutem; *καὶ εὔνοιαν*, beneuolentiam. *Cic. autem lib 2. Offic.* Fides autem, inquit, vt habeatur, duabus rebus effici poteſt, ſi exiſtimabimur adepti coniunctam cum iuſtitia prudentiam, &c. Cur autem in ſummis magiſtratibus hæc tria, vt ſint amantes patriæ vel Reipublicæ (vt ſint idonei, vt denique ſint viri boni & probi) ſint neceſſaria, ratio & cauſa hæc eſſe videtur; de ſtudio quidem & beneuolentia ſiue amore patriæ & Reipub. iſta; ne, ſi ſit inimicus vel male affectus, vel noceat Reipublicæ, vel potius euertat; quod ſummo magiſtratu & potentia adiuto nō ita factu eſſet difficile: quare identidem & ſæpius hoc præceptum politicum iterat Ariſtoteles, dandam quidem operam Politico & rectori Reipublicæ, vt omnes quidem ciues bene ſint affecti erga Rempubl. aut ſaltem non inimici; ſemper autem vt ea pars ciuium, quæ ſtatui & Reipublicæ ſit amica, eadem quoque reliquis partibus ſeu ordinibus plus poſſit, vt *infra hoc cap. ἁπλῶς δὲ ὅσα*, &c. vbi de eo præcepto latius: quæ eadem cauſa quoque fuit, cur Reſpub. quædam (vt Maſſilienſis, de qua *Strabo*) ad magiſtratus neminem admiſerint, niſi qui liberos haberet, quod his velut pignoribus maior eius bene-

1. Cur magiſtratus oporteat amantes eſſe Reipub.

Exemplū.

beneuolentia & amor ac fides in Rempub. aſtringeretur. De ſcientia vero & vſu, hoc eſt, vt magiſtratus, cui quis eſt præfuturus, munera & officia recte intelligat, & obire poſſit; vt, inquam, ſit idoneus. cauſa eſt perſpicua, cur id requiratur. Nam quemadmodum, inquit Ariſtoteles *ſupra lib 3.* Cythara non pulcerrimo & nobiliſſimo, ſed optimo fidicini, quiq; ad canendum maxime ſit idoneus, dari & committi ſolet: ita & de magiſtratu ſentiendum: quo nomine M. Catonē minorē valde laudat *Plut. in eius vita*, qui priuſquā magiſtratū peteret, ſtudioſe omne ius eius & officia perquireret & cognoſceret. Pompeius quoque, vt eſt apud *Agellium*, non erubuit M. Varronem conſulere & rogare, de ſenatu habendo vt librum ſibi conſcriberet. De Lucullo ſcribit *Cic. in Acad.* eum creatum belli ducem aduerſus Mithridatem magno ſtudio libros de re militari & de ducis ac Imperatoris officio ante lectitaſſe. Sed in hoc altero quam grauiter peccetur, notum eſt. Olim quoq; mirabatur *Plato*, idemq; grauiter conqueritur, aliarum etiam viliſſimarum artium opifices non niſi ſtudio & exercitatione antegreſſa fieri: hanc autem Politicam & ciuilem ſeu Reipublicę regendæ ſcientiam omnes ſtatim profiteri ſe ſcire, omnemq; magiſtratum minime licet idoneos & peritos ſuſcipere: qua ex re quam grauia exiſtant incommoda, ſi (inquam) homines imperiti Reipublicæ præſint, inductione quadam pulcherrima oſtendit *Plato*: Aurigæ, gubernatoris nauis, &c. Tertium denique de virtute & probitate, cur id ſit neceſſarium, hæc eſt ratio; quia & improbi quo plus poſſint, eo plus noceant, vt pulchre *Plato lib. 1. de Rep.* philoſophis, licet alioqui eos putet ad Remp. non debere accedere, rerumque contemplatione contentos cōtemnere hos honores & diuitias, tum tamen permittit, vt magiſtratus capiant & gerant, cum nulli ſint alii in Republ. viri boni, qui eos gerere poſſint. Nam alioqui ſi improbis mandentur, fore, vt magnum inde detrimentum Reipublicæ, multæ bonorum iniuriæ conſequantur. idem & Ariſtoteles *lib. 2.* monet, eos qui magnis ſint opibus & illuſtri genere, ſi imperia quoq; nanciſcantur, magnopere eſſe metuendos, tenuiores non item. & *lib. 1. cap. 2. in fi.* elegantiſſime improbitatem (ἀδικίαν) arma habētem grauiſſime eſſe metuendam; qua de re ibidem latius: huius rei exemplum & diſputatio quoq; extat apud *Plut. in vita Cic.* vbi de triumuiris;

2.
Cur magiſtratum oporteat gnarum vſuq; peritū eſſe?
ὁμοίωσις.
1. Exempl.
2. Exempl.
3 Exempl.
Vulgi error.
Platon. ratio.
Inductio.
Cur magiſtratus non niſi viris bonis mandandi?

uiris; Antonio, Cæſare & Lepido. Sic & *Dionyſ. Halicar. lib. 7.* de tribunatu plebis Romanorum diſputans ait, illũ Reipublicæ quidem eſſe vtilem, vt & *Cic lib. 3. de legib.* ſed viris improbis non eſſe committendum, vt neque alios maiores magiſtratus. De his autem tribus pulchre quoq; *Pericles apud Thucyd. lib. 2.* de ſeipſo; atque, inquit ad ciues Athenienſes, mihi eſtis irati tanto viro, qui nemine videat eſſe inferior cum intelligendis rebus neceſſariis & honeſtis, tum in eloquendis; qui & ſim amans patrię, & pecuniæ minime ſeruiam. Nam hoc qui intelligat, neque tamen perſpicue eloqui poſſit; pro eo, atque ſi non intelligeret, habeatur: & qui vtroq; eo ſit præditus, idem tamen in Rempub. male ſit affectus, nihil quoque quod Reipublicæ ſit ſalutare, proferat: quin etiam ſi & iſta re præditus fuerit, ſi tamen pecuniæ ſeruiat; huic certe, vt omnia ſint pecuniâ venalia, neceſſe ſit. Sic enim verti hæc verba, καί τοι ἐμοὶ τοιούτῳ ἀνδρὶ ὀργίζεσθε, &c.

Virtus boni magiſtrat. variat pro diuerſitate Reip.

Ἐν ἑκάστῃ πολιτείᾳ τὴν πρὸς τὴν πολιτείαν.] Docuit Ariſtoteles *ſupra lib. 3. cap. 3.* non eandem ciuium in omnibus Rebuſpub. eſſe rationem: ſed aliam in ciue, vt ita dicam, Democratico, aliam in Oligarchico, aliam in Regali poſtulari, & in ſumma pro Reipubl. differentia & ciuium virtutes variare, ſiue virtutes ciuium ſtatui reſpondere, congruere, & conuenire debere. Eodem nunc alludit hîc Ariſtoteles, agens de tertia nota boni magiſtratus, virtute & iuſtitia, eam nempe in magiſtratu, vt de ciue *ſupra lib. 3.* diſſimilem eſſe pro differentia Reipub. quod & argumento ſeu ratione quadam hic confirmat Ariſtoteles à coniugatis: nempe, quia ius pro Repub. variet: ergo & iuſtitiam ſeu virtutem variare. De antecedente autem, ſiue iure, aliud hoc eſſe in alia Repub. vt libertatem in Democratia, diuitias & nobilitatem in Oligarchia, virtutem in Ariſtocratia & vero Regno, ſæpe dictum eſt *ſupra lib. 3. cap. 6 & cap. 8. & hoc lib. cap. 1. 4. &c.*

Ratio.

Si quis unica tantum aut non omnib. hiſce virtutib. ſit præditus: qs ſit delectus adhibẽdus.

Ἔχει δὲ ἀπορίαν.] Quia raro fieri ſolet, vt hæc tria in vno eodemq; reperiantur: quæri ſolet, quid igitur faciundum ſit, ſi vnum tantum vel alterum reperiatur, quemadmodũ magiſtratus mandari debeant. verbi gratia; ſi qui ſit idoneus ille quidem, ſed improbus, vel vtraq; re præditus, idoneus vt ſit & probus, ſed Reipublicæ inimicus, &c. Atque huic incommodo hoc adhibendum conſilium cenſet Ariſtoteles; viden-

videndum eſſe, cuius rei plærique omnes magis ſint compotes & participes, & cuius minus in hoc vel illo magiſtratu; ſiue quæ res in plæriſque ſit rarior, & quæ frequentior: ex quibus eam, quæ ſit rarior, eſſe præferendam, pluſq; ponderis ac momenti in magiſtratu conſequendo habere debere. Verbi gratia; quia rei militaris ſcientia rarior eſt, quam vel *1. Exempl.* patriæ amor, vel probitas; belli ducem & prætorem peritum & ſcientem potius deligendum, licet improbum, quam virum bonum, ſed rei militaris imperitum: contra in quæſtu- *2. Exempl.* ra, quia multi reperiantur rationum & Arithmeticæ periti, non ita multi probi & abſtinentes ſeu pecuniæ temperantes, in ea potius probitatem quam peritiam eſſe ſpectandã: quod olim Græcia vniuerſa diligenter tenuit, quæ de communi conſilio tributis in ciuitates deſcribendis Ariſtidem præfecerit, & communem velut Græciæ quæſtorem fecerit, virum adeo probum & iuſtum, vt cognomen Probi & Iuſti inde ſit meritus, qua de re copioſe *Nepos & Plut. in Ariſtide.* Atque huc pertinet *Ciceronis* dictũ & Apophthegma, de quo *Plut.* *Ciceronis Apohthegma.* *in Cic.* cum Domitius, inquit, hominem imbellem & rei militaris plane imperitum ad præfecturam perduceret, eumq; virum bonum eſſe diceret ac modeſtum; quin igitur, inquiebat *Cic.* hunc liberis tuis tutorem conſeruas.

Απορήσειε δ' ἄν.] Altera hic affertur quæſtio de probitate, eam non videri neceſſariam, ſi duæ res aliæ, ſcientia & beneuolentia ſiue amor aſſint. Nam his duabus optime omnia adminiſtrari & confici, quæ ad Reipublicæ vtilitatem pertineant: ſcientia namque fieri, vt quis poſſit: beneuolentia & amore, vt velit & cupiat. Quia tamen fieri poteſt, vt his licet duabus rebus prędíti ſint impotentes ſeu incontinẽtes; tertia quoque res, probitas ſeu virtus, vt aſſit, neceſſe eſt. Nam, vt copioſe docet Ariſtoteles *lib. 7. Ethic.* impotentes ſeu ἀκρατεῖς & incontinentes ſciunt illi quidem, quæ ſunt recta, quæque facienda, quæ non: ſed ſibi ipſi indulgentes contra, atque ipſi iudicent, facere ſolent. de quibus illud Medeæ vſurpat Ariſtoteles,

----- Video meliora proboq;
Deteriora ſequor.---

Hæc igitur cum incontinentium ſit indoles & ingenium in rebus aliis vitaque communi: recte facit Ariſtoteles, qui & in negociis Reipubl. incontinentiæ non vult eſſe locum, nec

ſatis

ſatis eſſe iudicat, eſſe quem idoneum aut peritum, atq; etiam amantem Reipublicæ, ſed hoc amplius virtutem quoque & probitatem iis, qui Reipubl. ſint præfuturi, eſſe neceſſariam. De hoc autem loco communi præterea, quæ ſupra attulimus, videantur de virtute ſupra *lib. 2 cap. 9.* μεγάλων γὰρ κύριοι, &c. *& cap. 5.* τοὺς δὲ φαύλους, *in fin & lib. 6. cap 8* τοὺς μοχθηροὺς, &c. *& Demoſthenes in Ariſtogitonem*, τίς δὲ αὖ ἄλλος μᾶλλον, &c. De beneuolentia, *ſupra huius lib cap. 4.* καὶ δὲ ὀλιγωρίαν, &c. De ſcientia denique & peritia, *lib 3 cap. 7.* τοιοῦτοι δέ εἰσιν, &c.

TEXTVS.

Abſolute autem quæcunque legibus cauta vtilia dicimus Rebuſpubl. ea omnia Reſpub. conſeruant: atque ſæpe commemoratum maximũ principium, videre, vt multitudo, quæ Rempublicam velit plus poſſit ea, quæ non velit.

COMMENTARII.

XIV. Ratio conſeruandarum Rerump. Ἁπλῶς δὲ ὅσα.] Tribus illis Reipublicæ præfuturo neceſſariis iam expoſitis, redit Ariſt. ad intermiſſam diſputationẽ de cauſis ſiue cautionibus Rerump. conſeruandarum. Affert igitur hoc loco cautionem, nõ tamen ſingularem, ſed communem & valde diffuſam, poſitam in legibus: qua parte tot fere ſint cautiones, quot leges ſalutares, hoc eſt; cum multa vel plæraque Reipub. ſalutaria legibus comprehendantur & definiantur, ea ipſa eſſe, quæ Rerumpublicarum ſint cautiones conſeruandarum. *Legum vtilitas.* Nam in legibus, vt præclare ait *Ariſtot. lib. 1.* ῥητορικῶν, ſita eſt ſalus ſiue σωτηρία τῆς πόλεως: de quo loco & vtilitate legum *Demoſth. in Timocratem, & Cic. in Cluentiana.* Fundamentum, inquit, libertatis, fons æquitatis, &c. Sententia ciuitatis poſita eſt in legib. Verbi gratia, ſi leges de teſtamentis, de matrimoniis, de contractibus, id eſt de iure ciuili: deinde leges de magiſtratibus, de vectigalibus, de ſenatu, de collegiis, de opificiis, de re numaria, &c. bene & ſapienter ſint conſtitutæ; perſpicuum eſt, ea omnia conſeruandæ ciuitatis eſſe, & eſſe cautiones Rebuſpub. conſeruandis maxime idoneas.

XV. Ratio. Καὶ τὸ πολλάκις εἰρημένον.] Alia, ſed ſingularis (prior enim velut pandectria, vt ita dicam, fuit) cautio in principio quodam,

dam, ſiue, vt Ariſtoteles vocat, elemento ſingulari & ſummo poſita. Nam ſingulare eſt ſcientiæ huius ciuilis principium & fundamentum, cum multæ ciuitatis ſint partes & ordines, eam ſemper, quæ ſtatum Reipublicæ manere cupiat, potentionem eſſe debere, quam illam, quæ mutatum velit: de quo principio *& ſupra lib. 4. cap. 9. in fin. & cap. 11. & 12. & lib. 5. cap. 3 & infra lib. 6. cap. 5* & hoc eſt, quod ait, ſæpe iam commemoratum. Huius autem fundamenti & cautionis, cur (inquam,) hoc principio inprimis conſeruentur Reſpubl cauſa & ratio eſt perſpicua. Nam contra ſi plus opibus ij in Republica poſſunt, qui eam euerſam cupiant; facile, altera parte oppreſſa, ciuitatis ſtatum commutare poterunt, vt ſi ſit Democratia, & pauci ſint diuites aut nobiles, qui tamen plus poſſint, quam reliqua multitudo, quia hi pauci ſemper Democratiæ ſint inimici: vt Democratia in Oligarchiam commutetur, neceſſe eſt, aut certe facile eſt. Vbi enim hæc duo, voluntas & facultas, concurrunt, res ipſa eſt facilis: qua re & ſupra demonſtrauimus, ſummos magiſtratus nemini, niſi bene erga Rempub. affecto, eſſe mandandos. *Ratio.*

TEXTVS.

Præter hæc omnia autem ignorare non oportet, quod nunc latet plæraſque Reſpubl. quæ aberrant à medio: multa namque quæ popularia eſſe videantur, populares Reſpublicas diſſoluunt, & quæ Oligarchica, Oligarchias. Qui autem vnam hanc virtutem eſſe putant, trahunt ad nimium: neſcientes, quemadmodum naſus eſt, qui diſceſſerit quidem à pulcerrima rectitudine in aduncum aut ſimum, pulcer tamen & elegans etiam ad ſpeciem eſt: Sed amplius ſi quis eum iuſto producat, primum quidem membri decentiam abiiciet; tandem vero efficiet, vt ne naſus quidē appareat (videatur) propter nimium & parum contrariorum: ad eundem modum & aliis quoque in membris ſe res habet. Idem igitur & in Rebuſpublicis accidit.

Nam

Nam & Oligarchia & Democratia, fieri poteſt, vt bene ſe habeant, etſi ab optimo ſtatu diſceſſerint: earum tamen alterutram ſi magis quis intendat, primo quidem Rempubl. faciet deteriorem, tandem ne Rempublicam quidem. Quare legum ſcriptor & Politicus id ſcire debet, ex popularib. quæ conſeruent, & quæ perdant Democratiam, & ex Oligarchicis quæ Oligarchiam. Nam neutra quidem earum conſiſtere & permanere abſque diuitibus & multitudine poteſt: ſed bonorũ exæquatione facta, alia vt hæc ſit Reſpublica, neceſſe eſt. Quare Reſpublicas perdunt ii, qui inſtitutis & legibus modum excedentibus perdunt.

COMMENTARII.

XVI. Ratio. Παρὰ δὲ πάντα.] Alia & quidem præclara cautio Rerumpub. conſeruandarum hic exponitur, in modo ſeu moderatione & mediocritate legum atq; inſtitutorum poſita. Qua in re ſua ætate à plæriſque grauiter peccari ſubindicat hoc loco & monet *infra lib. 6. cap. 5. in princ.* Nam plæroſque, quia vel populari vel paucorum imperio regantur, vt *ſupra dictum cap. 1.* alios quidem id ſtudere & obnixe conari, vt omnia in plebis vel populi poteſtatem; alios vero, vt in paucorum dominationẽ omnia trahantur: cum tamen Reipubl. eſſet longe fructuoſius, vt penes neutrum ordinem ſeu partem paucos vel plebem, id eſt, prædiuites & tenuiores, ſed potius penes mediocres eſſet imperium & Reip. ſumma. Nã quibus in ciuitatib. maior eſt mediocriũ multitudo, eas eſſe & tranqlliores & diuturniores & beatiores deniq;, explicatũ eſt *ſup. lib. 4. cap. 11. & hic cap. 8.* Huius autẽ peccati, in quod plæraſque ciuitates incurrere diximus, cauſam quoq; aperit Ariſtoteles; hanc nimirum, quod ea, quæ ſint huius vel illius Reipublicæ recte vel inſtituendæ vel conſeruandæ propria inſtituta & leges non ſatis intelligantur vel conſiderentur; cum tamen multa ſint, quæ ad conſeruationem putentur, vere tamen ad interitum ſint aptiora. Verbi gratia; putant plærique populi ſuas res optimo eſſe in loco ac ſtatu, ſi omnia

Peccatũ Politicorũ ætate Ariſt. viuentium.

Cauſa eius peccati.

Exemplũ.

omnia ſoli poſſint, & quiduis pro libidine, omnemq; Reip. vim ac poteſtatem ad ſe pertraxerint; ſic & pauci in Oligarchiis præclare ſecum agi putant, vbi nil populo ſit reliqui, ſed ipſis omnia, quæ libet, liceant. Sic & in Regno multi exiſtimant Regi & Regno optime eſſe cõſultum, ſi omnia Rex vnus poſſit, legibus omnibus ſuperior, neq; populo vel ciuibus vlla reliqua ſit authoritas vel contradicendi aut repugnandi poteſtas, quæ παμβασιλεία dicitur, *ſupra lib.3.* hos tamen grauiter peccare & magno in errore verſari docet Ariſtoteles eleganti imagine & ſimilitudine à naſo ſumpta, quæ ita ei placuit hac in re, vt eandem & *in lib 1. Rhet.* iterarit, vbi de genere deliberatiuo & rebus in deliberationẽ cadentibus ait, his verbis; οὐκ ἐλάχιστον ἢ περὶ νομοθεσίας, &c. Nam 4. velut ſtatus ſeu formas naſi conſtituit; pulcerrimum, paulum à ſumma pulchritudine deflectentem, plane deformem, & tandem ne naſum quidem: quod idem Rebuſpub. ait accidere, Oligarchiæ & Democratiæ. Nam primum hæ ab optima Reipublicę forma deflectunt, vt conſtat *ex lib.3.* Deinde, vt ſunt earum multa genera, ſi magis magiſque intendantur, eo magis deteriores redduntur: cum Democratia & Oligarchia, quo eſt remiſſior & moderatior, eo ſit melior, vt explicatum *ſupra lib.4. & infra lib.6.* Poſtremo, eo res deduci poteſt, vt ne nomen quidem Reipub. mereantur, vt nimium amplificatæ; nempe ſi omnia vel populi in Democratia, vel paucorum in Oligarchia libidine & arbitrio adminiſtrentur, nihil legibus; quod vbi accidit, vt in extremis Democratiis & Oligar. accidere ſolet (*ſup. lib.4. ca. 4. & duob. ſequentib.*) perſpicuum eſt iam ne Rempubl. quidem amplius remanere, eo quod nulla abſque legibus vera eſſe aut dici poſſit, non magis atq; corpus ſine anima. Nam, vt eleganter *Cic.* mens atque anima ciuitatis in legibus eſt poſita. ὁμοίωσις.

Διὸ δεῖ τοῦτο μὴ.] Quia paulo ſupra monuit quædam eſſe aut potius videri popularia, quæ non proſint, ſed noceant Democratiæ, vt & Oligarchica: prudenter hîc adiungit Rectorem Reipublicæ diligenter nota habere debere, quæ ſint vere popularia, quæ videantur, hoc eſt, quæ conſeruent Democratiam, quæ perdant: ea autem quæ ſint, vt & Oligarchica, explicatur, *infra libr.6. cap.1. in fi. & 2. & ſequentib.* quod quidem eo magis curæ eſſe debet viro politico, quo à

pluribus hac in re peccetur, qui ea non diligenter diſtinguant, vt *ſupra* monuit, *& infra lib.6. cap.1.in fi.*

Οὐδετέρων.] Exemplo explanat & declarat hoc peccatum Reſpublicas nimium amplificantium, & ipſa amplificatione, dum meliores efficere ſtudent, eas plane delentium: vt, in Democratia, ſi omnia ad populi poteſtatem trahantur, diuidunt bona, corripiantur ipſi, vel interficiantur, vel pellantur; adeo vt ciues omnes inter ſe ſint pares genere, facultatibus & libertate: nulli amplius præter cæteros vel ſint nobiles vel diuites: videatur quidem hæc Democratia eſſe ſumma: ſed recte perpendenti ne Democratia quidem vt ſit, neceſſe eſt: Cõtra ea in Oligarchia ſi omnia ad ſe rapiant pauci, & plebem vel pellant omnem vel deleant, ipſi autem reliqui ſint ſoli diuites aut nobiles, pares fere genere & opibus ac diuitiis; & hæc quoque maxime videatur Oligarchia, vt in qua vni omnia poſſint pauci: ſed & ea vt Oligarchia ne ſit, neceſſe eſt. Cur ita? Ratio hic adiungitur ab Ariſtotele: quia hæ duæ Reſpubl. ſine duabus his partibus ſiue ordinibus diuitum & pauperum non conſiſtant, vt *ſupra* diligenter explicatum *lib. 4. & initio huius lib.* Vtramque ex duobus his contrariis ordinibus conſtare. Quare, æquatis bonis, & ſublato diſcrimine diuitum & tenuiorum, perſpicuum eſt, ipſas quoque eas Reſpubl. tolli, & aliam neceſſario Reipub. formam effici, eam puta, quæ communi nomine Reſpubl. dici ſolet, vel Dynaſtiam, vel quam aliam ſeu nullam potius.

Ratio.

TEXTVS.

Peccant autem & in Democratijs & in Oligarchijs: in Democratijs quidem Demagogi, vbi legum domina eſt multitudo: ſemper enim cum diuitibus contendentes ciuitatem ex vna duas faciunt. At contrarium videri ſemper oportet dicere pro diuitibus: in Oligarchijs autem ijs, qui ſunt Oligarchæ, pro plebe: & iuraiuranda Oligarchica contraria ijs, quæ nunc, iurare: nam nunc quidem in quibuſdam iurant, & PLEBI ERO INIMICVS; QVODQ. MALVM POTERO, MOLIAR.

Opor-

Oportet autem contrarium oſtentare & ſimulare, ſignificantes in generibus iuriſiurandi: PLEBEM NON AFFICIAM INIVRIA.

COMMENTARII.

Ἁμαρτάνουσι δὲ καὶ ἐν ταῖς.] Aliud peccatum ſuę ætatis hic reprehendit vſitatum in Democratijs & Oligarchijs. Nam plærique ea ætate in Democratijs hoc maxime ſtudebant, omni vt ratione deprimerent, vel potius opprimerent ditiores; maxime autem in eo Democratiæ genere, vbi legum domina eſt plebs & multitudo, id eſt, in Democratia vltima & nequiſſima, in qua & Demagogi (vt Græci vocabant) nõ ſecus atque Romæ Tribuni plebis, plebem incitare, & diuitum bona publicare, illos vexare ſolent, de quibus explicatum *ſupra lib. 4. cap. 4. & hoc libro cap. 5. & infra cap. prox.* de Oligarchijs contrarium fieri ſolitum, vt quemadmodum in Democratiis plebs ditiores & principes: ita in Oligarchijs plebem vexarent ditiores, & plane ſeruili imperio tenerent. omniaque agerent & molirentur, quæ plebis eſſent opprimendæ: cui rei argumento quoque eſſe ait formulas iuriſiurandi plæriſque in ciuitatibus ea ætate vſitatas & ſolemnes. Huic autem peccato & malo medendum hoc loco docet Ariſtoteles, & contrariam inſtituendam eſſe rationem, idque agendum, vt in Democratiis quidem ſemper pro diuitibus videantur dicere, eorumque commodis fauere; & in Oligarchiis, vt tenuiorum commodis ſtudere videantur; vt (inquam) ſaltem videantur, agendum eſt: etſi *ſup. cap. 8.* iam monuit, in Democratiis parcendum eſſe diuitibus, eoſque humaniter eſſe tractandos. Cæterum de hoc vitio monuit, idque reprehendit & *ſupra lib. 4. cap. 12. in fin.* De his autem iuriſiurandi generibus & formulis ſæpe apud veteres reperimus, vt in Democratiis magiſtratus iurare ſolitos, & ipſum quoque populum, ſe neque Oligarchiam neque Regnum paſſuros. Quemadmodum olim Romæ Brutus autor & cõditor Romanæ libertatis ad id iuriſiurandum adegit Populum Romanum, Regnum non amplius ſe eſſe paſſurum: cuius iuriſiurandi *Cicero*, Republica à Cæſare oppreſſa & ad Regnum reuocata, ſed Cæſare iam interfecto, populum commonefecit *in Philippicis*. Ita & Athenis ephebos ſe De-

2. Peccatũ Politicorũ ætate Ariſtotelis viuentium.

Demagogi.

Argument.

Medela.

Iuſiurandum Democraticum.

mocratiam defenſuros iurare ſolitos, cum in ciuium album anno 20. ætatis referrẽtur, commemorat *Pollux lib. 8.* & *Stobæus*, qui & ipſam iuriſiurãdi formulam exponit. *Demoſthenes* quoque *pro Cteſiphonte* formulam iuriſiurandi pulcherrimam, quam Athenis præſtare ſint ſoliti iudices, commemorat. Senatus quoq; idem iurabat ſe populo maxime conſulturum, *teſte Demoſthene in Timocratem* & *Neæram*.

Σόφισμα πολιτικόν. Χρὴ δὲ καὶ ὑπολαμβάνειν.] Quod paulo ante δοκεῖν videri, id hîc apertius ſimulandum eſſe & fingendum: quaſi dicat, ſi non vere, ſaltem ſimulandum hoc eſſe, vt videantur in Oligarchijs bene cupere tenuioribus, idque iureiurando exprimendum; Nulla plebem afficiam iniuria, &c. quo pertinent & ſophiſmata quædam ſiue captiones & calumniæ expoſitæ *ſup. lib. 4. cap. 13* & *lib 6. cap, 4.*

TEXTVS.

Omnium autem expoſitorum maximum ad hoc, vt Reſpublicæ conſeruentur, quod nunc plęrique negligunt, eſt inſtitui conuenienter Rebuſpubl. Nam legum vtiliſſimarum & Decretorum, quæ ab omnibus Rempublicam gerentibus ſint facta, nulla eſt vtilitas: niſi ſint aſſuefacti & inſtituti in Republ. populariter quidem, ſi leges ſint populares; Oligarchice vero, ſi ſint Oligarchicæ. Nam ſi in vno eſt incontinentia, eſt & in ciuitate. Inſtitui autem conuenienter Reipublicę non hoc eſt, efficere quibus gaudeant Oligarchæ, vel qui Democratiam volunt: ſed quibus poſſint, hi quidem Oligarchiam tenere, illi vero Democratiam. At nunc in Oligarchijs quidem eorum, qui præſunt liberi molliter educantur & delicioſe, tenuiorum exercentur & excoluntur; quare magis & volunt & poſſunt res nouas moliri: in Democratijs vero ijs, quæ maxime videãtur eſſe Democraticæ, contrarium, atque oporteat, fit: eius autem cauſa eſt, quod perperam definiant libertatem. Duo

namque

namque ſunt, quibus Democratia videatur definiri, eo, quod maior pars ſit domina, & libertate. Nam ius quidem videtur eſſe æquum: æquum autem, quod multitudini placuerit, id eſſe ratum: liberum autem & æquum, quod quis facere velit. Quare in talibus Democratijs viuit quiſque vt vult, &, vt ait Euripides, ſuo commodo & libidini conuenienter: at hoc vitioſum eſt. Neque enim ſeruitus putanda eſt viuere Reipublicæ conuenienter, ſed ſalus. Atque hæc fere ſunt, vt ſummatim dicam, ob quæ Reſpublicæ quidem mutentur & pereant, & ob quæ conſeruentur ac maneant.

COMMENTARII.

Μέγιστον δὲ πάντων τῶν εἰρημένων.] Alia Rerumpub. conſer-
uandarum cautio & prouiſio hic exponitur, quam priori- *XVII. Ra-*
bus omnibus præfert Ariſtoteles, aitq; omnium eſſe maxi- *tio conſer-*
mam; nimirum rectam & Reipublicæ congruentem ciuium *uand. Re-*
inſtitutionem ſeu educationem: de qua attigit *& ſupra cap.* *rump.*
8. his verbis, *ἐπεὶ δὲ καὶ διὰ τοὺς ἰδίους*, &c. Huius autem cautio-
nis præſtantiam ex eo perſpici ait, quod legum quantumuis *Ratio.*
optimarum & inſtitutorum nulla ſit vtilitas, niſi ſi ciues bo-
na educatione ad iis parẽdum ſint velut præculti & præpara-
ti: quod idem ait *lib 10 Ethic. cap. vlt.* & confirmat *infra lib.*
8. initio ab exemplo reliquarũ artium & facultatum. Nam, *Approbatio.*
vt inquit, in aliis artibus ſunt quædam, quibus ante præpa-
rari & velut imbui debent, qui earum fructus ſint edituri: ita
& in hac ſcientia ciuili ſiue politica vt eius finis & ſcopus,
hoc eſt, vita ciuium beata habeatur, bona educatione velut
præmunitione & præparatione quadam eſt opus, ſic & *Ho-*
rat. Quid leges, inquit, ſine moribus vanæ proficiunt? Sed
de hoc inſigni loco, hoc eſt, de educationis vtilitatibus & ne-
ceſſario vſu explicabitur *infr. lib. 8. cap. 1.* vbi docebimus, non *De educa-*
tantum ex principum vita, quod vulgo dici ſolet, ſed etiam *tionis vti-*
ex priuatorum & ciuium moribus ſtatum ciuitatis pendere: *litate.*
vt præclare & *Iſocr.* docet *in Areopagitico.* Neque vero ſatis *Qualis de-*
habet Ariſtoteles monuiſſe, educationem tanti eſſe momen- *beat eſſe e-*
ti ad Reſpub. conſeruandas; ſed hoc amplius adiungit, qua- *ducatio.*

lis ea eſſe debeat; nimirum vt educatio ſtatui ſiue Reipub. ſit conformis: puta ſi eſt Democratia, vt educatio quoq; ſit Democratica: ſi Oligarchia, ſit Oligarchica, &c. id quod & *ſupra* monuit *c.8.* vitam & mores ciuium ſtatui & formæ Reip. reſpondere debere, monuit & *ſupra lib.1.cap.vlt.in fi.* vbi & ratio huius præcepti hæc redditur; quia partes ad ingenium & naturam totius accommodari & confirmari debeant. idem iterat & *infra lib.8.cap.1.* Sæpe tamen contra fieri, hoc eſt, vt Republ. licet populari, tamen Oligarchice viuatur, vel contra, monuit *ſup. lib 4.cap.5.in fi.* nempe vbi Reipub. fit mutatio, vt ibi explicauimus. Iam vero quænam ſit hæc educatio vel Oligarchica, vel popularis, vel Ariſtocratica, &c. & hoc quoque hic exponitur. Nam educationem ſummatim, verbi gratia, Oligarchicam, in iis rebus poſitam eſſe ait, quibus maxime conſeruetur Oligarchia; popularem, quibus Democratia: hæ autem res iam *his capitib.8.& 9.* ſunt expoſitæ, & *infra* quoque diligentius explicantur *lib.6 cap.2.& ſequentib.* Nam hac in re ſua Ariſtoteles ætate grauiter in plæriſque ciuitatibus peccari hic ait. Nam primum ait plæroſque de hac re parum laborare, & nullam curare diſciplinam vel ciuium inſtitutionem & educationem, quod & conqueritur *lib.10.Ethic. cap.vlt.* vbi Cyclopicam educandi rationem ſua ætate vſitatam eſſe, qua non ex communi Reipubl. decreto, ſed ex patrumfamilias ſuo cuiuſque arbitrio liberi educentur. Deinde, quod plærique ſua ætate putent, eam eſſe inſtitutionem optimam, aut ſaltem ſequantur, qua eorum qui Reipubl. præſunt, liberi in Oligarchiis quidem propter diuitias molliter & delicioſe educentur, in Democratiis vero petulanter & licenter ſeu ſeditioſe, id quoque grauiter reprehendit. Neque enim hanc inſtitutionem Reipub. eſſe accommodatam, quamuis vulgo videatur. Putant enim diuites, ſe bono iure & merito in deliciis & omni rerum affluentia educari debere: plebs autem rerum domina in Democratiis, quæ libertate maxime æſtimatur, putat, ſe eſſe quam liberrimam, ſi pro libidine omnia agat, atque ita liberi quoque educentur in omni licentia, nullis vt legibus aut rectis inſtitutis coerceantur: quod idem & *ſupra* de luxuria & deliciis diuitum in Oligarchiis, de eorum (inquam) vxoribus, vt hic de liberis, monuit *lib.4 cap 15.* Ex qua tamen educatione vitioſa & deprauata grauia mala & incommoda exiſtere [illegible] oſtendit.

Ratio.

Vſus contrarius.

Quænam educatio ſit Democratica, &c.

1. Suæ ætatis contra hoc præceptum peccatum.

2. Peccatũ.

Mala, quæ inde oriuntur.

oſtendit. Nam in Oligarchiis cũ vulgo liberi molliter educentur, neque vllis honeſtis & præclaris ſtudiis & exercitiis ad Rempubl. adminiſtrandam præparentur; fieri fere ſolet, vt tenuiorum liberi id factitent & præclare exerceantur: quo fit, vt hi ita bene inſtituti & egregie exercitati eos ditiorum liberos, vt ignauos & velut effœminatos, contemnant, adeoque indigne ferant eorum imperium; atque ita & velint & poſſint id euertere. In Democratiis autem, quæ Reipub. ſpecies duobus finibus maxime contineri vulgo putatur, æquitate ſiue paritate & libertate, vitioſe quoque & non conuenienter Reipubl. plebs vitam agere ſolet, petulanter nimirum & pro libidine, non ex præſcripto legum; quod his parere ſeruitutem putent, atque eam demum veram eſſe libertatem, qua quiſque, quod velit, facere poſſit, ſuæ libidini nõ legibus conuenienter, & quo quemque ſua trahat voluptas & libido; ſed hoc, inquit, vitioſe. Neque enim ſeruitus putanda eſt, ſed ſalus potius. Reipubl. viuere conuenienter, & legibus parere, vt præclare hîc ait Ariſtoteles, & egregie *Cicero in Cluentiana*; legum, inquit, miniſtri, magiſtratus: legum interpretes, iudices: legum denique idcirco omnes ſerui ſumus, vt liberi eſſe poſſimus. & pulcherrime *Demoſth.* νόμων λυθέντων, &c. legibus, inquit, violatis, vel infracta earum poteſtate, & cuique, quod velit, facere data poteſtate, non tantum Reſpubl. perit: ſed ne vita quidem noſtra multũm à beluina abſit: quare & *Romani Iuriſcnſulti*, libertas, inquiũnt, eſt naturalis facultas, quod cuique facere libet: niſi quod vi aut iure prohibetur, vt *initio tit. de iure perſ. l. ſi ſtipulatio iſta facta, de verb. oblig. & l. nepos, 125. de verb. ſign.* & his congruenter *poeta Perſius*:

Legib. obedire non eſt ſeruitus.

Cur mihi non liceat, iuſſit quodcunq; voluntas:
Excepto, ſi quid Maſuri rubrica notauit.

Duas igitur Democratiæ notas, æquitatem & libertatem, cum faciunt vulgo, non peccant. Nam qui æquitatem quærit, ius quærere videtur: quia ius nihil aliud ſit, quam æquitas quædam, vt explicatur *lib. 5. Ethic.* Libertas quoque rẹs eſt non reprehendenda, ad quam omnes natura duce feramur. Sed quia æquitas & libertas alia eſt atq; alia, multaque ſint & æquitatis & libertatis genera, hîc errant, in ſpecie (inquam) nõ in genere. Nam æquitas alia eſt ex dignitate, alia ex numero, *vt in Ethic. & ſupra initio huius lib.* quarum illa,

Æquitas alia ex digni

tate, alia ex numero.

quæ ex dignitate, etſi eſt præſtantior, vbi nimirum ſpectatur non quid plures numero cenſeant, ſed quod meliore ratione ſit mixtum, & viris bonis videatur, licet paucioribus: in Democratia tamen alteram æquitatem; quæ numero, ſequuntur, & id demum æquum putant ac iuſtum, quod maiori numero & multitudini probetur. qua de re ſupra dictum *lib.4.cap.4. & infra lib.6.cap.2.&c.*

Libertas alia eſt infinita, alia legibus definita.

Libertas quoque alia eſt infinita, alia legibus & iure definita, quarum cum hęc longe ſit melior; & prior potius licentia & libido quædam; eam tamen, vt veriſſimam, libertatem populus, ſi rerum plane potiatur, amplecti ſolet. Qua vtraque in re ſi peccetur, exſiſtere ſolet ea Democrat. ſpecies, quæ vltima & nequiſſima dici ſolet. de qua dictum *lib.4.cap.4.* Nam vt in altera tantum nota peccetur, hoc eſt, vt æquitas ſiue æqualitas numero probetur & aſſit; plane neceſſarium eſt ad ſtatum Democratiæ, qui prorſus definitur æqualitate, qua nimirum non plus poſſint diuites quam tenuiores, quamuis eo tamen nomine omnis Democratia ſit vitioſa, vt malo fundamento nixa, æquitatis nimirum numero æſtimata, non dignitate. Atq; ad hunc quidem modum Ariſtotelis ætate ſe habebant Oligarchiæ & Democratiæ, quod ſæpe conqueritur & ipſe, *& Iſocr. & Demoſth. & Cic.* quoque ſua ætate Romæ in Diuinatione.

Πόνος.

Γεγυμνασμένοι καὶ πεπονηκότες.] Hæc duo verba idem valent, & ſunt poſita, vt alias ſæpe, *ἐκ παραλλήλου.* Nam *πόνος Ariſtoteli & omnibus veteribus Platoni, Hippocrati, teſte Galeno,* ſæpe idem valet quod *γυμνασία*, ſiue exercitatio, vt alibi dictum, *in princ. Ethic. cap. 3.*

CAPVT X.

Argument.

ADHVC explicatum eſt de cauſis tam interitus quam ſalutis Rerumpubl. quæ vel multorum, vel paucorum imperio adminiſtrentur. Nunc de Monarchia, ſiue de vnius dominatu & imperio, quod erat reliquum, hoc cap. & proximo explicatur: quibus illa, Monarchia, inquam (quæ vel eſt Regnum, vel Tyrannis) ex cauſis primo intereat, hoc capite, & ex quibus conſeruetur, *cap. 11.*

Comparatio Regni & tyrannidis.

Initio tamen huius capitis egregia vtriuſque Monarchiæ, (Regni & Tyrannidis) inter ſe comparatio, maxime ab ortu ſeu origine ſumpta, exponitur. Etſi autem diſputatio prior de Rebuſpubl.

quæ

quæ multorum aut paucorum imperio regantur, valde quoque eſt vtilis, vt quæ omnis fere à multorũ imperio ad vnius dominatum adcõmodari magna ex parte poſſit: ea tamen, quæ his duobus capitibus explicantur, valde ſunt præclara & vtiliſſima, noſtriſque temporibus, qua ætate Monarchiæ fere ſunt vſitatæ, accommodatiſſima.

TEXTVS.

Reliquum eſt, vt de monarchia quoque exponamus: tum ex quibus intereat, tum ex quibus cõſeruari ſoleat. Fere autem ijs, quæ de Rebuſpubl. ſunt explicata, ſimilia ſunt & quæ Regnis ac Tyrannidi accidunt. Nam Regnum quidem Ariſtocratiam imitatur: Tyrannis vero ex vltima Oligarchia atque ex Democratia conſtat; quare & parentibus eſt perniciosiſſima: vtpote ex duobus malis conflata, quæque aberrationes & peccata vtriuſque Reipub. habeat.

COMMENTARII.

Λείπεται δ᾽ ἐπελθεῖν.] Cum ſex Rerumpub. ſint genera, vt *ſupra initio lib. 3.* expoſitis iam cauſis primum interitus, quatuor Rerumpub. Democratiæ, *cap. 5.* Oligarchiæ, *cap. 6.* Ariſtocratiæ & Politiæ, *cap. 7.* & cauſis ſalutis, *cap. 8. & 9* recte ait Ariſtoteles reliquum iam eſſe, vt de Regno & Tyrannide, id eſt, Monarchia explicetur.

Σχεδὸν δὲ παραπλήσια.] Priorem diſputationem de quatuor illis Rebuſpub. huc poſſe accommodari, ſiue eadem fere de his duabus Rebuſpub. Regno & Tyrannide dici poſſe, quæ dicta ſint de illis quatuor: eadem (inquam) his duabus euenire & accidere, quæ illis quatuor, eaſdem fere eſſe cauſas interitus & ſalutis. Cur ita? Eo, quod hæ duæ cum illis 4. magnam habeant cognationem. Nam de Regno, eſſe id Ariſtocratiæ ſiue optimatum imperio per quam ſimile, iiſdemque fere legibus & inſtitutis teneri indicat hoc loco Ariſtot. & explicauimus late *ſup. lib 3. cap. vlt.* & ſæpius hoc iteratur, maxime propterea, quod vtrumque hoc Reipubl. genus, Regnum & optimatum, virtute præſtantibus tantum

Eadem fere cauſa ſunt ſalutis & interitus Monarchia, quã cæterarum Rerumpub. Ratio.

deferri & committi ſoleat. De Tyrannide autem, ex Oligarchia & ex Democratia eam eſſe conflatam & velut concretam ſeu iunctam, ait hoc loco, & diligentius infra explicat. Cum autem & Oligarchiæ & Democratiæ plura ſint genera, vt *ſup. lib. 4.* explicatum: ait hîc Ariſtoteles, Tyrannidem ex vltimo & deterrimo ſiue nequiſſimo tam Oligarchiæ quam Democratiæ genere eſſe conflatam: ideoque ex omnibus Rebuſpublicis hanc vnam eſſe, quæ ſit grauiſſima, plurimumque noceat, & detrimenti apportet parentibus & ciuibus, quod nimirum hæc vna non modo vtriuſque illius Reipublicæ malæ ſit particeps, ſed etiam quod vitia potiſſimum vtriuſq; in ſe contineat, hoc eſt, vt iam diximus, quod Tyrannis imitetur Oligarchiam & Democratiam, eaſq; nequiſſimas. Et hæc quidem vna eſt inſignis Regni ac Tyrannidis differentia, qua Regnum optimatum imperio, Tyrannidem paucorum & plebis dominatui ſimilem eſſe docuimus.

Tyrānis omniū grauiſſima ex Rebuſpub.

TEXTVS.

Principio autem ex contrarijs vtrique monarchiæ eſt origo. Nam Regnum quidem bonorum aduerſus plebem tuendorum exſtitit; & conſtituitur Rex ex bonis vel ob virtutis præſtantiam, vel rerum geſtarum, quæ ex virtute manant, vel ob præſtantiam generis eiuſdemmodi. Tyrannus vero ex populo & multitudine aduerſus principes (optimates bonos:) vt populus ab ijs nulla afficiatur iniuria.

COMMENTARII.

2. *Diſcrimē Regni & tyrannidis ab origine vtriuſq;.*

Ὑπάρχει δ' ἡ γένεσις.] Nunc de ortu ſeu origine monarchiæ, Regum (inquam) & Tyrannorum. Vnde altera eorum differentia intelligatur, quæ tamen cum prima fere cōueniat. Reges igitur ait creari fere ex optimatibus, ſiue iis, qui vel virtute aliqua, vel rebus geſtis, vel ſapientia ac doctrina, vel meritis, vel genere & familia excellant, & quidem tuendorum bonorum cauſa: quod idem & *infra hoc cap.* iteratur his verbis κατ' ἀξίαν γάρ ἐστιν, &c. id quod latius explicatum eſt *ſup. lib. 3.* vbi docuit Ariſtoteles de vnius imperio, an ciuita-

ciuitatibus & Regnis ſit vtile aut ſalutare, *cap. 7. 8. 9.* & oſtendit, Regiam dignitatem virtute eſſe metiendam, eique Regnum, qui cæteris virtute præſtaret, eſſe committendum. De Tyrannide vero, contrariam eius eſſe originem, hoc loco ait. Nam Tyrannos vel ex populo aut certe ex popularibus exſiſtere, non tuendorum, ſed potius opprimendorum optimatium & bonorum cauſa, plebiſque ſeu populi ab inſolentia & iniuria optimatum ac principum vindicandæ. Quemadmodum autem Tyranni exſiſtant ex populo & popularibus, aliiſque de cauſis: enucleate mox explicatur. Ex his intelligitur, Regni & Tyrannidis plane contrarium eſſe ortum; cum Rex ſit ex optimatibus, eorumque tuendorum cauſa: Tyrãnus ex plebe & popularibus, plebis tuendæ cauſa. Sic & infra ſcopum illis plane contrarium eſſe propoſitum, multaque alia contraria eſſe, docebit. *Tyrannidis origo.*

'Η κατ' ὑπεροχὴν τοιούτου γένους.] Hoc paulo eſt obſcurius: eius tamen hæc videtur eſſe ſententia; ob præſtantiam generis eiuſdemmodi, id eſt, boni ſeu virtute præditi, id eſt Reges etiam ob familiæ præſtantiam, ſi modo etiam virtute excellant, eſſe creandos; ignauos & improbos, licet ex magnis familiis ortos, non item. Haud ſcio tamen, an non rectius verbum, τοιούτου, deleri poſſit, vt abſolute intelligatur generis præſtantia. Nam & *paulo infra* ἢ τῷ γένους, *& ſupr. lib. 3.* docuit, propter genus & familiam Regna quædam deferri, *cap. 10.* quod tamen Ariſtoteles eo loco Barbarorum eſſe ait; & *cap. 11.* periculoſum, Regna eſſe hæreditaria, ſeu deferri ex ſummo genere ortis, ſed improbis vel ignauis. Quare nil temere mutandum.

TEXTVS.

Perſpicuum eſt autem ex rebus ipſis (euentis ijs quæ fiũt.) Nam plærique Tyranni fere omnes, vt ita dicam, ex Demagogis ſunt facti, fidem criminandis optimatibus conſecuti. Ad hunc namque modum quædam tyrannides ſunt inſtitutæ, auctis iam ciuitatibus: quædam his priores ex Regibus & patria inſtituta violantibus, & imperium magis herile concupiſcentibus: quædam etiam ex

ijs, qui

ijs, qui ad maiores magiſtratus eſſent producti. Nam antiquitus imperia & magiſtratus maiores faciebant diuturnos: quædam etiam ex Oligarchijs vnum aliquem, qui ſummis magiſtratibus præſit, creantibus. Nam his omnibus modis facile erat parare, ſi modo vellent: eo quod iam ante potentia eſſet: alijs quidem Regij imperij: alijs quidem honorum: vt Phido quidem Argis, alijque, cum Regnum eſſet, Tyranni ſunt facti: qui vero in Ionia & Phalaris ex honoribus: Panætius autem in Leontinis & Cypſelus Corinthi, & Piſiſtratus Athenis, & Dionyſius Syracuſis, alijque eodem modo ex Demagogia.

COMMENTARII.

Φανερὸν δ' ἐκ τῶν.] Quod modo dixerat Tyrannos ex plebe & plebicolis ſiue popularibus hominibus exſiſtere: id confirmat ab rebus ipſis & communi vita: in qua cuique ſit perſpicuum, rem ita ſe habere. Nam omnes fere Tyrannos ex Demagogis eſſe exortos, qui apud Græcos erant populares, plebis & populi aſſentatores, ac Duces, vt Romæ erant Tribuni plebis, de quibus *ſupra* ſæpe eſt explicatum *lib. 4. cap. 4. & hoc lib. cap. 5.*

Αἱ μὲν γὰρ τούτων.] Exponit Ariſtoteles 4. modos, quibus cōſtitutæ ſint tyrannides: & primo quidem vnum modum eſſe ait, de quo iam eſt explicatum, cum nimirum Demagogi fiunt Tyranni: cuiuſmodi aliquot commemorauimus *ſupra hoc lib. cap. 5.* Piſiſtratum, Dionyſium, Theagenem, &c. Idem & de Agathocle exponit *Diodorus Siculus lib. 19.* De Theagene autem illo Megarenſium Tyranno, quod eo loco prætermiſimus, videatur *Thucyd. lib. 1. & Pauſanias lib. 1.* eius & *Alexander in priora Anal. Ariſtot. lib. 1.* facit mentionem, vbi tamen mendoſe Theognis dicitur. Et hunc quidem modum ait hîc eo maxime tempore vſitatū fuiſſe, quo ciuitates iam eſſent ampliores, id eſt, ſua ætate & paulo ſuperiore. Nam in magnis ciuitatibus quia plærunque fieri ſolet, vt populus imperium teneat, non optimates, vt alibi eſt explica-

Demagogi in magnis

explicatum; facile huiuſmodi Demagogi exoriri ſolent; in paruis non item; quales antiquiſſimas fuiſſe ſæpe ait Ariſtoteles: & hunc modum maxime vſitatum & ad Tyrannidem accommodatum fuiſſe ait *eo cap. 5.* Alter eſt antiquior, cum ex Regibus fiunt Tyranni, id eſt, cum Reges ſuam poteſtatem Regiam in Tyrannicam conuertunt, & ex imperio moderato ac velut paterno faciunt herilem dominatum. Hac enim re, tanquam nota propria, Tyrannis definitur, *ſupra lib. 3. cap. 5.* quod ſit monarchia herilis, vt & reliqui vitioſi ſtatus ſunt heriles, *ſupra lib. 3. cap. 4.* vtpote omnia non ad ciuium & parentium, ſed ad ſuum commodum vertentes. Hic autem modus, quo Regna conuertuntur in Tyrannides, quam ſit frequens; ex Ariſtotele intelligere licet, qui ſua ætate (licet timide propter Alexandrum, & obſcure in his libris) hoc verbum iacere non ſit veritus; vere Regem nullum reperiri. Tertius eſt modus item Democratiæ (vt & primus) peculiaris ac proprius, item peruetuſtus, cum nimirum ſummum quis nactus magiſtratum eius occaſione Tyrannidem inuadit; quod olim maxime accidiſſe, paruis adhuc ciuitatibus, & plebe in agris occupata, vno aliquo militari viro Reipublicæ præfecto ait *ſupra cap. 5.* vt Mileti Prytanes (qui ſummus ibi erat magiſtratus) & illi, quos ſupra expoſuimus, Theagenes, Dionyſius. Nam hi proprie ad hũc tertium modum pertinere videntur. Huius autem periculi metu deterriti ſapientes, hoc monent cauendum, ne cui maior aliquis magiſtratus, iſque diuturnus, mandetur, qua in re & *Cic. in epiſt. ad Attic.* Senatum peccaſſe, atque adeo ſeipſum, confitetur, qui Cæſari imperium in Gallia nimis diuturnum & nimis magnum commiſerint, cuius ille occaſione poſtea vſus Rempubl. occuparit. Quartus modus, Oligarchiæ proprius, quo item maiorem quis nactus magiſtratum ex Oligarchia tyrannidem efficiat. Nam ſæpe & hoc in Oligarchiis vſuuenire docet, *ſupra cap. 5.* vt, diſſidentibus inter ſe ipſis Oligarchis, vnus aliquis deligatur cui ſumma rerum committatur, qui plærunque vtramq; factionem diſſidentem inter ſe opprimere ſolet: cuiuſmodi exempla *ſupra* expoſui *cap. 6. in fi.* quod idem & Heracleæ Ponti accidiſſe commemorat *Iuſtin. lib. 16.* paſſi ſunt, inquit, ẽt tyrannidem: ſiquidem cum plebs, &c. Et hic certe modus, maxime plebe & optimatibus inter ſe diſſidentibus & pugnantibus, valde vſitatus

ciuitatibus oriuntur.

2. Modus occupandæ Tyrãnidis.

Vere Rex nullus.

3. Modus.

Cautio.

4. Modus.

Exemplũ.

Exemplũ.

vſitatus eſt: quod de Florentinis ſuperiore ætate commemorant Itali. *Iouius lib.1. Guicardinus.* Commemorat autem Ariſtoteles exempla & hoc loco: ſed 4. illos modos prius ad duo ſumma genera reuocat. Nam tyrannidem vel ex regia poteſtate, vel ex maiore aliquo magiſtratu ac dignitate naſci: ita vt tres illi modi de Demagogis, de maioribus magiſtratibus tam in Democratia, quam in Oligarchia, ad vnum reuocentur: quod & Demagogia ſit quædam velut populi præfectura: & recte. Neque enim, niſi potentia & opibus fretus, vel Regiis, vel maioris magiſtratus, tyrannidem facile quis inuadere poteſt: facultas vt aſſit, neceſſe eſt, quam præſtant opes vel Regiæ in Monarchia, vel primorum magiſtratuum in Rebuſpubl. Sic igitur Regnum Argiuum, quod in Græcia fuit antiquiſſimum, in tyrannidem a Phidone cõuerſum ait. Sic olim Regnum Romanum à Tarquinio; & Romanum imperium poſtea ſiue principatus (qui à Regno multum differt) partim à Diocletiano, partim à Valentiniano Imperatoribus in Regnum commutari cœptum tradunt veteres.

Quatuor illorum modorum diuiſio.

Exempla.

Δημιυργία. Θεωρία.

Τὰς δημιουργίας καὶ τὰς θεωρίας.] Etſi his verbis alias & plærunque certa magiſtratuum apud Græcos genera contineri ſolent, vt videre licet apud *Pollucem lib.8* hoc tamen loco vniuerſe ſummi quoque magiſtratus iis indicari videntur.

Phidon.

Οἷον, Φείδων μὲν.] Regnum Græciæ antiquiſſimum penes Argiuos & Argiuum fuiſſe vel *ex Homero* conſtat: de cuius Regni origine & Regibus conſulantur *Strabo lib.8. & Herodotus initio lib.1. Pauſanias & Euſebius in Chronico*: quod poſt multa tandem ſecula multaſque Regum ſucceſſiones à Phidone occupatum, extincta iam Temenidarum vltima Regum Argiuorum progenie, callido & verſuto homine, qui tamen & ſe ipſe ex Temenidarum gente oriundum diceret, occupatum fuit & in Tyrannidem conuerſum, quem & alii quidam ſunt conſecuti: qui Argis tyrannidem tenuerint, non tamen Phidonis poſteri, vt eſt *apud Herod. lib. 6. & Strab. lib.8. & Pauſaniã, lib.2.* Et hoc eſt, quod ait Ariſtoteles, Φείδων καὶ ἕτεροι. Ait *Plin.* hunc Phidonem primum inueniſſe menſuras & pondera, *lib.7. cap.56. in fi.* Vt autem Phidon hic Regnum Argiuum in tyrannidem conuertit: ita & aliis Regnis accidiſſe notum eſt. Sic de Tarquinio ſupra, ſic Regnum Spartanum à Nabide tyranno (de quo apud *Li-*

Reiner. Reinecc. ſyntagmat.

uium

Iulium & Polybium) in tyrannidem fuit conuerſum.

Οἱ δὲ περὶ τὴν Ἰωνίαν.] Iones, ſiue Græci in Ioniam deducti coloni, Reges ſibi primo delegerunt ex Hippolochi & Codri progenie, *teſte Herod. lib. 1.* vbi tamen poſterioribus temporibus Tyrannides exſtiterunt: vt notus eſt tyrannus Mileſiorum Thraſybulus. Prima tamen ea Regna in ciuitatibus iis Ioniæ iam pridem deſierant, quod ſub imperium Perſicum eſſent redactæ. Atque ita in iis ciuitatibus primo Reges: deinde principes ſeu optimates: deinde tyranni præfuiſſe videtur: & tandem in ſeruitutem à Perſis redactæ, mox ab Alexandro in libertatem fuerunt vindicatæ. Harum autem ciuitatum Tyranni non ex Regno, vt priores, ſed ex imperiis ſiue magiſtratibus maioribus & diuturnis, vt Romæ Iulius Cæſar, ſunt facti; ex honoribus, inquit hîc Ariſtoteles, quod & ſupra explicaui. Sic & Phalaris notiſſimus & crudeliſſimus Agrigentinorum, quod oppidum eſt Siciliæ, Tyrannus, nactus maiorem magiſtratum, eius occaſione tyrannidem eius vrbis inuaſiſſe hîc dicitur, quod non temere alibi reperias. *Ionũ Reſp.* *Phalaris.*

Παναίτιος.] Leontini popul⁹ eſt Siciliæ notiſſimus. De hoc autem eorum Tyranno, Panætio, mentionem præterea reperi *infra hoc lib. cap. 12. in fin.* vbi monet multos Inſulam Siciliam Tyrannos habuiſſe. *Panætius.* *Cic. in Ver.*

Κύψελος ἐν Κορίνθῳ.] De hoc Corinthiorum Tyranno & *infra cap. 12. initio*: de quo & reliqui hiſtorici, & in his antiquiſſimus *Herodot. lib. 5.* vbi hunc, ſublata Bacchiadarum Oligarchia, tyrannidem inuaſiſſe commemorat. *Cypſelus.*

Πεισίστρατος.] De Piſiſtrato, eiuſque liberis, Athenienſium tyrannis, videantur *Herod. lib. 1. & Iuſtin. tit. 2.* *Piſiſtratus.*

Διονύσιος ἐν Συρακούσαις.] Qua arte hic tyrannidem occuparit Syracuſis, exponit *Iuſtin. lib. 20. in princ.* *Dionyſius.*

Καὶ ἕτεροι.] De quibus explicatum *ſup. cap 5. & 6.* Nam agit de iis, qui ex Demagogis & popularibus facti ſint tyranni. Ex eorum numero fuit & Lygdamis Naxiorum tyrannus, de quo *ſup. cap. 6.* & copioſe *Athenæus lib 8. ex ipſo Ariſtotele*, ſed alio eius opere, quod intercidit, *& Herodot. quoque lib. 1.*

TEXTVS.

Regnum igitur, vt diximus, ad Ariſtocratiam eſt ac-

eſt accommodatum. Eſt enim ex dignitate, vel ratione propriæ virtutis, vel generis, vel beneficiorum, vel & horum, & facultatis. Nam omnes, quia beneficiis affecerint vel potuerint afficere ciuitates aut gentes, hunc honorem ſunt conſecuti: hi quidem bello depulſa ſeruitute, vt Codrus: illi vero parta libertate, vt Cyrus: vel condita, aut acquiſita Regione, vt Lacedæmoniorum Reges, & Macedonum, & Moloſſorum.

COMMENTARII.

Cognatio Regni & optimatum Reſp.

Καθάπερ οὖν εἴπομεν.] Quod initio huius capitis de Regno ſiue Regali imperio, ſimile id & accommodatum eſſe imperio optimatum & Ariſtocratiæ; latius hoc loco exponitur: etſi id iam *ſupra* explicatum eſt *lib.3.cap.vlt.* aliiſque in locis. Nam optimatum imperium non ex æquitate ea, quæ eſt numero, ſed ex ea, quæ eſt dignitate, id eſt, non ex æquitate Arithmetica, vt Democratia, ſed ex Geometrica, definiri, conſtat ex *lib.3. & 4.* in qua æquitate ratio haberi ſolet virtutis, doctrinæ, generis, & id genus aliarum præſtantiarum. Eadem eſt & Regalis Imperii ratio: nam & hoc dignitate metiendum, & præſtantia virtutis, generis, aut beneficiorum deferendum, ac deferri ſolitum, docet hoc loco Ariſtoteles, adductis celebrioribus aliquot Regnis, quorum fere origo ex virtute, & beneficiorum magnitudine ſit cœpta, quod idem & *ſupra* expoſuit *lib.3. cap.10.* his verbis; διὰ γὰρ τὸ τοὺς πρώτους γενέσθαι, &c. *& cap.11.* his verbis; ἔπι δὲ ἀπ' εὐεργεσίας, &c. Idem & *Cicero lib.2. Offic. ex Herodoto,* iuſtitiæ fruendæ cauſa Reges initio conſtitutos fuiſſe ait. *Lactant.* quoque *lib.1. Diuinar. Inſt.cap.15.* beneficiorum magnitudinem Regnorum cauſam & originem fuiſſe ait, atque adeo beneficiis non tantum Reges, ſed Deorum quoque in numerum fuiſſe olim plæroſque relatos contendit *cap.8.9. 10.11.&c.* vt & *Cicero lib.3.de Nat. Deor. & Lucret.lib.5. initio. & Arnob lib.1. aduerſus gentes.*

Κατ' ἰδίαν ἀρετὴν.] Ait, Regnum deferri iis, qui vel ſuis virtutibus, vel maiorum ſiue generis & familiæ ſuæ antecellant. Nam & in honoribus ac præmiis tribuendis maiorum quoque

quoque ratio merito haberi ſolet; vt ob recte facta ac virtutes præmijs afficiantur non autores tantum; ſed eorum quoque poſteri; quæ res ad virtutem plures excitare poſſit. Sed hoc ita intelligendum: ſi & poſteri virtute ſint præditi. Nam maiorum res geſtas & virtutem tantum crepare, quod ſolet ventoſa nobilitas, procliue eſt ac facile; ſed imperio inutile, & his non ſua, ſed aliena virtute ſe efferentibus ac ceruices iactantibus thraſonibus minime mandanda Imperia aut Regna, docuit *ſupra Ariſt. lib. 3. cap. 11. in fin.* *In honorib. deferendis maiorum quoq; virtutis ratio habetur.* *Limitatio.*

Κατὰ ταῦτα] Ait, Regna deferri vel ob virtutes & beneficiâ iam præſtita, vel ob præſtanda: ſiue & ijs, qui iam præſtiterint, & qui præſtare poſſint. Sic enim ἅπαντες γὰρ εὐεργετήσαντες, ἢ δυνάμενοι.

Ὥσπερ Κόδρος.] De Codro Rege Athenienſium, qui pro ſalute patriæ ac libertate, quam Dores bello grauiſſimo ijs ereptum venerant, morti ſe obtulerit, cum alij, tum eleganter expoſuit *Iuſtinus lib. 2* cuius hæc eſt clauſula: atque ita, inquit, Athenienſes virtute Ducis pro ſalute patriæ morti ſe offerentis bello liberantur. Poſt Codrum nemo Athenis regnauit, quod memoriæ nominis eius tributum eſt: ex quib[9] verbis perſpicuum eſt, Codrum non eo beneficio Regnum conſecutum fuiſſe, quod hic videtur velle Ariſtoteles, ſed iam antea Regem fuiſſe, vt omnes hiſtorici teſtantur, ſed hoc eius memoriæ tributum, vt vltimus Athenienſium Rex eſſet. Nam qui poſtea Atticæ præfuerunt, Archontes ſunt nominati, vt eſt apud *Iuſtinum & Euſeb. in Chronico.* *Codrus.*

Οἱ δ᾽ ἐλευθερώσαντες.] Cyro, qui ſuos, id eſt, gentem Perſarum, antea Medis & Aſſyrijs parentem ac ſeruientem, in libertatem princeps vindicauerit, atq; adeo non liberam tantum, ſed etiam dominam ac Monarcham fecerit (qua de re *Herod. Iuſtin. & alij*) hunc tributum fuiſſe honorem, vt Rex & monarcha non ſuorum tantum Perſarum, ſed deuictarum quoque nationum, Medorum, Aſſyriorum, Babyloniorum, Syrorum, Iudæorum & reliquarum Aſiæ gentium deſignaretur. Sic olim & Bruto ob liberatam à tyrannide Tarquinij Rempublicam Romanam conſulatum primo mandatum fuiſſe ſcribit *Dionyſ. Hal. lib. 4. &c.* *Cyrus.*

Κτήσαντες ἢ κτησάμενοι.] Conditoribus vel amplificatoribus gentis aut ciuitatis regna quoq; mandari ſolita (nam & hoc beneficij quoddam genus eſſe videtur) docet exem-

plo Regum Spartanorum, Macedonũ, & Moloſſorum: quæ *Sparta.* tria Regna ætate Ariſtotelis apud Græcos erant nobiliſſima. *Macedon.* Nam alioqui idem & aliorum exemplo Regnorum doceri *Moloſſ.* & confirmari poterat, vt Regni Thebani autore Cadmo in- *Cadmus.* ſtituti, de quo *Pauſan. in Bœoticis*, Attici ab Cecrope, de quo *Cecrops.* *idẽ Pauſan. Strabo & Euſeb.* Sed ea iam in Reſpublicas erant cõuerſa. Sic & Romulo, vt Romæ conditori, Regnum Quirites detulerunt, vt eſt apud *Dionyſ. lib. 2.* *Οἱ Λακεδαιμονίων* *Lacedam.* *βασιλεῖς.*] De Regibus Spartanis & Regno Lacedæmonio eiuſq; ortu ab Hercule, eiuſq; poſteris Heraclidis commemorant *Diodorus lib. 1. Strabo li. 9. Plut. in Lycur. & Pauſan. li. 3. in Laconicis*: quos Reges, cum principio Regnum Spartanum anguſtis finibus contineretur, conſtat longiſſime eos protuliſſe, & non tantum totius Peloponneſi, cuius pars eſt Laconica, dominatum, ſed totius Græciæ mariſq; mediterranei imperium ſint adepti, atq; adeo iam in Aſiam arma aduerſus Perſas, Duce Ageſilao, extulerint, vt videre licet apud *Thucyd. Xenoph. & Plut. Ageſilao.*

Macedon. *Καὶ Μακεδόνων.*] Regni Macedonici prima origo ab Carano Rege, progreſſus & incrementa, & maxima ſub Alexandro potentia, tandemq; interitus ſub Rege Perſeo vltimo, à Romanis, duce Paulo Æmilio, deuicto, notum & peruulgatũ eſt negotium. Huius Regni, inquit *Iuſtinus lib. 7. initio*, ſicuti incrementa modica, ita termini peranguſti fuere, &c. Sed poſtea virtute Regum & gentis induſtria ſubactis primo finitimis, mox populis nationibuſque, imperium vſq; extremos Orientis terminos prolatum.

Moloſſ. *Καὶ Μολοττῶν.*] De hoc Regno Moloſſorum ſiue Moloſſidis & Epiri vbi regnauit nobiliſſima Æacidarum ſiue Pyrrhidarum gens & familia, videantur *Strabo li. 7. Plut. in Pyrrho & Iuſtin lib. 17.* qui de Tarriba Rege Moloſſidis, proauo materno Alexandri Magni, agens, primus itaque, inquit, leges & Senatum, annuoſque Magiſtratus & Reip. formam compoſuit: & vt à Pyrrho ſedes, ſic vita cultior populo ab *Pyrrhus.* Tarriba ſtatuta. Nam Regni eius conditor dicitur Pyrrhus Achillis filius: cuius poſteri, & maxime vltimus item Pyrrhus is, qui cum Romanis bellum geſſit, cuius vitam deſcripſit Plut. regnum principio anguſtum paulatim latiſſime protulere verſus Macedoniam, Illyrium & Italiam.

TEX-

TEXTVS.

Solet autem Rex vigilare, vt, qui rem quidem habent, nulla iniuria afficiantur, populus vero nulla contumelia. Tyrannis autem, vt ſæpe dictũ eſt, nihil ſpectat aliud, quam ſuam vtilitatem. Eſt autem ſcopus, tyrannicus quidem, iocundum; regius vero, honeſtum: itaq; ex commodis diuitiæ quidem ſunt tyrannica: ad honorem vero pertinentia, Regia magis: & cuſtodia, regia quidem ciuilis, tyrannica vero ex peregrinis.

COMMENTARII.

Βούλεται.] Alia Regni & Tyrannidis differentia hic exponitur: qua Rex ſuorum ciuium, Tyrannus ſuam tantum ſpectet vtilitatem, non communem. Rex dat operam, ne qui rem habent ditiores & principes, ſuis bonis ſpolientur, & ne tenuiores à ditiorib. contumelijs, vt fere fit, afficiantur: Tyrannus contra omnia ad ſe conuertere, ditiorum bona occupare & tenuiores laboribus fatigare ſolet. Eſt autem inſignis hæc differentia, de qua *& ſupra lib.3.c.4. & lib.4.c.10. in fin. & Ethic.li.8.c.10.* Et hoc eſt, quod hic ait, ὥσπερ εἴρηται πολλάκις. Idem & *Herodotus*, vt eſt apud *Cic li.2.off.* Mihi quidem, inquit, non apud Medos ſolum, vt ait Herodotus, ſed etiam apud maiores noſtros iuſtitiæ fruendæ cauſa videntur olim bene morati Reges conſtituti. Nam cum premeretur initio multitudo ab ijs, qui maiores opes habebant, &c. *& Plato toto fere lib. 1. de Repub. & in Politico*, hunc eſſe verum Magiſtratum, qui non quæ ſibi, ſed quæ ciuibus ſint vtilia procuret, *& lib. 5. de Republ.* vt eum imitatus & *Ariſt. lib.5. Ethic.* Iuſtitiam & Ius vulgo, tanquam prouerbio, dici ἀλλότριον ἀγαθὸν, bonum alienũ: eo quod non ſibi, ſed alijs, puta ciuib deſeruiat. Hinc & *Cic. li.1 off.* omnino, inquit, qui Reip. præfuturi ſunt, duo Platonis præcepta teneãt; vnũ, vt vtilitatẽ ciuium ſic tueantur, vt, q̃cunq; agunt, ad eam referant, obliti cõmodorum ſuorũ. *Idẽ quoq; li.2 de off.* ꝙ maxime huc pertinet, diſputãs ꝯtra leges agrarias, q̃b bona ditiorib⁹ eripi ſolẽt,

3. *Differentia Regni & Tyrannidis.*

& ad tenuiores transferri, vt fieret bonorum quædam æquatio; qua peſte, inquit, quæ poteſt eſſe maior? Hanc enim ob cauſam maxime, vt ſua tenerentur, Reſpublicæ ciuitatesq; conſtitutæ ſunt. Nam etſi duce natura congregabantur homines: tamen ſpe cuſtodiæ rerum ſuarum vrbium præſidia quærebant: *& paulo infra*, Eos, qui rem agrariam tentent, vt poſſeſſores pellantur ſuis ſedibus, ait labefactare fundamenta Reipub. Concordiam primum, inquit, quæ eſſe non poteſt, cum alijs adimuntur, alijs condonantur pecuniæ: deinde æquitatem, quæ tollitur omnis, ſi habere ſuum cuiq; non licet. Id enim eſt proprium, vt ſupra dixi, ciuitatis atq; vrbis, vt ſit libera & non ſolicita ſuæ rei cuiuſque cuſtodia. Sic & *Ariſtoteles ipſe lib. 1. Rhet.* ἔστι δὲ δικαιοσύνη: Iuſtitia, inquit, virtus eſt, qua quiſque ſua habere poſſit, & vt lex iubet. Idem, id eſt, viros principes non ſuam, ſed ſuorum vtilitatem ſpectare debere, ex eo quoque intelligi poteſt, quod legum ſint miniſtri, vt pulcre *Cic. lib. 3. de ll. & paſſim Plato in libris de Rep.* quas leges conſtat communis vtilitatis cauſa ferri, vt ait *l. 1. & 2. ff. de legib.* & explicauimus *ad initium lib. 2. Cic. de legibus.* Recte igitur & *Plin. in Panegyrico* vota pro Imperatore Traiano ſuſcepta laudat, ita concepta: SI BENE REMPVBLICAM ET EX VTILITATE CIVIVM REXERIT, &c. & *Ammianus lib. 29.* ſcribit, nihil aliud eſſe Imperium, vt ſapientes definiunt, niſi curam ſalutis alienæ, *& lib. 30.* finis, inquit, iuſti Imperij, vt ſapientes docent, vtilitas obedientium æſtimatur & ſalus & pulcerrime *Cic. lib. 3. de leg.* ſalus, inquit, Reip. ſuprema lex eſto. Atq; hinc quoq; eſt, quod Rex parenti & paſtori & cani, Tyrannus Domino & lupo comparari ſoleat. *ſupra li 8. Eth. c. 10. 11 & li 3. Polit. & hoc li. ſupra, c. 4.*

4. Differētia Regni & Tyrannidis.

Ἔστι δὲ σκοπὸς.] Alia Regis ac Tyranni differentia: qua Regi propoſitam virtutem & honeſtatem, Tyranno voluptatem ait: de qua differentia & *infra c. 11.* vbi oſtendit, Tyrannos delicijs, voluptatibus ac libidini deditos ſæpe ea de cauſa in contemtum venire & interfici. Ratio autem huius differentiæ hæc eſt: quia Rex ex virtute conſtituatur, Tyrannus vi & libidine, vt explicatum *ſupra lib. 3. & lib. 4.*

Ratio.

5. Differentia Regni & Tyrānidis.

Διὸ καὶ τῶν πλεονεκτημάτων.] Alia differentia ex priore manans, qua Tyrannus pecunias ac diuitias, Rex tātum, aut certe magis, honores quærat. Sunt enim hæc duo, diuitiæ & honos,

nos, de quibus maxime laboretur ab omnib. mortalibus, vt *ſupra* explicatum *c.2. & hoc c infra.* Hos duos fines, & diuitiarum & honorum magnitudinem, omnib. monarchis propoſitos eſſe ait. Nam diuitiæ ad voluptates ac delicias (quem ſcopum Tyranno modo diximus eſſe propoſitum) fruendas ſunt neceſſariæ, vt ait *Cic. li.1.off.* Expetuntur autem, inquit, diuitiæ cum ad vſus vitæ neceſſarios, tum ad perfruendas voluptates. Verbum autem πλεονεκτήματος, vt & ſupra πλεονεξίας. *li.3. c* 8. quod plærunq; in deteriorem, hic in meliorem accipitur, & præſtantiam ſeu commodum ſignificat. πλεονέκτημα.

Καὶ φυλακή.] Alia Regis ac Tyranni differentia, in ſtipatoribus ſeu cuſtodibus corporis poſita, hic exponitur. Nam Regum cuſtodes ciues eſſe ſolent, Tyrannorũ exteri & mercenarij, quod idem iteratum eſt, & *ſupra li.3. c.10.* vbi & hæc ratio ſeu cauſa adfertur, quod Reges iure ac lege, ſuorumq; voluntate præſint, Tyranni vi & inuitis ciuibus. Quare ciuibus diffidentes in exteris & mercenarijs fiduciam collocare debent, quorum cuſtodia aduerſus ciues à ſe oppreſſos ſint ſepti. Idem ait & Hiero Tyrannus Siciliæ apud *Xenoph. in Hierone.* Sic & *Cic. li.2. off.* de Alexandro Pheræorum, q̃ ciuitas eſt Theſſaliæ, Tyranno, Thracibus barbaris cum vſum eſſe cuſtodib. indicat: & olim Rom. Impp. Germanis cuſtodib. vtebantur, vt videre licet apud *Suet. Dionẽ, &c.* Hac ætate Reges partim ciuibus, partim exteris cuſtodibus vti ſolent. *6. Differẽtia Regis & Tyranni.*

TEXTVS.

Tyrannidem autem continere mala & Democratiæ & Oligarchiæ, perſpicuum eſt: ex Oligarchia quidem, eo quod finis ſint diuitiæ: ſic .n. & cõſeruari neceſſe eſt & cuſtodiam, & delicias: & eo quod nihil fidat multitudini: quare & ademtionem armorum procurant, & vexanda multitudine, & ex vrbe pellenda ac relegãda, quod vtriq; eſt commune & Oligarchiæ & Tyrannidi. Ex Democratia vero, pugnando cum principibus, & tollendo occulte, & aperte, & relegando, vt æmulos, & imperio obſtãtes. Ex his namq; inſidiæ fieri ſolent: quorum hi quidem imperare ipſi velint, illi

vero non ſeruire. Vnde eſt & Periandri ad Thraſybulum conſilium eminentium ſpicarum mutilatio; quaſi ſemper oporteat ciues principes tollere.

COMMENTARII.

Ὅδ᾽ ὁ Τυραννὶς] Quod ſupra initio hui⁹ cap. de Tyrannide dictum fuit, eam ex duob. deterrimis Reip. generib⁹, Oligarchia ac Democratia, eſſe conflatã, & vtriuſq; mala & incommoda in ſe continere: accurate ac diſtincte hic explicat.

1. Inſtitutũ Tyrannidi cum Oligarchia cõmune.

Nam quæ maxime ſint propria Oligarchiæ, ea quoq; Tyrannũ ſectari, primum diuitias, tanquam ſcopũm ſibi habere propoſitũ, & quidẽ neceſſario, cum ad alenda præſidia & cuſtodes, tum ad voluptates ſuas fruendas, quas Tyrannũ maxime ſectari, ſupra diximus. His igitur ſumtibus vt pecuniæ ſuppeditent, tanquã caupo (quo nomine olim Regẽ Darium primum Perſæ vocabant) omnes faciendæ & colligendæ pecuniæ cauſas inueſtigare multiſq; vectigalibus ac tributis exhaurire ſolent. de quo *& infra c prox.* Deinde multitudini &

2 Inſtit. Oligarchicũ.

populo Tyrannus ſemper diffidere ſolet, ſibiq; ab multitudine metuere, perpetuo verſari in metu, quod pulcre & copioſe explicat *Cic. li. 2. off.* quem metũ cauſam quoq; Ariſt. hic ait eſſe, cur & arma multitudini adimant, quod Tyrannorũ inſtitutũ, & *infra* cõmemorat *c. 11. fere in fi.* vbi, vt & h. loco, vocat eleganter ὅπλων παραίρεσιν: quod idem factitaſſe Athenis 30. Tyrannos eodem vſus verbo cõmemorat *Xenoph. li. 2.* τῶν ἑλληνικῶν. *Zonaras quoq; lib. 1. annal.* Mummium deuictis Corinthijs & arma & ſigna tabulasq; pictas omniaque ornamenta ademiſſe (παρείλετο) teſtatur. Deinde, quæ

3. Inſtitutũ Oligarchiæ & Tyrannidis commune.

altera eſt & Oligarchiæ nota, vt explicatũ, *ſupra c. 9. & initio c. 6.* Tyrannus multitudinem ac plebẽ vexare ſolet, eamq; vel opprimere, vel partẽ eius aliquã vrbe pellere; atq; ita eos ſeparare, ne ipſe ab vniuerſis aliquando opprimatur. Iam vero

4. Inſtitutũ Tyrannidi cum Democratia commune.

ex Democratia hoc habet Tyrannus, quod perpetuus ſit hoſtis optimatium & principum virorum, quos vel occulte, vel etiam aperte necare ſolet & è medio tollere vel ſaltem in exilium pellere, eo quod ab his maxime ſibi metuat, tanquam æmulis, & eius imperio ac dominio infeſtis. Nam ab his plærumq; inſidiæ oriri ſolent & parari aduerſus Tyrannos, vel quia ipſi præeſſe & dominari cupiant, vel ſaltem quia nolint ſeruire Tyranno, quod generoſis animis eſt grauiſſimũ.

Et

Et huc pertinet conſilium Periandri datum Thraſybulo, qui Periander, decuſſis ſummis ſpicarũ capitibus, occulte Thraſybulũ monuerit, proceres quoq; & principes ſiue capita ciuitatis eſſe tollenda, aut certe minuendas ac frangendas eorũ opes. Hoc autem, aduerſari ſemper optimatibus, eoſq; infeſtare, Democratiæ eſſe vſitatum ac proprium, explicatũ eſt, *ſupra c.5 & c.9. & li.3. c.9.* Et hoc ipſum eſt, quod *apud Xenophontem* Siciliæ Tyrannus Hiero Simonidi poetæ præter alia conqueritur, tanquam de grauiſſimo Tyrannidis incõmodo & malo, Tyrannum ſi bene ſibi conſultum velit, viris bonis & præſtantibus virtute, doctrina & fortitudine ſemper aduerſari & bellum facere debere.

Καὶ τὴν τρυφὴν.] Ita habent meliora exemplaria, id eſt, luxui ſiue lauticiæ ac delicijs. Nam & paulo ſupra Tyranni ſcopum ait eſſe τὸ ἡδὺ, voluptatem, vt & *infra* de Tyrannorum voluptatibus & luxu explicabitur *hoc cap. in fin.* alij libri non tam recte, καὶ τὴν τροφὴν, id eſt, victui cotidiano, quomodo tamen & vetus interpres habuiſſe videtur: vertit enim, vt ſumtus faciat in educando.

Ὅθεν καὶ τὸ Περιάνδρου.] De hoc callido Periandri conſilio explicatum, *ſupra lib. 3. c.9.* quo & Tarquinium ſuperbum vſum fuiſſe ſcribit, *Liu. lib. 1.*

TEXTVS.

Itaq;, vt fere eſt explicatum, eadẽ oportet mutationum principia arbitrari & in Rebuſpub. & in Monarchijs. Nam in monarchias ciues plæriq; inuadunt, & propter iniuriam, & propter metum, & propter contemtum; iniuriæ .a. maxime ꝓpter cõtumeliam: interdũ .a. & ꝓpter rerũ ſuarũ orbationẽ. Sunt .a. & fines ijdẽ, vt illic, & in Tyrannorũ dominatib. & Regnis: diuitiarum namq; & honorũ magnitudo monarchis eſt, quæ omnes expetũt.

COMMENTARII.

Καθόλως.] Diximus *ſupra initio huius c.* explicari hoc cap. & proximo de cauſis interitus ac ſalutis monarchiarum ſiue vnius Imperiorũ: eas .a. interitus & ſalutis monarchiarum cauſas initio quoq; eius cap. monuit Ariſt. eaſdẽ fere eſſe, q̃ ſint aliarũ Rerump. de quib. vniuerſe ſeptem numero expo-

ſitum eſt, *ſupra c.2.3.* Hoc.a. i. e. cur iiſdem ex cauſis intereat & conſeruetur vnius imperium, ex quibus Reſp. hanc quoq; cauſam ſupra attulit, quod vnius Imperium Reip. valde ſit ſimile: aut certe cũ vnius Imperium ſit duplex, Tyrãnis & Regnum; hoc quidem Ariſtocratiæ, illud Oligarchiæ & Democratiæ notas in ſe contineat: id quod Ariſt. hactenus docuit accurate, & vniuerſe. Hoc .a. loco idem enucleatius explicare exorditur, & ſingulas cauſas exponit multisq; allatis exẽplis verum eſſe demonſtrat in ſingulis cauſis, quod ſupra adhuc docuit, vnius Imperium iiſdem quib. Reſpub. ex cauſis interire. Sunt .a. cauſæ fere ſeptem principes interitus & mutationis Rerump. honos, quæſtus, iniuria, metus, excellentia, contemtus, & incrementũ: quarum quinq; ad Tyrannidem hic accõmodantur, quod reliquæ duæ, excellentia, & incrementum, tantum Rerump. ſint propriæ, monarchiarum non item, vt perſpicuum eſt. Quinq; igitur monarchiarum tollẽdarum cauſæ, ex prioribus repetitæ, hic exponuntur; Iniuria, quo pertinet & odium, metus, contemtus, lucrum, & honor ſeu Imperium: adiungitur & VI. Tyrannidis propria, nomen ſeu gloria, φιλοτιμία.

Ratio.

Huius loci argumentum.

Cauſa præcipua interitus Reſũp. Excellẽtia & incrementum.

Cauſa interitus Regnorum & Tyrannidum.

1. Cauſa interitus Monarchiæ.

Τῆς δ' ἀδικίας μάλιστα.] Injuriæ, quã vnam tollendæ monarchiæ cauſam eſſe diximus, cũ multa ſint genera, vt in corpus, quæ proprie contumelia dicitur; in bona, q̃ πλεονεξία, in famam & exiſtimationẽ ſiue honorẽ: omnia quidem iniuriæ genera tollendæ eſſe Monarchiæ, ſed eam maxime, q̃ contumelia dicitur, quã & ipſam multiplicẽ eſſe docet infra, multisq; exemplis cõfirmat, quod hic ait, plæraſq; coniurationes ex hoc iniuriæ genere exſiſtere aduerſus monarchas. Interdũ tamẽ etiam auaritiam principum coniurationis & ſeditionũ eſſe cauſam, perſpici poteſt ex tot ſeditionibus & coniurationibus ob nimia & grauiora vectigalia exortis, tam apud veteres, quã noſtra quoq; ætate. *Cic.* quoq; *lib. 2. off.* quo loco de rerũ cauſa & prima origine *ex Herodoto* explicat, ex hac cauſa, quod rerum ſuarũ non ſecura ſit poſſeſſio ciuib9: ſed bona his eripiantur, q̃ donentur alijs, motus & cõiurationes ſæpe exiſtere commonſtrat: quod & in Iul. Cæſ. reprehendit & in Sulla. Quare & Ariſtoteles *cap. prox.* quo loco præcepta quædam exponit, quibus Tyranni ſeruatis dominatum & Tyrannidem diu tenere poſſunt, illud quoq; affert, Tyrannum vectigalia & bona, q̃ ciuibus adimit, ita collocare debere, vt ratio-

rationem accepti & expenſi populo & ciuib. tanquam bonus pater familias, ſi opus ſit, poſſit reddere: hac enim ratione & frugalitate, aut ſaltem eius ſimulatione populum non tam grauiter laturum onera vectigalium, atq; ſi ea continuo in hiſtriones, citharœdos, ſcorta, adulatores, ac paraſitos, (vt fere fit) diuidantur, & conſumantur. Scribit & *Machi-uell. lib. 3. diſputationum Liuianarum cap. 6.* quod longum & inſigne eſt caput, de coniurationibus aduerſus monarchas Florentiæ, & ex hæreditate quadã nobiliſſima, grauiſſimam Pactiorum aduerſus Medices coniurationem natam ſua ætate fuiſſe, (legit autem hæc D. Gif. anno *1574.*) ante annos ſcilicet *80.* Huc quoque pertinet, quod *ſupra cap 8* & alibi ſæpe dicit, plebem ex hac iniuria bonorum adimendorum, vel præreptæ vtilitatis, maxime ad ſeditiones commoueri.

Fines tollendarum monarch. iidem, qui & reliquarum Rerumpublicarũ.

Ἔστι δὲ καὶ τὰ τέλη ταὐτά.] Vt principia ſiue cauſas, ita & fines ac ſcopos eoſdem in monarchiis commutandis ac tollendis, quos in Rebuſp. eſſe ait. Nam *ſupra c. 2.* duos fere fines, ſiue duo fere eſſe, quæ coniuratis vel ſeditioſis ſint propoſita; diuitias & honores: quæ duo quia maxime apud Reges & principes reperiuntur (de honore eſt perſpicuum, quam ſæpe vt Dij colantur principes, & pleriq; diuitiis vel abundant vel abundare poſſunt) mirum non eſt, quod hic ait Ariſtoteles, eos quoque fines eoſdem eſſe in principatibus tollendis, qui ſunt in Rebuſp.

TEXTVS.

Coniurationum autem hæ quidem in corpus eorum, qui præſunt: illæ vero in ipſum principatum fiunt.

COMMENTARII.

Coniurationum in monarchiis διαίρεσις.

Τῶν δ'] Præclara & obſeruatione digniſſima hæc eſt coniurationum partitio: qua docet Ariſtoteles, cõiurationes interdum ſuſcipi aduerſus principes eorumque perſonam, interdum aduerſus eorum imperium & ſtatum: quod idem ait *& Imp. §. pub. autem iud. Inſti. de pub. iudic.* Lex Iulia maieſtatis, inquit, quæ in eos, qui cõtra Imperatorem vel Rempublicam aliquid moliti ſunt, ſuũ vigorem extendit. Prioris generis cõiurationes alteris, ni fallor, crebriores ſunt; Pauſaniæ aduerſus Philippum Regẽ, Harmodij & Ariſtogitonis aduerſus Hippiam, Bruti & Caſſii aduerſus Cæſarem, & multorum aduerſus Impp. Neronem, Domitianũ, Seuerum, *1. Genus.*

2. Genus. *3. Genus.*

Commodum, &c. Alterius generis cōmemoratur conſpiratio Lotharii aduerſus Ludouicum Pium Imperatorem. Eſt autem & tertium coniurationis genus mixtum, quo alicui Imperium cũ vita eripiatur, & in coniuratos vel vnum ex iis transferatur. cuius generis multa quoque exempla occurrunt Sic Sardanapalo interfecto, Deioces Regnum Aſſyriorum occupauit.

T E X T V S.

Contumelia autem cum ſit multiplex, quæque iræ ſit cauſa. Irati autem plerique fere inuadunt vindictæ cauſa, non vero præſtantiæ, vt Piſiſtratidarum (ira, ſiue vindicta, ſiue potius τιμωρία vel ἐπίθεσις) eo quod ſororem quidem Harmodii probro affeciſſent, Harmodium vero damno. Nam Harmodius quidem propter ſororem, Ariſtogito vero propter Harmodium. Inſidiati autem etiam & Periandro, Ambraciæ Tyranno: eo quod in ſympoſio cum deliciis quæreret ex eo, an iam ex ipſo vterũ ferret. Philippi autem à Pauſania: quod ipſum ab Attalo iniuria affectum neglexiſſet. Et Amyntæ minoris à Derda, quod in ætatem eius gloriatus eſſet: & Eunuchi in Euagoram Cyprium, eo namque quod filius eius vxorem ademiſſet, vt contumelia affectus interfecit.

COMMENTARII.

Contumeliæ genera. *1 Ignominia.* *2. Pulſatio.* *Aliter.* *1. Stuprum.* *2. Deriſio.* *3. Diuortiũ* *4. Exciſio.* *5. Pulſatio.*

Τῆς δ᾽ ὕβρεως οὔσης] Cauſam tollendorũ Tyrannorũ & Regum, contumeliã diligenter & accurate perſequitur. N primo multa ait eſſe cōtumeliæ genera, maxime tamẽ hæc duo ignominiã, & pulſationem ſiue verberationem: vel enucleatius, ſtuprum, deriſionẽ, diuortium, caſtrationẽ exciſionem, pulſationem ſeu verberationem: & ex his iram fere extere, ſiue in iram verti & commoueri contumelia qualibet affectos: quæ ira poſtea ſit cauſa, cur affecti contumelia hæc maxime agant, vt pœnas repetant & vindictam ſumant ab iis, qui

qui eos iniuria affecerint, neque tam laborent, vt eorum ipſi potiantur imperio, quam vt vindicta dolorem ſuum expleant: id enim, vt Ariſtoteles *lib. 2 Rhetor.* proprium eſt iræ, vindictæ cupiditas: deinde ſingulatim ea contumeliæ genera multis exemplis explicantur.

Οἷον, ἡ μὲν τῶν πεισιστρατιδῶν.] De hac re variant veteres, vt videre licet apud *Herod. lib. 5. Thucyd. li. 1. Plat. in Hipparcho, & Iuſtinum libro 2.* Conſtantior tamen ſententia hæc eſt: Piſiſtrati, qui primus Athenis tyrannidem occuparit, filium natu maximum, vt ait *Plato*, vel alterum, vt *Thucydides*, Hipparchum (nam *Iuſtinus* Dioclem nominat; erāt enim tres, Diocles, Hippias & Hipparchus) Hipparchum igitur quia Harmodii ſororem per vim, vt ait *Iuſtinus*, ſtupraſſet, ab Harmodio fratre, eiuſque deliciis Ariſtogitone fuiſſe interfectum: qui duo Tyrannicidæ poſtea ab Athenienſibus & ſtatuis honorati, *teſte Plinio*, & ab omnibus magnopere fuerunt celebrati: etſi interfecto iam Hipparcho frater eius Hippias poſtea etiā quadriennium, vt *Herodotus*, triennium, vt *Plato* ait, tyrannidem ibidem tenuit, & inde pulſus ad Perſas cōfugit, quos in Athenienſes incitauit, vt Tarquinius Romanorum Tyrannus Etruſcos eorumq; Regem Porſenam. Sed vtrique res male ceſſit. Nam Perſæ grauiſſimo prælio Marathonio ab Athenienſibus duce Miltiade deuicti fuerunt, in quo & ipſe Hippias cecidiſſe dicitur: Porſena fruſtra aduerſus Romanos bello ſuſcepto domum re infecta rediit. *Piſiſtratus.*

Ἐπεβούλευσαν.] Duos Periandros fuiſſe pleriq; cōſentiunt, vnū Corinthium, alterum Ambracienſem: ſed ex his alii quidem, vt *Plato, Heraclides, Sozio, &c.* Corinthium fuiſſe Tyrannum, Ambracienſem Sophum, ſiue vnum è ſeptē ſapientibus. Alii in quib. eſt Ariſt. contra Corinthiū fuiſſe Sophum, Ambracnieſem Tyrannū. ita *Diog. Laert. li 1. in Periandro*, cui & hic locus aſtipulatur. Quod autem hoc loco de Periandro Ambracienſium Tyranno commemorat Ariſtoteles, idē confirmatur & à Plutarcho ἐν τῷ ἐρωτικῷ fere extremo. *Periander.*

ἡ δ' ἡ φιλίππου ὑπὸ παυσανίου.] Pauſanias adoleſcens nobilis & comes Philippi Regis patris Alexādri Magni ſtupratus ab Attala principe viro in aula Regis, cū ſæpe Regi ea de re eſſet cōqueſtus, & Philip. eā iniuriā negligeret, obſeruata occaſione in ipſis nuptiis filiæ ſuæ: Regē mediū inter filiū Alex. *Pauſanias.*

& ge-

& generum procedentem, remotis iam ſtipatoribus, adortus interſecit: qua de re videatur *Iuſtinus libro 9. & Plut. in Alexandro.*

Amynt. Καὶ ἡ ἀμύντου.] De hoc Amynta minore ab Derda, cuius de pudicitia erepta ille eſſet gloriatus, nihil dum repperi: quin autem Amyntas hic minor ex Regio Macedonum ſanguine fuerit, non dubito, vt & Derdas fortaſſe. Nam plures Amyntæ Reges Macedonum fuerunt, & Derdæ ſororem Phidam Philippus pater Alexandri vxorem duxit, *teſte Athenæo li. 13.* & *Thucydides* Elimiorum principem ſeu Regulum Derdam vocat.

Euagoras. Καὶ ἡ τοῦ εὐνούχου εὐαγόρ.] Perperam alii hæc ita verterunt, quaſi Eunuchus ab Euagora eſſet interfectus: cum ex *Diodoro lib. 15. fere in principio*, conſtet, Euagoram ab Eunucho interfectum eſſe.

Ἅμα δὲ τούτοις πραττομένοις, &c.] Id eſt: cũ hæc gererẽtur in Cypro, Nicocles Eunuchus Euagoram Regem dolo interfecit, Regnumque Salaminiorum obtinuit. Refellit eos quoq; quod ait Ariſtoteles, ἡ τοῦ εὐνούχου εὐαγόρᾳ &c. vbi non ait ὑπὸ εὐαγόρα, vt ὑπὸ παυσανίου, ὑπὸ Δέρδα: ſed ipſi Euagoræ Eunuchi epitheſin factam. Eſt autem hic Euagoras cuius encomium *Iſoc.* ſcripſit ad filium eius Nicoclem, quem tamen Diodorus ait cognomento Eunuchum & Euagoræ fuiſſe interfectorem, non filium. Nam Euagoræ filium vocat Pythagoram *lib. 15. in princip.*

TEXTVS.

Multæ autem impreſſiones factæ ſunt, eo quod monarchæ quidam corpori contumeliam attulerint. vt Cratæuæ in Archelaum: grauiter enim congreſſum ſemper tulerat. quare iuſta ſatis & leuior fuit cauſa, quod ex filiabus nullam ei, licet pollicitus, dederit, ſed priorem quidem bello aduerſus Sirram & Arabæum occupatus dederit Regis Elibeæ, iuniorem vero filio Amyntæ; ratus, illum & Cleopatræ filium ſic minime ſibi aduerſaturum. Verum alienationis principium fuit illud, grauiter ferre congreſſum venereum: quã eandem

ob

ob cauſam vna coniurauit & Hellanocrates Lariſſæus; cuius ætate cnm eſſet abuſus, non reduxit, vt erat pollicitus: quare congreſſum ille factum eſſe iudicauit, non amatoriæ cupiditatis, ſed contumeliæ cauſa. Sed Paro & Heraclides Ænii, patrem vlciſcentes, interfecerunt Cotyn. Adamas à Coty defecit, vt contumelia affectus, eo quod puer ab ipſo eſſet exciſus.

COMMENTARII.

Πολλαὶ δ' ἐπιθέσεις.] Aliud contumeliæ genus: quæ ſit cauſa inuadendi in Reges, Monarchas aut tyrannos, ſtuprum & iniuria in corpus alterius, hic exponitur, multiſq; exemplis explicatur eorum, qui à Regibus conſtuprati deteſtabili ſcelere inuiti & nolentes, hac contumelia & iniuria commoti, in Reges conſpirarint, vt Cratæuæ & Hellanocratis in Regem Archelaum, Paronis & Heraclidæ in Regem Thraciæ Cotyn, & etiam Adamæ non quidem ſtuprati ſed exciſi ſiue caſtrati ab ipſo Rege. *Contumeliæ genus.*

Οἷον καὶ ἡ κρατaίου εἰς Ἀρχέλαον.] De morte Archelai, Regis Macedonum, eum ab amaſio ſeu deliciis ſuis Cratæua, vt *Plut. & Suida*, ſiue Cratæo, vt hic dicitur, interfectum com memorat & *Plutar. in Alcibiade poſteriore*, *& Plato in commentario de reb. amatoriis, ſiue ἐρωτικῷ*, *& Suidas in vita Euripidis* Ariſtot. coniuratos tres hic commemorat, Cratæuam, Hellanocrtaem, & Decamnichum paulo infra, omnes contumelia & iniuria commotos ab Rege ipſo, vel eius occaſione accepta. *Archelaus.*

Ὥστ' ἱκανὴ καὶ ἐλάττων.] Obſcuriora paulo ſunt hæc verba, in quibus & latine reddendis variant interpretes. Videtur tamen eorum hæc eſſe ſententia, coniurationis in Archelaum ſpeciem ſiue πρόφασιν etſi minorem & leuiorem, hanc nimium, διὰ τῶν θυγατέρων &c (quæ certe leuior videtur iniuria quam illa ſtupri) ſatis tamen iuſtamque & idoneam fuiſſe: quaſi velit Ariſtot. hunc Cratæuam non tam contumeliam ex ſtupro, quam denegata ſibi Archelai filia, iam licet pacta cauſam arripuiſſe & prætendiſſe. Quare videatur potius legendum, καίπερ, ἐλάττων, i. licet leuior: vel certe τὸ, καὶ, ita erit accipiendum.

Κατεχόμενος ὑπὸ.] De hoc bello Archelai aduerſum Sirram & Arribæum (ſic enim legendum. *Suid.* inter coniuratos Archelai etiam Arribæum Macedonem commemorat, *in vita Eurip.*) videatur *Tucyd. lib.* 4.

Elibeæ Rex. Ἔδωκε τῷ βασιλεῖ.] De hoc Rege Elibeæ, quæ pars eſt Macedoniæ, Archelai genero, vt & de altero, Amyntæ filio, amplius q̄rendum: quos ait hic Ariſtot. Archelaum ſibi hac affinitatę deuinxiſſe, Elibeæ quidem Regulum fortaſſe Derdam (nam hoc nomine Elibeæ principem quendam commemorat *Xenophon*) vt eo ſocio vteretur in bello aduerſus Arribæum, Regē, ni fallor, Linceſtarū in Macedoniæ parte: alterum vero Amyntæ filium Regis Macedonum, ne hic aduerſus Archelaum, quia potius ad ſe ſucceſſio Regni pertineret, Archelaum inuaſorem perſequeretur: eadem quoq; ratione & Cleopatræ, quæ Perdiccæ Regis Macedonum ſui anteceſſoris erat vxor, filium quendam ſibi conciliaret. Magna eſt apud hiſtoricos horum nominum, Regum Macedoniæ ac ſtirpis Regiæ, perturbatio, nata, ni fallor, partim ex multa ſobole, partim ex variis eorum inter ſe diſſenſionibus & inteſtinis bellis. *Regum Macedon. hiſtoriæ obſcuritas.*

Reiner. Reinec. Syntagm. Πάρων δὲ καὶ ἡρακλείδης.] *A Plut. in commentario aduerſus Coloten* hic diciturPytho. Ait nanq; Pythonē & Heraclidem Platonis auditores * Thraciam Rege Coty interfecto in libertatem vindicaſſe.

Ἀδάμας.]De hoc Adama, à quo Rex Thraciæ Cotys vna fuerit interfectus, amplius quærendum.

TEXTVS.

Multi autē & quia verbera corpore pertulerint irati: alii quidem necarunt, alii vero conati ſunt, vt iniuria affecti, eos etiā, qui in Magiſtratu & regia eſſent potentia, vt Mitylenis Megacles Pentalidas circumeuntes, & clauis pulſantes, cōiuratione cū amicis facta interfecit. Et poſterius Smerdes Penthilum, plagis acceptis & ab vxore extractus, interemit: coniurationis quoque in Archelaum dux fuit Decamnichus, qui primus coniuratos incitaret. cauſa iræ, quod Euripidi poetæ verberandum

dum

eum tradiderat. Euripides autẽ ſuccenſebat, quod ille in oris fœtorem quid dixiſſet. Multi vero & alii tali de cauſa, hi quidem ſunt interfecti, illi vero inſidiis fuerunt obnoxii.

COMMENTARII.

Πολλοὶ δὲ καὶ.] Aliud iniuriæ ſeu cõtumeliæ genus, pulſatio ſeu verberatio, exponitur, multiſq; exẽplis confirmatur eorũ, qui vel verberibus affecti, vel pulſati, aut interfecerint coniuratione facta, aut ſaltẽ ſint conati interficere Reges, vel etiã alios Rerumpu. principes in Oligarchiis hac contumelia cõmoti, vt Megacles Mitylenis aduerſus Pentalidas, Smerdæ aduerſus Penthilum, & Decamnichus aduerſus Regẽ Macedoniæ Archelaum, de quo ſupra. Huc pertinet & exemplum Zopyri, qui ſe ipſe corpuſq; ſuum mutilarit, vt odiũ Babyloniorũ aduerſus Dariũ, quẽ fingebat & mẽtiebatur eius mutilationis eſſe autorẽ, cõcitaret, vt eſt apud *Iuſt. li. 1. Herod. &c.* Exemplũ de Virginio Romano (cuius ob filiã ab Appio decẽuiro in periculũ libertatis & virginitatis adductã imperiũ decẽuirorũ ſublatũ fuit: de quo explicant *Dionyſ. & Liu*) pertinet potius ad prius contumeliæ genus, de libidine & ſtupro. *Iniuria genus.* *1. Exemplum.* *2 Exemplum.* *3. Exemplum.* *4 Exemplum.* *5. Exemplum.*

Οἷον ἐν μιτυλήνῃ.] De hac coniuratione Megaclis, & Pentalidarum, quæ familiæ Mitylenis vrbe Lesbi imperium tenuere, petulantia hac amplius quærendum. Videntur potius dicti Pentalidæ oriundi fortaſſe ab Oreſtis filio Pentilo, de quo & *Strabo libro 12. & Vell. Paterc. libro 1.* Nam & *Stephanus in lib. de vrbibus*: Πεντίλη, inquit, πόλις Λέσβου, ciues Pentilenſes à Pentilo. in Paterculo Penthelus mendoſe, vt puto. Simili fere petulantia quendam Neratium Romæ olim fuiſſe vſum ſcribit *Agel. lib. 20. cap. 1.* qui Neratius, quia alterum pulſanti aut verberanti ex lege 12. tab. leuior, puta 25. aſſium, eſſet, pro delectamento habebat, in foro comitatus ſeruulo cum crumena aſſium plena, obuio cuique colaphum infringere, & mox numeratis 25. aſſibus ad alium quoq; pergere. *Pentalidæ.*

Καὶ ὕστερον Σμέρδης.] Et de hoc amplius quærendũ, quis hic Smerdes. Nam *in hiſtoria Perſica* Smerdæ interdum commemorantur, & quis fuerit Penthilus.

Καὶ

Archelaus. Καὶ τῆς' Αρχελάυ.] De coniuratione in Archelaum ſupra: cuius ait hic Decamnichum; quia permiſſu Regis ab Euripide apud hunc Regem gratioſiſſimo eſſet verberatus, ducem fuiſſe & principem.

Ο' δὲ ἐυριπίδης.] De Euripide, vt & Simonide poeta, & Socrate, aliiſque viris doctis ab Archelao in Macedoniam ad ſe vocatis, magnoq; in honore habitis, etſi Socrates ad eum proficiſci noluit, *Plato*, *Seneca*, *Athenæus*, *Plut. alii*: ſed de Euripidis fœtore oris vnum tantum reperi adhuc locum apud *Stobaum cap. 39*. Nam Euripides, inquit, cum quidam oris fœtorem illi exprobraret, illique os fœtere diceret: quippe, reſpondit Euripides, vt in quo ore multa occulta & myſteria mihi concredita computruerint. Quod ad oris fœtorem eiuſque exprobrationem attinet, monet *Plut. lib 2 Sympoſiacῶn cap* 1. vbi de iocis & dicteriis, poſſe quem iocari & ridere in naſum alterius, vt prælongum, aut ſimum, aut aduncum: ſed in oris aut naſi fœtorem non item: eo quod ille iocus in naſum rideatur, in oris & naſi fœtorem dolorem afferat & ægre feratur.

Καὶ ἄλλοι.] Ait multos alios Reges & Tyrannos ob hoc iniuriæ genus partim interfectos fuiſſe, partim in ſummo ſaltem fuiſſe periculo, inſidiis eis hac de cauſa factis. Neque enim omnes ſemper interfecti ſunt, nam quibuſdam inſidiæ tantum ſunt factæ, qui tamen euaſerunt, aut ſaltem poſtea ſint interfecti, vt Phalaris, vt Nero, &c.

TEXTVS.

Similiter autem & propter metum: nam & hæc vna ex cauſis eſt, vt in Rebuſpublicis, ita & in Monarchiis, vt Xerxem Artapanes, criminatiõe quo ad Darium metuens, quod iubente Xerxe, non egerit in crucem; ſed veniam daturum ratus, vt oblitum, quia cœnaret.

COMMENTARII.

II. Cauſa interitus monarchiæ metus. Ὁμοίως δὲ.] Secunda monarchiæ tollendæ cauſa, metus hic exponitur, de quo dictum & *ſupra cap. 2.* vbi inter ſeptem generales omnium imperiorum tollendorum cau-

ſas & hanc vnam eſſe docuimus, & *cap 3.* explicauimus, quo modo metus hic accipi debeat: vel enim ipſi metuunt monarchæ, ſeu ii qui imperium tenent, etiam pauci; vel metuũt, qui parent, fortaſſe ne pœnas dent facinoris perpetrati. De priore metu ipſorum, qui præſunt, hic non agitur: de quo tamen fortaſſe quis mirari poſſit, nullam eius hic fieri mentionẽ, cum metus & odium, quæ duo fere inter ſe comitari ſolent, cauſa dicatur, imperiorum euertendorum ſumma & maxime vſitata. Nam, vt *Ennius* præclare; Quem metuunt, oderunt; Quem quiſque odit, periiſſe expetit: vt & *Cic.* de hoc metu eorum qui præſunt copioſe diſſerit *libro 2. Offic.* imperia & opes beniuolentia confirmari, metu euerti, his verbis: Omnium autem rerum nec aptius eſt quicquam ad opes tuendas ac tenendas, quam diligi; nec alienius, quam timeri, &c. quod idem exemplo Alexandri in Macedonia, in Theſſalia Pheræorum Tyranni, & Iulii Cæſaris Romanorum Tyranni, & Demetrii Macedonum Regis, & Rerump. Lacedomiæ & Romanæ exemplis confirmat. Sic & *Iſocr. ad Philippum*: Πολὺ γὰρ κάλλιόν ἐστι; longe, inquit, præclarius eſt, ciuitatum beneuolentiam, quam mœnia capere, &c. & *Demoſth. 1. olynth.* hoc argumento Philippum Macedonem, quia ſuorum eſſet in odio, breui ruiturum diſputat. Idem ait & *Corn. Nepos* & exemplis confirmat *in vita Timoleontis & vita Dionis. & Saluſtius in Catilina*, vbi de Antiquis Romanorum moribus: in pace, inquit, beneficiis magis quam metu imperium agitabant, & accepta iniuria ignoſcere, quam perſequi malebant: etſi hæc verba ad alterum potius metus genus videntur pertinere. Sed *in Iugurtha* hac de re pulcerrima eſt oratio Micipſæ Regis morientis & liberos adhortantis, vt à ſuis diligi quam metui malint; quod idẽ & *apud Xenoph. l. 8. de Cyri inſtit.* facit Cyrus moriẽs ad filios. Videatur & exemplũ de Gotarze Partho *ap. Tac. l. 1.* pulcherrime autem Imp. Marcus *ap. Herod. l. 1.* Micipſam & Cyrũ imitatus, ad Commodũ filiũ moriẽs, οὔτε γὰρ, inquit, χρημάτων πλῆθος, &c. neque enim diuitiarum aut pecuniæ quantalibet vis ad luxum tyrannidis eſt ſatis, neque ſatellitum cuſtodia ad eum qui præeſt, tuendum, niſi beneuolentia eorum, qui parent, antecedat: atque illi maxime diuturne & ſecure imperat, qui ſuorum animis non metum ex crudelitate, ſed ſtudium & amorem ex humanitate in-

ὑποδιαίρεσις. 1. 2.

ſtillarint, &c. Videatur autem & *Cic. lib.* 5. *Tuſc.* vbi de extremo metu Dionyſii Siciliæ Tyranni, qui cum eſſet, inquit, bonis parentibus atque honeſto loco natus, &c. *& Philipp.* 1. de Iulio Cæſare & M. Antonio. De hoc igitur metus genere, ſiue de metu eorum, qui præſunt, Regum & Magiſtratuum cur Ariſtoteles hic non explicet, cauſa hæc eſt: quia hic metus ad priorem cauſam de iniuria pertineat. Nam ex iniuria & crudelitate ac libidine in eos, qui parent, exercita metus iſte & odium exiſtere ſolet: quare Ariſtoteles iniuriam potius, quam eius comitem, metum, cauſæ loco collocandam putauit. De altero metus genere, eorum nempe, qui parent, quod ad Reſpublicas attinet, exemplum attulit, *ſupr. cap.* 3. de ciuitate Rhodiorum, vbi & nos alia de Pericle, Cæſare, &c. commemorauimus. De Monarchiis vnum hic affertur de Artapane, qui Regem Perſarum dominum ſuum metu facinoris interfecerit; quod copioſe commemorat *Diodor. lib.* 11. meminit & *Cteſias in Perſicis*, quorum fragmenta non ita pridem cum Herod. ſunt edita.

Cur Ariſt. de primo genere metus nihil hoc loco præcipiat.

2 genus metus.

Xerxes.

TEXTVS.

Aliæ autem ob contemptum, vt Sardanapalo quidam conſpecto telam texere cum mulieribus, ſi vera ſunt, quæ fabularũ ſcriptores commemorant. Si autem non in illo, at in alio certe verũ eſſe poſſit. Atq; in Dionyſium poſteriorem Dio propter contemptum coniurauit, & ciues ita cernens affectos, & ipſum ſemper ebrium. Quidam vero etiam amici propter cõtemptum inuadunt: eo namq;, quod fides iis habeatur, contemnũt, vt clam futuri: & qui imperium adipiſci ſe poſſe arbitrantur, quodammodo propter contemptum adoriuntur. Nam vt qui poſſint, & qui propter opes (potentiam) contemnãt periculum, facile aggrediuntur, vt belli Duces, Monarchas, vt Cyrus Aſtyagẽ, & vitã cõtemnens, & potentiã: eo quod potẽtia quidẽ militaris deſidiâ torperet, ipſe vero luxu difflueret: & Seuthes Thrax ꝑtor Amadocũ.

COM-

COMMENTARII.

Αἱ δὲ διὰ καταφρόνησιν.] Tertia tollendæ Monarchiæ cauſa, Contemptus, exponitur: cum nimirum Reges vel luxu diffluentes, & vino dediti, vel muliebri ingenio minimeque militares à ſuis rei militari præfectis opprimūtur: id quod vel inprimis ab iis, quibus omnia fere ſua & maxime rem militarem commiſerint Reges, perpetrari demonſtrat; eo quod hi Regis amici & familiares fide hac & familiaritate freti facile occaſionem ex cotidiana cum Rege conſuetudine, abſq; vllo periculo eius opprimendi ſe nanciſci poſſe confidant. Adfert autem de contemptu 4. exempla Sardanapali, Dionyſii iuniorls, Aſtyagis, & Amodoci Monarcharum. Idem quoq; commemorant *Francorum hiſtoriæ* de Carolo Martello, qui toti regno præfectus cum omnia regni negotia ſolus adminiſtraret, effecit, vt filius ſuus Pipinus, Rege remoto, & in monaſterium concluſo, Regnum Franciæ occuparet. *3. Cauſa interitus Monarchiæ; Contemptus.* *Exempla.*

Ὥσπερ Σαρδανάπαλον.] De Sardanapalo inerte Rege, & muliere potius quam viro, à præfecto ſuo Deioce Medo interfecto, & Imperio Aſſyriorum ad Medos translato, etſi propter antiquitatem obſcuram, quæ ſolet multis fabulis eſſe permixta, ea de re dubitat hic Ariſtot. plæriq; tamen hiſtorici conſentiunt, de quo videatur *Diodorus lib. 2. & Iuſtinus lib. 1.* & omnium optime & latiſſime ex veteribus hiſtoricis *Athenæus lib. 12. δειπνοσοφιστῶν* *Sardanapalus.*

Καὶ Διονυσίῳ τῷ ὑστέρῳ.] De hac re, hoc eſt, de coniuratione Dionis aduerſus Dionyſium Iuniorē Siciliæ Tyrannum, qui, Dionyſio pulſo, patriam in libertatem aſſeruerit; videantur *Plut. in Dione. & Diodorus lib. 14. & Nepos item in vita Dionis.* patrem Dionyſium fuiſſe hominem militarem & ſtrenuum, filium vero effœminatum: & proinde illum inuaſiſſe & tenuiſſe imperium, hunc amiſiſſe, & hic & infra commemorat Ariſtoteles. *Dionyſ. iun.*

Καὶ τῶν φίλων δέ τινες.] Inſignis hic eſt locus de amicorum & familiarum in Reges coniurationibus: quos & ipſos contemptu eo permoueri hic ait, & hoc amplius ſpe latendi, & rei propter familiaritatem facile conficiendæ, vt quibus rerum omnium fides habeatur, & ſæpe tota concrediturRegni aut principatus adminiſtratio. Quare & *Machiauell. li. 3.* *Amici & familiares potiſſ. Monarcharum interfectores.*

Vu 2 obſer-

obſeruat. Liuianarum c.5. etſi fere paradoxum, multis tamen exẽplis confirmat, coniurationes in Monarchas, maxime ab eorum familiaribus & amicis ſuſcipi: & hinc quoq; eſt, quod infra explicatur *cap. proximo*, inſigne præceptum, Regibus obſeruandum, ne de ſuis quem nimiis honoribus & opibus augeant: quod nimirũ hac occaſione facile ita præpotentes facti ipſum imperium poſtea inuadant: quod eo loco explicabitur.

Aſtyages. Οἷον κῦρος ἀςυανάγῃ.] Hac in re variant hiſtorici. Nam alii pleriq; Cyrum auo ſuo, Medorum Regi Aſtyagi, imperium, vita tamen conceſſa, eripuiſſe, & hoc velut gradu primo facto, continuo totum imperium Babylonium & Medicum ad Perſas tranſtuliſſe ſcribunt, quibus hic aſſentitur Ariſtoteles: *Xenophon* tamen contra Cyrum ab Aſtyage auo ſuo adiuncto illi filio ſuo Dario, ad Babyloniorum euertendum imperium, eoque communibus viribus Medorum & Perſarum euerſo, tandem & Medorum imperii creuiſſe hæreditatem, mortuo Aſtyagis filio Dario ſine liberis, atque ita hæc tria Regna, Babylonium, Medorum, & Perſarum, ſub vnum Perſarum coniunxiſſe ſcribit *in libris de inſtitutio. Cyri.*

Καὶ σεύθης ὁ θρᾶξ ἀμαδόκῳ.] De Amadoco, quẽ *Diodor.* Midocon vocat *li* 13. à Seuthe Thrace prætore ſuo ſublato: præter Diodorum videatur *& Xenophon lib. 4. de reb. Græcorum.*

TEXTVS.

Alij autẽ & pluribus de cauſis coniurant, vt & contemnentes, & propter lucrũ: quemamodũ in Ariobarzanem Mithridates. Ob hãc autẽ cauſam maxime ii rem aggrediuntur, qui natura quidem ſint audaces, dignitatem autem militarem apud Monarchas habeant. Nam fortitudo, potentiam nacta, audacia eſt: quibus rebus, vt facile rem perfecturi, coniurationes faciunt.

COMMENTARII.

Complurib. interdum de cauſis monarchiæ euertuntur. Οἱ δὲ καὶ διὰ πλείω.] Affert hoc loco velut iunctam & duplicem tyrannidis ac monarchiæ euertendæ cauſam. Nam multos eſſe ait, qui non ſingulis, ſed pluribus de cauſis commoueantur & impellantur ad coniurationes faciendas, vt qui

qui tam ex contemptu, quã lucri ſtudio in aliquẽ coniurant; quemadmodũ inquit, Mithridates in Ariobarzanem coniurauit, de qua cõiuratione amplius quærendũ: comemoratur quidem *à Cor. Nepote in Dathame* Mithridates quidã Ariobarzanis filius, ſed vix auſim dicere filium aduerſus patrem coniuraſſe. Commemoratur & Mithridates Rex Ponti *à Plutarcho*, qui metuens inſidias Antigoni Regis Macedonum, paulo ante ætatem Ariſtotelis in Cappadociam fugerit, vnde ſtirps Regum Ponti ad clariſſimum illum Mithridatem, cũ quo CCC. poſt annis Romani bellũ XL. annis geſſerunt, Sylla, Lucullo, & Pompeio ducibus, deducitur. Sic & Dio partim contemptu, vt ſupra dictum, partim gloriæ ſtudio, de quo infr. in Dionyſium Iuniorem coniurauit. *1. Exemplũ.* *2 Exemplum.*

Μάλιςα δὲ διὰ ταύτην.] Illo, de iunctis ſeu pluribus cauſis, velut interiecto & ſtatim intermiſſo, redit Ariſtoteles ad priorem cauſam de contemptu. Nam hæc omnia verba eodem mihi pertinere videntur, quibus nunc docet, qui maxime hac de cauſa ad coniurationes impellantur; & ait, eos maxime contemptu in Monarchas incitari, eos (inquam) qui & natura ſint audaces, & ex re militari nomen aliquod ac dignitatem locumque honeſtum, & proinde potentiam quandam apud Monarchas ſeu eos, in quos velint coniurare. ſunt conſecuti. cauſam adiungit, cur hi facilius ad coniurationes impellantur; quia his duabus rebus freti, putent, facile ſibi eſſe, conata perficere, fortitudine (inquam) ſiue audacia, & auctoritate ac potentia, quam ſunt adepti ex gloria rei militaris: & hinc eſt, quod olim coniurati in Cæſarem nollent Ciceronem, vt timidiorem, teſte Plutarcho, coniurationis habere ſocium; quia præſenti animo ad eiuſcemodi facinora ſit opus. De potentia autem, ſi quam coniurati ſint nacti in Regno & aula, quantum ea ad coniurationem & ſuſcipiendam & perficiendam habeat momenti; *paulo ſupra* explicauimus. *Qui potiſſimum contemnant monarchas & coniurẽt aduerſus ipſos.* *Id quod in Henrico Duce Giſio apparet nuper eiuſq; fratre Carolo, licet cõatus euentui nõ dum reſponderit.*

Ἀνδρία ἴσχυρ δύναμιν] Elegans eſt ſententia, fortitudinem, opes nactam, eſſe audaciam: cuius ſententiæ hæc mihi vis & poteſtas eſſe videtur: fieri plerunque, vt fortitudo, ſi potentiã aliquã adipiſcatur, in audaciam degeneret. Nam videre id licet maxime in viris fortibus & militaribus, eos ſimulatq; exiguas opes & potentiam ſunt nacti, continuo ſibi Regna & Imperia ſomniare & promittere, & magna animo moliri *Ratio.* *Exemplũ.* *Fortitudo, opes nacta, audacia eſt.*

atq; cogitare: tantum animum & ſpiritum addit ac facit potentia. Fortaſſe tamen legendum ſit θύμος; id eſt, animus, ſeu animi, & promptitudo, quaſi dicat; fortitudine, potentiam nacta, animos & ſpiritus maiores fieri, vt iam dictum.

TEXTVS.

Atque eorum, qui gloriꝗ ſtudio coniurant, alia eſt ratio cauſæ ab iis, quæ ante ſunt expoſitæ. Non enim, vt quidam Tyrannos aggrediuntur: eo quod & magnis quæſtibus, & magnis eos affluere cernant honoribus: ita & eorum quiſque, qui gloriæ ſtudio coniurant, periculum ſuſcipere ſolent: ſed illi quidem propter cauſam expoſitam; hi vero, tanquam & alio aliquo præclaro facinore, & vnde apud alios clari & celebres fiant, edito, ita & Monarchas adoriuntur, non quo Monarchiam, ſed gloriam parare velint. Veruntamen pauciſſimi certe ſunt numero, qui hac de cauſa incitentur. Nam hoc ante poſitum eſſe oportet, nullam ſalutis rationem ducere, re non confecta: quod Dionis quidem cogitationem oportet comitari; ſed non facile eſt multis eam ingenerari, ſiue ineſſe. Ille namque cum paucis in Dionyſium mouit, ita ſe animo affectum dictitans, vt quo vel cunque poſſet progredi, (peruenire) tantum in re ſeu facinore confeciſſe ipſi ſit ſatis; vt ſi paulum in terram ingreſſo, ſtatim mors offeratur, eam mortem ipſi præclaram & honeſtam futuram.

4. Cauſa interitus Monarchiarũ. Τῶν δὲ διὰ φιλοτιμίαν.] Aliam euertendæ Tyrannidis cauſam, gloriam & nominis claritatem Ariſtot. hic exponit, à prioribus plane aliam & longe diſcrepantẽ. Nam qui prioribus de cauſis incitantur, plærique omnes vel lucri, vel imperii cauſa potiundi, id aggrediuntur: hæc enim duo tanquam ſcopos omnium euerſionum eſſe, *ſupra* explicauit *ca.*

2. & hic. ἔστι δὲ καὶ τὰ πεπληθῶντα, &c. Hi autem, de quibus iam explicatur, neque diuitias, neque opes, & imperium, ſed ſolam gloriam ſibi habent propoſitam, & coniurationem aduerſus Tyrannos, tanquam aliud aliquod facinus præclarum, & forte factum (Ariſt. elegantiſſime πρᾶξιν περιττὴν) vnde ſibi nomen immortale parent, ſuſcipiunt, non quo ipſi Tyranno interfecto regno potiantur, inquit Ariſt. ſed vt clari & inſignes habeantur. Nam apud veteres maxime Græcos Tyrannicidæ magna erant in gloria, magniſq; honoribus & præmiis affici ſolent, vt eſt *ap. Cic. lib. 3. Offic.* Exemplum affert Ariſt. vnum in Dione, quod, vt ipſe ait, exempla huius rei ſint rariora. Sic tamen, id eſt, δόξης ἕνεκα, * Iaſon Pheræorum Tyrannus à ſeptem adoleſcentibus coniuratis δόξης ἕνεκα interfectus eſt, *teſte Ephoro.* Et C. Mutius Scæuola Romanus eodem animo Porſennam Regem Etruſcorum, eſt aggreſſus: de quo eſt *apud Liu. lib. 2.* Eadem quoq; cauſa Arato ad patriam Sicyonem Tyranno liberandam fuit: & eadem Bruto coniurationis in Cæſarem; quare & *Plut.* qui & Arati & Bruti vitam deſcripſit, Brutum cum Dione comparat, qui nempe non cupiditate imperii, ſed gloria ſtimulati, aduerſus Tyrannos coniurarint.

πρᾶξις περιττή.

Tyrannicidarum præmia.

1. Exemplum.

2 Exemplum.

3. Exemplum.

4. Exemplum.

5. Exemplum.

Οὐ μὴν ἀλλ' ἐλάχιστοι.] Raros & paucos eſſe ait, qui hac de cauſa ſtimulati coniurationem faciant; eiuſq; rei, cur ita ſint pauci, cauſam quoq; & rationem adiungit, quod eo animo atque ita affectos hos eſſe oporteat, vt ſi cogitata vel conata non perficiant & perpetrent, de vita ſua nō ſint ſolliciti, quid de ſe ſit futurum: quæ affectio de vita negligenda, & gloriæ poſtponenda non niſi in generoſiſſimis animis, & gloriæ cupidiſſimis exiſtere ſolet. Tali animo *ap. Liuium* ſe fuiſſe ipſe Scæuola, loco Regis Porſennæ ſcriba errore obtruncato, deprehenſus, & ad Regem adductus teſtatur; nec ad mortem, inquit, minus animi eſt, quam ad cædē tuā: & facere & pati fortia Romanum eſt: nec vnus in te ego hos animos geſſi: longus poſt me ordo eſt idē petentiū decus, &c. & mox: en tibi, inquit, quā vile corpus ſit iis qui magnā gloriā petūt, &c.

Ratio, cur pauci ſint, qui hanc ob cauſam tollāt Monarchas.

Τὴν Δίωνος ὑπόληψιν, &c. ἐκεῖνος γὰρ μετ' ὀλίγων, &c.] De hac Dionis aduerſus Dionyſium iuniorē Siciliæ Tyrannum coniuratione late explicatur ab *Corn. Nepote. & Plut. in vita Dion. & Diod. Sic. l. 15.* Sed Dion, *inquit Nepos*, fretus nō tam ſuis copiis, quā odio Tyranni, maximo animo duab. onera-

Dion.

riis nauibus quinquaginta annorum imperium, munitum quingentis longis nauibus, decem equitum, centumque peditum milibus, profectus expugnatum, quod omnibus gentibus admirabile eſt viſum, adeo facile pertulit, vt poſt diem tertium quã Siciliam attigerat, Syracuſas intrauerit. Ex quo intelligi poteſt, nullum eſſe imperium, niſi beniuolentia munitum, *inquit Nepos. & Diodorus,* Dionem in hac re perpetranda ἐλαχίσταις πρὸ αὐτοῦ πάντων χρησάμενον ἀφορμαῖς.

TEXTVS.

Interim autem Tyrannis vno quidem modo, vt & aliæ quæque Reſpublicæ, exteriore; ſi qua Reſpublica contraria ſit potentior. Nam voluntatem quidem affuturam, perſpicuum eſt propter contrarietatem inſtituti. At omnes, quæ volunt, ſi poſſint, faciunt. Contrariæ autem Reſpublicæ, Democratia quidem Tyrannidi tanquam figulus figulo, vt ait Heſiodus. Etenim vltima Democratia tyrãnis eſt. Regnum autem & Ariſtocratia propter contrarietatem ſtatus. Quare Lacedæmonii multas tyrannides diſſoluerunt, & Syracuſii eo tẽpore quo bona vtebãtur Rep. Altero vero modo inteſtino: cum ii, qui ſunt particeps, diſſentiũt, vt Gelonis, & nunc Dionyſii. Gelonis quidem, cum Thraſybulus, Hieronis frater, filium Gelonis coleret & adularetur atq; ad voluptates ſtimularet, vt ipſe imperio potiretur: propinqui aũt conſpirarent, ne tyrãnis plane deleretur, ſed Thraſybulus: quidam ex iis coitione facta, vt occaſionem nacti, omnes illos expulerũt: Dionyſiũ vero Dio, cũ eius eſſet affinis, manu coacta, & populo ſibi adiuncto, cum illum expuliſſet, interfectus eſt.

COMMENTARII.

Φθείρεται.] Inſignis hic eſt locus de euerſionum diuiſione bimembri ſeu bipartita. Docet namque omnem euerſionem vel domeſticam, & inteſtinam eſſe, vel externam

ternam & aduentitiam, ſiue ex cauſa inteſtina, ſiue ex cauſa externa. Vt enim, ex ſententia Phyſiologorum, rerum interitus naturalium partim ſua vi fit, partim extrinſecus & externa vi; ita & de imperijs & Rebuſpublicis dicendum eſt, earum conuerſiones & euerſiones vel ex interiore malo, vel externo accidere. Nam quod hic Tyrannidi accommodatur, idem & in omnibus Rerumpublic. generibus locum habet. De his duobus ſummis euerſionum generibus ſeparatim *infra latius ſuo loco.*

Cauſa interitus Rerump. aut inteſtina aut externa.

Ἕνα μὲν τρόπον ἔξωθεν.] Exponit, quæ ſit externa euerſio, nimirum cum duæ contrariæ inter ſe Reſpub. altera alteram opprimere conatur. Contrarias Reſp. dicimus eam, in qua multi ſiue pauci, & eam, in qua vnus tantum imperium teneat, vt Democratia Tyrannidi, Ariſtocratia Regno, ſiue Democratia, Oligarchia, & Ariſtocratia, Regno & Tyrannidi. Cur autem hac ratione Reſp. euertantur, cauſam ipſe Ariſtoteles exponit: quia, vt inter ſimiles amicitia, ita inter diſſimiles plærunq; ſit odium & inimicitia, vnde & voluntas perdendi exſiſtit. Nam vt eleganter *Ennius apud Cic. lib. 2. off.* Quem quiſque odit, periiſſe expetit. Iam vero ſi accedant opes & potentia, vt hoc odium & voluntas expleri poſſit; nihil eſt amplius, quod ruinam & conuerſionem remoretur. Nam his duobus concurrentibus, facultate & voluntate, res omnes confici ſolent. Confirmat deinde Ariſtoteles hanc conuerſionis rationem & modum exemplo Lacedæmoniorum & Syracuſiorum, qui cum Ariſtocratia ſeu ei finitima Oligarchia vterentur, conſuerint olim tyrannides ciuitatum, quas deuiciſſent, tollere. De ijſdem Lacedæmonijs, ſolitos eos & Democratias tollere, vt contra de Athenienſibus, eos conſueſſe euertere Oligarchias, & Ariſtocratias; quia & hæc duo Rerumpub. genera, Democratia, & Ariſtocratia, ſiue Oligarchia, vt multi & pauci, inter ſe ſint contraria, explicatum eſt, *ſupra li. 4. cap. 11.* quod idem commemorat & *Iſoc. in Panathenaico, οἱ μὲν γὰρ ἡμέτεροι,* &c. & dictum eſt *ſupra hoc lib. cap. 7. in fin.* vbi & de vtroque hoc euerſionum genere quædam explicauimus. Idem quoq; Romanos factitaſſe primo quidem cum Ariſtocratia vterentur, & Ariſtocratias ſiue Oligarchias aduerſus populum confirmare ſolitos, ir telligi poteſt ex diſſenſione Ardeatium *apud Liuium*: poſtea vero cum Democratia vti cœpiſſent, omnes

1. Cauſa inteſtina.

 ſuſtu-

ſuſtuliſſe Monarchias & Regna, multisq; ciuitatibus libertatem ac Democratiam permiſiſſe, conſtat *ex vniuerſa hiſtoria Romana*. Hinc quoq; *Demoſth. in 1 Olynth.* καὶ ὅλως, inquit, ἄπιστον, &c. Vbi nullam ait fidem eſſe poſſe Tyrannidi cum Rebuſp. maxime ſi fines inter ſe propinquos habeant. Quia autem Oligarchiæ, vt paucorum dominatus, propius ad Monarchias ſeu Regna accedunt, quam Democratiæ, ſiue maior ſit Oligarchiæ cum Regno, quam Democratiæ, affinitas: hinc quoq; fieri puto, vt Reges plærunq; Oligarchijs plus faueant, quam Democratijs. Sic olim Mauſolus Cariæ Satrapa Regius, cum olim Rhodi diſſenſio eſſet inter plebem & diuites, horum factionem iuuit, *teſte Demoſth. in oratione pro Rhodiorum libertate*.

Καὶ γὰρ ἡ Δημοκρατία.] Videtur hoc dicere: cum Democratiæ multa ſint genera, non omnes tamen Democratias Tyrannidi eſſe contrarias, vt extremam, quæ ipſa ſit velut quædam Tyrannis. Nam *& ſupra iam aliquoties* dictũ eſt, hæc tria Rerump. genera, vltimas & nequiſſimas Democratiam, & Oligarchiam atque Tyrannidem inter ſe eſſe ſimillimas, & vt Ariſtoteles loquitur, ἀντιστρόφους, *ſupra lib. 4. ca. 6. in fin.* & in aliam facile commutari, *lib. 4. cap. 11.* Aut certe Democratia extrema etſi eſt Tyrannis quædam perq; ſimilis Tyrannidi, vt & *infra* dicitur; eadem tamen Tyrannidi contraria quoq; dici poteſt ratione æmulationis & odij ſeu inuidiæ, vt figulus figulo eſt & ſimilis & contrarius; arte quidem ſimilis, ſed æmulatione & inuidia contrarius; eoq; pertinet *Heſiodi verſiculus ex initio lib. 1.* ἔργων καὶ ἡμερῶν: καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ, &c. de quo videatur *Eraſmus in prouerbiis*.

Reſpub. cõtrariæ aut ſtatu ipſo, aut æmulatione.

Et hæc verior eſt explanatio. Nam Ariſtoteles contrarietatem Rerump. ſeu ſtatuum facit velut bipartitam, vel ex ipſo genere ſtatus ſeu Reip. vel ex æmulatione. Huius autem generis Democratiam & Tyrannidem eſſe ait, quæ, quo ad ſtatum, non ſunt contrariæ. Eſt enim Democratia Tyrannis quædam (de extrema Democratia loquimur) ſed contrariæ

Exemplum primæ ἐναντιότητος.

ſunt, ὡς κεραμεῖ κεραμεύς, id eſt, vt figulus figulo, nempe ratione æmulationis. Illius vero generis ait eſſe Regnum & Ariſtocratiam. Quia nimirum Ariſtocratia paucorum ſeu plurium, Regnum vnius ſit imperium; atq; ita ſtatu ſeu genere Reip. inter ſe differant.

Διὸ Λακεδαιμόνιοι.] Hæc duo exempla iam explicauimus, quibus

quibus & Romanos adiecimus, quos conſtet multa regna ſuſtuliſſe, Macedoniæ, Syriæ, Cappadociæ, Ponti, Armeniæ, Ægypti, Africæ, Mauritaniæ, &c.

Ἕνα δ' ἐξ αὐτῆς, ὅταν.] Altera euertendæ tyrannidis ratio, *2. Cauſa*
quam inteſtinā & domeſticam, ſeu interiorem & per ſe voca- *interna.*
mus, hic explicatur, & duob. exemplis confirmatur, Gelonis *1. Exempl.*
& Dionyſij iunioris, Siciliæ Tyrannorū. Eſt.a. ſeditio ſeu diſ- *2. Exempl.*
ſenſio eorum, qui partē aliquam imperij tenent, vt ſunt principes viri, vel propinqui, ſeu generis Regij. Nam ſi inter hos motus exſiſtāt; facile fit, vt imperium diſſoluatur, ſiue ſit Tyrannicum ſiue regale; nam quod hic de Tyrannide, idē iteratur, infra, h.cap. de regno, his verbis *φθείρεται καὶ δύο τρόπους, ἕνα μὲν στασιαζόντων*, &c. Huc pertinet, quod & ſupra in Rebuspub. cauēdum monet, ne qua inter principes Reip. eoſq;, qui præſunt, diſſenſio oriatur, vt explicatū eſt, *c. 4 ſupra h. li.* Hac *3. Exempl.*
ſ. de cauſa, i.e. propter diſſenſionē inter fratres, Cyri Maioris filios, Cambyſen & Smerdin factū eſt, vt Regnum Perſarū à familia Cyri ſtatim ad aliam trāsferretur, vt late & pulcre exponit *Herod. li. 3.* Eadē quoq; cauſa, i.e. propinquorū ſiue eo- *4. Exempl.*
rum, qui Regij eſſent generis, inter ſe diſſenſio euertit Regnū potentiſſimum & antiquiſſimū Macedoniæ. Nam inter Philippi Regis Macedonum duos filios, Perſen & Demetrium Iuniorem, orta etiamnum viuo patre æmulatione, adeo vt Perſes fratrem apud patrē accuſaret coniurationis cum Rep. Romana aduerſus Regnum Macedoniæ, patremq; initæ; & Philipp⁹, huic calumniæ fide habita, Demetrium curarit interfici: mortuo mox Rege patre Philippo, Romani cum alijs de cauſis, tum hac morte Demetrij ipſis perchari, vt iniuſtiſſima, irritati, bellum Perſæ intulerunt: qui Regnum cum vita amiſit & cum omni poſteritate, vt late explicatur *à Liu. li. 41. 42. &c. & à Plut. in vita Æmylij & Titi Flaminini.* Eadem *5. Exempl.*
quoq; diſſenſio euertit Regnum Ægyptium, orta inter liberos Ptolemæi, Ptolemæum & Cleopatram: de qua re *Dio, & Hirtius ſiue Oppius in commentario de bello Alexandrino.* Sic & inter Auguſti Imp. priuignos, Druſum & Tiberium, *6. Exempl.*
orta æmulatione, niſi Druſus præmatura morte eſſet erept⁹, periculum fuerat futurū de imperio, iam primum ab Auguſto cōſtituto, ſtatim euertendo. Sic & Herodis poſteritas mutuis *7. Exempl.*
diſſenſionib. Regnum Iudææ amiſit. Et Palæologorum diſ- *8. Exempl.*
ſenſiones & mutua bella imperiū Orientis ſiue Conſtantinopolita-

politanum Turcæ euertendum præbuerunt. Quare Deiotarus ſapienter ſcilicet, cum multos haberet liberos, reliquis omnibus à ſe crudeliter necatis, vni tantum Regni hæreditatem tradidit; tum ne Regnũ in multa membra diſpergeretur, atque ita deminueretur, tum ne inter cohæredes æmulatio & diſſenſiones exſiſterent, imitatus, *inquit Plut.* Vinitores, qui reliquos palmites & viuiradices amputare ſolent, quo facilius vnus creſcat, quo plus ſucci vnus habeat palmes, qui ſit vitis velut fundamentum: quod idem & de Selimo Turca ſcribunt: qui metuens hanc æmulationem, fratres omnes crudeliter curauit interficiendos.

9. Exemplũ ſed impiiſſimum.

ὁμοιώσεις.

10. Exemplum.

Gelon.

Ὥσπερ ἡ τῶν περὶ Γέλωνα.] De Gelone Siciliæ Tyranno, ſiue potius Syracuſanorum tantum, qui caput ſunt Siciliæ, meminit & *ſupra ca 3. & infra ca. vlt.* de eo autem, quemadmodum Tyrannidem ſit adeptus, explicatur *ab Herodoto lib. 7.* Sed ea vt in ipſius ſtatim liberis deſierit, non facile alibi reperias, præterquam hoc loco, vbi Ariſtoteles docet, id ex diſſenſione propinquorum Gelonis accidiſſe. Nam cum Gelone mortuo filius eius imperium accepiſſet adhuc adoleſcens; Thraſybulus, Gelonis frater, huius adoleſcentis patruus, vt tutor, omnem adminiſtrationem imperij & etiam imperium ad ſe pertraxit: Gelonis filium omnibus delicijs & voluptatibus educari curauit; quod cum ægre ferrent alij propinqui & familiares, etſi plæriq; Thraſybulum tantum, non ipſam Tyrannidem ſublatam, cupiebant: hac tamen vſi occaſione omnes expulerunt tyrannidis hæredes & propinquos Gelonis, libertate Syracuſanis reſtituta. Nam Tyrannidem Gelonis Democratia eſt conſecuta, *vt infra dicitur cap. vlt.*

Dionyſius.

Διονύσιον δὲ Δίων στρατεύσας.] De Dione, quemadmodum Dionyſium iuniorem Syracuſanorum Tyrannum expulerit, & ipſe rurſus ab alijs fuerit necatus propinquorum coniurationibus & diſſenſionibus (nam Dio Dionyſij erat propinquus, cuius pater, Dionyſius maior, Dionis ſororem in matrimonio habuerat) copioſe hæc omnia explicantur *à Plut. in Dione, Diodoro Siculo & Corn. Nepote in Dione & à Plat. in epiſtolis.*

TEXTVS.

Cum duæ autem ſint cauſæ, propter quas maxime

ximeaduerſus Tyrannides coniuratur, odium & contemptus: eorum alterum quidem odium Tyrannis adeſſe neceſſe eſt; ex contemptu vero plurimæ fiunt euerſiones. Argumento eſt, quod hi quidem, qui occuparint, plærique & retinuerint imperia: hi vero, qui ab illis tradita acceperint, ſtatim, vt ita dicam, omnes amiſerint. Nam cum in voluptatibus degant & contempti fiant & reddantur (ſeu in contemptionem eant) & coniurantibus multas dant & præbent occaſiones. Eſt autem & ira pars odij ſtatuenda:fit enim quodammodo earundem rerum & actionum cauſa; ſæpe autem & efficacior eſt odio ad agendum: acrius namque inuadunt; eo quod affectio ratione non vtatur: maxime autem ob contumeliam fieri ſolet, vt iram ſequantur ſiue ei indulgeant; qua ex cauſa & Piſiſtratidarum diſſoluta eſt Tyrannis & multæ aliæ. Verum maius eſt odium. Nam ira quidem adeſt cum dolore, vt non facile ſit ratione vti: inimicitia vero abſque dolore.

COMMENTARII.

Δύο δὲ οὐσῶν αἰτιῶν.] Explicatis adhuc cauſis euertendæ Tyrannidis, hoc loco docet, quæ ex ijs ſint principes. Ait igitur, eſſe maxime duas, odium & contemtum; adiungit & iram, non tamen, vt cauſam ſeparatam, ſed vt odij partem: & de his duabus quidem cauſis, odio & contemtu, præter ea, q̄ ſupra ſunt explicata, hæc præterea afferuntur: primum ex omnibus euertendæ tyrannidis cauſis has eſſe principes. Deinde, ex his ipſis duabus potiorem eſſe cōtemtum, odium tamen ſemper interuenire debere. Quod ad odium attinet, late ſupra explicauimus multisq́; exemplis docuimus, verum eſſe, quod *Cic.* ſcribit *lib.* 2. *off.* his verbis: Nec vero huius Tyranni ſolum (de Iulio Cæſare loquitur) quem armis oppreſſa ciuitas * interitus declarat, quanta odium hominum valet

Quenā ſint cauſæ principes euertendæ monarchiæ?

valet ad peſtem, ſed reliquorum Tyrannorum ſimiles exitus. Recte autẽ Ariſtoteles ſemper adeſſe ſeu interuenire odium debere, ait. Nam ſi Tyrannus ametur à ciuibus, nunquam eum ſublatum volent. Nam, vt eleganter *Ennius*; Quẽ quiſque odit, periſſe expetit, vt ſupra diximus. Quod autẽ & cur contemtus potior ſit cauſa euertendæ Tyrannidis, quam odium; exponit hic Ariſtoteles & confirmat, prius quidem, id

Contemtus odio potior. eſt, potiorem eſſe odio contemtum exemplis omnium fere Tyrannidum. Nam hoc licet cernere, eos, qui primi Tyrannides inuaſerint, etſi in grauiore & iuſtiore, vt primi Tyrannidis auctores, eſſent: quia tamen vel ingenio, vel fortitudine, vel vtroq; præſtarent, & proinde tanquam homines nihili non poſſent contemni plæroſq; Tyrannidem retinuiſſe, adeo vt odium non ſatis cauſæ fuerit ad eos euertendos; cum tamen eorum ſtatim poſteri & hæredes, quia voluptatibus ſe dederent & ignauiæ, & proinde in contemtũ venirent, facile fuerint aut ſublati, aut expulſi, amiſſa Tyrannide: id videre

Exempla. licet in Dionyſijs, quorum maior fuit militaris & acer in reb⁹

Ratio. gerendis, alter in voluptatibus & luxu ac delicijs. Cauſa autẽ cur contemtus ſit potior, hæc exprimitur: Quia plures inuadendi Tyrannos occaſiones coniuratis præbeat contemtus,

Contemtus cauſa. quam odium. Contemtus autem cauſæ multiplices eſſe videntur, ignauia, negligentia, voluptates & luxuria, ætas, ſexus, generis ignobilitas, clades aliqua accepta, aut infelici-

Ætas. tas, infirmitas deniq;, & paruæ opes. De ætate autem tam puerili quam ſenum loquimur: nam vtraq; contemni ſolet; ſic olim Pertinax & Galba Impp. vt ſeniores, propter ætatem amiſerunt imperium.

Ignauia. De ignauia dictum eſt, *ſupra* & de

Luxus. luxu, vbi de Cyro & de Sardanapalo: de genere & familia,

Genus. quanti ea res ſit momenti, exponit *Plut. in Antonio*, quem ſcribit propter generis nobilitatem magnæ fuiſſe auctoritatis apud milites: & hinc olim Maximino Imperatori, quia infimo eſſet genere, vita cum imperio ademta fuit, ob contemtum (inquam) generis, vt eſt *apud Capitolinum in eius vita.*

Sexus. Quod ad Sexum, res eſt perſpicua: quare & olim Alexander Seuerus Imp. quia multa mulieris matris ſuæ imperio adminiſtraret, in odium eſſe & contemni cœpit, & tandem eſt

Clades & infelicitas. interfectus, *teſte Lampridio.* De clade & infelicitate multa diximus, *ſupra cap. 4.* ad hæc verba, μεταβάλλουσι δὲ καὶ, &c. quomodo olim & Xerxi Regi Perſarum, vt in ſummam ve-

niſſet

niret contemtionem, propter clades in Græcia acceptas accidiſſe, ſcribit *Iuſtinus lib. 3.* De paruis opibus item res eſt perſpicua, quam & paulo ſupra attigimus. Cæterum de cauſis & varijs contemtus generibus videatur *Ariſtot. lib. 2. Rhetor.* *Opes exiles.*

Μᾶλλον δέ τι τὸ μισεῖς.] Hic rurſus de odio, altera euertendarum Tyrannidum cauſa: cui adiungi & velut partem conſtitui poſſe, iram in euertenda Tyrannide docet eorum inſtituta collatione. Nam primum ſimilia eſſe oſtendit, quod earundē fere rerum & actionum ſint cauſæ. Vt enim odium, ita & ira ex iniuria accepta naſci & oriri ſolet, & ad vindictā impellere: qua de re, id eſt, de iniuriæ generibus, vnde odium & ira naſcantur, *teſte Ariſtotele lib. 2. Rhetor.* explicatum eſt *ſupra* his verbis, *τῆς δ' ὕβρεως*, &c. Deinde vero, quibus in rebus differant, oſtendit. Nam 4. fere differentiæ breuiter hic indicantur & perſtringuntur. Nam odij quidem cauſam, vt & iræ, eſſe eandem, iniuriam ſcilicet: Sed cum multiplex ſit iniuria, vt *ſupra* dictum, odij quidem cauſam omnem iniuriam, iræ vero contumeliam maxime eſſe ait, vnde & plurimæ Tyrannides, vt Piſiſtratidarum, aliæq́;, de quibus *ſupra*, ſint diſſolutæ, quæ & ipſa contumelia odij quoque cauſa, vt iniuria ſumma, eſſe ſolet. Deinde, iram eſſe odio promtiorem & celeriorem ad agendum & inuadendum aliquem. Cuius differentiæ cauſam adiungit, quæ ipſa tertia erit differentia: quod odium ratione aliqua vtatur, neque ſit ita præceps, & ſæpe duret in annos aliquot: ira plane ratione careat, ſit præceps & inconſiderata, &, vt ait *Horatius*, furor breuis, ſiue, vt *Themiſtius*, *ὀλιγοχρόνιος μανία*: quare & ſeruo celeri, iamq́; ad mandata vixdū ſatis à domino percepta properanti eleganter iram comparat Ariſtoteles *lib. 7. Eth. c. 6. in prin.* & hinc eſt, quod *Homerus* Mineruam, tanquam rationem cælitus demiſſam, fingit ad Achillē iratum, quæ furentis eius iræ vim reſtinguat. Cur autem rationi ira minus, odium magis pareat & obtemperet, cauſam hanc adfert, (quæ quarta ſit differentia) quod ira coniunctum habeat dolorem, odium non item. Nam irati dolent ſiue in dolore verſantur: eſt enim ira iniuriæ præſentis, quæ dolorem afferre ſolet, atque hic dolor efficit, vt iratus rationem non audiat, ſed continuo dolorem explere & vindictam ſumere concupiſcat: at qui odit, cum odium fere ex iniuria præterita & futura excitetur, vt eſt *libro ſecundo Rhetor.*

Ira & odij ſimilitudo.

Ira & odij 1. diſcrimē.

2. Diſcrimen.

Ratio.

3. Diſcrimen.

Approbatio.

4. Diſcrimen.

5 Diſcrimen.

6. Diſcrimen.

Rhetor. Ariſtotelis, recte dicitur non eſſe in dolore, cum dolor ſit iniuriæ præſentis. Hinc eſt, quod ira tempore facile ſanetur aut minuatur, odium longe difficilius, vbi iam duas præterea differentias indicauimus. Sed de his perturbationibus, odio & ira, copioſe Ariſtoteles *lib. 2 Rhetor.* Etſi igitur

7. Diſcrimē huius loci proprium.

ira vtpote præceps propter dolorem præſentem maxime eſt promta & efficax ad alium inuadendum, odium vero lentius: quia tamen odium ratione vtitur, ira minime, docet Ariſtoteles odium aptius eſſe ad Tyrannides euertendas, quam iram. nam quæ inconſiderate & non præmeditate ſuſcipiuntur, plæraq; ad exitum non perducuntur.

TEXTVS.

Ad ſummam autem, quot cauſas diximus Oligarchiæ immoderatæ & vltimæ, atque Democratiæ vltimæ: totidem & Tyrannidis ſunt conſtituendæ. Nam & hæ deiunctæ ſunt Tyrannides.

COMMENTARII.

Tyrānidis interitus cauſa eadē fere quæ & Olig. & Democrat. Ratio.

Ὡς δὲ ἐν κεφαλαίοις εἰπεῖν.] Poſtquam Ariſtoteles proprias euertendæ Tyrannidis cauſas ſigillatim expoſuit: tandem alias quoq; eſſe ait, communes nimirū Oligarchiæ & Democratiæ, vt (inquam) ex iiſdem etiam cauſis euertatur Tyrannis, ex quib. Oligarchia & Democratia; de quibus explicatum eſt, *ſupra cap. 5. & cap.* 6. Cauſam hanc affert, cur illarum cauſæ Rerump. Tyrannidi adferant interitum; quia Tyrannidi cum illis maxima ſit cognatio; atque adeo illæ Reſp. ſint quædam Tyrannides, vt *ſupra* dict. *libr. 4. cap. 6.*

Tyrānis ex deterrimis Democrat. & Oligar. mixta eſt.

Tyrannides, inquam, dijunctæ. Nam quæ vere eſt Tyrannis, de qua hic agitur, politia eſt quædam coniuncta & mixta ſiue temperata ex duabus politijs, Democratia & Oligarchia, vt ſupra explicatum initio huius cap. & d. *ſupra libr. 4. cap. 11.* Tyrannidem ex Democratia & Oligarchia, iiſq; nequiſſimis, eſſe conflatam; quod idem & hoc loco indicat Ariſtoteles his verbis: τῆς ἀκράτου καὶ πλουτείας, &c. Nam cum multa ſint & Democratiæ & Oligarchiæ genera, de quibus *ſup. lib. 4. cap 4. & 5. & 6.* vltimum tam Democratiæ quam Oligarchiæ genus, vt nequiſſimum, huc pertinet, & Tyrannidi maxime eſt cognatum.

TEX-

TEXTVS.

Regnum autem ex cauſis externis minime illud quidem interit; quare & diuturnum eſt: ex ſe autem multi eueniunt interitus. Duobus autem modis interit; vno quidem, ſi Regni participes inter ſe diſcordent; altero vero modo, ſi tyrannice imperare conentur; vt cum maiorem poteſtatem ſibi arrogent, & contra leges. Verum hac ætate non exſiſtunt amplius regna; ſed ſi qua exſiſtant; Monarchiæ ſunt potius & Tyrannides: eo quod Regnum imperium ſit voluntarium, quodque magnis in rebus dominetur: multi autem ſint pares, nec quiſquam ita excellat, vt imperij magnitudinem & dignitatem exæquet; qua re fit, vt non velint ferre; quod ſi quis fraude aut vi imperet, hoc iam Tyrannis eſſe videtur. In hæreditarijs Regnis præter priores cauſa quoque interitus conſtituenda eſt, quod multi in contemtum veniant, & potentiam nacti non Tyrannicam, ſed Regiam dignitatem, inſolenter agant. Facilis namque tum eſt diſſolutio. Statim enim, ſi nolint, Rex non erit, ſed Tyrannus eſt & nolentium. His igitur de cauſis, & id genus alijs, Monarchiæ intereunt.

COMMENTARII.

De cauſis interitus Regnorum.

Βασιλεία δὲ ὑπὸ μὲν.] Quod paulo ſupra de Tyrannide & priore tota huius capitis parte, nunc hac reliqua ejus particula de Regno ſiue de cauſis interitus Regnorum breuiter hic exponitur. Vt enim de Tyrannide *ſupra hoc capite*, & generatim de omnibus Rerumpublicarum generibus dictum eſt *ſupra cap. 7. in fine*. idem & hic de Regnis, cauſas eorum euertendorum Ariſtoteles duorum ait eſſe generum; partim externas, partim inteſtinas. Et externis quidem

Externis cauſis Regna raro euertuntur.

ἐπαναστάσεις.

cauſis raro euerti Regna. Quod ita accipiendum videtur, ſi copijs & opibus ad reſiſtendum externo hoſti bene ſint munita. Nam alioqui ſæpe etiam externis de cauſis euertuntur, vt videre licet in Regno Aſſyriorum à Cyro euerſo, & Regnis Syriæ, Macedoniæ, Ægypti, à Romanis: etſi in his ipſis euerſionibus per exteros factis inteſtina hæc mala, quæ *infra* exponuntur, non paruam externo hoſti occaſionem & velut anſam dederunt, puta vel diſcordiæ fratrum aut propinquorum Regni hæredum, vel iniuria & inſolentia in ſuos aut vicinos, ſæuumque & Tyrannicum Imperium; aut certe contemtus eius & ignauia.

1. Cauſa interna, diſcordia Regni hæredū.

φθείρεται δὲ.] Duæ inteſtinæ ſeu interiores euertendi Regni cauſæ ſiue tres potius exponuntur, diſcordia Regni hæredum inter ſe, Tyrannis ſiue Tyrannica adminiſtratio, & degeneratio ſiue vilitas & contemtus. Et de prima quidem cauſa vulgo interpretes eam accipiunt de diſſenſione Regiorum præfectorum & Satraparum, cùm tamen intelligi debeat de diſcordia eorum qui è Regio ſint ſanguine, ſiue vt Ariſtoteles loquitur, qui Regni ſint participes, vt inter fratres vel agnatos Regij ſanguinis ſæpe diſcordiæ oriri ſolent, quos Latini poſteriores hiſtorici Regales vocant.

1. Exempl. Et hæc pernicies fuit Regni Ægyptij, diſcordia inter Cleopatram, eiuſque fratrem Ptolomæum; Regni Spar-
2. Exempl. tani, de cuius interitu *Plut. in vita Cleomenis & Agidis*; & Regni Syriæ, cuius diſcordiæ & cædes fratrum & pro-
3. Exempl. pinquorum diligenter *à Iuſtino* commemorantur. Sic & Regnum Anglorum factione Rubræ & Candidæ Roſæ, &
4. Exemp. Regnum Franciæ factione Aurelianenſium & Burgundio-
5. Exempl. rum pene fuit extinctum. Et nuper Regnum Hungariæ,
6. Exempl. diſcordia inter Iohannem & Ferdinandum exorta. De diſcordia igitur eorum, qui de Regia ſint ſtirpe, hic agitur, non de diſcordia principum aut præfectorum, quæ tamen & ipſa diligenter eſt cauenda, vt *ſupra* explicatum, *initio cap. 4.*

2. Cauſa inteſtina.

Ἄλλον δὲ τρόπον.] Altera euertendi Regni cauſa, Tyrannis ſiue Tyrannica Regni adminiſtratio, hic exponitur. Nam ſi Rex omnia pro ſua libidine, nihil legibus & antiquis inſtitutis conuenienter vult adminiſtrare, omniaque ad ſe pertrahere, ſuoque imperio ſubiungere;

fit,

ſit, vt Regnum in Tyrannidem conuertatur, hac (inquam) immoderata adminiſtratione ſublato Regno Tyrannis exſiſtit. Id namque Tyrannidis eſt proprium, ſuo omnia arbitrio, nihil legibus adminiſtrare. Et contra Regni eſt proprium, moderate vti Imperio, & legibus conuenienter moriqúe maiorum. Atque hac in re ſæpe grauiter peccant Politici, & Regum ac principum conſiliarij, qui præclare cum Regibus & principibus actum putant, ſi omnia ſub illorum imperium redigantur, adeo vt mera poteſtate dominentur, cum hac ſua pleonexia ex Regibus Tyrannos faciant. Huc pertinent voces illæ: Omnia eſſe Regis & Imperatoris; Recte, *inquit Seneca in libr. de beneficijs*, imperio, non dominio ſeu proprietate. Recte igitur *infra cap. prox.* monet; Regum imperia, quo diuturniora ſint futura, eo debere eſſe moderatiora, non infinita, ſed definita potius poteſtate, vt eo loco explicabitur.

Peccatum Sophiſtarũ Politicorũ.

Præceptum Politic. de Regum poteſtate.

Οὐ γίνονται δ'.] Interijcit hic Ariſtoteles; ſua ætate nulla amplius Regna exſiſtere, ſed Tyrannides potius: ſicubi ſingularia imperia exoriantur. Cauſam hanc affert; Quia non in volentes & libentes, ſed in inuitos vi aut fraude non virtute ſuſcipiantur. Huius autem rei, id eſt, cur quæ ea ætate exorirentur Monarchiæ, eſſent plæræque in inuitos & nolentes, cauſam hanc adiungit; Quia nemo vnus facile reperiatur, qui præter cæteros virtute antecelleret & ſummam regij nominis dignitatem ac maieſtatem virtute & præſtantia exæquaret: ſed multi potius pares virtute eſſent; qui nolunt vnum aliquem ex ſuis ſolum reliquis imperare. Sic igitur argumentatur: Omne Regnum eſt in volentes. At ea ætate in volentes eſſe non poterat vnius imperium. Ergo tum nulla Regna exſiſtere poterant. De maiore propoſitione dictum eſt *ſupra libro tertio capite decimo*. Hac enim nota inprimis Tyrannus diſtinguitur à Rege; quod hic ſit volentium, ille inuitorum: de quo *& infra cap. ſeq.* Minor propoſitio confirmatur hac ratione; Quia multi ſint pares, nemo vnus excellat. Nam qui ſunt pares, non ferunt paris Imperium. Quod autem quidam ex hoc loco ſumunt, Ariſtotelem negare ſua ætate Regna vlla fuiſſe; falſum eſt: neque id auſus eſſet

Ariſtotelis ætate oẽs monarchiæ tyrannicæ.

Ratio.

Approbat.

Formula.

Maior.

Minor.

Error quorundã Interpretum.

eſſet metu Alexandri proferre Ariſtoteles. Quidam tamen hoc, ni fallor, loco adductus Gallus & Philoſophiæ Tholoſæ Doctor à Rege Francorum Franciſco I. literarum & doctorum hominum patrono, vocatus, venire noluit; quia diceret, eum tyrannum potius eſſe, quam Regem: quem Rex, vt ſtultum, riſit & contempſit, & impune id eſſe ei permiſit.

Πολλοὺς δὲ εἶναι τοὺς ὁμοίους.] Docuit *ſupra lib. 3. cap. 11. & 12.* eum vere ac Iure Regem eſſe, qui virtute cæteris ciuibus longe antecellat. Nam in pares non eſſe imperium, niſi mutuum.

Aſtu aut vi acquiſita non tam Regna ſunt quam Tyrannides.

Ἂν δὲ δι' ἀπάτης.] Aſtu & dolo multi Regna & Imperia ſibi repererũt, plures vi & armis. Sic mortuo Cambyſe, Cyri filio, Magus quidam, Cambyſis fratrem Smerden ſe fingens, Regiam poteſtatem nactus, mox tamen oppreſſus fuit, de quo *Herod. lib. 3.* Talis & in Macedonia exortus fuit Pſeudo-Philippus, de quo *Liuius & alij.* Ratio autem, cur qui vel aſtu, vel vi Regna conſequuntur, non Reges, ſed ſint potius Tyranni eſt perſpicua: tum, quia Regna non hæreditaria virtute pariantur, vt *ſupra* explicatum *lib. 3.* tum quia qui his rationibus dominatum conſequuntur, plærique inuitis præſint, cum Reges imperent volentibus, vt ſupra explicatum.

1. Cauſa euertendorũ regnorum hæreditariorum.

Ἐν δὲ ταῖς κατὰ γένος βασιλείαις, &c.] Separatim hic de Regnis hæreditarijs, eorum euertendorum vnam ſeu duas potius cauſas præcipuas exponit: quarum vna ſit contemtus: altera, contumelia ſeu iniuria in ſuos. Nam quod ad priorem attinet, ſæpenumero id accidere ſolet, vt primi quidem dominationis ſeu Regni auctores virtutibus militaribus & ciuilibus excellant, eorum vero hæredes & poſteri in omni luxu educentur, Regio ſcilicet more, nullaſque artes bonas pacis aut belli addiſcant, qua tandem ex educatione duo hæc conſequuntur; contemtus, & petulantia ſiue iniuria. Molliter namque, & delicate, regioque more educati, reliquam poſtea vitam in voluptatibus tranſigere volentes, partim à ſuis contemni ſolent, vt ſtulti & ignaui, partim voluptatum fruendarum cauſa in ſuorum & bona & liberos & vxores petulanter manus inijcere ſolent. Huius rei exempla in

pla in Sardanapalo, in Cambyſe, in Cleopatra, in Tarquinio, eiuſque liberis, in alijs innumerabilibus omnes ætates ſuppeditant.

Opib. tyrānicis muniti non tā facile euertuntur.

Καὶ τὸ δύναμιν μὴ κεκτημένους, &c.] Quaſi diceret, eos qui opibus & copijs Tyrannicis ſunt ſubnixi ac muniti, non tam facile poſſe euerti; vt ſunt præſidia, maxime externa, ſatellitum, & arcium, quibus & huius ætatis Reges ac principes multi ſe munire ſolent. Veri autem Reges, qui ſola ciuium in ſe obſeruantia & amore ſunt ſepti, ſi degenerent, facile factu eſt eos opprimere.

Regna facilime intereunt in tyrannides verſa.

Ῥᾳδία γὰρ ἐγίνετο.] Memorabilis eſt locus de interitu Regnorum: quæ, ait Ariſtoteles, facilime euerti; conuerſione nimirum in Tyrannidem. Nam ad Regni euerſionem non eſſe neceſſarium ſemper, vt homo tollatur; ſed ſimul atque amorem & obſeruantiam ſuorum Rex amiſerit, iam Regem eſſe deſijſſe. Cur ita? Quia, vt *ſupra* diligenter eſt explicatum, *libr. 3. in fine*, Rex verus præſit volentibus ac libentibus, Tyrannus inuitis *ſupra lib. 3. cap. 10. & ſequentib.*

CAPVT XI.

Argumen.

EXPOSITIS priori capite cauſis euertendæ Monarchiæ, Regni ac Tyrannidis: hic cauſæ eius conſeruandæ explicantur. Et primum quidem ſingillatim cum de Regno, tum de Tyrannide. Deinde communiter de vtraq; Monarchia, extremo fere capite.

TEXTVS.

Conſeruantur autem perſpicue, vt vniuerſe loquar, ex contrarijs: ſigillatim vero, eo quod Regna quidem ad mediocritatem ſeu modicum imperium reuocentur. Nam quo pauciorum rerum ſunt Domini, eo longiore tempore conſiſtere neceſſe eſt omne imperium. Cum enim ipſi minus herili imperio agunt, & moribus magis

ſunt pares: tum minus ijs, qui parent, ſunt inuidioſi. Quapropter & Regnum Moloſſorum longo tempore durauit, atque Lacedæmoniorum; tum quia à initio imperium in duas partes diuiſum fuerit: tum quia Theopompus poſterius & alijs in rebus moderatior, & Ephororum magiſtratum inſtituerit. Nam Regnum poteſtate minuit, tempore auxit: vt quodammodo id non minus, ſed maius effecerit: quod idem & vxori ipſum reſpondiſſe ferunt; quæ cum ex eo quæreret, an ipſum non pudeat liberis ſuis Regnum minus, quam à patre acceperit, tradere; minime vero, inquit; trado enim diuturnius.

COMMENTARII.

1. Cauſa conſeruandarũ monarchiarũ generalis.

Σώζονται δὲ, δῆλον, &c.] Exponit primo ſummatim, cauſas conſeruandi Regni & Tyrannidis eas eſſe, quæ prioribus ſint contrariæ. Verbi gratia, cum euertendarum monarchiarum cauſæ ſint iniuria, metus, odium, contemtus, pleonexia, &c. quæ *priore capite* ſunt expoſitæ: certe conſeruandarum cauſæ erunt ijs contrariæ; æquitas, caritas & amor, obſeruantia, liberalitas in ciues, &c. Nam, vt dici ſolet, contrariorum contraria vis eſt & poteſtas. Verum quia hæc res obſcurior eſt & breuior, quam vt ex contrarijs tantum petatur cognitio: recte faciendum ſibi cenſuit Ariſtoteles, ſi & ſingulatim ac nominatim cauſas has conſeruandarum monarchiarum ipſe exponeret, atque ordine perſequeretur. Et primum quidem de Regno, eius conſeruandi cauſam hanc vnam, velut principem, commemorat, Imperij temperationem ſeu mediocritatem. Nam, vt *ſupra* Regna euerti docuit, ſi poteſtas nimis intendatur & amplificetur, Regesque omnia pro libidine adminiſtrare velint, nihil legibus relinquant, aut communi conſilio: ita contra maxime diuturna ac ſtabilia ea Regna eſſe ait, in quibus minimum permittatur Regum ipſorum

2. Cauſa ſpecialis conſeruandi Regni.

rum poteſtati; quod confirmat cum rationibus tum exempiis.

Rationes fere ſunt duæ, quarum altera ab ipſo Rege, *1. Ratio.*
altera à ciuibus petatur. Nam quo pauciora Regibus licent, eo ipſi & ſunt modeſtiores & minus Tyrannice im- *Approbatio.*
perant. Notum eſt enim illud *Terentij*; Deteriores omnes nos eſſe licentia. Altera ratio hæc eſt; Quod hac im- *2. Ratio.*
perij moderatione ciuibus minus ſint inuidioſi vel odioſi, *Approbat.*
Facilius namque parent, qui & ipſi partem Imperij viciſſim conſequantur, quam qui omni imperio & honore fuerint excluſi, ſi omnia ex vnius nutu & libidine pendeant: qua de re ſæpe *ſupra* dictum eſt, *lib. 2. 3. & 4.*

Exempla afferuntur Regni Moloſſici & Regni Lace- *1. Exempl.*
dæmonij: quæ duo Regna hac de cauſa, quod Regum *2. Exempl.*
eorum poteſtas eſſet modica, maxime diuturna fuiſſe ait. Et certe de Lacedæmonio eandem diuturnitatis cauſam affert & *Plato in epiſtol. ad Dionis propinq. ſecunda.* Aliud *3. Exempl.*
exemplum & Reſpublica Romana ſuppeditat & Imperium Romanum. Nam conſulum primorum Regiæ & nimiæ poteſtati obiectus Tribunatus plebis effecit, vt Reſpublica eſſet ſtabilior ac diuturnior, *teſte Cicerone libr. tertio de legibus.* Quare, inquit, nec Ephori Lacedæmone ſine cauſa à Theopompo oppoſiti Regibus, nec apud nos Conſulibus Tribuni, &c. & poſtea; Non enim ius illud ſolum ſuperbius populo, ſed violentius videri neceſſe erat, quo poſtquam modica & ſapiens temperatio acceſſit, &c. Ita & Electorum auctoritas & principum ac Re- *4. Exempl.*
rumpublicarum Senatus nimiæ Imperatorum Cæſarum poteſtati ſapienter obiectus fuit. Veteres quidem Romani & Iuriſconſulti noſtri Cæſarem legibus quidem eſſe ſuperiorem fatentur, ſed tamen & legibus ipſum viuere. Sic olim ſapienter Dauid Senatum Septuaginta- *5. Exempl.*
virorum inſtituit: cuius velut auctoritae & conſilio reſtringeretur poteſtas Regia. Hoc quoque nomine noſtræ æta- *6. & 7. Exemplum.*
tis Regna duo, Hiſpanicum & Polonicum, laudari ſolent, quod pauca Regum, plæraq; legum arbitrio & imperio adminiſtrentur.

Καὶ ἡ περὶ Μολοττοὺς πολὺν χρόνον, &c.] Regnum Mo- *Moloſſ.*
loſſicum, quod cœpit in Pyrrho Achillis filio, deſijt in Pyrrhi

cius, qui cum Romanis bellum geſſit, nepotibus, annis fere 950. incolumis permanſit, vt ex Regum ſerie & rebus geſtis Moloſſorum docet *Rennerus Reneccius in lib. de antiquis familiis Regum veterum.*

Lacedæm. Καὶ ἡ Λακεδαιμονίων.] Et hoc Regnum Spartanum ab Euryſthene & Procle ex familia Heraclidarum ortis conſtitutum & annis fere 100. poſt Ariſtotelem in vltimis Regibus, Agide & Cleomene, deſitum totidem fere annos, quot Moloſſicum, durauit, vt videre licet *in Euſebij Chronico. & Plut. in vita Agidis & Cleomenis, & in Pauſania Laconicis.*

Διὸ τὸ ἐξ ἀρχῆς τε εἰς δύο.] Duos hic modos exponit, quibus factum fuerit, vt Regni Spartani ſiue Regum Lacedæmoniorum non magna eſſet poteſtas. Prior eſt, quod Regium imperium non vni, ſed binis Regibus mandaretur, atque ita vnus non poſſet omnia. Nam fuit hoc proprium huius Regni Spartani, vt non vnus ſed bini Reges ei præeſſent perpetua ſucceſſione à primis auctoribus Euryſthene & Procle fratribus; quod inſtitutum qui primus violauit Rex Cleomenes, idem fuit & vltimus, ſeque & Regnum perdidit, vt explicatur *à Plutarcho.* Idem inſtitutum & Romanos in Conſulibus ſecutos fuiſſe commemorat *Dionyſius libro quarto in fine.* Nam Romani Regum quidem nomen ſuſtulerunt, Regium tamen Imperium retinuerunt; Sed non vni, verum duobus id mandandum putarunt, vt ait *Cicero libro tertio de legibus.* Regio, inquit, imperio duo ſunto, &c. Alter modus à Rege Theopompo inſtitutus fuit. Hic enim Ephoros inſtituit, quorum magna fuit poteſtas. Adeo quidem, vt Ephori tandem paulatim plus poſſent, quam ipſi Reges, vt *ſupra* docuimus *libro ſecundo capite ſeptimo.* Huius inſtituti auctorem hic Theopompum commemorat Ariſtoteles, cui aſſentitur *Cicero libr. 3. de legibus,* & eleganter *Val. Max. lib. 1. cap. 4. in fin. & Plut. in lib. ad indoctum Principem ſiue Magiſtratum. Idem tamen Plut. in vita Agidis & Cleomenis,* aliam eorum originem & incrementa affert. *Plato epiſt. 2. ad Dionis propinquos,* ait, Ephoros ab ipſo Lycurgo Reipublicæ Spartanæ conditore eſſe inſtitutos. De hoc Theopompo tacite locutus eſt Ariſtoteles, & *ſupr. lib. 4. cap. 11.*

1. Modus, quo Lacedæmonij Regum poteſtatē imminuere.

2. Modus, quo Lacedæmonij Regum ſuorum poteſtatem imminuere.

Aliter.

Aliter.

Ὅσα

Ὅπερ ἐ πρὸς τὴν γυναῖκα.] Sapiens & elegans hoc Theopompi Regis ad vxorem apophthegma ſeu dictum commemorat & *Plut. in eo lib. ad princ. indoct. in princ.* cui dicto plane geminum eſt illud Alexandri Seueri Optimi Imp. de quo ita *Lamprid.* Denique cum ei obiicerent nimiam ciuilitatem, & Mammæa mater, & vxor Memmia, Sulpitii Conſularis viri filia, Catuli neptis, & ſæpe dicerent; molliorem tibi poteſtatem & contemptibiliorem Imperii feciſti: ille reſpondit, ſed ſecuriorem & diuturniorem.

Apophthegma Theopompi. *Apophthegma Seueri.*

TEXTVS.

Tyrannides vero conſeruantur duobus modis maxime contrariis: quorum alter eſt per manum traditus, & quo plærique Tyranni imperium adminiſtrant. Ex his autem multa à Periandro Corinthio inſtituta dicuntur: multa & à Perſarum imperio eiuſmodi ſumere licet. Sunt autem vetera ad Tyrannidis ſalutem, quoad fieri poteſt, pertinentia, hæc; præſtantes viros deminuere, & viros magni animi tollere, & neq; conuiuia permittere, neque ſodalitatem, neque diſciplinam, neque aliud quicquam eiuſdem modi, ſed cauere ab omnibus, vnde conſuerint exiſtere duo; & magni animi, & fides: non etiam ſcholas, nec alios conuentus otioſos permittere, omniaque curare, quibus quam maxime inter ſe ignoti omnes ſint futuri (notitia enim fidem inter ſe magis efficit) eoſque, qui domi remaneant, ſemper apparere, & in foribus verſari. Sic enim minime latere poſſint, ſi quid moliantur, & aſſueſcant paruos gerere ſpiritus, ſi ſemper ſeruiant. Atque id genus alia Perſica & barbara inſtituta ſuut Tyrannica: omnia namque idem valent.

lent. Curare quoque, ne ſint occulta, quæ ciuium quilibet dicat aut faciat, ſed ſint ſpeculatores, vt erant Syracuſis, qui dicebantur Potagogides, & Hiero Otacuſtas, ſummittebat, ſi qui eſſet conuentus vel circulus. Nam quia à talibus metuunt, & minus libere loqui ſolent, & ſi liberius fuerint locuti, minus latent. Et eos inter ſe calumniari ac committere, & amicos cum amicis, & plebem cum patriciis, & diuites inter ſe. Tyrannicum quoque eſt, ciues reddere pauperes, cum vt ne præſidium alatur, tum vt cotidiana opera impeditis non ſit ocium inſidiari. Eius rei argumento ſunt & Ægyptiæ Pyramides, & Cypſelidarum donaria, & Olympii ſubſtructio Piſiſtratidarum, & opera ſeu monimenta in Samo Polycratia: Ea namque omnia idem valent ſeu efficiunt, occupationem & paupertatem ciuium. Vectigalium quoque collatio, vt Syracuſis. Accidit enim, vt Tyranno Dionyſio omne patrimonium contribuerent. Eſt autem & bellorum cupidus Tyrannus, tam vt ſint occupati (ciues) quam vt Duce ſemper opus habeant. Et Regnum quidem per amicos conſeruatur: tyrannicum vero eſt, amicis minime fidere, quod omnes quidem velint, hi autem maxime (nocere Tyranno) poſſint. Et quæ Democratiæ extremæ accidunt, omnia ſunt tyrannica; & domeſtica mulierum imperia; vt viros deferant, & ſeruorum indulgentia eadem de cauſa. Nam & non inſidiabuntur Tyrannis ſerui ac mulieres, & ex ſententia viuentes neceſſe

eſt

eſt bene eſſe affectos & in Tyrannides & in Democratias. Etenim ſolet & populus eſſe Monarcha. Quare & apud vtrumque in honore eſt adulator, apud populum quidem Demagogus: eſt enim populi adulator Demagogus: apud Tyrannos vero ii, qui abiecte loquuntur, quod adulationis eſt proprium. Quapropter & improbi Tyrannis cari eſſe ſolent: gaudent enim adulationibus; hoc autem nemo vnus, generoſo ſpiritu præditus, facere poſſit, ſed amant viri boni, aut non adulantur. Sunt etiam ad mala vtiles improbi: Clauus enim clauo, vt eſt in prouerbio. Tyrannicum quoque, nullo graui aut libero homine delectari. Nam ſe vnum talem eſſe vult Tyrannus. At ſi quis pari vtatur grauitate & libertate, tollit excellentiam, & dominatum Tyrannidis: Eos igitur, vt qui Imperium minuant, oderunt, vti quoque in conuictu & reliqua vita ſodalibus. Peregrinis quoque, quam ciuibus magis vti eſt Tyrannicum, quod hi quidem ſint inimici, illi vero non curent. Et hæc quidem aliaque eius generis Tyrannica inſtituta ad imperii ſalutem pertinent: Nihil autem abeſt improbitatis. Hæc autem omnia tribus fere generibus continentur: tria namque petit Tyrannis. Vnum quidem, vt ciues humilia ſentiant. Nam qui parui eſt animi, nemini inſidiatur. Alterum vero, vt inter ſe non fidant: neque enim prius deletur Tyrannis, quam inter ſe quidam fidant. Quare & maxime cum viris bonis bellum gerunt, vt imperio

per-

pernicioſis, non eo tantum, quod herili dominationi parere nolint, ſed etiam quia & apud ſuos & apud alios ſint digni, quibus fides habeatur: & quia nec inter ſe nec alios accuſent. Tertium eſt, vt vires ſint infirmæ: nemo enim facile aggreditur, quod perficere non poſſit: quare nec Tyrannidem delere non ſuppetentibus viribus. Atque hi tres ſunt ſcopi, ad quos Tyrannorum conſilia reuocantur: omnia namque tyrannica inſtituta ad hos fines reducere quis poſſit, tum vt ne inter ſe fidant, tum vt non poſſint, tum vt humilia ſentiant. Et talis fere eſt vnus modus, quo tyrannidi ſalus efficiatur.

COMMENTARII.

Αἱ δὲ τυραννίδες σώζονται.] Duo tyrannidis conſeruandæ modi ſiue rationes & viæ plane inter ſe contrariæ ab Ariſtotele hic accurate explicantur: quarum altera aſperitate & ſæuitia, altera humanitate & clementia nititur. De aſperiore via & ratione priore loco explicat, vt notiore & Tyrannis magis vſitata, cuius præcepta partim ex regno Perſarum (cuius poteſtas & imperiũ vt aſperius & tyrannicum à Græcis dici ſolet) partim à Periandro Corinthiorum Tyranno, tanquam huius rationis & diſciplinæ auctore, petenda, ait: eadem tamen fere extant *apud Xenophontem in Hierone, & apud Dionem lib. 52.* quæ nos inter ſe *infra* ſuo quidque loco comparabimus: eadem quoque exſtant & *apud Plat. lib. 8. de R p. extremo.*

1. Ratio conſeruãdæ tyrannidis generalis.

Quibus addatur & Machiauellus.

Ὁ παραδεδομένος.] Hoc verbo de altera tyrannidis cõſeruandæ ratione, eſſe eam à moribus traditam & vſitatam, ait.

Periander.

Περίανδρον τὸν Κορίνθιον.] De eo dictum eſt *ſupr. lib. 3. c. 9. & ſupr. hoc lib. cap. 10.*

Ἔστι δὲ τάτε πάλαι, &c.] Præcepta ad aſperitatem pertinen-

nentia,& notæ veræ tyrannidis, ordine ac deinceps hic iam exponuntur.

Τὸ τοὺς ὑπερέχοντας.] Primum Tyrannorum præceptum ſiue principium de viris præſtantibus vel vrbe pellendis vel necandis, vel de gradu deiiciendis,& velut capite deminuendis, vt ſunt, qui ſapientia, qui fortitudine & vſu rei militaris, animique magnitudine, qui iuſtitia antecellunt: eius præcepti auctor Periander ille eſſe dicitur, vt ex Herodoto explicatum *ſup. lib. 3. c. 9. & hic cap. 10.* vbi docuimus,& Tarquinium Superbum Romæ idem eſſe ſecutum. De eo & *Hiero apud Xenoph.* conqueritur, inter Tyrannorum calamitates & incommoda hoc non eſſe minimum, quod præſtantes viros de medio tollere cogantur, ſi ſalui & incolumes eſſe velint; ſic enim ait: χαλεπὸν δ' ἐγώ σοι καὶ ἄλλο πάθημα, ὦ Σιμωνίδη, τυράννων, &c. de eodem Tyrannorum inſtituto & grauiter Plato *lib.8. de Rep. in fin. & Diod. lib.52. in princ.* vbi Agrippa, Regum & Tyrannorũ incommoda ac mala commemorans, de hoc quoque late explicat his verbis; ἔτι τοίνυν πολλοὶ χωρὶς, &c. neminem in Regño, qui vel genere, vel diuitiis, vel ſapientia, vel animi magnitudine excellat, ſatis à Regis ira & inſidiis tutum eſſe diſſerit. Exempla huius inſtituti hiſtoriæ ſuppeditant innumerabilia tam ſacræ quam profanæ. Atque hoc quidem inſtitutum non Tyranni tantum & Monarchæ, ſed etiam Reſpublicæ tenent, vt *ſupr.* eyplicatum *lib.3. c 9.* vbi de Oſtraciſmo.

1. præceptũ ſpeciale tyrannidis ſtabiliendæ.

Rebuſp. reliquisquoque vſitatũ hoc præceptum.

Καὶ τοὺς φρονηματίας.] Videtur Ariſtoteles hoc velut alterum facere præceptum, & à priore diſiungere; quaſi prius ſit de præſtantium auctoritate ac dignitate virorum deminuenda: hoc alterum ſit de viris magni animi plane de medio tollendis ac necandis. Nam & *Plato eo loco* hoc, tanquam ſingulare inſtitutum, commemorat, quo Tyranni liberos ſpiritus ſiue animos & ingenia ſemper habeant ſuſpecta, eaque curent interfici. Sic enim ait: καὶ ἄν γέ τινας οἶμαι ὑποπτεύῃ, &c. & ipſe Ariſtoteles *infr.* oſtendit, quam graues ſint Tyrannis liberæ voces, & ii, qui Tyrannis adulari nolint. *Xenophon* tamen ac *Dio* hæc duo præcepta ad vnum reuocant de viris genere, animi magnitudine, ſapientia, virtute & iuſtitia præſtantibus necandis.

2. præceptũ tyrannicũ ſpeciale.

Καὶ μήτε συσσίτια.] Tertium, ſiue potius alterum Tyrannorum principium de ſodalitijs ſiue ſodalitatibus & collegijs tollen-

3. præceptũ tyrannicũ.

tollendis, etiam de ſcholis, & ciuium inſtitutione; aliiſque conuentibus & ſynodis non ferendis. Nam hæc quatuor, Sodalitates, Conuiuia, Inſtitutio, & Scholæ, ad vnum idemque caput ac præceptum reuocari poſſunt. Cur autem ſodalitates & conuentus ciuium ac ſcholas oderint Tyranni, cauſas Ariſtoteles hic affert duas: tum quod amicitia ſiue notitia, ac fides ciuium inter ſe inde oriatur, vnde paulatim coniurationes ac factiones in Tyrannos facile ſuſcipiantur: tum quod ciues hac ratione bene inſtituantur, beneque inſtituti magnos animos gerere incipiant, facile vt in Tyrannos conſpirare velint ac poſſint. Nos ſingulatim hæc explicemus.

1. Ratio. *2. Ratio.*

Καὶ μήτε συσσίτια ἐᾶν.] De Syſſitijs Græcorum, communibus ciuium epulis & conuiuijs, quibus non abſimiles erant Romanorum ſodalitates & cœnæ Pontificum ac Tribuum, explicauimus *ſup. lib. 2. c. 7. & 8.*

συσσίτια.

Μήτε ἑταιρείαν.] Quæ à Græcis ἑταιρεῖαι, ea à Romanis dicuntur collegia, ſodalitia & corpora (hac in vrbe barbare vocant Tribus) vt ſunt nauiculariorum, piſtorum, fabrorum, &c. mercurialium: cuius generis ſodalitia & corpora olim Romæ erant perpauca, ab Imperatoribus ſatis multa fuerunt inſtituta. Traianus tamen Imperator Plinio, Nicomediæ volenti fabrorum collegium inſtituere, non eſt aſſenſus, vt eſt *apud Plinium libro 10. epiſtolarum, epiſtola 34. & 35. & ibi Ioannes Maria Catanæus.* quod inde factiones facile exiſtant, quæ cauſa fuit, cur nuper Franciſcus primus Rex Galliæ vno edicto omnia opificum collegia ſuſtulerit in omni Francia. Et Carolus Quintus in aliquot Germaniæ ciuitatibus. De collegiis autem videatur *titul. π. de Collegiis, & Balduinus in libello de Edictis Principum, de Chriſtianis, & in explanationibus ad fragment. duodecim tabularum, Cuiacius quoque libro ſeptimo obſeruationum.* Huc quoque pertinet, quod *Athenæus libro 13. Dipnoſophiſtarum*, vbi de puerorum amoribus ſcribit ex Hieronymo Peripatetico, multorum adoleſcentium inter ſe amantium communicatione & ſocietate (vocat Græce ἑταιρικὸν) & conſpiratione multas tyrannides eſſe ſublatas; vt Harmodius, inquit, & Ariſtogito Athenis Piſiſtratidarum tyrannidem euerterunt: de quibus & *ſupra* dictum *cito.* Sic & Agrigenti, quæ vrbs eſt Siciliæ, in Phalarim Tyrannum notum

ἑταιρεία.

duo

duo amantes, Chariton & Megalippus, conſpirarunt, vt eſt *apud Ælianum in var. hiſt.*

Μήτε παιδείαν.] Ciuium rectam inſtitutionem Tyrannis eſſe pernicioſam & cauendam, neque ab illis permitti ait: eo quod ex inſtitutione ciuibus ſiue liberis eorum generoſi ſpiritus & ſapientia inſtilletur. Idem ait & *Mecœnas apud Dionem libro quinquageſimoſecundo.* Quo loco præcepta Regni bene adminiſtrandi ſeu Imperii dat Octauiano ſeu Auguſto: ſuadens tamen ei, vt Senatorum & Equitum liberos recte curet educari, his verbis: *παῖδες μὲν οὖν τῶν βουλευτῶν καὶ τῶν ἱππέων*, &c. Huius præcepti memor Dionyſius iunior Siciliæ Tyrannus vetuit Dionis filium recte educari, potiuſque curauit, vt in omni licentia & voluptate aleretur. Alioqui bona ciuium inſtitutio & educatio quam ſit rectis Rebuſpublicis neceſſaria & fructuoſa, explicatur *infr. initio lib.* 8.

Educat. liberorum.

Exemplũ. Idemq; cap. proxim. de Thraſybulo autor cõmemorat, qui Gelonis fratris filiũ ita educarit, ἵν' αὐτὸς ἄρχῃ.

Καὶ μήτε σχολάς.] Tyrannos ſcholas ſeu ludos ſiue literarum, ſiue aliarum etiam corporis exercitationum odiſſe, vt ſibi pernicioſos, præclare docet *Plato in Sympoſio.* Quo in loco agit de puerorum amore, qui apud Græcos eſſet vſitatus, apud barbaros pro turpi & nefario habeatur; Τοῖς γὰρ βαρβάροις, inquit, διὰ τὰς τυραννίδας αἰσχρὸν τοῦτό γε, καὶ ἡ φιλοσοφία καὶ ἡ φιλογυμναστία, οὐ γὰρ (οἶμαι) συμφέρει τοῖς ἄρχουσι φρονήματα μεγάλα ἐγγίνεσθαι τῶν ἀρχομένων, οὔτε φιλίας ἰσχυρὰς καὶ κοινωνίας, &c. Sic olim & Romæ Senatus Rhetorum ſcholas ſuſtulit, *teſte Cicerone libro tertio de Oratore & Agellio libro decimoquinto, capite vndecimo.* Huc quoque accommodari poteſt, quod de Iuliano Imperatore ſcribit *Ammianus & Sozomenus libro quinto, capite decimoſeptimo*, vetuiſſe eum, ne Chriſtiani, a quibus defecerat, Grammaticam & Rhetoricam diſcerent.

Ludi. Teſtimon. Plat.

1. Exemplum.

2. Exemplum.

3. Exemplũ addatur ex Dionyſ. Halic. antiq. l. 7. de Ariſtodemo, Cumarũ Tyr.

Μήτε ἄλλους συλλόγους.] Cœtus omnes ſeu conuentus ſiue literarum, ſiue palæſtræ Tyrannos vetare ait. Huc quoque pertinet conuentus & cœtus Religionis cauſa, quos Iudæi Synagogas, & noſtri Chriſtiani Eccleſias vocant. Qui conuentus quam ſæpe ſint pernicioſi Rebuſp. exemplum extat *apud Liuium de Bacchanalib.*

Cœtus.

Καὶ πάντα ποιεῖν.] Cauſa hic exponitur, cur omnes ciuium cõuentus & collegia ac ſodalitia oderint Tyranni; Quod ijs conuen-

Cauſa, ob q̃ tyranni oẽs cõuent⁹ ciuium odere.

conuentibus fiat, vt inter ſe notitiã & amicitiam cõtrahant: quæ res tyrannidi euertendæ maxime eſt opportuna, ſi ciues inter ſe ament & confidant. vt contra Tyranno nihil ſit vtilius, quam ſi ciues inter ſe oderint, ſuſpicionibus & ſimultatibus laborent. Recte igitur hic Tyranno dandam operam eſſe, vt ciues inter ſe nullam contrahant notitiam. Contra tamen in Rebuſpublicis maxime ſalutare eſt & vtiliſſimum, ſi ciues inter ſe norint, & concordia atque amicitia ſe proſequantur. De qua ciuium inter ſe concordia & amicitia *Ariſtot. initio lib. 8. Ethic.*

4. præceptũ tyrannicũ. *Καὶ τὸ τοὺς ἐπιδημοῦντας.*] Aliud tyrannidis præceptum, quo iubentur ciues, qui ſint in vrbe & adſint, ſemper in propatulo verſari, & pro foribus Tyranni eſſe aſſiduos ad imperandum. Hinc enim & ex hac aſſiduitate duo exiſtere commoda Tyranno perutilia.

1. Vtilitas. Alterum quid, vt ciues ſemper conſpicui & in oculis Tyranni vel ſuorum coitiones inter ſe facere aut moliri nihil facile poſſint; aut moliti continuo deprehendantur.

2. Vtilitas. Alterum vero, vt hac aſſiduitate ad ſeruiendum ciues paulatim aſſueſcant, parui eſſe animi, vt ſolent ſeruitute oppreſſi.

1. Exemplũ, ſeu fons potius. Videtur autem Ariſtoteles hoc præceptum ſiue conſilium de aſſiduitate & verſando pro foribus ſumſiſſe ex inſtitutis Regum Perſarum, apud quos, teſte Cyro, ſolent proceres in Regia eſſe aſſidui, & relictis ædibus ob oculos Regis verſari, ſi forte eorum opera Rex vti vellet, vt explicatur *à Xenoph. initio lib. 8. de inſtit. Cyri.*

2. Exemplum. Quod hodieque Turci Regni Perſici hæredes retinent. Et, ni fallor, apud Iudæos quoque vſitatum fuit: vnde & portam vocant ipſam Regiam Turcæ. Huc igitur Ariſtotelem alludere puto, & indicant hæc verba ſtatim ſubiuncta, *καὶ τἆλλα τοιαῦτα καὶ βάρβαρα*, &c.

5. præceptũ tyrannicũ. *Καὶ τὸ μὴ λανθάνειν.*] Aliud Tyrannidis præceptum de dictis & factis ciuium inquirendis & detegendis. Id enim inprimis curandum eſſe Tyrannis, vt quæ priuati inter ſe moliantur, & qui eorum de Tyrannis ipſis ſint ſermones, cognoſcant. Quamobrem plærique Reges & Tyranni emiſſariis vti ſolẽt quibuſdam: & interdum ipſi vel perſonati vel ignoto habitu circulis & commeſſationibus ciuium ſolent ſe immiſcere. Huius generis emiſſarios vocant aures & oculos

ὠτακουσταί. ποταγωγίδας Regum, ſiue ὦτα & ὀφθαλμοὺς Regum & Tyrannorum. Dicũtur græce elegãter ὠτακουσταί, & apud Siculos ποταγωγίδας, quorum

quorum meminit & *Lucia. & Pollux lib. 2. & Eraſm. prouerb. Chiliad. 1. cent. 2. prouer. 44. & Apuleius in lib. de mundo.* Sed inter eos, inquit, aures regiæ, & Imperatoris oculi quidam vocabantur: per quæ officiorum genera Rex ille ab hominibus Deus eſſe credebatur, cum omnia, quæcunque ibi gererentur, illa otacuſtarum delatione diſcebat. Accommodari huc poſſent delatores, qui ſub primis Imperatoribus Romanis valde ſunt graſſati: de quibus *Sueton. Tacit. Lamprid. Dio.* &c. Hoc ſpeculatorum genere primum vſum eſſe Regem Perſarum Darium iuniorem, ait *Plut. in lib.* περὶ τῆς πολυπραγμοσύνης. Vſi ſunt poſterius & alij Reges Perſarum, vt Artaxerxes, de quo idem *Plut. in Artaxer.* & Reges Cypriorum, *teſte Athenæo lib. 6.* δειπνοσοφ. Etſi & ipſum Cyrum primum Perſarum Regem iam iis vſum fuiſſe ſignificat *Xenoph. lib. 8. de Cyri inſtitut.* Vſi ſunt & Siciliæ Tyranni, Hiero, de quo hic Ariſtoteles, & Dionyſius pater & filius, *teſte Plutarcho in lib.* περὶ πολυπραγ. & *in vita Dionis.* Mecœnas quoque apud *Dionem lib. 52* hoc præceptum de otacuſtis & emiſſariis dat Octauiano Auguſto. Meminit horum & *ſupr. Ariſtoteles lib. 3. Politic.* *Darius primus corycæis vſus.*

Οἷον περὶ Συρακούσας.] *Budæo & Sepulvedæ* aſſentior, legentibus, οἱ ποταγωγίδαι καλούμενοι. Nam *Plutarch. in Dione* προσαγωγίδας vocat: qui Dorice, id eſt, Sicula lingua & Siculi ſunt ποταγωγίδαι. Vocat eoſdem *Plut.* προσαγωγεῖς *in libr.* περὶ πολυπραγμοσύνης. *ποταγωγίδαι.*

Καὶ τοὺς ὠτακουστάς.] Ita plerunque appellantur emiſſarij, vt *ab Apuleio, Athenæo, Dione,* &c. *ὠτακουσταί.*

Καὶ τὸ διαβάλλειν.] Aliud tyrannidis præceptum de inimicitia, ſimultate & odio, & de factionibus inter ciues & ciuium ordines ſerenda & alenda; nempe vtile eſſe hoc Tyranno, ciues inter ſe committere: plebem cum patriciis, & ipſos patricios & diuites inter ſe: & ſi qui inter ſe ſint amici, odia inter ipſos excitare. Cuius præcepti ratio inde petēda eſt, quod ciuium inter ſe amicitia & conſpiratio tyrannis ſit pernitioſa, vt *ſupra* dictum. *6. præceptū tyran.* *Ratio.*

Καὶ τὸ πένητας ποιεῖν.] Aliud tyrannidis præceptum valde peruulgatum & vtiliſſimum, de copiis & opibus ciuium minuendis. Idem quoque præceptum in ſua Democratia conſeruanda adhibuere Athenienſes. Qua de re ita *Xenoph de ipſarum ſcribens Rep. pa. 404. l. 4.* ἐν ταῖς χορηγίαις, *&c. & œconomi-* *7. præceptū tyran.*

nomicis pag. 479. li 30. ἔτι δ' καὶ. *&c.* vt non immerito *infr.* dicat Ariſt. eadem eſſe tyrannidis & vltimæ ac nequiſſimæ democratiæ conſeruandæ præcepta. Nam cum diuitiæ, opes & ſecunda fortuna inſolētes & feroces reddat homines: prudenter illi facere vidētur, qui in paupertate ciues contineāt, eoſq; grauibus vectigalibus deprimant, atq; ita animos & ſpiritus eorū feroces coerceant; vel ēt operib. aſſidue exerceant ac fatigent, ne poſſint præ paupertate, neq; ipſis vacet propter opera Tyranno inſidiari. His igitur duab. viis & rationibus, operibus & vectigalib. optime effici poteſt, vt ciues & pauperes ſint & occupati. Quibus reb. ſit, vt Tyranno inſidiari minus & poſſint & velint: adeo quidē, vt ēt ſine præſidio militū & ſtipatorum inter ciues verſari poſſit. Adfert autē & cōmemorat exempla & operū & vectigaliū Ariſt. h. l. de quibus *paulo infr.* Idē autē præceptū cōmemorat & *Xenoph. in Hiero.* his verbis: ἀλλὰ μὲν οὐδὲ αὖ, &c. quibus ait, rerum vbertate & bonorum affluentia non lętari tamen Tyrannum. Quia pauperioribus ciuibus facilius vti, & vt humiliores ſibi magis dicto audientes habere ſoleant. Scio namq;, inquit ibi Simonid. vt equis, ita & hominibus accidere, vt quo plus habeant, eo ſint petulantiores. Sumſit autem, vt & alia, ita & hoc præceptum Ariſt. ex *Plat. lib. 8. de Republ. extremo.* eius non tantum ſententiam, ſed etiam verba imitatus. Sic enim ait Plato; οὐκοῦν καὶ ἵνα χρήματα εἰσφέροντες πένητες γιγνόμενοι πρὸς τὸ καθ' ἡμέραν ἀναγκάζωνται εἶναι, καὶ ἧττον αὐτῷ ἐπιβουλεύωσιν. *Idem Plato in Sympoſio.* vbi de gigantibus, qui Iouem cœlo deturbare ſint conati, fingit Iouem hanc eorum petulantiam & ἀκολασίαν (ſic enim vocat) hac ratione & μηχανῇ, deminutione nimirum opum ac diuitiarum repreſſiſſe.

Ratio. — *1. Modus.* — *2. Modus.* — ἐμφύτως.

Ὅπως μήτε φυλακή.] Verba hæc paulo ſunt obſcuriora, eorum tamen ſententiam expoſuimus, plæroſq; Interpretes ſecuti, paupertate ciuium id effici, vt Tyranno non ſit neceſſe alere præſidium, ſed abſq; eo poſſit ſecure inter ciues verſari, vt pauperes & infirmos. *Sepulueda* & hanc & aliam adfert ſententiam: ne ciues ſeu populares, inquit, ſi conſilium in Tyrannum inierint, militem conducere poſſint, qui contra Tyrannum ipſis præſidio ſit. Prior tamen huic loco accommodatior videtur explanatio. Videndū etiam, an non rectius legi poſſit, ὅπως ἥτε φυλακή. Vt hæc ſit differentia: paupertate ciuium hoc effici, tum vt cuſtodia ſeu præſidium alatur, tum

2. Lectio ſeu interpretatio. — *3. Lectio ſeu interpr.*

vt

vt aſſidua occupatione ciuibus non ſit otium ad inſidias Tyranno ſtruendas, h.e. vt ex bonis ciuium diteſcens Tyrannus facile præſidium alere poſſit. Nam ita *ſupr. cap. priore 10.* docet, Tyranno diuitias tanquam ſcopum eſſe propoſitum, eaſque vndique conquirere, cum vt præſidium ſemper retinere poſſit; tum vt in perpetuis delitiis verſari queat.

παράδειγμα δὲ τούτου.] Operum exempla 4. inſignium: Pyramidum Ægyptiarum: Coloſſi ſiue donarii Cypſelidarum: fani Iouis Olympii in vrbe Athenienſiū, & Polycratis Samiorum Tyranni commemorantur: de quibus mox ſingulatim explicabitur. Ad eunde modū olim Pharao quidā Iudæos in Ægypto oppreſſit, de quo *in Exod. c. 1.* Surrexit, inquit, Rex nouus in terra ſuper Ægyptū, &c. Sic & olim Rom. Rex Tarquinius Priſcus cloacam vrbis, maximū opus, plebis manib. fieri curauit, *teſte Plin. lib. 36. cap. 15.* Et multis poſt ſeculis Imp. Dioclet. manibus Chriſtianorum extruxit, quarum hodieque ingentes exſtant ruinæ & parietinæ. Et hunc quidem finem eſſe & ſcopum magnorum horum operum ait & *Theophraſt* præceptori Ariſt. conſentienter, nempe reprimendi & cohercendi populi cauſa. Etſi alii tam magnos ſumptus alio conſilio factos exiſtimant; nempe vt pecunia collecta in eos vſus conuerſa, non amplius inſidiatorem irritet, aut occaſionem præbeat Tyrannorum inuadendorum. Alii alias quoq; cauſas, vt voti exoluendi, magnifici monimenti & ſepulchri; &c. commemorant. Qua de re videatur locus perelegans *in Suida* in verbo *κυψελιδῶν ἀνάθημα. Herodot.* tamen de Pyramidibus Ariſtoteli aſſentitur, eas à Rege Cheope extructas manibus & opera ciuium Ægyptiorum, quem Regem ait grauiſſimis oneribus ſuos exercuiſſe.

5. Exempl. *6. Exempl.* *7. Exempl.* *8. Exem. addatur ex Plut. de virtute mulie. Xenocrite. ἔτυχε δὲ &c.* *1. Finis ſeu vtilitas huius præcept.* *2 Finis.* *3. Finis.*

Αἱ τε πυραμίδες.] Pyramides Regum Ægyptiorum, non vt quidam putant, granaria, ſed monumēta & ſepulchra, primum cœptas ædificari à Rege Cheope fatigandi laboribus & operib. populi cauſa; quem etiā alii Reges poſtea ſunt imitati, copioſe docet *Herod. lib. 2.* his verb. *μέχρι μὲν νυν*, &c. vbi ait Cheopen in iis extruendis vſum eſſe decem millib. operariorum. Chemnis quoq; alius Ægyptiorum Rex, ad Pyramidem extruendam conduxiſſe dicitur 360. hominum millia.

Pyramides. *Diod. lib. 2.*

Καὶ τὰ ἀναθήματα.] De Cypſelo, Corinthiorum Tyranno alias dictum. Ingentem is Coloſſum, i.e. ſtatuā coloſſeam extruxit voti exoluendi cauſa. *Didymus tamen Gram: ex Theo-*

Cypſeli anathema.

* fort. *ab alio.* *ſed phraſto* Coloſſum hunc non ab ipſo Cypſelo, * nempe à Tyranno Periandro extructum ait, vt eſt *apud Suid. de Coloſſ. ſiue donarius Cypſelidar.* Videatur & *Pauſan. in Corinthiacis.*

Iouis Olympii templũ à Piſiſtrato extructum. Καὶ ὀλυμπίου.] Piſiſtratus Athenis ædem ſiue templum Ioui Olympio facere cœpit, de quo idem *Pauſanias libr. 1.* & optime *Vitruuius libr. 7. in præfat.* Namque Athenis, inquit, Antiſtates & Calleſchros & Antimachides & Porinos architecti Piſiſtrato ædem Ioui Olympio facienti fundaměta conſtituerũt. Poſt mortem autem eius propter interpellationem Reip. incœpta reliquerunt. Itaq; circiter annis 200. poſt Antiochus Rex (Syriæ ſc.) cum in id opus impenſam eſſet pollicitus; cellæ magnitudinem & columnarũ circa dipteran collocationem, epiſtyliorum & cæterorum ornamentorum ad ſymmetriarum diſtributionem, magna ſolertia ſcientiaque ſumma, ciuis Rom. Loſcitius nobiliter eſt architectatus. Id autem opus non modo vulgo, ſed etiam in paucis à magnificentia nominatur, &c. De eodem Antiocho *Liuius l. 41.* Magnificentiæ vel in Deos, vt Iouis Olympii templum Athenis vnum, in terris inchoatum, pro magnitudine Dei poteſt teſtis eſſe; tandem id perfecit Imperator Hadrianus, vt eſt apud *Pauſan. in Atticis.*

Opera Samia. Καὶ τὸν περὶ Σάμιον.] In Inſula Samo, cui Tyrannus præfuit Polycrates ille feliciſſimus (tandem ſuſpenſus fuit) cum alia (de quibus *Athenæus lib. 12. Dipnoſophiſtarum ex Alexide Samiorum hiſtorico*) tum tria maxime inſignia opera; foſſæ per medios montes ductæ, agger ſiue moles in mare ipſum proiecta portui efficiendo (Itali hodie molam vocant) & maximum ea ætate (Herodoti) orbis terrarum templum (De quibus *Herod. lib. 3. pag. 117. in Gr. edit. Steph.*) hic ab Ariſtot. indicari videntur.

Καὶ ἡ εἰσφορὰ τῶν τελῶν.] Nunc de vectigalibus & collationibus tributorum: quam diximus alteram eſſe viam & rationem exhauriendorum & reprimendorum ciuium. Ea Dionyſiũ eſſe vſum ait Ariſt. Vſus eſt & Cypſelus Corinthius, & Rex Perſarum Darius I. & Octauian. Aug. Imp. Etſi horum Darii & Auguſti multorum inſtitutio vectigalium non tam opprimendi populi quam ſubſidiorum belli cauſa fuiſſe videtur; de quo videatur *Herod. & Dio hiſtorici.*

1. Exempl.
2. Exempl.
3. Exempl.
4. Exempl.

Οἷον ἐν Συρακούσαις.] De Dionyſii Syracuſiorum Tyranni auaritia, furtis & rapinis, magniſq; ab eo inſtitutis vectigalibus

bus videatur *Ariſt.lib.2. œconom.* Vt autem de Dionyſio hic Ariſtoteles, Syracuſanos ei omne patrimonium contuliſſe vertente quinquennio: ita & Corinthios Cypſelo ex decimæ vectigali omnia ſua bona contuliſſe decennio, auctor eſt *Suidas in verb.* κυψελιδῶν.

Ἔστι δὲ καὶ πολεμοποιός.] Aliud tyrannidis conſeruandæ præceptum, quo iubētur Tyranni aliquod ſemper bellū commouere, & belli, non pacis aut ocii, eſſe cupidi. Huius præcepti duæ ſunt vtilitates ſeu fructus. Ita namque fiet, vt ciues bello occupati aut diſtracti ocium & opportunitatem nullā habeāt Tyranno inſidiandi. Deinde fiet hac ratione, vt, quia ad bellum gerendum Duce opus ſit & Imperatore aliquo, æquiore animo & facilius Tyrannum, tanquam Ducem, ferant, eoq; opus habeant in bello adminiſtrādo. Sumſit hoc præceptum Ariſt. ex *Platone*, cuius etiam verba expreſſit. Sic enim *illo lib. 8. de Rep. extrem. de Tyran.* πρῶτον μὲν πολέμους τινὰς ἀεὶ κινεῖ, ἵν' ἐν χρείᾳ ἡγεμόνος ὁ δῆμος ᾖ. *8. Præceptū tyran.* *1. Vtilitas.* *2 Vtilitas.*

Καὶ ἡ μὲν βασιλεία.] Aliud præceptum, quod comparatione ſeu collatione regni & tyrannidis explicatur, quo iubentur Tyranni minime fidere amicis: eo quod omnibus quidē Tyranni tollendi inſit voluntas, amicis adſit etiā facultas. Quid ita? Quia nimirum & amici circa Tyrannum ſint aſſidui, vt amici, & proinde occaſionem facile nanciſcantur Tyranni interficiendi, & quia ab amicis & familiaribus non ita nobis caueamus, atque ab inimicis. Quare & recte dici ſolet, grauiorem eſſe ſimulatum & fictum amicum hoſte & inimico aperto. Recte igitur & Hiero Siciliæ Tyrannus apud *Xenoph.* καὶ τοίνυν ἐπιβουλαὶ ἐξ οὐδένων, &c. à nullis plures inſidias Tyrannis factas eſſe ait, quam ab iis, qui maxime ſe amicos eorum fingerent. Adeo quidem, vt ab vxoribus etiam multi ſint interfecti, vt Alexander Pheræorum Tyrannus, de quo *Cicero lib.2.Offic.* De amicis, quorum opera Monarchæ facilius tollantur, dictum eſt & *ſupra c. 10.* his verbis: καὶ τῶν φίλων δέ τινες, &c. Cum autem aliis in rebus, tum hac quoque re multum diſtat Regnum à Tyrannide, quod per amicos (eorum opera & conſilio) conſeruetur & amplificetur Regnum, Tyrannis euertatur & intereat. Id quod grauiter conqueritur & Hiero *apud Xenoph.* in reliquis malis & incommodis tyrannidis hoc non eſſe minimum, quod tyranni nemine viro bono amico vti auſint. *9. Præceptū tyran.* *1. Ratio.* *2. Ratio.* *Approbatio.* *αὔξησις.*

10. præc. tyr. & Democ. commune. *Καὶ τὰ περὶ τὴν δημοκρατίαν.*] Aliud præceptũ commune tyrannidis & Democratiæ. Nam quæ vltimæ & nequiſſimæ Democratię ſunt propria: eadẽ quoq; ad tyrannidẽ ſtabiliendam pertinere ait: vt ſunt mulierũ imperiũ & licentia: indulgentia & licentia ſeruorũ & adulatorum vſus ac multitudo. Quod idẽ præceptũ cõmemoratur & *infr. l. 6. c. 4. in fin.* Eadẽ hæc inſtituta vtriq; Reip. generi eſſe cõmunia, tyrãnidi & Democratiæ deprauatiſſimæ. Et hæc quidẽ inſtituta prauiſſimæ

1. Ratio. Democratiæ cõuenire inde intelligitur, de licentia (inquam) mulierũ & ſeruorũ, ꝙ Democratię illius maxime hoc ſit propriũ, omnia omnib. licere, & facere ꝙ quiſq; velit, vt dicitur *infr. l. 6. c. 4. in fi.*

2. Ratio. Deinde, quia hanc licentiã nactæ mulieres & ſerui permiſſu Reip. ſi quid hi dominos, illæ maritos aduerſus Remp. molientes deprehenderint; cõtinuo id, accuſatis maritis & dominis, magiſtratui ſint delaturi, vt ſua ipſius licẽtia & imperiũ vna cum Rep. perpetuo ſalua maneant. De adulato-

Demagogi. ribus vero, qui in Democratiis Demagogi dicuntur, vt erant Romæ Tribuni pl. dictũ eſt *ſupr. l. 4. c. 4. & l. 5. c. 5.* Nam cum in hoc vltimo & deprauatiſs. Democratiæ genere non leges, ſed multitudo ipſa & plebes dominetur: populus hic tãquam Tyrannus, aſſentatorũ blanditiis & ſermonib. gaudere ſolet. Eadẽ eſt ratio tyrannidis, cui hæc quoq; inſtituta valde vtilia eſſe docet, & tyrannica *infr.* vocatur *l. 6. c. 4.* Nã mulierũ quidẽ & ſeruorũ licentia, qua plebi in Democratia, eadẽ de cauſa in tyrannide eſt vtilis. Nempe vt q̃ vel mariti vel domini machinantur aduerſus tyrannidẽ, ea ſeruorũ & vxorum indicio tyrannus cognoſcat. Nam vt *ſup.* docuimus, vtiliſſimam eſſe Tyranno ciuium inter ſe diſcordiã; ita & h. l. ipſarum inter ſe familiarum, h. e. coniugum inter ſe, ac dominorũ cum ſeruis

Similitudo tyr. & Democ. quo ad adulatores. diſſidia & odia eſſe ſalutaria docet. De adulatoribus diſſimilitudo quædã ſeu differentia eſt. Nam tyrannis & Democratia in eo quidem conueniunt, quod vtraq; adulatoribus gaudeat: ſed in eo diſcrepant, quod in Democratia adulatores

Diſcrimen. ſint Demagogi, qui ſæpe ſunt principes viri, & in ſumma dignitate auram popularem captantes: in tyrannide vero adulatores ſunt, qui ſe quam maxime demiſſe gerant, & humiliter loquantur. Liberas enim voces oderunt Tyranni. Quare pulchre *Sophocles*: *πρὸς τὸν τύραννον ὅστις ἐμπορεύεται, κείνου ἐστὶ δοῦλος, κἂν ἐλεύθερος μόλει.* Quo verſiculo & Pompeium ex prælio Pharſalico ad Regem Ægyptium Ptolemæum fugientem

gientem vſum fuiſſe ait *Plutarch* Plebis igitur adulatores ſoli ſunt Tribuni & Demagogi Tyrannorum, omnes abiecti animi, qui liberas voces edere non didicerint. Nam qui magni ſunt animi, & generoſo ſpiritu, adulari neſciunt, nolunt, ad Tyrannorum conſuetudinem fugiunt. Et hæc quoque cauſa eſt, cur Tyrannorum familiares plærique ſint improbi & nequam homines, & cur talium maxime conſuetudine Tyranni delectentur, eleganter & breuiter extulit Ariſtoteles; τυραννὶς ἐστὶ πονηρόφιλον.

Cur plerique tyrannorũ familiares improbi.

Καὶ δούλων ἀνέσις.] De hoc Tyrannorum inſtituto & more agit & *Plato lib. 8. de Republ. extrem.* vbi ait, Tyrannos ciuibus ſeruos ſuos eripere, iiſque manumiſſis vti cuſtodibus & ſatellitibus, his verbis; τοὺς δούλους, &c. Sic & apud *Xenophontem libro 2.* τῶν ἑλληνικῶν, *&c.* Theramenes de Critia conqueritur, eum in Theſſalia, commutata Republica, Oligarchia in Democratiam, ſeruos in dominos ſuos armaſſe. Hiero quoque *apud Xenophontem*, Tyrannos hoc, ait, ſtudere, vt qui ſunt liberi ſint ſerui, & vt ſerui fiant liberi; ἔτι δὲ ξένους εἰς μᾶλλον &c.

Καὶ γὰρ διὰ τοῦτο πονηρόφιλον] Duas affert cauſas Ariſtotel. cur Tyranni improborum conſuetudine delectentur; tum quia adulatoribus gaudeant, tum quia ad facinora ſua perficienda improbis opus habeant. Nam improbi, & qui abiecto ſunt animo ac ſeruili: hi ſunt fere, qui ſoli adulari poſſint, vel ſuſtineant: hi qui generoſo ſunt animo & libero, aperte vel ament vel oderint, aſſentari neſciunt: vt eleganter *Cicero paradox. 5* de improbo; loquitur, inquit, ad voluntatem: quicquid denuntiatum ſit, facit, aſſentatur, aſſidet, miratur. Quid horum eſt liberi? quid denique non ſerui inertis? Alteram cauſam Ariſtoteles confirmat prouerbio: ἥλῳ ὁ ἧλος, Clauum clauo pellere. Quo pertinet & illud: Malo nodo malus cuneus quærendus eſt.

1. Ratio, ob quam tyr. improbis gaudent.
2. Ratio.
Approbatio.

Καὶ τὸ μηδὲν χαίρειν.] Hæc alia eſt nota Tyrannorum, eos odiſſe conſuetudinem grauium & generoſorum ſeu liberorum hominum. Quæ nota iam ex parte eſt explicata: cum docuimus, eos improborũ tantũ conſuetudine delectari. Cur autem graues & libero ingenio magniq; animi viros oderit Tyrannus, cauſam hanc affert Ariſt. quod illi ſua libertate tyrãnidis dignitatẽ & maieſtatẽ velut imminuant, & quaſi contẽdere, ſeque Tyranno velut opponere videantur: cum tamen Ty-

11. prac. tyr.
Quod idem quoq; ſerua tũ fuiſſe in rep. Athen. latiſſ. docet Xenoph.
Ratio.

rannus ne vocem quidem liberi hominis audire ſuſtineat, omneſq; dicto ſibi vel ad nutum audientes eſſe velit. Huc autem pertinent ea, quæ *ſupra* docuimus, & late explicauimus, Tyrannos conſueſſe viros præſtantes virtute, magnitudine animi, genere, diuitiis, ac ſapientia de medio tollere.

11. præceptũ tyran. Καὶ τὸ χρῆσθ.] Alia Tyranni nota: eum conſuetudine, familiaritate & conuictu peregrinorum magis, quam ciuium delectari. *Ratio.* Cuius rei cauſam hanc affert Ariſtoteles; quod ciues plærique Tyrannum odiſſe ſoleant, & inimico atque hoſtili in eum ſint animo, vt ab his maxime ſibi metuat Tyrannus; quod contra in peregrinis & aduenis accidit, quibus nō item cauſa eſt, cur Tyrannum oderint. Sic & Hiero *apud Xenophontem*; ἔτι δὲ ξένοις μᾶλλον, ἢ πολίταις, &c. hoc eſt, Tyrannum peregrinis, quam ciuibus, barbaris quam Græcis, ſeruis quam liberis confidere. Et hæc quoque cauſa eſt, cur Tyranni cuſtodibus corporis vtantur peregrinis & exteris, Reges ciuibus, quod *ſupra* explicauimus *cap. 10. ibi*, καὶ φυλακὴ βασιλικὴ μὲν, &c.

Tyrannidis vituperiũ. Οὐδὲν δὲ ἐλλείπει μοχθηρίας.] Hac clauſula Ariſtoteles communi complectitur & alia tyrannidis præcepta ac notas, quaſi dicat, tyrannidem omnis improbitatis eſſe magiſtram; & nihil eſſe tam improbum, cui in tyrannide non ſit locus; eſſe eam, vt quidam eleganter, malorum omniũ metropolim. Sed de tyrannidis malis & reprehenſionib. videatur *Stob. Xenoph. in Hiero. & Plat. l. 8. de Rep. aliiſq; locis innumerabilib.*

Διαίρεσις omnium præcedentium præceptorũ. Ἔστι δ' ὡς εἰπεῖν.] Priorem de præceptis & notis Tyrannorum diſputationem concludens Ariſtoteles præclare hic docet, ea omnia præcepta ad tria ſumma capita & ſcopos ſiue cauſas reuocari poſſe. Nam tyrannis hæc tria maxime eſſe *1. Scopus.* curæ. Primum, vt qui ipſis parēt, omnes ſint abiecto, anguſto *2. Scopus.* & humili animo. Deinde, vt iidē inter ſe nō fidāt, ſed inimici-*3. Scopus.* tias & ſimultates inter ſe colāt. Poſtremo, vt quā ſint infirmiſ-*1. Ratio.* ſimi. Cauſas adiungit Ariſt. De primo quidem, cur omnes vili eſſe animo, & humilia ſapere velint: Quod humiles, & qui abiecto ſunt animo & ſeruili, facile ferant imperiũ, etiā ſeruile ac perpetuũ, id eſt, tyrannicũ, neq; quicquā generoſi ſuſci-*2. Ratio.* piant. De altero, cur ciues inter ſe odia & ſimultates exercere velit, minimeq; inter ſe fidere: quia ciuiũ inter ſe fides & amicitia cōiurationes facile excitet, & res tollēdæ tyrānidi maxime ſit opportuna, vt *ſup.* late eſt explicatũ. Quæ cauſa quoq; eſt,

eſt, cur (quod idem & ſupra explicatũ eſt) Tyranni viros bonos maxime oderint, eoſq; vel morte vel exilio multare conſueuerint: tum quia hi viri boni ac præſtantes Tyrannica imperia non ferant: tum maxime, quia & inter ſe & cum alijs fidem colant, neque facile vel ſui ſimiles, vel etiam diſſimiles aut improbos calumnientur & accuſent: vnde amicitiam & fidem inter ipſos exiſtere neceſſe eſt. Quam rem docuimus *ſupra* Tyrannis eſſe pernicioſam maximeque cauendam. De tertio velut ſcopo, cur Tyrannus ſuorum copias & opes velit eſſe minimas, hanc affert rationem per ſe perſpicuam & facilem: Quia nemo facile ita deſipiat, vt ea ſuſcipere velit, quæ perficere ſe poſſe deſperet, maxime ſi cum ſummo periculo ſint coniuncta, vt eſt coniuratio & inuaſio in Tyrannos. 3. *Ratio.*

Εἰς οὓς μὲν οὖν ὅρους.] Iterantur ea breuiter quæ modo ſunt explicata, de tribus veluti ſcopis conſiliorum & præceptorum Tyranni.

TEXTVS.

Atque vnus quidem modus, quo Tyrannidi ſalus paritur, talis eſt. Alter curam habet prioribus fere contrariam, quem petere licet ex Regnorum interitu. Vt enim Regni interitus vnus eſt modus, imperium reddere magis Tyrannicum: ita Tyrannidis eſt ſalus, ipſam magis reddere regiam; hoc vno reſeruato, poteſtate, vt imperet non tantum volentibus, ſed etiam nolentibus: nam hoc quoque abiecto, & Tyrannis abijcitur. Verum hoc quidem, vt hypotheſis remaneret eadem: reliqua vero partim reddere, partim videri imitando pulchre regium imperium.

COMMENTARII.

Ὁ δὲ ἕτερος.] Ex duobus conſeruandæ Tyrannidis modis vno iam explicato notiore magisq; vſitato: nunc de altero, priori plane contrario, explicare pergit. Nam vt prior Tyrannidem ipſam exauget & amplificat, eaq; continet præcepta, quibus imperium Tyrannicum efficiatur aſperrimum & grauiſſimum: ita e contrario hic modus, de quo iam ex- 2. *Cauſa ſeu modus ſpecialis cõſeruandæ tyrannidis* *Diſcrimen*

plicatur, præcepta continet & affert, quibus Tyrannis leuior & humanior efficiatur, & ad regni ſimilitudinem ac lenitatem redigatur. *Modus.* Nam ſumma huius modi & ratio hæc eſt; vt Tyrannis Regno quam ſimilima reddatur, vna tantum relicta differentia, vt Rex volentibus tantum, Tyrannus non volentibus tantum, ſed etiam nolentibus imperet. Nam ſi & hanc differentiam tollas, & eo Tyrannis redigatur, vt volentibus tantum imperetur: iam ipſa Tyrannis ſublata fuerit, & ex Tyrannide regnum effectũ. Quare hanc (inquam) differentiam manere oportet, vt animam & veriſſimam Tyrannidis notam, qua maxime à Regno diſtinguatur; ea eſt (inquit Ariſtoteles) relinquenda, vt in qua poſita ſit hypotheſis ſiue ſpecies & genus Reipublic. propoſitum, ſiue id, de quo agitur: nempe Tyrannis ipſa. *ὑπόθεσις.* De hac autem differentia explicatum *ſupra cap.* 10. *in fin. & lib.*3. *cap.*10. Reliqua igitur omnia ad imperij adminiſtrationẽ pertinentia, vt ſunt leges, magiſtratus, vectigalia, ærarium, pœnæ & præmia, religio, &c. detorqueri & flecti omnia poſſunt, aut ſaltem ſimulari & fingi ad lenitatem Regum; ita tamen, vt ita imperet Tyrannis, vt vel inuitos ac nolentes ſub imperio continere poſſit. *Ratio.* Hac autem lenitate Tyrannidem conſeruari & effici diuturnam, confirmat Ariſtoteles à contrario, nempe à Regno. Nam Regna, quæ Tyrannidi ſunt contraria (hæc enim in inuitos, illa ſunt in volentes) ſi ex paterno & humano imperio ad herile, Tyrannicum & aſperum flectantur, interire ſolent & in Tyrannidem conuerti, vel in aliud Reipub. genus, quod *ſupra* explicauimus *c.* 10. *in fin.* vbi docuimus euertendi regni duos eſſe modos: vnum ex diſcordia liberorum & propinquorũ regij ſanguinis, alterum ex Tyrannico & aſperiore imperio, *& initio cap.* 11. Vt igitur Regnum aſperitate Tyrannica interire ſolet: ita contra Tyrannis lenitate Regia conſeruari. De hoc autem modo conſeruandæ & ſtabiliendæ Tyrannidis prior explicauit Ariſtotele & *Plato in epiſt.* 2 *ad propinq. Dion.* Quo in loco monet, Tyrannidi ad incolumitatem & ſtabilitatem id eſſe vtiliſſimum; ſi ad regnum ſiue regale imperium ac moderatum ſenſim inflectatur. Et exemplo idem confirmat illuſtri, imperij Lacedæmonij. *Exemplũ.* Nam Lycurgum regale imperium Spartanæ ciuitatis moderaſſe oppoſita regib. tyrannice imperantibus γερουσίᾳ ſiue ſenatu & ἐφορείᾳ. Quanquam h. exemplum Laconicũ Ariſtote-

riſtoteles attulit *ſupra initio huius cap.* non Tyrannidis ſtabiliendæ, *vt Plato*, ſed vt regno confirmando & conſeruando accommodatum.

Τὰ δ' ἄλλα..] Communis & generalis atq; adeo inſignis Tyranni eſt nota, ſimulatio, ſiue multa præclara ſimulare, vt & monet *infra*, de religione Tyrannum ita agere debere, vt videatur magnam eius curam gerere; & de humanitate ſeu comitate, vt videatur non inhumanus ſiue aſperior; & de ſupplicijs, vt videatur id facere, vel ea de nocentibus ſumere, paterno ſtudio. Atq; huc pertinet dictum illud peruulgatũ, quod in ore ſemper habuit Rex Francorum Ludouicus XI. quiq; id filio Carolo IIX. tanquam præceptum dedit; Qui non nouit ſimulare, non nouit regnare. Quare omnes fere actiones Tyrannorum ſpecie tantum & ſimulatione, non reuera iuſtæ, piæ, & regiæ ſunt. Vt ex ijs quæ infra deinceps explicantur, ordine intelligetur.

De ſimulatione & ſophiſmatis tyrannicis.

Exemplũ & apophthegm.

TEXTVS.

Primum quidem videri curam gerere eorum, quæ ſunt publica: non in eiuſmodi munera ac dona, propter quæ multitudo ſtomachetur, conſumentem, cum ab ipſa quidem ſumpſerint, labore & opera victum tenuiter parante; dent vero meretricibus & peregrinis & hiſtrionibus profuſe: rationesq; reddentem acceptorum & expenſorum: quod quidam iam Tyranni factitarunt. Ita namq; diſpenſator aliquis adminiſtrans, non Tyrannus eſſe videbitur. Non debet .a. metuere, ne quando pecunia deſtituatur, cũ ciuitatis ſit Domin⁹. Quin etiã tyrannis domo deſidentib. & peregrinantib. hoc etiã conducat potius, quã ſi reliquerit coaceruatã. Minus namq; cuſtodes reb. nouis ſtudebunt. Tyrannis .a. peregrinantibus cuſtodes magis ſunt metuendi, quam ciues ipſi. Hi namq; vna peregrinantur: illi remanent. Præterea videri debet collationes & tributa exigere, cum rei familiaris cauſa,

cauſa, tum vt ad vſus belli vtatur. Ad ſummam, ſe cuſtodem & quæſtorem, vt publicæ, non vt ſuæ, pecuniæ præſtare.

COMMENTARII.

1. Præceptũ ſimulationis. Πρῶτον μὲν δοκεῖν.] Primum præceptum, quo reges imitari debeant Tyranni, eſt de vectigalibus ac tributis publicis & pecunia ſeu ærario publico: quemadmodum his vti debeat Tyrannus. Nam multis exemplis doceri poteſt, ex abuſu huius rei grauiſſimos motus extitiſſe. *Ratio.* Plebs enim grauiſſime nimia vectigalia vel tributa ferre ſolet, omniaq; alia fert facilius, quam tributa: *αὔξησις.* maxime ſi videat, pecuniam public. vna cum tributis in turpes vſus & luxum conuerti. Neque id abſque ratione. *Approbat.* Quid enim eſt grauius, quam quæ quis quotidiana opera ac labore ſuum defraudans geniuṁ, *vt ait Terentius*, parſerit: ea collationibus ac tributis ſibi adimantur à Rege aut Principe aut Repub. & continuo in luxum & turpes, vel etiamnum in non neceſſarios vſus profundantur. Quare de his merito præcipiendum putauit Ariſtoteles. *Præceptũ.* Cuius præcepti hæc ſumma eſt; vt in pecunia public. ſe gerat Tyrannus, non tanquam Dominum, ſed adminiſtrum & velut quæſtorem ſiue œconomum ac procuratorẽ; & vt ipſe aliud ſpectet, nempe vt hac pecunia public. & voluptates quærat, & ciues exhauriat & deprimat, & ſtipendium ſuis cuſtodibus alendis habeat. Vtut igitur hæc ſpectet, ſimulet tamẽ ac fingat bonum diſpenſatorem, quiq; ea pecunia vtatur ad hæc duo tantum, ad familiam ſuam tuendaṁ & ad bella. Hæc igitur præcepti eſt ſumma. *1. Cautio.* Singulatim deinde videndũ eſſe monet, ne pecuniam public. largitionibus & donis turpibus in meretrices, in peregrinos hoſpites, in hiſtriones, citharœdos, & id genus alios artifices profundant. Quod interdũ Reges & Principes facere ſolent magno cum ciuium dolore. *Exemplũ.* Exemplum extat apud *Plutarchum* de Rege Macedoniæ Demetrio. Qui cum multa petulanter & laſciue faceret Athenis: nulla tamen re grauior ciuibus fuit, quam hoc vno facto, quod extorta à ciuibus, & ijs imperata *250.* talenta continuo Lamiæ, alijsq; meretricibus in frictionem faciei iuſſerit dari. Sic enim ait *Plut. in vita Demetrij*, πολλῶν δὲ γινομένων ἐν τῇ πόλει, &c. Hoc igitur primum, pecuniaṁ public. in turpes vſus non eſſe conuertendam. Alterum,

ſum, vt Tyrannus populo etiam rationes acceptorum & expenſorum reddat. Quod ait Ariſtoteles Tyrannos aliquot iam factitaſſe. *2. Cautio.*

Λόγον δὲ.] Alterum de pecunia publ. præceptum ſingulare; quo Tyrannus populo reddere rationes accepti & expenſi iubetur: vt hac ſimulatione vulgo habeatur, vt bonus paterfamilias, non vt Tyrannus, qui bona pub. ad ſuas voluptates conuertere ac dilapidare velit. Ait autem Ariſtoteles, quoſdam Tyrannos id iam factitaſſe. De quibus amplius quærendum.

Οὐ δεῖ δὲ φοβεῖσθαι.] Ex priore præcepto de rationibus reddendis & ad populum referendis tacite intelligitur, non debere Tyrannos magnos pecuniæ aceruos congerere ſeu accumulare, & in theſauros reponere: ſed tantum pecuniæ duntaxat colligere, quantum ſit ſatis tuendæ rei familiari & Imperio ſuo adminiſtrando. Id quod hic clarius & latius explicatur, allata eius rei vtilitate, & cum quadam velut occupatione. Nam occurri poterat; ſi ita ad calculum vocanda ſit pecunia pub. facile fore, vt Tyrannus pecuniæ inopia prematur, vt omni in ſumtus neceſſarios & quotidianos expendenda, nullo ſibi ipſi reliquo theſauro. Verum nihil eſt, inquit Ariſtoteles, vt ſibi metuat Tyrannus, ne quando prematur inopia. Nam totius ciuitatis ipſe vnus cum ſit Dominus, & imperium teneat; facile ipſi erit, cum volet aut cum vſus poſtulabit, quantamlibet pecuniam ciuibus imperare & conficere. Eundem metum plane eadem ratione, Octauiano Auguſto Imperatori *apud Dionem lib. 52.* adimit Mecœnas his verbis: μὴ γὰρ δὴ καταδείσῃς, &c. Ne metuas, inquit, ne vel pecunia, vel alia, quibus bene meritos remuneteris, te deficiant. Nam multo magis ego metuo, ne pauciores illis ſint præmijs digni, cur tu tãtæ terræ & mari imperes. Vtilitatem autem exponit Ariſtoteles his verbis; ἀλλὰ τοῖς γε ἐκτοπίζουσι, &c. Quibus docet Ariſtoteles, vtile eſſe Tyrannis, maxime peregrinãtibus, nullos domi theſauros pecuniæ relinquere. Nam periculum alioqui ſummum ab ipſis eius corporis cuſtodibus & præſidiarijs militibus Tyranno futurum, qui ſpe prædæ & potiundi theſauri facile ad res nouas moliendas & cum ciuibus faciendam ac ſuſcipiendam conſpirationem Tyranno abſente allici ac permoueri poſſint. Quare prudenter ait Ariſtoteles, hos cuſtodes mercena-

Tyranni nõ debent magnos pecuniæ theſauros colligere.

Obiectio. *Solutio.* *1. Ratio.* *2 Ratio.* *Approbat.*

cenarios & domi in præſidio remanentes Tyranno peregrinanti magis eſſe metuendos, quam ipſos ciues: eo quod ciues multi Tyrannum comitari & vna peregrinari vel ſponte vel coacti ſoleant; cũ illi neceſſario præſidij cauſa ſint relinquendi. Idem hoc periculum Tyrannorum à cuſtodibus; maxime propter ſpem prædæ vel præmij ad Tyrannũ necandum propoſiti cõmemorat & Tyrannus Hiero *apud Xenoph.* *οἱ δὲ τύραννοι μισθοῦ φύλακας ἔχουσιν ὥσπερ θεριστάς*, &c. Vbi hos mercede conductos ſtipatores eleganter vocat *θεριστὰς* ſiue meſſores; & difficilimũ factu ait eſſe, eos reperiri fideles: maxime ſi pecuniæ cauſa adſunt aſſeruandæ: vnde liceat ijs exiguo tempore longe maiorem, Tyranno interfecto, capere, quam accepturi ſint ab ipſo Tyranno, quantumuis longiſſimo tempore eius maneant cuſtodes. Huc pertinet locus ille Ethicus de pecunia ſiue diuitijs; eas eſſe, vt Poeta inquit, irritamẽta malorũ. Vnde & *Poeta Sili⁹* de paupertate ſic ait *li. 13:*

Admonitio de metuendis à peregrinãte tyrãno domi relictis mercenariis.
Ratio.
Teſtimon.
θεριστάς.
Diuitiæ malorum irritamenta.

Et deforme malum ac ſceleri procliuis egeſtas.

Qua de re dictum nonnihil *ſupra lib. 2. cap. 4. ἡ δὲ πενία, &c. & hoc libr. cap. 2.*

Ἔπειτα τὰς εἰσφορὰς.] Tertia cautio de tributis, quæ & ipſa ad pecuniam publicã pertinent, hic exponitur, quemadmodum tributis vti debeat Tyrannus. Nam ita verſandum hac in re Tyranno monet Ariſtoteles, primum vt ea imperare & cogere tantum ad vſus neceſſarios familiæ & imperij tuendi videatur, nõ more Tyrannorum ad voluptates fruendas, non largitiones ac munera turpia danda, vel in aleam aut alium luxum. Deinde, vt videatur ijs ad vſus belli vſurus, ſi opus erit. Has igitur duas duntaxat cauſas ſimulare debet Tyrannus, vt iuſtas & populo non odioſas aut moleſtas. Sic .n. fiet, vt ea tributa priuati facilius ferant & conferant. Ad eundem modum & Mecœnas *apud Dionem lib. 52.* præclare diſputans de tributis & vectigalibus ab Imperatore ſeu principe populo imperandis, & Octauiano Imperatori eadem fere dans præcepta, ciues ait tributa eo libentius collaturos, quo principem in ſua re familiari viderint diligentiorem & minus ſumtuoſum & in pecunia publ. parciſſimum.

3. Cautio.
1. πρόφασις.
2. πρόφασις.
Ratio.

TEXTVS.

Et videri non difficilem, ſed grauem: talem præterea, vt adeuntes non metuant, ſed potius vereantur:

tur. Quanquam difficile eſt, hoc aſſequi eum, qui ſit contemtus. Quare debet, etiamſi aliarum virtutum curam non gerat, ſaltem politicæ gerere, & talem de ſe opinionem præbere.

COMMENTARII.

Καὶ φαίνεσθαι μὴ χαλεπὸν.] Aliud præceptum de comitate ſeu humanitate & facilitate, quo iubetur Tyrannus nõ difficilem, more Tyrãnorum, ſed facilem more Regũ ſe præbere ad ſe adeuntib. Ita tamen vt ne in contemtum incidat ex hac facilitate. Quare prudenter monet Ariſtoteles, vt σεμνὸς ſiue grauis eſſe velit, non ſupetbus, inhumanus ac difficilis. Etiãſi autem difficile eſt factu, vt qui humaniorem ſe præbet, nõ in contemtum veniat, maxime ſi ſua ſponte quis ſit contemtus & nõ magnæ authoritatis: vt quia ex infimo genere, ſtolidus, ebrioſus, nullis virtutibus aut ſapientia præditus: (Hæc enim contemtũ afferunt) tamen hac grauitate ſe tueri debebit Tyrãnus, & vt nulli alij virtuti (more Tyrannorũ, qui & ipſi ſunt improbi, & probos odiſſe ſolẽt) huic tamẽ virtuti, quã vocant humanitatẽ cum grauitate quadã coniunctã (ea, ni fallor, hic dicitur politica, vt ad imperandũ & regendũ idonea & cum alijs agendũ, vnde & *in Ethic. li. 4.* ὁμιλητικὴ dicitur) vt igitur nulli alij, huic tamen virtuti ſtudere debet, aut ſaltem ita ſe gerere, vt vulgo talis habeatur, & ea de ipſo ſit opinio, q. hac virtute ſit pditus, & aduerſus ciues comẽ ac humanũ ſe præbeat. Eſt .a. inſignis h. loc⁹ de principũ & magiſtratuũ ſuperbia & humanitate ſiue comitate & grauitate. Qua de re ita eleganti. *Plut. in li.* πρὸς ἀπαίδευτον ἄρχοντα, ad imperitũ magiſtratũ: ἀλλὰ νοῦν οὐκ ἔχοντες, &c. vbi eleganter Reges & magiſtratus ſtultos & imprudentes ſtatuarũ indoctis effictoribus comparat. Nam vt hi ſigna ſi quam maxime diuaricata, & hianti ore & ſpecie horrenda fecerint, putant eo videri maiora & ſplendidiora: ita & illi vocis grauitate, vultus & oculorum toruitate, morum aſperitate & ſolitudine conuictus, maieſtatem & ſpeciem imperij vidẽtur imitari. Non ſane, inquit, illis ſignis Coloſſicis longe diſſimiles, quæ cum extrinſecus heroicam & Deo conuenientem habeant formam: interius plena ſunt terra, lapide & plumbo. Sic & *Liu. libr. 24.* de Tyrannis Siciliæ, Hierone, eiuſq; filio Hieronymo: quorũ hic

2. Præceptũ ſimulationis tyrannicæ.

πολιτικὴ ἀρετή.

De humanitate & ſuperbia magiſtratuum.

1. ὁμοίωσις.

2. ὁμοίωσις.

1. Exempl.

hic ſuperbus, alter fuit perhumanus. Nam qui, inquit, per
2. Exempl. tot annos Hieronem, filiumq; eius Gelonem non veſtis habitu, nec alio vllo inſigni differentes à cæteris ciuibus vidiſſent, conſpexere purpuram ac diadema ac ſatellites armatos, quadrigiſq; etiam equorum alborum interdum ex regia procedentem more Dionyſij tyranni. Hunc tam ſuperbũ ap-
3. Exemp. paratũ, habitumq; conuenientes ſequebantur mores, contemtus omnium hominum, ſuperbæ aures, contumelioſa dicta, aditus non alienis modo, ſed tutoribus etiam difficilis, libidines nouæ, inhumana crudelitas. Itaque tantus omnes terror inuaſit, &c. *Iſocr.* quoque Nicocli hoc dat præceptum;
Teſtimonium. τοὺς φόβους ἐξαιρεῖν τῶν πολιτῶν, &c. Vt ijs tantũ, qui delinquant, formidabilem ſe præbeat, alijs non item; & ne aſperitate, nimijsque ſupplicijs, ſed ſapientia præſit, ac ſuperiorem ſe reliquis eſſe oſtendat. Vbi & iubet Regem eſſe comem ſeu facetum & grauem tamen. Hoc enim, inquit, imperio con-
4. Exempl. uenit, illud cõgreſſibus & colloquijs. Ex Imperatoribus Romanis valde laudatur Traiani comitas, de qua *Eutrop.* multa *lib. 8. Epitom. hiſt. Roman.* Huc pertinet quod *Plato* Dionem reprehendit, vt inhumaniorem, adiuncta elegantiſſima clauſula *in fine epiſtolæ*; δυσκολίᾳ τὴν ἐρημίαν ξύνοικον εἶ-
γνώμη. ναι, id eſt, ſolitudinem inhumanitati eſſe contubernalem.
5. Exempl. Laudant quoque veteres Philippi Macedonis humanitatem,
6. Exempl. & Alexandri ſuperbiam reprehendunt, vt eſt apud *Cic. lib. 2. off.* De Philippo tamen notum eſt illud ex *Æliano*; cum à muliercula adiretur, & otium ſibi audiendæ aut cognoſcendæ eius cauſæ eſſe negaret, ac muliercula ei reſponderet, non debere ergo & imperandi eſſe ipſi otium, continuo rebus alijs relictis ſe & huius mulierculæ & aliorum cauſſis cognoſcendis totum diem dediſſe. Idem laudat & *Cicero* in Pom-
7. Exempl. peio *pro l. Manil.* Iam vero, inquit, ita faciles aditus ad eum priuatorum, ita liberæ querimoniæ de aliorum iniurijs eſſe dicuntur, vt is qui dignitate principib. excellit, facilitate par
8. Exempl. infimis eſſe videatur. De Cyro Rege ſcribit *Xenoph. lib. 7. de Cyri inſtit.* Dignitatis & grauitatis atque authoritatis regiæ tuendæ cauſa cum alia tum hoc quoque cepiſſe conſilium, vt rarius progrederetur, ſeque populo conſpiciendum præbe-
9. Exempl. ret. Quod idem inſtitutum veteres Francorum Reges tenuiſſe, qui tãquam ſtatuæ domi incluſi remanſerint, & quot-
annis

annis ſemel tantum populo ſe oſtenderint, grauitatis ſcilicet cauſa, exſtat *in hiſtoriis Francorum Pauli Æmylij*.

Τοῦτο μὲν ἔτι τυγχάνειν.] Difficile factu eſſe ait, vt cum facilitate grauitatem ac dignitatem nihilominus retineat, ex facilitate non veniat in contemptionem; maxime ſi is ſit, qui ſua ſponte facile contemni poſſit; vt quia ſtolidus, ex familia ſordida, &c. De hac difficultate monet & *IC. Calliſtratus in l. obſeruandum. ff. de offic. præſid.* obſeruandum eſt, inquit, ius reddenti, vt in adeundo quidem facilem ſe præbeat, ſed contemni non patiatur Vnde mandatis adijcitur, ne præſides prouinciarũ in vlteriorem familiaritatem prouinciales admittant. Nam ex conuerſatione æquali contemtio dignitatis naſcitur, &c. *Cic.* quoq; *li. 3. de ll. in princ.* hanc humanitatis & grauitatis coniunctionẽ difficilimam eſſe ait, quam tamen Attico ſuo eo loco tribuit, & alio in loco M. Bruto. Et *Plutarch* ex Pompeij vultu & oculis gratiam quãdam & venerẽ, regia tamen dignitate & maieſtate iunctã, reluxiſſe ait.

Difficultas & comitatis & grauitatis tenenda.
Teſtimon.
Ratio.
1. Exempl.
2. Exempl.
3. Exempl.

Διὸ δεῖ, κἂν μὴ τῶν ἄλλων.] Quia graue & difficile factu eſt, ita facilem eſſe, vt non contemnaris; monet Ariſtoteles, vt Tyrannus huic virtuti imprimis ſtudeat, & ita ſe comparet, vt ſaltem talis habeatur, ac de ſe opinionem præbeat vulgo facilitatis & humanitatis. Hanc enim ciuilem ſiue politicam vocare videtur. Niſi forte quis putet intelligi grauitatem ſiue σεμνότητα, eo quod Iſocrates eam dicat Tyrannidi πρέπειν. Quia nimirum propter vitandum contemtum ijs, qui præſunt, eſt opus, vt iam docuimus *ex Calliſtrato*. Quidã verbum τῆς πολιτικῆς non de virtute, ſed de hac ipſa ſcientia politica ſiue ciuili intelligunt; quaſi Tyrannus huius ſcientiæ maxime ſtudioſus eſſe debeat. Quibus non aſſentior, tum quia hic de virtutibus agatur, & maxime de grauitate ac facilitate: tum quia abſurdum videatur, Tyrannum in huius ſcientiæ ſtudium maxime incumbere debere: cum Tyranni ab eius præceptis longiſſime diſcedant.

Quænam h. l. dicatur ἀρετὴ πολιτική?
1. Opin.
2. Opin.
Refutatio.
1. Argum.
2. Argum.

TEXTVS.

Præterea non ipſe ſolum in quenquam ciuium, ſiue adoleſcentẽ ſiue puellam, ſed ne eorum quidem, qui circa ſe ſunt, vllus alius contumeliam ſeu iniuriam edere videri debet. Vxores quoque

eorum propriæ ſimiliter aduerſus alias affectæ eſſe debent. Nam & propter vxorum contumelias multæ tyrannides interierunt.

COMMENTARII.

3. Præceptũ ſimulationis tyrann. Ἔτι δὲ μὴ μόνον.] Aliud præceptum de libidine & contumelia non ſua tantum, ſed ſuorum, tam vxoris quam liberorum & comitum ſuorum, in alios ciues coercenda. Nam de ipſorum Tyrannorum libidine & contumelijs in ciues ciuiumq; vxores ac liberos cum notum eſt ac vſitatum negocium: tum Tyrannis graue & pernicioſum, de quo & *infra* ἔτι δὲ πάσης μὲν εἴργεσθαι ὕβρεως,&c. Verum non ſatis eſſe ait Ariſtoteles, vt Tyrannus ſeipſe contineat: ſed hoc amplius eum dare operam debere, vt eadem ſit & comitum ſeu aulicorum ſuorum abſtinẽtia,continentia & humanitas; eadem deniq; & vxorum aduerſus ciuium vxores ſit affectio. Quod *Teſtimon.* idem præceptum *M. Cic.* Quincto Ciceroni fratri ſuo Aſiæ proprætori in pulcherrima epiſtola ad eum ſcripta dat his verbis: His autem,inquit,in rebus iam te vſus ipſe profecto erudiuit, nequaquam ſatis eſſe ipſum haſce habere virtutes: ſed eſſe circumſpiciendum diligenter, vt in hac cuſtodia prouinciæ non te vnum, ſed omnes miniſtros imperij tui ſocijs *Error vulgatus.* & ciuibus & Reipub. præſtare videare,&c. Hac autem in re quam grauiter ſæpe peccetur, maiores vt ſæpe iniuriæ à Regum comitibus & regijs, quam ab ipſis principibus fiant,no- *Exempla.* tiſſimum eſt. Certe *Cic.* id *in Epiſt.* ſæpe conqueritur de Cæſaris comitib. Et *Dio. lib 60* de Claudio Imperatore. Eius quidem acta fuiſſe laudabilia, ſed comitum eius ac libertorum & vxoris Meſſalinæ fuiſſe intollerabilia, ſcribit.

Ὡς καὶ διὰ.] Multas Tyrannides, mulierum & vxorum Tyrannorum inſolentia, iniurijs & contumelijs in alios ciues ciuiumq; vxores, ſublatas & diſſolutas eſſe ait *Athenæ. li. 13.* δειπνοσοφ. initio fere eius lib. fœminarum cauſa multa bella & motus exortos eſſe, illuſtria aliquot exempla commemorat: quibus bellis & motibus factum quoq; eſt,vt ipſa *Exempl.* regna & imperia interirent. Huc autem propius pertinet Ioanna illa Neapolitana de qua *Pandulph. Collenut. in hiſt. regni Neapolitani*: & Brunechillis Franca, de qua *Greg. Turon.*

TEXTVS.

In voluptatib. quoq; corporis contrarium facere,

cere, atq; nunc quidam tyrannorũ faciunt (Non enim ſolum id faciunt ſtatim à mane, & continenter multos dies: ſed etiam volunt ab alijs conſpici, id facere, vt admirentur eos, tanquam felices ac beatos.) Quin potius maxime quidẽ illis vti moderate. Sin minus, ſaltẽ alijs videri effugere. Neq; n. ſiccus (ſobrius) facile inuadi aut contemni ſolet, ſed ebrius. Neq; is qui vigilat, ſed qui dormit.

COMMENTARII.

Περὶ δὲ τὰς ἀπολαύσεις.] Aliud præceptum de voluptatibus *4. Præcept.*
corporis. Quibus iubet Ariſtoteles Tyrannum vti moderate, aut ſaltem ita fingere, & ſe comparare domi, vt vulgo continens tam in venere, quam in cibo, potu & ſomno habeatur. Cauſa autem huius præcepti hæc affertur, ne in contemtum *Ratio.*
veniat Tyrãnus, & facile opprimatur, vt homo iners & ignauus, voluptatibus ac vino ſomnoq; deditus. Suadet igitur Ariſtoteles Tyranno id vulgatum; ſi non caſte, ſaltem caute vt vtatur voluptatib. & occulte, non more vulgato Tyrannorũ, *Tyrannorũ*
quibus non ſatis eſt, ipſos totos dies conſumere potando & *qui Ariſt.*
turpibus voluptatibus: ſed hoc amplius etiã ea diuulgant, & *ætate vixe-*
q. teſtes & conſcios turpium ſuarũ voluptatũ alios expetunt. *re peccatũ.*

Ἢ νῦν τινες τῶν τυράννων.] Tyrannis voluptatem tanquam ſcopum eſſe propoſitum, vt regi honeſtum, & omnes voluptates ac delicias conſectari Tyrannos, explicatum eſt *ſupra c. 10. fere init.* & pulchre de his Tyrannorũ voluptatib. *Plato initio lib. 9. de Rep.* Exempla omnes hiſtoriæ ſuppeditant. Talis fuit Sardanapalus, Elogabalus Imp. Rom. & alij, de quibus *Athenæus; Demetrius Poliorcetes, & alij.*

Οὔτε γὰρ εὐεπίθετος.] Cauſa his verbis exponitur ſiue vtili- *Cauſa &*
tas hui⁹ præcepti: quod ſomnolẽti ac vinolenti facile cõtemni & *vtilitas hu*
opprimi ſoleant, vigilãtes & ſobrij nõ item, vt de Alexandro *ius præcept.*
tyranno Pheræo, eum vino & ſomno obrutum interfectum *1. Exempl.*
fuiſſe cõmemorat *Xenoph. li. 6. ἑλληνικῶν*, & ſupr. de Sardana- *2. Exempl.*
palo & de Dionyſ. iuniore Siciliæ tyranno cõmemorauit ipſe *3. Exemp.*
Ariſt. c. 10. & de Aſtyage Medorũ rege a Cyro oppreſſo. Idem *4. Exempl.*
de Domitiano, Nerone, Elogabalo, alijſq; imperatorib. dici
põt. Quare tyrãnus Hiero *ap. Xenop. in Hiero.* ait ſe ebrietatẽ *1. Teſtimo.*
& ſomniũ nõ ſecus atq; inſidias vitare ac fugere, & Iul. Cæſ.

teſte Plutarcho in vita Bruti cum moneretur, ne tam fami-
2. Teſtimo. liariter Dolabella & Antonio vteretur: reſpondit, nihil ſibi ab his duobus, vt rubicundulis & ebrioſis, ſed à pallidis illis & macilentis, Bruto & Caſſio, metuendum eſſe.

TEXTVS.

Contrarium quoq; faciendum eſt, atq; ea fere omnia, quæ olim feruntur. Nam exædificanda & ornanda eſt ciuitas, quaſi ſit curator & non Tyrannus.

COMMENTARII.

Τὐναντίον δὴ ποιητέον.] Aliud præceptum, quod com-
5. Præceptũ ſimulationis tyrannicæ. mune eſſe videtur, multaque capita complecti: quo iubetur Tyrannus plañe alia & contrara ijs, quæ à maiorib⁹ ſint tradita, conſeruandæ Tyrannidis inſtituta & conſilia amplecti ac ſequi. Quæ autem illa ſint vetera Tyrannorum inſtituta & maioribus vſitata, explicatum eſt initio huius cap. Ijs iam plane contraria ſequi Tyrannum, vult Ariſtoteles. Id quod & infra monuit, eo loco vbi docuit Tyrannidis continuandæ ſeu conſeruandæ duos eſſe modos inter ſe plane contrarios: veterem eumq́; aſperum: alterum huic contrarium, humanum & regium potius, quam Tyrannicum. Quare his verbis non tam præceptum proprium, quam monitio quædam & iteratio totius huius modi contrarij continetur. Nam vetera inſtituta & Tyrannis vſitata præcepta, vt non pati ciuium cœtus, ſcholas, conuenticula, præſtantes virtute viros è medio tollere, &c. & hic & infra initio huius cap. ab Ariſtotele dicuntur πάλαι λεχθέντα. Non recte igitur quidam illud, πάλαι λεχθέντα, reddunt; *ea, quæ ſupra ſunt dicta*; Cum vertendum ſit, *ea, quæ olim vel antiquitus ſunt dicta ſiue vſitata.*

6. Præceptũ ſimulationis tyrannicæ. Κατασκευάζειν γὰρ.] Aliud præceptum, quo Tyrannus iubetur vrbem exornare præclaris ædificijs, mœnibus, portubus, templis, palatijs, vijs, &c. Hac enim ratione amorem & beneuolentiam ciuium ſibi conciliabit, qui, tanquam tutor
Ratio. & parens, vrbem curet & augeat, non vero, vt Tyrannus, op-
1. Teſtim. primat vel euertat. Quod idem conſilium Hieroni Tyranno
2. Teſtim. dat Simonides poeta apud *Xenophon. in Hierone*, χρὴ δὲ, ὦ Ἱέρων, οὐδὲ ἀπὸ τῶν ἰδίων κτημάτων, &c. & Octauiano Aug. Me-

cœnas

cœnas apud *Dion. lib. 52.* idem conſilium dat: τὸ μὲν ἄστυ τοῦτο καὶ κατακόσμει πάσῃ πολυτελείᾳ, &c. Quod certe conſilium approbaſſe & ſecutum eſſe Auguſtum veteres commemorãt; qui Imp. cum per ſe, tum maxime Agrippæ ſui opera Romã ita exornauit, vt tandem gloriaretur eam ſe lateritiam accepiſſe, & marmoream poſteris tradere, *teſte Sueton.* Idem ſecutus eſt Archelaus Macedo, quem alioqui, vt deterrimum Tyrannum, deſcribit *Plato.* Et Hipparchus Tyrannus Piſiſtrati F. de quo *Plato in Hipparcho.* Et Dux Florentinus Coſmus, priore anno mortuus.

1. Exempl. ***2. Exempl.*** ***3. Exempl.*** ***4. Exemp.***

TEXTVS.

Præterea videri ſemper ea maxime curare, quæ ad Deos pertinent. Nam & metuunt minus, ne quid iniuſti accipiant à talibus, ſi eum, qui præeſt, religioſum eſſe, Deosq; curare exiſtiment; & minus inſidiantur, vt Deos habenti ſocios. Oportet autem non ſtulte ſiue inepte talem videri.

COMMENTARII.

Ἔτι δὲ τὰ πρὸς τοὺς θεούς.] Aliud præceptum, de ſimulanda pietate & cura Deorum, hic exponitur: cuius duas vtilitates commemorat. Primum, vt ciues à tali, id eſt, religioſo nihil ſibi metuant. Quaſi qui in Deos eſt pius & iuſtus, in homines & ciues ſuos iniuſtus & impius eſſe nolit. Deinde metuent, inſidias vel manus ipſi afferre: eo quod ipſum, vt Dijs charum Deorum patrocinio tutum, & ſatis munitum aduerſum inſidias aut vim futuram, ſint exiſtimaturi. Duo igitur ex cura Deorum & religionis ſiue vera ſiue ſimulata exiſtũt commoda, amor & beneuolentia ciuium, & tutela ac vitatio inſidiarum. Hac arte olim vſus eſt Sertorius, de cuius Cerua *Plutarchus in vita Sertorij.* Vſus & Rex Numa, de cuius cõgreſſu cum Nympha Ægeria *Liu. lib. 1. & Dionyſ. li. 2.* Et impius Mahometes, de cuius columbis notum eſt negocium. Huc .a. pertinet locus cõmunis de religionis vi ac poteſtate in ciuibus & hominib. imperio continendis ac frenandis, quem nos attigimus *in explicationib. initij lib 2. Cic. de ll.* vbi docuimus, multa à prophanis gentibus ſuperſtitioſe inuenta, non tam pietatis & religionis, quam Reipubl. cauſa. Quod longe apertiſſime *Polyb.* quodam loco fatetur.

7. Præceptũ ſimulationis tyrann. ***1. Ratio.*** ***2. Ratio.*** ***1. Exempl.*** ***2. Exempl.*** ***3. Exempl.*** ***Religionis vis frenandis ciuibus.***

Cautio. Δεῖ δὲ αὐτὸν ἀβελτηρίας.] Callide & arte vtendum hac religionis ſimulatione ait. Ne ſi innoteſcat ſimulatio tanquam ſtulta, magis in periculum veniat, vt qui etiam Deos contemnat & ſimulate colat.

TEXTVS.

Et qui re aliqua excellant, eos ita præmio afficere, vt ne à ciuibus liberis quidem maiora ſe vnquam conſecuturos putent. Et præmia quidem talia ipſum tribuere per ſe: pœnas vero per alios magiſtratus & iudices.

COMMENTARII.

8. Præceptũ ſimulationis tyrann. *1. Membrũ huius præcepti.* Aliud præceptum ſiue conſilium, de præmijs & pœnis. Quibus duabus rebus Reſpub. contineri dixit Solon, *teſte Cic. in epiſtola ad M. Brutum.* In his igitur ita verſandum Tyranno monet Ariſtoteles; primum, vt viros virtute præditos, eosque, qui in re aliqua præclare ſe gerant, non interficiat vel in exilium pellat more Tyrannorum; De quo ſupra aliquoties eſt explicatum: Sed vt eos honoribus propter virtutem afficiat, ijſq; tantis, vt ne in libera quidem patria aut *Ratio.* Republ. maiores ſint conſecuturi. Quare fiet, vt hi virtute præſtantes & præditi, magniq; animi, hoc ſtatu & honorib⁹ *2. Membr.* nõ facile res nouas ſint molituri. Deinde ꝙ eſt veluti alterum membrum huius cõſilij de præmijs & pœnis, & quidem maximi momenti, ac valde præclarũ: quo iubetur Tyrannus ꝓmia quidem & honores ipſe ac per ſe tribuere: pœnas & ſup- *Ratio.* plicia per alios & magiſtratus & iudices. Cuius præcepti ratio per ſe plana & perſpicua hæc eſt, quod hac ratione beneuolentiam & amorem ciuium ſibi conciliet, qui præmia con- *1. Teſtim.* ſequuntur: odium in alios deriuet. Atq; hoc quidem conſilium idem plane multis verbis & eleganter explicatur *à Xenoph. in Hierone*, vbi Simonides ei ita faciendum ſuadet his *2. Teſtim.* verbis: ἐπιμελείας μὲν δοκοῦσιν εἰ μὲν πάνυ, &c. Et hoc etiam Regni Francici vt magnum arcanum & myſterium commemorat *Io. Bodin. c 6 meth hiſtoricæ.* Quod Rex Franciæ omniũ quidem præmiorum in Repub. ſit arbiter, nullas tamen infligat pœnas aut ſupplicia, ſed hæc, vt odioſa, magiſtratib. permittat. Quo fit, inquit, vt omnium amore, nullius odio dignus habeatur.

TEXT. In omni autem vnius Imperio communis hæc

eſt

eſt cautio, ne quiſquã vnus magnus reddatur; ſed ſi, plures. Sic enim inter ſe obſeruabunt. Quod ſi magnus aliquis faciendus fuerit: ne tamen is, qui audaci ſit ingenio. Nam tale ingenium omnibus in rebus turbulentiſſimum eſt. Atq; ſi alicuius potentia videatur diſſoluenda: erit hoc ſenſim ac paulatim faciendũ, nec vniuerſa ſimul auferenda.

COMMENTARII.

Κοινὴ δὲ.] Aliud præceptum non Tyrannidis proprium, *9. præceptũ.* ſed huius & Regni commune. Quo vetantur principes nemine ſuorum ad nimiam potentiam prouehere. Nam ſæpe fieri ſolet, vt hac potentia freti atque ſubnixi ipſi regnum vel Tyrannidẽ occupare aut ſaltem res nouas moliri velint. Hoc autem præceptum non tantum vnius imperio (monarchiæ) ſed etiam alijs Rebuſpubl. vtile eſſe docuimus *ſupra cap. 3.* vbi de excellentia ſiue præſtantia & nimia vnius in Republ. *1. Exempl.* potentia, vt Romæ Cæſaris, Pompeij. Cuius rei cauſa apud *2. Exempl.* Græcos oſtraciſmus, id eſt, potentium virorum in Republ. *1. Teſtim.* exilium in vſu fuit: de quo *in eodem cap. 3. & lib. 3. cap. 9.* De *2. Teſtim.* hoc præcepto & Demoſth. in oratione *περὶ τῆς παραπρεσβείας*, de falſa & ementita legatione. Sic enim *Cic.* reddidit: *οὐ γὰρ ὅτι τῶν πάντων μᾶλλον*, &c. De eodem præcepto & *ſupra h. lib. c. 7.* Quare & Mecœnas olim Auguſtum reprehendit, quod A- *3. Exempl.* grippam nimis magnum fecerat, adeo vt diceret, neceſſe eſſe, Agrippam aut Cæſaris generum fieri aut necari. Talem Tib. *4. Exempl.* Imp. Seianum, quem tamen poſtea interfecit, quia cœpit ad imperium adſpirare. Idemq; ſed tardius, quam par erat atq; vſui, fecit ann. *1588.* Henricus III. Rex Galliæ, ſublato Henrico Duce Giſio eiuſdemque fratre Ludouico Cardinale Lotharingo, quos hactenus nimium extulerat: ita vt vna cum alijs coniuratis frenum cunctis regibus Gallis inijcere, & vt conſtanti rumore percrebuit, Regem Henricum per inſidias è medio tollere conati ſint.

Ἀλλ' εἰ ὅσ πλείους.] Quia caueri interdũ nõ poteſt, q̃n aliq *10. Præcept.* vel fortuna vel virtute ad ſummas dignitates & potentiã perueniant: aliud conſilium adiungit hic Ariſtoteles: vt ſi nimia *1. Membrũ.* hæc potentia caueri non poſſit: ſaltem vt non vni, ſed pluribus ea permittatur. Aut hoc amplius; ſi vni ſit permit- *2. Membr.*

 tenda:

tenda: ſaltem vt ei, qui modeſta & pacis ac otij amante indole & ingenio, non vero ei, qui turbulento, audaci & ambitioſo ſit ingenio. Cauſa vtriuſque cautionis & vtilitas, prioris quidem, cur pluribus magnæ opes permitti poſſint, hæc affertur: Quia inter ſe ſint obſeruaturi, id eſt, æmulatione inter illos exorta, vt fere ſit inter pares, futurum ſit, vt nemo vnus facile imperium occupet: ſed alter alterum impediat. Alterius vero, cur vni, qui modeſti ſit ingenij, permitti poſſit nimia potentia, cauſa hæc ſatis perſpicua exprimitur ab Ariſtotele: Quod audaces & ambitioſi plærunque res nouas moliri & Tyrannidem inuadere ac imperia concupiſcere ſoleant: pacis amantes ac modeſti, magna licet potentia præditi, non item.

1. Membri ratio.

2. Membri ratio.

3. Membrũ. Καὶ τ̃ δυνάμεως] Ad eos pertinet hoc conſilium, de quibus modo explicatum eſt, quos nimirum Rex magnos fecerit, ſeu ad magnas opes perduxerit. Nam de his conſilium trimembre eſſe diximus. Duabus partibus iam explicatis, quæ ſunt de producendo ad maiores opes & dignitates vno aliquo: reliqua nunc tertia, illis velut contraria, de illis iam potentibus ad priorem ſtatum deducendis hic explicatur, qua id prudentia ſit faciendum. Nam præcipit ſiue ſuadet Ariſtoteles, tali alicui nõ eodem tempore vniuerſam potentiam & opes ac dignitatem eſſe eripiendam, ſed particulatim eam eſſe deminuendam. Cuius conſilij cauſa licet hic nõ exprimatur, hæc tamen eſſe videtur: Quod ſubita fortunæ & dignitatis commutatio contumelioſa eſſe videatur, magnumq́; dolorem plærumq; afferat. Quæ contumelia ac dolor facile eos ad res nouas moliendas & inſidias aut vim regi ſeu Tyranno faciendam impellere poſſunt. Idem conſilium in amicitia dirimenda dant veteres. Qua de re ita *Cic. in Lælio*; vbi de vulgaribus & vitioſis amicitijs ſiue iam ad vitium flectentibus: Tales igitur amicitiæ, inquit, ſunt remiſſione vſus renuendæ, & (vt Catonem dicere audiui) diſſuendæ magis quam diſcindendæ. & *li. 1. off.* vbi de mutando vitæ genere: Eam, inquit, mutationẽ ſi tempora adiuuabunt, facilius commodiusq́; faciemus: ſin minus, ſenſim erit pedetentimq́ue facienda: vt amicitias, quæ minus delectent & minus probentur, magis decere cenſent ſapientes ſenſim diluere (ſic enim ibi legendum ex veteribus libris) quam repente præcidere. Quod enim *Cicero* ſenſim & pedetentim, id

Ratio.

Simile.

græce

græce hic Ariſtot. elegantiſs. ἐκ παρασταγωγῆς, vt & *ſupr. hoc libro capit. 6. in fine. & capit.* 8. eo eſt vſus, quo in loco idem eſt explicatum ijſdem pene verbis; nimirum in omni Repub. illud cauendum, ne quis nimia potentia augeatur. Quod ſi caueri non poteſt, ſaltem vt ne ſimul vno eodemque tempore vel augeatur, vel auctus de gradu (vt dicitur) deiiciatur, ſed ἐκ παρασταγωγῆς & κατὰ μικρὸν. Sic enim ait Ariſtotel. κοινὸν δὲ ἐν δήμῳ καὶ ὀλιγαρχίᾳ, &c.

TEXTVS.

Præterea arceri Tyrannus cum omni iniuria ſeu contumelia, tum præter cæteras duabus; tam ea, qua corpora plagis afficiantur, quam ea, quæ eſt in ætatē. Maxime autem aduerſus honoris cupidos hæc adhibenda eſt cautio ſiue prouiſio. Nam contemptum, quo ad pecuniam, grauiter ferunt auari: quo ad ignominiam, & ambitioſi & viri præſtantes. Quare vel non vtendum eſt talibus rebus, vel videri debet ſuppliciis quidem vti paterne, non per contemptum: adoleſcentum vero congreſſibus ex cauſa amatoria, non vero per imperium. Ad ſummam; quæ videntur ignominiæ, maioribus eas honoribus redimere. Ex iis autem, qui aduerſus ipſam perſonam quid moliuntur, hi maxime ſunt metuendi, plurimamque cuſtodiam deſiderant, qui, Tyranno necato, non magnopere laborent, vt ipſi ſalui euadant. Quapropter maxime cauendum eſt ab iis, qui iniuria vel ſeſe, vel quorum curam gerunt, affici putant. Nam qui ira impelluntur ad impetum faciendum in aliquem, negligere ſe ipſi ſolent, vt & Heraclitus ait; Difficile factu eſſe dicens cum ira pugnare (iræ reſiſtere.) emere namque anima.

COMMENTARII.

Ἔτι δὲ πάσης μὲν ὕβρεως εἴργεσθαι.] Aliud conſilium ſiue præceptum, *11. precept.*

ceptum, quo iubet Ariſt. ſiue ſuadet Tyranno, vt abſtineat & temperet ab iniuria in ciues, cum ab alia omni, tum ab his duob. iniuriæ generib. pulſatione ſeu verberatione, & ſtupro. *Ratio.* Nam cum iniuria ſiue cõtumelia ſit multiplex, omneſq; eos, qui iniuria ſint affecti, ad vindictam impellat, vt *ſup* eſt explicatum *cap. 10.* his verbis; τῶν δ' ἐπιθέσεων αἱ μὲν ἐπὶ τὸ σῶμα, &c. contumelioſiſſimæ, & ad inſidias faciendas acerrimæ vidẽtur *Approbatio* *αὔξησις.* hæ duæ, pulſatio & ſtuprum: eo quod magnã afferant turpitudinem, & velut ignominiam inurant perpeſſo; vt ignauo & effœminato. Cum autẽ aduerſus omnes, tum maxime in eos qui magni ſunt animi, & generoſo ingenio, quiq; gloriæ honorum ſunt cupidi, ab his duob. iniuriæ generib. tyranno ab- *Ratio.* ſtinendũ ait: propterea ꝙ hi, magno animo & gloriæ cupido præditi, grauiſſime ferant iniuriã, qua ignominia quædam ijs afferatur, non ſecus atq; auari atq; puſilli animi homines in- *Approbat.* iuriam ac damnum rei familiaris grauiter ferre ſolent. Nam quæ quis maxime curat, vt auarus pecuniam, ambitioſus & gloriæ cupidus honorem & gloriam: eorum amiſſione maxime afficitur, & ad dolorẽ, iram, odiũ & vindictã impellitur. De qua differẽtia magni & parui ſeu anguſti animi hominũ, ex quibus illi gloriam, hi quæſtum ſibi propoſitum habent, dictum eſt & *ſup. l. 2. c. 5. & hic c. 8.* Sapienter igitur Ariſt. ſuadet Tyranno, vt ab his iniuriis vel plane abſtineat, vel ſaltem prudenter vtatur. Et de pulſatione, ſiue de pœnis & ſupplicii, iis vt ita vtatur, non vt per contemptum, & ſuperbe inſultandi aut violandi alterius cauſa; ſed vt paterno animo ea videatur infligere quaſi inuitus, & neceſſitate poſtulante. De conſuetudine vero cum mulieribus vel adoleſcentibus, vt ea non vi & imperio, ſed amore impulſus vti videatur.

Cauſa ſeu ratio, ob quã Ariſt. præcipue duo hæc iniuriarum genera caueri velit. Cur autem Ariſtoteles de his iniuriæ generibus præcipue agat, cauſa fortaſſis hæc eſt: Quod plærique Tyranni in his maxime peccare conſuerint; eaque propter multi & olim fuerint interfecti, vt de Hipparcho, Periandro Corinthio, Archelao Macedone, aliiſque *ſupra* expoſuimus *capite* 10. qui per libidinem & conſuetudinem Veneream, qua non ex amore ſæpe, ſed contumeliæ faciendæ cauſæ vterentur, interfecti ſunt. Ob pulſationem autem multos quoque necatos *Exempla.* fuiſſe ait *ibid.* Ariſt. vt Penthilum, Archelaum.

Καὶ τῆς εἰς τὴν ἡλικίαν.] Sic & *ſupr. c. 10.* hanc iniuriam vocat, ſed paulo *infr.* πρὸς τὴν ἡλικίαν

Ἢ τὶς

Ἡ τὰς μὲν κολάσεις πατρικῶς.] Præclarum eſt præceptum de *12.præcept.*
pœnis & ſuppliciis:iis vult ita eſſe vtendum,vt non contume- *de pœnis &*
liæ cauſa,& petulanter, ſed paterno animo infligi videantur. *ſuppliciis.*
Quo pertinet & quod *ſupr.c.6.fere in fi.* de ſeditione & motu *1.Exempl.*
tam Thebis, quam Heracleæ, ob hanc potiſſimum cauſam *2. Exempl.*
exorto docuimus: Quod ſupplicia iis in locis,licet iuſta,contumelioſe tamen & ſeditioſe de quibuſdam eſſent ſumpta.

Τὰς δὲ πρὸς τὴν ἡλικίαν.] Idē & *ſup.* exemplo Archelai Re- *Exemplū.*
gis iiſdem fere verbis docuit *ca.10.*cui ab Hellanocrate Lariſſæo (quod Archelaum ſua ætate abuti δι' ὕβριν, καὶ οὐ δι' ἐρωτικὴν ἐπιθυμίαν iudicaret) inſidiæ fuerint factæ,quiq; vna cum reliquis in Archelaum conſpirarint.

Ὅλως δὲ τὰς ἀδοξίας.] Prudens & elegans & hoc eſt conſi- *13. præcept.*
lium ſiue præceptū,quo iubet Ariſt. ea,q̄ ad ignominiā pertinent,alicui facta magnis honorib.velut mitigari &cōpenſari.
Hac.n.ratione fiet,vt ignominia affecti iram deponāt,poſte- *Ratio.*
riorib. honorib.placati: ſimul & hoc intelligāt nō petulantiæ vel cōtemptus,ſed potius emēdationis cauſa ea ſe eſſe perpeſ-
ſos. Quod idē ſæpe parentes factitant,vt quos verberib.exce- *Simile.*
perint, eoſdē poſtea cruſtulis demulceāt & velut abblādiant.

Τῶν δ' ἐπιχειρούντων.] Dictum eſt *ſupr. c.10.* ἐπιθέσεις ſeu inſi- *14.præcept.*
dias, & inuaſiones, ac molitiones vel aduerſus perſonam aut corpus Regis aut Tyranni, vel contra imperiū tantummodo & principatum fieri. Hic igitur de iis,qui corpus petunt & vitam principum:eos ait maxime metuendos,qui nullo mortis metu,nullaq; vitæ ſolicitudine(quicquid, inquam,acciderit,
in vtrunq; ſc. parati) id auſint, ſiue Tyrannos inuadant. Cur *Ratio.*
autem ab his maxime metuere, ſibiq; cauere debeant principes,cauſa eſt perſpicua: Quod hi propter mortis cōtemptum *Exemplū.*
ſemper ad impetū faciendū ſint parati,etiā nulla data cōmoda occaſione. Sic & de Gallis veteres commemorāt, eos propter opinionem de immortalitate animi,vita hac contempta acerrime maximoque impetu pugnare ſolitos, *Cæſar lib.5. de bello Gallico.* Contra qui vitæ ſunt cupidi, non ita ſunt metuendæ eorum inſidiæ, quare & olim Ciceronem, vt meticuloſum, coniurati in Cæſarem eius ἐπιθέσεως & coniurationis ſocium habere noluerunt, *teſte Plutarcho.* Iam vero qui quaque de cauſa quidem ita vitam contemnant, vt quicquid acciderit,parati ſemper ſint in Tyrannū inuadere,Ariſt. quoq; hic commemorat. Nam id ex contumelia, quam quis

vel

vel ipſe, vel ſui, qui ipſi ſunt curæ & commendati, acceperint, ſiue potius ex ira ex contumelia nata accidere. Itaq; contumelia affectos vel ſua vel ſuorũ, eaq; irritatos & grauiter cõmotos eſſe eos, qui etiam cum vitæ periculo, & nulla ſpe propriæ ſalutis, de hac contumelia & iniuria vlciſci & in Tyrannum inuadere ſunt parati. Id quod (id eſt, iram) huius inconſulti impetus & vindictæ cauſam eſſe (etiam cum vitæ periculo) confirmat *nobili dicto Heracliti Philoſophi*, χαλεπὸν θυμῷ μάχεσθαι, ψυχῆς γὰρ ὠνεῖσθαι. Difficile eſſe iræ obſiſtere, vita namque redimi ſiue conſtare. De quo dicto diligenter explicauimus *lib.2.Eth. cap.3.* vbi idem ab Ariſtotele adducitur & à multis aliis, vt eo loco dictum eſt. Et certe iræ quam celeres graueſque ſint impetus, ſatis notum eſt, & pulchra ſimilitudine indicatur ab Ariſtotele *lib.7.Ethic.cap.7.* & dictum etiam *ſupr.cap.10. in fin fere hoc lib.* Sunt & aliæ cauſæ præter contumeliam, quæ homines vitæ negligentiones & contemptores reddant, vt opinio illa de immortalitate, de qua diximus: vt gloria; de qua dictum *ſup.cap.*10. vbi de Dione aduerſus Dionyſium Iuniorem; quo in loco perpaucos eſſe ait, qui ita cum vitæ periculo & mortis contemptu, vt Dio, parati ſint in Tyrannos inuadere. Cæterum de contumelia & ex ea ira & odio quemadmodum tyrannides tollantur, dictum eſt *ſupra capite 10.* Quo in loco exempla aliquot ſunt allata.

γνώμη.

Cauſa reliqua cõtemtus vitæ.

TEXTVS.

Cum autem ciuitates ex duabus conſtent partibus, ex egentibus hominibus & locupletibus: danda quidem eſt opera maxime, vt vtrique exiſtiment ſe ſaluos eſſe propter imperium, & nulla in re iniuria affici alterum ab altero. Vtri vero fuerint potentiores, vt hi maxime imperio concilientur: vt, ſi hoc effectum fuerit, non ſit neceſſe Tyranno vel ſeruorum liberationem, vel armorum ademptionem machinari. Satis eſt enim pars altera potentiæ adiecta, vt inuadentibus ſuperiores ſint.

COM-

COMMENTARII.

Ἐπεὶ δὲ αἱ πόλεις.] Aliud conſilium conſeruandæ tyranni- *15. precept.*
dis, de adiungenda ſiue concilianda altera populi parte. Nam
cum duæ in omnibus ciuitatibus partes ſint populi, maxime
inſignes & vſitatæ, diuites & pauperes, vt *ſupr.* explicatum *lib.
4. cap. 4. & hoc lib. cap. 1.* curare quidem debet Tyrannus, o-
mnes vt tyrannidi bene cupiant, eiuſque imperium ſaluum
& incolume eſſe velint. Quod hac ratione fortaſſe efficiet, ſi *Quib. ratio*
iuſte imperando, populo hanc opinionem inſtillet, vt, niſi *nibus ciues*
incolumi hoc imperio, exiſtiment, ſe quoque ſaluos eſſe non *pſentis ſta-*
poſſe; & efficiendo, vt neutra pars alteri faciat iniuriam, vt *tus cupidi*
ne diuites plebem opprimant, & velut ſerua vtantur, vel plebs *reddantur.*
diuitum bonis inſidietur. Hoc igitur maxime quidem cura-
re, & operam dare debet Tyrannus, vt omnes populi ſiue ci-
uium partes ita erga ſe ſint affecti, omniũ ſalute & cõmodis
æquabiliter curandis. Quod veri Regis officium eſſe, docuit
ſupra c. 10. his verbis; βούλεται δὲ ὁ βασιλεὺς εἶναι φύλαξ, &c.
& *Cic. lib. 1. Offic. ex Platone*, boni magiſtratus ac viri politici
idem quoque munus & officium eſſe docet, vt omnes partes
Reipublicæ peræque ipſi ſint curæ. & *lib. 2 de Offic. ex Herod.*
regna ea re inſtituta fuiſſe ait, iuſtitiæ fruendæ cauſa. Verum *2. membrũ.*
quia difficile factu eſt, vt omnes Tyranno bene cupiant; κα-
τὰ δεύτερον πλοῦν, ſecundario, id faciundum ſuadet Ariſtote-
les, vt alteram ſaltem partem ſibi adiungat & conciliet, ſiue
diuitum ſiue tenuiorum. Nam cum Tyrannus ſuis ipſe opi- *1. Ratio ſeu*
bus multum poſſit: tamen hac acceſſione munitus facile re- *vtilitas.*
liquam partem in officio continebit; & ſi qui ex reliqua par-
te in ſe coniurarint, cum ſuis opibus, tum ciuium illorum,
qui ipſi eiuſque imperio bene cupiant, facile iis obſiſtet, ſe-
que tuebitur. Neque vero hoc tantum commodum hinc *2. Ratio ſeu*
Tyrannus habebit (ex hoc conſilio) ſed illud quoque, vt *vtilitas.*
non cogatur more aliorum Tyrannorum ad res duas, partim
turpes, partim odioſiſſimas decurrere; nimirum ad ſeruos li-
berandos, & arma ciuibus adimenda. Hoc autem conſilium
κατὰ δεύτερον πλοῦν, & (vt ita dicam) ſecundarium, ſeu po-
tius vniuerſum, quod hic Tyranno datur, reliquis omnibus
Rebuſpublicis datum eſt *ſupra lib. 4. cap. 11.* his verbis: καὶ
τὰς τοιαύτας ἐνδέχεται πολιτεύεσθαι, &c. μάλιστα μὲν
ἀμφοῖν.

Οὔτε

Serui à Tyrannis in auxilium vocati. Οὔτε δούλων ἐλευθέρωσιν.] Tyrannorum hanc conſuetudinem, qui ſeruos ad pileum vocent, & libertate donent, vt iis eorumq; præſidio aduerſus liberos & ciues vtantur. (Eſt enim natura ſeruus libero, maxime domino ſuo, inimicus & hoſtis natura, ex veter. prouerb.) *Plato* quoq; cõmemorat *libr. 8. de Rep. extrem.* quæ verba adduximus *ſup. h. c.* ad hæc verba; ꝙ δούλων ἄνεσις

1. Exempl. Quod vt exemplis confirmetur, ita *Iuſtinus* de Clearcho Heracleæ Tyranno (Heraclea vrbs Ponti prope Conſtantinopolim) *lib. 16.* cognito deinde, quod bellum ſibi ab his, qui profugerant, miſericordia in auxilia ſolcitatis ci-

2. Exempl. uitatib. pararetur: ſeruos eorũ manumittit. De Critia quoq; vno ex *30.* Tyrannis vrbis Athenar. qui in Theſſalia Peneſtas (ſic vocantur ſerui in Theſſalia) aduerſus dominos ſuos armarit, narrat *Xenoph. li. 2.* τῶν ἑλληνικῶν, his verbis; ὅτι γὰρ ζῶντα λῶ, &c.

Teſtimon. Huc quoq; pertinet, quod Hiero Tyrannus apud *Xenoph in Hieron.* ait, Tyrannum cupere liberis quidem vti ſeruis, ſeruos vero cogi manumittere.

Οὐδὲ ὅπλων παραίρεσιν.] De hac re dictum *ſup. c. 10.* ad illa verba, διὸ καὶ τὴν παραίρεσιν.

TEXTVS.

Superuacaneum ſit autem talia ſingulatim exponere. Nam ſcopus perſpicuus eſt, debere ciuibus videri non tyrannicum, ſed curatorem & regium: nec ſibi vindicantem, ſed tutorem & mediocritates vitæ perſequi, non immoderationes. Præterea optimatum vti congreſſibus, & multitudinem colere aut demulcere. Ex his namq; neceſſe eſt, imperium non pulchrius tantum & beatius (eo quod melioribus imperet, & non abiectis, nec ſit odioſus & metuendus) ſed etiam diuturnius eſſe imperium. Præterea ipſum ingenio affectum eſſe vel ad virtutem præclare, vel ſemibonum & non malum, ſed ſemimalum.

COMMENTARII.

ἀπόδειξις. Περίεργον δὲ.] Expoſitis præceptis conſeruandæ tyrannidis mitioribus, quia complura alia eiuſdem generis cõmemorari poſſent, ne res ſit longior: ſuperuacaneum eſſe ait, ea omnia ſingu-

ſingulatim hic perſequi & cõmemorare: Maxime cũ eodem omnia pertineãt, idẽ ſit ſcopus, quo ſemel propoſito, & ſemel cognito, facile ſit alia cõferẽtia colligere. Quis aũt hic ſit ſcopus, ꝙ princeps, qui benignitate & clementia imperiũ adminiſtrare & tueri velit, non acerbitatẽ & ſeueritatẽ propoſitam ſibi habere debeat: & hic iteratur. & *ſupr. h. c.* latius eſt expoſitum, his verbis; ὁ μὲν οὖν εἷς τρόπος γίνεται, &c. nimirũ, vt ſe a ſuis non Tyrannũ ſed Regẽ potius, non eũ qui ſui cõmodi, ambitionis aut voluptatũ cauſa imperiũ teneat, ſed illorum potius tuendorũ, & ab iniuria conſeruandorũ, ſitq; velut tutor & curator, ac diſpẽſator cõmunis habeatur ac videatur. Hoc enim hæc altera mitior conſeruãdæ tyrãnidis ratio & via agit, illud ſibi propoſitũ habet, vt tyrannis ad regale imperiũ flectatur, aut certe ſimuletur. Quod idem plæroſq; Tyrannos factitare aut conari ſolitos, grauis auctor *Polybius* ſcribit *lib. 6. hiſtor.* *Scopus Tyranni.*

Ἀλλ' οἰκονόμον.] Sic & *ſupr. hoc cap.* vbi de pecunia publica non largitionibus aut turpibus donis & muneribus temere conſumenda, ſed potius & pecuniæ & ſumptuum rationem populo reddendam Tyranno ſuadet. Nempe vt hac ratione οἰκονόμος, ἀλλ' οὐ τύραννος eſſe videatur. *1. Præceptũ.*

Καὶ μὴ σφετεριςήν.] Sic & *ſupr.* Tyranno ſuadet, vt vrbem egregie exornet, vt tutor aliquis & curator, ὡς ἐπίτροπον ὄντα καὶ μὴ τύραννον. Quod cum alios principes feciſſe docuimus eo loco, tum de ipſo Piſiſtrato commemorat *Herodot. libro 1.* ἔνθα δὴ ὁ πεισίστρατος ἦρχεν ἀθηναίων, τὴν πόλιν κοσμέων καλῶς, vrbem exornans præclare & bene. *2. Præcept.*

Καὶ τὰς μετριότητας.] De voluptatibus moderate fruendis, non intemperanter (vt alioqui ſolent Tyranni) hæc verba accipi debent. Argumento eſt verbũ μετριότητας, quo & *ſupr.* eſt vſus. Sic enim ait; μετριάζειν τοῖς τοιούτοις, agens de corporis voluptatibus, his verbis: περὶ τὰς ἀπολαύσεις τὰς σωματικάς, vbi id latius eſt explicatum. *3. Præcept.*

ἔτι δὲ τοὺς μὲν γνωρίμους.] Cum duæ fere ſint ciuiũ partes, optimates & multitudo ſiue plebes: debere Tyrannũ aduerſus vtranq; partẽ facilẽ & humanũ ſe præbere, vt plebẽ quidẽ officiis & beneficiis demulceat & colat: optimatũ vero cõſuetudine vtatur. Quod cõtra plæriq; faciãt, q optimates vel interficiunt, vel in exiliũ pellunt, plebẽ operis & laborib. fatigãt, & plane ſeruã reddunt, vt *ſupr.* explicatum eſt *initio fere huius c.* Verũ de hac facilitate & humilitate iã *ſup.* eſt explicatũ ad ea *4. Præcept.*

verba,

verba, & φαίνεσθαι μὴ χαλεπὸν, &c. Vt aũt hic Ariſt. de tyranno, ita & *Plut.* de Principe in Rep. viro, ſiue ſit Rex, ſiue politicus aliquis, æque faciendum eſſe ſuadet *in lib. de præcept. ciuil lib.* Sic enim ait: δεῖ δὲ τοὺς μὲν ἰδιώτας, &c. Quibus ait, virum Principem plebeios quidem & idiotas quadam comitate & æquabilitate; opulentos vero & potentiores mutuo quodam obſequio demulcere debere.

1 Vtilitas. ἐκ γὰρ τούτων.] Duo magna commoda ſeu bona ex hac humanitate manare oſtendit: Imperii, inquam, præſtantiam & diuturnitatem. Nam eius imperium, qui tam erga optimates, quam aduerſus multitudinem ita ſe gerit, longe præ-*Ratio.* clarius & pulchrius atque beatius eſſe oſtendit: eo quod hi, qui parent, meliore & beatiore fortuna vtantur. Quo enim beatiores & florentiores ſunt ciues & parentes, eo quoq; florentiora & beatiora ſunt imperia. Id quod de Periãdro commemorat *Plut. initio Sympoſii*, eum non ſecutum Thraſybuli conſilium de principibus viris interficiendis, his verbis: γεωργοῦ γὰρ, &c. Neque enim agricolæ, tritici & hordei loco locuſtas & gallinas, domum deportare volenti, abſimilis ſit Tyrannus is, qui mancipiis potius, quam viris, imperare velit. *Plato* quoque *in Hipparcho* laudat Hipparchum Tyrannum, qui ciues præclare inſtituendos curarit, & melioribus præeſſe, quam improbis, maluerit. Huc quoque pertinet dictum Maximiliani I. Imperatoris, de ſe aliiſque Regibus Chriſtianis; ſe quidem Principibus, Gallum aſinis, Anglum furibus,

2. Vtilitas. &c. imperare, vt fama eſt. Alterum ex hac Tyrannorum in ſuos facilitate & communitate commodum eſt, quod imperium ſtabilius & diuturnius ea efficiatur. Cum enim hac facilitate ciuium in ſe beneuolẽtiam & amorem concilict Tyrannus: fit, vt eius imperium quoque ſaluum & incolume eſſe velint. Vt contra quem metuunt, & oderunt propter crudelitatem aut ſeueritatem, eum periſſe expetunt: vt eſt vetus verſiculus *lib. 2. Offic. apud Cic.* Docuimus etiam *ſupr.* de beneuolentia; eam eſſe ad diuturnitatem aptiſſimam: & de odio ac metu, eam imperiis eſſe maxime pernicioſam.

5. præcept. ἔτι δὲ αὐτὸν διακεῖσθαι.] Monuit paulo ſupra Ariſtoteles, ſuperuacaneum eſſe, ſingulatim perſequi præcepta huius mitioris rationis tyrannidis conſeruandæ. Ipſe tamen aliquot hic breuiter nihilominus congerit. Quorum tria modo ſunt expoſita. Hoc autem, de quo hic agitur, ad mores & probitatem

tem Tyranni pertinet. Nam vult Ariſtoteles Tyrannum vel probum eſſe & virum bonū, vel omnimodo, vel dimidia ſaltem ex parte, nō vero eſſe improbum plane, ſed ex parte tantum. Cum enim plæriq; Tyranni plane ſint improbi & libidinoſi, omnibuſq; vitiis cooperti, & proinde imperio quoq; ſuo iniuſte & crudeliter vtantur: id quod ad priorem modū pertinet: recte & contra iubet eos Tyrannos, quorum nō magna eſt multitudo, qui leniore hac via præeſſe imperio, idq; conſeruare velint, eo eſſe ingenio, quod ad virtutem ſit aptum, adeo, vt ſi non plane ſit vir bonus, aliqua tamen ex parte talis ſit, vt ſi non plane & perfecte virtutibus ſit præditus, initia tamen quædam & primordia virtutum, aut ſaltem igniculos naturales, aut ſaltem aptitudinem in ſe habeat: vt ſunt illi, qui *lib. 7. Ethicor.* continentes dicuntur. Cur autem Tyranni, qui hac altera ratione imperare velint, non omnino improbi eſſe debeant, ſed virtutum ſimulachra quædam habere, cauſa & ratio perſpicua eſt, quod ea illius rationis præcepta, iam *ſupr.* explicata, non poſſint ab homine plane improbo ſeruari. Cur autem non ſit neceſſe, vt omnibus virtutibus Tyrannus perfecte ſit præditus, ratio hæc eſſe videtur. Quod tum Rex potius videretur, cuius proprium eſt, virtute omnibus reliquis ciuibus antecellere, vt *ſup.* explicatum *l. 3.*

Ratio, cur tyr. non omnino debet eſſe improbus.

Ratio, cur tyr. non ſit omnino probus.

CAPVT XII.

DVo ſunt membra huius capitis, quorum in priore de Tyrannidis breuitate ac diuturnitate: in altero de ſententia Platonis de cauſis mutandarum Rerumpublicarum agitur. Quod quia plane cum priore nullam habet cognationem; puto, rectius initium capitis 12. aut etiam *13.* eo loco eſſe collocandum.

1. pars.
2. pars.
Ratio partitionis.

TEXTVS.

Ex omnibus autem Rebuſpublicis minus diuturnæ ſunt Oligarchia & Tyrannis. Nam diutiſſime manſit ea, quæ Sicyone fuit, liberorum Orthagoræ & ipſius Orthagoræ. Hæc autem centum annos permanſit. Cuius rei cauſa eſt, quod moderate ſe in ciues gererent, & plæraque legibus conuenienter adminiſtrarēt. Et Cliſthenes, quod

bellicoſus eſſet, non erat contemptui (ſeu non veniebat in contemptionem.) Multa quoque faciebant, quibus beneuolentiam populi allicerent. Quare dicitur Cliſthenes eum, qui victoriam ab ipſo iudicarat, corona donaſſe. Nonnulli etiam ſtatuam in foro ſedentis ſpeciem poſitã ſignum ſiue ſimulachrum eius, qui ita iudicauit, eſſe aiunt. Quod & Piſiſtratum, cum aliquando in ius vocatus eſſet in Areopagum, id tuliſſe ferunt. Altera autem Cypſelidarum Corinthi fuit. Etenim hæc 73. annos permanſit, & ſex menſes. Nam Cypſelus quidem tyrannidi præfuit annos triginta, Periander vero quadraginta. Pſammetichus Gordiæ filius annos tres. Cauſæ vero huius quoque ſunt eædem. Nam Cypſelus quidem Demagogus erat, totoque imperio ſine cuſtode permanſit. Periander vero fuit ille quidem tyrannico ingenio, ſed bellicoſus. Tertia Piſiſtratidarum Athenis: quæ tamen non fuit continua. Bis enim exulauit Piſiſtratus tyrannidem iam nactus. Itaque ex annis triginta tribus ſeptemdecim annos tyrannidi præfuit: octodecim, liberi: Adeo vt omnes ſint anni trigintaquinque. Ex reliquis autem Hieronis tyrannis & Gelonis Syracuſis, ſed ne hæc quidem multos annos permanſit, ſed omnes duodeuiginti. Nam Gelo poſtquam ſeptem tyrannidi præfuiſſet, octauo exceſſit è vita: Hiero vero decem. Thraſybulus autem vndecimo menſe pulſus fuit. Multæ autem tyrannides plane breues fuerunt.

COMMENTARII.

Καί τοι πασῶν.] Interponit hic Ariſtoteles de tyrannidis diuturnitate & breuitate, accepta (ni fallor) occaſione ex

eo,

eo, quod *capite priore extremo* dixerat, imperium, quod humanitate quadam & facilitate temperatum, eſſe & diuturnius. Attingit & de oligarchia. Nam ex omnibus Rebuſpublicis hæc duo Rerumpublicarum genera (oligarchiam & tyrannidem) ait eſſe minime diuturna. Cauſam nullam affert hoc loco, exemplis tantum id confirmat, & quidem de ſola tyrannide. Nos breuiter & de aliis Reipublicæ generibus, vt hoc ipſum de tyrannide melius intelligatur, exponamus. Cum igitur Rerumpublicarum ſex ſint genera; tria recta, Regnum, Ariſtocratia, & Politia; vitioſa item tria, Tyrannis, Oligarchia, & Democratia: De Regno; hunc ſtatum Reipublicæ valde eſſe diuturnum & ſtabilem Ariſtoteles docuit *ſupra capite 10. extremo*, his verbis; βασιλεία μὲν ὑπὸ τῶν ἔξωθεν, &c. Quod ratione eo loco confirmat, & exemplis multorum Regnorum facile confirmari poteſt; Aſſyrii, Perſici, Spartani, Moloſſici, Macedonici, &c. & ab ipſo Ariſtotele confirmatur exemplis *initio cap. 11.* De Ariſtocratia quoque, qui optimatum eſt ſtatus, hunc quoque ſtabilem ac diuturnum eſſe, docuit idem Ariſt. *ſupr. h. l. cap. 7.* his verbis; ὥσπερ ἀσφαλέστερα, &c. hac ratione: quia in Ariſtocratiis qui præſunt, moderate ſe gerunt, non petulanter, & iniuſte, vt in Oligarchiis. De politia, eam eſſe maxime diuturnam ac ſtabilem, ſæpe iterat Ariſtoteles, vt *hoc lib. cap. 1. in fi. & capite 7. & libr. 4 cap. 11.* hac nimirum ratione, quod in ea magna ſit multitudo ciuium mediocrium, neque nimis diuitum, neque nimis pauperum: quæ res faciat, vt quam rariſſimi & pauciſſimi motus exiſtant. De Democratia, eam prioribus tribus minus eſſe diuturnam, reliquis duabus Rebuſpublicis, Oligarchia & Tyrannide, eſſe diuturniorem: Quia ſcilicet maiorem cum Politia cognationem habeat, docuit *ſupra lib. 4. cap. 11. & hoc lib. cap..... in fin.* De Oligarchiæ autem diuturnitate, aut potius breuitate, eiuſque rei cauſis, quia nimirum ſolis diuitibus aditus ad Rempublicam pateat, quæ diuitiæ inſolentiam parere ſolent, explicatum *ſupra libro quarto, capite primo, & hoc libro cap. 1. cap. 6. & cap 2.* De Tyrannide autem, eam eſſe ex omnibus minime diuturnum ſtatum Reipublicæ (de cuius mutandæ cauſis dictum eſt & *ſupra capite decimo.*) hic potiſſimum explicatur, multiſque & variis exemplis oſtenditur, aliam quidem tyrannidem alia eſſe breuiorem, & nonnullas eſſe ac du-

Regnum genus Reipub. ſtabile eſt ac diuturnum.

Ariſtocrat. genus Reip. diuturnũ.

Ratio.

Politia genus Reipub. maxime firmum.

Ratio.

Democratia diuturnitas.

Ratio.

Oligarchia infirmitas.

Ratio.

Tyrannis omniũ Rerump. imbecillima.

Tyrannidũ collatio.

ac durare aliquot annos, ſed plæraſque eſſe breuiſſimas. *Apophthegma.* Quare olim & Thales Philoſophus ex diuturna peregrinatione domum reuerſus, cum interrogaretur, quid in ea maxime rarum vidiſſet, reſpondiſſe dicitur; Tyrannum ſenem; *teſte Plutarcho in lib. de Dæmonio Socrat. & in Sympoſ.* *Æliani teſtimonium.* *Ælianus quoque lib. 6. var. hiſtor. ca. 10.* oſtendit, præclare à Deo comparatum eſſe, vt nulla tyrannis vltra nepotes permaneat, ſed plæræque inſtar pinus ſtatim conterantur; & ait, tres tantum ex omni antiquitate apud Græcos commemorari, quæ ad nepotes fuerint proditæ, Gelonis in Sicilia, Liuaniorum (de his amplius quærendum) in Boſphoro, & Cypſelidarum Corinthi.

1. Exempl. Πλεῖστον γὰρ ἐγένετο.] Commemorat Ariſt. quatuor tyrannides, quæ apud Græcos maxime fuerint diuturnæ, in quibus principē locum quę teneat, quæq; longiſſime durauit, ait eſſe Orthagoræ, eiuſq; liberorū atq; poſterorū, qui Sicyone centum annos tyrannidē occuparunt vel obtinuerūt. *1. cauſa diuturnitatis huius tyrānidis.* Cuius diuturnitatis cauſam ait eſſe partim ipſorum Tyrannorum humanitatem, partim quod multa non pro ſua libidine, vt plærique ſolent Tyranni, ſed ex legum præſcripto adminiſtrarent; *2. Cauſa.* partim etiam, quod ex iis quidam non effœminati & ignaui, ſed bellicoſi eſſent, *3. Cauſa.* & proinde non facile à ſuis contemnerentur vel opprimerentur. Quæ tria, humanitas aduerſus ciues, adminiſtratio legibus conſentanea, & ſtudium rei militaris, imperiis conſeruandis inprimis eſſe idonea, *sup.* ſæpe eſt explicatum.

1. Forma Reip. Sicyoniæ. Ἡ περὶ Σικυῶνα.] Antiquiſſimo tempore Sicyonii regali ſtatu Reipublicæ vtebantur. Nam inter Græciæ ciuitates Regnum Sicyonium antiquiſſimum commemoratur, quos Reges omnes ordine ac deinceps *Euſebius* commemorat *in Chronico.* Meminit & *Pauſanias libro 2.* *2. Forma.* Sublato Regno, & mutato Reipublicæ ſtatu, longo poſt tempore in ea ciuitate tyrannidem occupauit Orthagoras, cui Miron & Cliſthenes, fortaſſe ante Cliſthenem alii, ſucceſſerunt. *Cliſthenes.* Nam obſcura horum eſt memoria, præterquam de Cliſthene, qui in multis celebratur, vt valde prudens, potens, bellicoſus & popularis princeps, vt videre licet *apud Herodotum libro quinto, & hic & apud Pauſaniam libro ſecundo.* Orthagoræ tamen huius meminit *Plutarchus in libr. de iis qui tarde à Deo puniuntur.* his verbis; ἀλλὰ Σικυώνιος μὲν Ὀρθαγό-

ρας

ερας γενόμενον τύραννον, &c. vbi Hieronis & Cliſthenis mentionem ſubiungit.

Φασὶ δὲ τὸν Πεισίστρατον.] Vt Cliſthenem: ita & Piſiſtratum facilem & comem, valdeque popularem fuiſſe ait, & exemplo demonſtrat. Alia quoque veteres Piſiſtrati humanitatis & popularitatis exempla, & qui iniurias etiam ciuium non ſtatim ſit vltus, commemorant, vt videre eſt *apud Athenæum libro 12.* Δειπνοσοφιστῶν. *& Senecam lib. 3. de ira, cap. 11. Plutarchum in apophthegmat. & in lib. de his qui tarde à Deo puniuntur.* Eſt autem & *apud Valer. Max.* hac de re locus communis de iniuria æquo animo accipienda, & Principum facilitate ac patientia. *2. Exempl.*

Δευτέρα δὲ περὶ Κόρινθον.] Priori diuturnitate & conſtantia proximam tyrannidem Cypſelidarum, qui Corinthi tyrannidem obtinuerunt annos 73. & quod excurrit, affert & exponit hic Ariſt. De cuius tyrannidis ortu late *Herod. lib. 5.* Nam cum & olim Regno vterentur Corinthii: tandem in paucorum poteſtatem recidit ciuitas, quos Bacchides ſiue Bacchiades (familiam in ea vrbe nobiliſſimam) vocat; quorum imperio oligarchico deleto, Cypſelus tyrannidem occupauit, *teſte Strabone lib. 8. & Pauſan. lib. 2.* Et Cypſelus quidem annos 30. præfuit. Eius autē filius Periander 40. Et hoc ſine liberis mortuo fratris Cypſeli nomine Gordiæ filius, vt hic dicitur, Pſammetichus tres annos, & ſex fortaſſe menſes. Tandem & hæc Cypſelidarū Tyrannis à Corinthiis ope Lacedæmoniorum deleta eſt, *teſte Plutarcho de malignitate Herod.* Quod igitur hic Ariſt. perſpicue demonſtrat, tres ex hac familia Cypſelidarum huic tyrannidi præfuiſſe: idem ait & *Strabō lib. 8. Geograph.* vbi ait, Cypſeli familiam μέχρι τριγονίας permanſiſſe. Quod eodem verbo vtens de Cypſelidis confirmat *Ælian. lib. 6. var. hiſt. cap. 13.*

3. Exempl. — *1. Forma Reipub. Corinth.* — *2. Forma.* — *3. Forma.* — *4. Forma.*

Τετταράκοντα καὶ τέτταρα.] Illud τέτταρα delendum videtur. Nam alioqui Ariſtotelis ratio inter ſe pugnat. *Apud Laertium quoque in vita Periandri,* in verbo Περίανδρος, reperi Periandrum 40. tantum annos imperio præfuiſſe.

Ψαμμήτιχος δ' ὁ.] Et hic legendum puto, ὁ Γορδίου, Gordiæ. Cypſelus enim duos habuit filios, Periandrum & Gordiam: quorum ille, vt maior natu, patri in imperio ſucceſſit, qui etſi & ipſe duos habuit filios, Cypſelum & Lycophronem: quia tamen Cypſelus imperio minus aptus eſſet, vt fu-

rioſus ac demens; & alter minor natu, inſigni indole, à Corcyræis viuo adhuc patre vocatus fuiſſet, *teſte Laer. in vit. Periandri*, atq; ita ſine liberis deceſſiſſet: veriſimile eſt, fratris eius Gordiæ liberos, vt proximos imperii ſeu tyrannidis hæredes ei ſucceſſiſſe. Gordias autem Periandri frater *à Plutarcho in Sympoſio* ſæpe commemoratur. Verum de ipſo Pſammeticho nihil dum reperi, & valde vereor, ne & hoc nomen ſit deprauatum. Nam Ægyptium & Barbarum potius, quam Græcum eſſe videtur: quo certe nomine celebratur Rex quidam Ægyptiorum *ab Euſebio, Strabone, &c.* Sed ſubiiciamus, perſpicuitatis ergo, tabellam.

Locus de mendo ſuſpectus.

Cypſelus. — *Periander.* — *Cypſelus.*, *Lycophron.*
Cypſelus. — *Gordias.* --- *Pſammetichus.*

Τὰ δ' αἴτια ταὐτά.] Docet eaſdem diuturnitatis cauſas in hac Cypſelidarum tyrannide fuiſſe, quæ fuerit in priore Orthagoræ; humanitatem & ſtudium rei militaris.

Cypſeli moderata tyrannis.

Ὁ μὲν γὰρ Κύψελος.] Etſi Cypſelus *apud Herodotum lib. 5.* ab inimicis tyrannidis accuſetur, vt crudelis Tyrannus: Ariſtoteles tamen ait, eum imperio moderate eſſe vſum, & ſe valde populariter geſſiſſe; adeo vt toto imperii ſui tempore tanta ciuium beneuolentia vteretur, vt nullis corporis cuſtodibus ac ſatellitibus opus habuerit. Idem & *ſupr. c. 9.* Cypſelum Demagogum ac populi ſtudioſum fuiſſe, eaq; occaſione tyrannidem occupaſſe ait.

Periandri tyrãnis quã ob rem firma.

Περίανδρος δ' ἐγένετο.] Quod hic de Periandro, idem quoque *in Suida* commemoratur, apud quem Periander dicitur crudeliter & violenter imperaſſe, & cuſtodes ſibi adiunxiſſe 300. fuiſſe natura bellicoſum, multaq; bella terra ac mari geſſiſſe. Qua re factum eſt, vt magnas opes ſibi compararit, magnamq; authoritatem. Eius quoq; prędicatur ſapientia, adeo vt plæriq; Periandrum vnum ex ſeptem ſapientibus veterib. Græcis numerent. Quare & *Laert.* eius vitam, vt ſapientis & Philoſophi, deſcripſit: & à *Plutarcho in Sympoſio* eodem in numero habetur. Plato tamen & alii quidam Periandri loco alium conſtituunt. De eius crudeli imperio & *Herodotus libro quinto.*

3. Exemplũ

Τρίτη δ' ἡ.] Tertio loco Piſiſtratidarum tyrannidem com-

commemorat Ariſtoteles, quos ait Athenis dominatos eſſe annos triginta quinque. De hac autem tyrannide omnes veteres meminerunt. *Herodot. lib. 1. & 5. Thucydid. Plutarchus, Plato in Hipparcho, Pauſanias lib. 1. Seneca, Cicero, & Iuſtinus Hiſtoricus lib. 3.* ***diuturnæ tyrannidis.***

Οὐκ ἐχρῆστο.] Piſiſtratus aſtu occupata tyrannide paulo poſt pellitur factione Megaclis & Lycurgi Principum Athenienſium. Inde eiuſdem Megaclis opera, & pacta affinitate rurſus Athenas rediit, ac tyrannidem recuperauit. Poſtea, denuo graui orta inter Megaclem & Piſiſtratum inimicitia, Piſiſtratus ſibi metuens à Megacle vltro ſolum vertit, & in exilium abiit. Qui tamen, aliquot vrbium & Tyrannorum auxiliis adiutus, tyrannidem recuperauit, eamque moriens liberis ſuis, Hipparcho & Hippiæ, tradidit. Qui eius liberi quemadmodum præfuerunt * & amiſerunt imperium. Nam Hipparchus necatus, & Hippias in exilium pulſus, poſtea redire ope Perſarum conatus, in celebri illo prælio Marathonio interfectus fuit. Hæc igitur omnia veteres illi Scriptores commemorant. Et *ſupra* facta eſt mentio *cap. 10* Ex quibus perſpicuum eſt, verum eſſe, quod ait hoc loco Ariſtot. hanc Piſiſtratidarum tyrannidem non continuatam, ſed interruptam ſæpe fuiſſe.

Ὥστε τὰ πάντα.] *Herodot.* paululum ab Ariſtotele diſſentit. Nam triginta ſex annos commemorat, quibus Piſiſtratidæ Athenis ſint dominati. Sic enim ait *lib. 5.* ἄρξαντες μὲν Ἀθηναίων ἐπ' ἔτεα ἓξ καὶ τριάκοντα.

Τῶν δὲ λοιπῶν.] Quarto loco Gelonis tyrannidem commemorat, quæ inter diuturnas cenſeri poſſit. Quam tamen duodeuiginti annos duraſſe ait. De hac autem tyrannide & *ſup cap. 10 in fi.* & alii multi meminerunt: *Plut. in libr. de ſera numinis vind. & Herod. lib. 7.* & optime *Diodor. Sicul. libr. 11. Xenoph quoque in lib. de Hierone.* ***4. Exemplũ diuturnæ tyrannidis.***

Γέλων μὲν γὰρ.] Huius tyrannidis primus autor Gelo, bellicoſus & humanus Princeps à plæriſq; celebratur, cui frater Hiero ſucceſſit. Cuius nomine *Xenoph.* libellũ inſcripſit Hieroni. Thraſybulus iunior Gelonis frater, Hierone maiore fratre mortuo ſucceſſit in imperium, *teſte Diod. lib. 11.* vbi explicat, quemadmodum Syracuſani, eius crudelitatem pertæſi, ipſo victo & pulſo, ſe in libertatem vindicarint. De hoc Thraſybulo meminit & *ſupr. cap. 10. in fin.* ***Gelon.***

Pleraq; tyrānides breuı tempore durant.

Αἱ δὲ πολλαί.] Poſtquam Ariſtoteles expoſuit, quæ tyrannides maxime diuturnæ olim fuerint: Nunc de vniuerſo genere ait, plæraſque omnes breuiſſimo tempore permanſiſſe. Cuius rei innumerabilia exempla hiſtoriæ ſuppeditāt. Quod ſi tyrannides in regna conuertantur; certum eſt, eas tum effici quammaxime diuturnas, vt quæ iam non tyrannides, ſed regna & principatus iuſti ac legitimi ſint & vſurpentur. Quo in numero fortaſſe imperium Romanum collocari poteſt.

TEXTVS.

De Rebuſpublicis igitur & Monarchiis ea, ex quibus & intereunt & rurſus conſeruantur, omnia fere ſunt explicata. In Politia autem Platonis diſputatur quidem à Socrate de mutationibus: non tamen recte diſputatur. Nam optimæ Reipublicæ & præſtantiſſimæ mutationem non exponit proprie. Ait enim, cauſam eſſe, quod nihil maneat, ſed quodam orbe mutetur. Horum autem eſſe principium ea, quorum radix ſeſquitertia, numero quinario iuncta, duas harmonias efficiat; Cum, inquit, figuræ huius numerus factus fuerit ſolidus: proinde, quaſi natura paucos interdum & diſciplina inſanabiles gignat. Atque hoc quidem ipſum fortaſſe non male. Fit enim, vt tales ſint, qui diſciplina inſtitui, & viri boni fieri minime poſſint. Sed hæc cur propria ſit mutatio eius, quæ ab illo dicitur, optimæ Reipublicæ magis, quam aliarum omnium rerum, quæ oriuntur, & quo tempore omnia debent mutari, etiam ea, quæ non ſimul fieri cœperint, ſimul mutantur: vt ſi quid pridie ſolſtitii vel brumæ factum ſit, ſimul mutatur? Præterea quid cauſæ eſt, cur ex hac in Laconicam fiat mutatio? Nam plæræque omnes Reſpublicæ ſæpenumero in contrarias vel proximas mutantur.

tur. Eadem & aliarum mutationum eſt ratio. Nam ex Laconica, ait in Oligarchiam fit mutatio; ex hac in Democratiam, in Tyrannidem ex Democratia. Atque è contrario mutantur, vt ex Democratia in Oligarchiam magis etiam, quam in monarchiam. Præterea de Tyrannide nihil affert, ſitne eius mutatio futura nec ne, qua ex cauſa, & in quam Rempublicam. Cuius rei cauſa eſt, quod non facile fuerit explicare: Eſt enim infinitum. Siquidem ex illius ſententia deberet in primam & optimam conuerti. Sic enim contextus fieret & orbis. At mutatur Tyrannis & in Tyrannidem, vt Sicyone dominatio Myronis in Tyrannidem Cliſthenis: in Oligarchiam, vt Chalcide Antileontis: in Democratiam, vt Syracuſis Gelonis: & in Ariſtocratiam, vt Lacedæmone Charilai, & Carthagine. Et in Tyrannidem ex Oligarchia fit mutatio, vt plæræque veteres in Sicilia in Leontinis, in Panætij Tyrannidem, & Gelæ in Cleandri, & Rhegij in Anaxilai, itemque in alijs multis ciuitatibus. Illud quoque abſurdum, putare, propterea in Oligarchiam mutationem fieri, quod qui magiſtratib' præſunt, (id eſt, qui cum imperio ſunt) pecuniæ ſint cupidi, eiuſque ſtudio quærendæ ducantur: non vero, quod hi qui bonis longe præſtant, non putent æquum eſſe eos, qui rem non habent, ijs, qui habent, pares eſſe in Republ. administranda. In multis quoque Oligarchijs non licet pecuniam quærere, ſed leges ſunt, quæ id vetant. Carthagine autem, quæ Democratia vtitur, pecuniæ quærendæ ſtudent, & nondum Rempub. mutarunt. Abſurdum & hoc, dicere, ciuitatem

vel ipſe, vel ſui, qui ipſi ſunt curæ & commendati, acceperint, ſiue potius ex ira ex contumelia nata accidere. Itaq; contumelia affectos vel ſua vel ſuorũ, eaq; irritatos & grauiter cõmotos eſſe eos, qui etiam cum vitæ periculo, & nulla ſpe propriæ ſalutis, de hac contumelia & iniuria vlciſci & in Tyrannum inuadere ſunt parati. Id quod (id eſt, iram) huius inconſulti impetus & vindictæ cauſam eſſe (etiam cum vitæ periculo) confirmat *nobili dicto Heracliti Philoſophi*, χαλεπὸν θυμῷ μάχεσθαι, ψυχῆς γὰρ ὠνεῖσθαι. Difficile eſſe iræ obſiſtere, vita namque redimi ſiue conſtare. De quo dicto diligenter explicauimus *lib. 2. Eth. cap.* 3. vbi idem ab Ariſtotele adducitur & à multis aliis, vt eo loco dictum eſt. Et certe iræ quam celeres grauesque ſint impetus, ſatis notum eſt, & pulchra ſimilitudine indicatur ab Ariſtotele *lib. 7. Ethic. cap. 7.* & dictum etiam *ſupr. cap. 10. in fin fere hoc lib.* Sunt & aliæ cauſæ præter contumeliam, quæ homines vitæ negligentiones & contemptores reddant, vt opinio illa de immortalitate, de qua diximus: vt gloria; de qua dictum *ſup. cap.* 10 vbi de Dione aduerſus Dionyſium Iuniorem; quo in loco perpaucos eſſe ait, qui ita cum vitæ periculo & mortis contemptu, vt Dio, parati ſint in Tyrannos inuadere. Cæterum de contumelia & ex ea ira & odio quemadmodum tyrannides tollantur, dictum eſt *ſupra capite 10.* Quo in loco exempla aliquot ſunt allata.

γνώμη.

Cauſa reliqua cõtemtus vitæ.

TEXTVS.

Cum autem ciuitates ex duabus conſtent partibus, ex egentibus hominibus & locupletibus: danda quidem eſt opera maxime, vt vtrique exiſtiment ſe ſaluos eſſe propter imperium, & nulla in re iniuria affici alterum ab altero. Vtri vero fuerint potentiores, vt hi maxime imperio concilientur: vt, ſi hoc effectum fuerit, non ſit neceſſe Tyranno vel ſeruorum liberationem, vel armorum ademptionem machinari. Satis eſt enim pars altera potentiæ adiecta, vt inuadentibus ſuperiores ſint.

COM-

COMMENTARII.

Ἐπεὶ δ' αἱ πόλεις.] Aliud conſilium conſeruandæ tyrannidis, de adiungenda ſiue concilianda altera populi parte. Nam cum duæ in omnibus ciuitatibus partes ſint populi, maxime inſignes & vſitatæ, diuites & pauperes, vt *ſupr.* explicatum *lib. 4. cap. 4. & hoc lib. cap. 1.* curare quidem debet Tyrannus, omnes vt tyrannidi bene cupiant, eiuſque imperium ſaluum & incolume eſſe velint. Quod hac ratione fortaſſe efficiet, ſi iuſte imperando, populo hanc opinionem inſtillet, vt, niſi incolumi hoc imperio, exiſtiment, ſe quoque ſaluos eſſe non poſſe; & efficiendo, vt neutra pars alteri faciat iniuriam, vt ne diuites plebem opprimant, & velut ſerua vtantur, vel plebs diuitum bonis inſidietur. Hoc igitur maxime quidem curare, & operam dare debet Tyrannus, vt omnes populi ſiue ciuium partes ita erga ſe ſint affecti, omniũ ſalute & cõmodis æquabiliter curandis. Quod veri Regis officium eſſe, docuit *ſupra c. 10.* his verbis; βούλεται δ' ὁ βασιλεὺς εἶναι φύλαξ, *&c.* & *Cic. lib. 1. Offic. ex Platone*, boni magiſtratus ac viri politici idem quoque munus & officium eſſe docet, vt omnes partes Reipublicæ peræque ipſi ſint curæ. & *lib. 2 de Offic. ex Herod.* regna ea re inſtituta fuiſſe ait, iuſtitiæ fruendæ cauſa. Verum quia difficile factu eſt, vt omnes Tyranno bene cupiant; κατὰ δεύτερον πλοῦν, ſecundario, id faciundum ſuadet Ariſtoteles, vt alteram ſaltem partem ſibi adiungat & conciliet, ſiue diuitum ſiue tenuiorum. Nam cum Tyrannus ſuis ipſe opibus multum poſſit: tamen hac acceſſione munitus facile reliquam partem in officio continebit; & ſi qui ex reliqua parte in ſe coniurarint, cum ſuis opibus, tum ciuium illorum, qui ipſi eiuſque imperio bene cupiant, facile iis obſiſtet, ſeque tuebitur. Neque vero hoc tantum commodum hinc Tyrannus habebit (ex hoc conſilio) ſed illud quoque, vt non cogatur more aliorum Tyrannorum ad res duas, partim turpes, partim odioſiſſimas decurrere; nimirum ad ſeruos liberandos, & arma ciuibus adimenda. Hoc autem conſilium κατὰ δεύτερον πλοῦν, & (vt ita dicam) ſecundarium, ſeu potius vniuerſum, quod hic Tyranno datur, reliquis omnibus Rebuſpublicis datum eſt *ſupra lib. 4. cap. 11.* his verbis: καὶ τὰς τοιαύτας ἐνδέχεται πολιτεύεσθαι, &c. μάλιστα μὲν ἀμφοῖν.

15. pracept.

Quib. rationibus ciues pſentis ſtatus cupidi reddantur.

2. membrũ.

1. Ratio ſeu vtilitas.

2. Ratio ſeu vtilitas.

Οὔτε

Serui à Tyrannis in auxilium vocati. Οὔτε δούλων ἐλευθέρωσιν.] Tyrannorum hanc conſuetudinem, qui ſeruos ad pileum vocent, & libertate donent, vt iis eorumq; præſidio aduerſus liberos & ciues vtantur. (Eſt enim natura ſeruus libero, maxime domino ſuo, inimicus & hoſtis natura; ex veter. prouerb.) *Plato* quoq; cõmemorat *libr. 8. de Rep. extrem.* quæ verba adduximus *ſup. h. c.* ad hæc verba; ἐκ δούλων αὐτοῖς.

1. Exempl. Quod vt exemplis confirmetur, ita *Iuſtinus* de Clearcho Heracleæ Tyranno (Heraclea vrbs Ponti prope Conſtantinopolim) *lib. 16.* cognito deinde, quod bellum ſibi ab his, qui profugerant, miſericordia in auxilia ſolicitatis ciuitatib. pararetur: ſeruos eorũ manumittit.

2. Exempl. De Critia quoq; vno ex *30.* Tyrannis vrbis Athenar. qui in Theſſalia Peneſtas (ſic vocantur ſerui in Theſſalia) aduerſus dominos ſuos armarit, narrat *Xenoph. li. 2. τῶν ἑλληνικῶν*, his verbis; ὅτι γὰρ ζῶντι ἦν, &c.

Teſtimon. Huc quoq; pertinet, quod Hiero Tyrannus apud *Xenoph. in Hieron.* ait, Tyrannum cupere liberis quidem vti ſeruis, ſeruos vero cogi manumittere.

Οὐδὲ ὅπλων παραίρεσιν.] De hac re dictum *ſup. c. 10.* ad illa verba, διὰ καὶ τὴν παραίρεσιν.

TEXTVS.

Superuacaneum ſit autem talia ſingulatim exponere. Nam ſcopus perſpicuus eſt, debere ciuibus videri non tyrannicum, ſed curatorem & regium: nec ſibi vindicantem, ſed tutorem & mediocritates vitæ perſequi, non immoderationes. Præterea optimatum vti congreſſibus, & multitudinem colere aut demulcere. Ex his namq; neceſſe eſt, imperium non pulchrius tantum & beatius (eo quod melioribus imperet, & non abiectis, nec ſit odioſus & metuendus) ſed etiam diuturnius eſſe imperium. Præterea ipſum ingenio affectum eſſe vel ad virtutem præclare, vel ſemibonum & non malum, ſed ſemimalum.

COMMENTARII.

ἀπόδειξις. Περίεργον δὲ.] Expoſitis præceptis conſeruandæ tyrannidis mitioribus, quia complura alia eiuſdem generis cõmemorari poſſent, ne res ſit longior: ſuperuacaneum eſſe ait, ea omnia

ſingu-

ſingulatim hic perſequi & cõmemorare: Maxime cũ eodem omnia pertineãt, idẽ ſit ſcopus, quo ſemel propoſito, & ſemel cognito, facile ſit alia cõferẽtia colligere. Quis aũt hic ſit ſcopus, ꝙ princeps, qui benignitate & clementia imperiũ adminiſtrare & tueri velit, non acerbitatẽ & ſeueritatẽ propoſitam ſibi habere debeat: & hic iteratur. & *ſupr. h. c.* latius eſt expoſitum, his verbis; ὁ μὲν ἦν εἷς τρόπος γίνεται, &c. nimirũ, vt ſe a ſuis non Tyrannũ ſed Regẽ potius, non eũ qui ſui cõmodi, ambitionis aut voluptatũ cauſa imperiũ teneat, ſed illorum potius tuendorũ, & ab iniuria conſeruandorũ, ſitq; velut tutor & curator, ac diſpẽſator cõmunis habeatur ac videatur. Hoc enim hæc altera mitior conſeruãdæ tyrannidis ratio & via agit, illud ſibi propoſitũ habet, vt tyrannis ad regale imperiũ flectatur, aut certe ſimuletur. Quod idem plæroſq; Tyrannos factitare aut conari ſolitos, grauis auctor *Polybius* ſcribit *lib. 6. hiſtor.* *Scopus Tyranni.*

Ἀλλ᾽ οἰκονόμον.] Sic & *ſupr. hoc cap.* vbi de pecunia publica non largitionibus aut turpibus donis & muneribus temere conſumenda, ſed potius & pecuniæ & ſumptuum rationem populo reddendam Tyranno ſuadet. Nempe vt hac ratione οἰκονόμος, ἀλλ᾽ οὐ τύραννος eſſe videatur. *1. Præceptũ.*

Καὶ μὴ σφετεριστὴν.] Sic & *ſupr.* Tyranno ſuadet, vt vrbem egregie exornet, vt tutor aliquis & curator, ὡς ἐπίτροπον ὄντα καὶ μὴ τύραννον. Quod cum alios principes feciſſe docuimus eo loco, tum de ipſo Piſiſtrato commemorat *Herodot. libro 1.* ἔνθα δὴ ὁ πεισίστρατος ἦρχεν ἀθηναίων, τὴν πόλιν κοσμέων καὶ εὖ, vrbem exornans præclare & bene. *2. Præcept.*

Καὶ τὰς μετριότητας.] De voluptatibus moderate fruendis, non intemperanter (vt alioqui ſolent Tyranni) hæc verba accipi debent. Argumento eſt verbũ μετριότητας, quo & *ſupr.* eſt vſus. Sic enim ait; μετριάζειν τοῖς τοιούτοις, agens de corporis voluptatibus, his verbis: περὶ τὰς ἀπολαύσεις τὰς σωματικάς, vbi id latius eſt explicatum. *3. Præcept.*

Ἔτι δὲ τοὺς μὲν γνωρίμους.] Cum duæ fere ſint ciuiũ partes, optimates & multitudo ſiue plebes: debere Tyrannũ aduerſus vtranq; partẽ facilẽ & humanũ ſe præbere, vt plebẽ quidẽ officiis & beneficiis demulceat & colat: optimatũ vero cõſuetudine vtatur. Quod cõtra plæriq; faciãt, q optimates vel interficiunt, vel in exiliũ pellunt, plebẽ operis & laborib. fatigãt, & plane ſeruã reddunt, vt *ſupr.* explicatum eſt *initio fere huius c.* Verũ de hac facilitate & humilitate iã *ſup.* eſt explicatũ ad ea *4. Præcept.*

verba,

verba, & φαίνεσθαι μὴ χαλεπὸν, &c. Vt aũt hic Ariſt. de tyranno, ita & *Plut.* de Principe in Rep. viro, ſiue ſit Rex, ſiue politicus aliquis, æque faciendum eſſe ſuadet *in lib. de præcept. ciuil. lib.* Sic enim ait: δεῖ δὲ τοὺς μὲν ἰδιώτας, &c. Quibus ait, virum Principem plebeios quidem & idiotas quadam comitate & æquabilitate; opulentos vero & potentiores mutuo quodam obſequio demulcere debere.

1 Vtilitas. ἐκ γὰρ τούτων.] Duo magna commoda ſeu bona ex hac humanitate manare oſtendit: Imperii, inquam, præſtantiam & diuturnitatem. Nam eius imperium, qui tam erga optimates, quam aduerſus multitudinem ita ſe gerit, longe præ-

Ratio. clarius & pulchrius atque beatius eſſe oſtendit: eo quod hi, qui parent, meliore & beatiore fortuna vtantur. Quo enim beatiores & florentiores ſunt ciues & parentes, eo quoq; florentiora & beatiora ſunt imperia. Id quod de Periãdro commemorat *Plut. initio Sympoſii*, eum non ſecutum Thraſybuli conſilium de principibus viris interficiendis, his verbis: γεωργοῦ γὰρ, &c. Neque enim agricolæ, tritici & hordei loco locuſtas & gallinas, domum deportare volenti, abſimilis ſit Tyrannus is, qui mancipiis potius, quam viris, imperare velit. *Plato* quoque *in Hipparcho* laudat Hipparchum Tyrannum, qui ciues præclare inſtituendos curarit, & melioribus præeſſe, quam improbis, maluerit. Huc quoque pertinet dictum Maximiliani I. Imperatoris, de ſe aliiſque Regibus Chriſtianis; ſe quidem Principibus, Gallum aſinis, Anglum furibus,

2. Vtilitas. &c. imperare, vt fama eſt. Alterum ex hac Tyrannorum in ſuos facilitate & communitate commodum eſt, quod imperium ſtabilius & diuturnius ea efficiatur. Cum enim hac facilitate ciuium in ſe beneuolẽtiam & amorem conciliet Tyrannus: fit, vt eius imperium quoque ſaluum & incolume eſſe velint. Vt contra quem metuunt, & oderunt propter crudelitatem aut ſeueritatem, eum periſſe expetunt: vt eſt vetus verſiculus *lib. 2. Offic. apud Cic.* Docuimus etiam *ſupr.* de beneuolentia; eam eſſe ad diuturnitatem aptiſſimam: & de odio ac metu, eam imperiis eſſe maxime pernicioſam.

5. præcept. ἔτι δὲ αὐτὸν διακεῖσθαι.] Monuit paulo ſupra Ariſtoteles, ſuperuacaneum eſſe, ſingulatim perſequi præcepta huius mitioris rationis tyrannidis conſeruandæ. Ipſe tamen aliquot hic breuiter nihilominus congerit. Quorum tria modo ſunt expoſita. Hoc autem, de quo hic agitur, ad mores & probitatem

tem Tyranni pertinet. Nam vult Ariſtoteles Tyrannum vel probum eſſe & virum bonū, vel omnimodo, vel dimidia ſaltem ex parte, nō vero eſſe improbum plane, ſed ex parte tantum. Cum enim plæriq; Tyranni plane ſint improbi & libidinoſi, omnibuſq; vitiis cooperti, & proinde imperio quoq; ſuo iniuſte & crudeliter vtantur: id quod ad priorem modū pertinet: recte & contra iubet eos Tyrannos, quorum nō magna eſt multitudo, qui leniore hac via præeſſe imperio, idq; conſeruare velint, eo eſſe ingenio, quod ad virtutem ſit aptum, adeo, vt ſi non plane ſit vir bonus, aliqua tamen ex parte talis ſit, vt ſi non plane & perfecte virtutibus ſit præditus, initia tamen quædam & primordia virtutum, aut ſaltem igniculos naturales, aut ſaltem aptitudinem in ſe habeat: vt ſunt illi, qui *lib. 7. Ethicor.* continentes dicuntur. Cur autem Tyranni, qui hac altera ratione imperare velint, non omnino improbi eſſe debeant, ſed virtutum ſimulachra quædam habere, cauſa & ratio perſpicua eſt, quod ea illius rationis præcepta, iam *ſupr.* explicata, non poſſint ab homine plane improbo ſeruari. Cur autem non ſit neceſſe, vt omnibus virtutibus Tyrannus perfecte ſit præditus, ratio hæc eſſe videtur. Quod tum Rex potius videretur, cuius proprium eſt, virtute omnibus reliquis ciuibus antecellere, vt *ſup.* explicatum *l. 3.* *Ratio, cur tyr. non omnino debet eſſe improbus.* *Ratio, cur tyr. non ſit omnino probus.*

CAPVT XII.

DVo ſunt membra huius capitis, quorum in priore de Tyrannidis breuitate ac diuturnitate: in altero de ſententia Platonis de cauſis mutandarum Rerumpublicarum agitur. Quod quia plane cum priore nullam habet cognationem; puto, rectius initium capitis 12. aut etiam *13.* eo loco eſſe collocandum. *1. pars.* *2. pars.* *Ratio partitionis.*

TEXTVS.

Ex omnibus autem Rebuſpublicis minus diuturnæ ſunt Oligarchia & Tyrannis. Nam diutiſſime manſit ea, quæ Sicyone fuit, liberorum Orthagoræ & ipſius Orthagoræ. Hæc autem centum annos permanſit. Cuius rei cauſa eſt, quod moderate ſe in ciues gererent, & plæraque legibus conuenienter adminiſtrarēt. Et Cliſthenes, quod

bellicoſus eſſet, non erat contemptui(ſeu non veniebat in contemptionem.) Multa quoque faciebant, quibus beneuolentiam populi allicerent. Quare dicitur Cliſthenes eum, qui victoriam ab ipſo iudicarat, corona donaſſe. Nonnulli etiam ſtatuam in foro ſedentis ſpeciem poſitã ſignum ſiue ſimulachrum eius, qui ita iudicauit, eſſe aiunt. Quod & Piſiſtratum, cum aliquando in ius vocatus eſſet in Areopagum, id tuliſſe ferunt. Altera autem Cypſelidarum Corinthi fuit. Etenim hæc 73. annos permanſit, & ſex menſes. Nam Cypſelus quidem tyrannidi præfuit annos triginta, Periander vero quadraginta. Pſammetichus Gordiæ filius annos tres. Cauſæ vero huius quoque ſunt eædem. Nam Cypſelus quidem Demagogus erat, totoque imperio ſine cuſtode permanſit. Periander vero fuit ille quidem tyrannico ingenio, ſed bellicoſus. Tertia Piſiſtratidarum Athenis: quæ tamen non fuit continua. Bis enim exulauit Piſiſtratus tyrannidem iam nactus. Itaque ex annis triginta tribus ſeptemdecim annos tyrannidi præfuit: octodecim, liberi: Adeo vt omnes ſint anni trigintaquinque. Ex reliquis autem Hieronis tyrannis & Gelonis Syracuſis, ſed ne hæc quidem multos annos permanſit, ſed omnes duodeuiginti. Nam Gelo poſtquam ſeptem tyrannidi præfuiſſet, octauo exceſſit è vita: Hiero vero decem. Thraſybulus autem vndecimo menſe pulſus fuit. Multæ autem tyrannides plane breues fuerunt.

COMMENTARII.

Καί τοι πασῶν.] Interponit hic Ariſtoteles de tyrannidis diuturnitate & breuitate, accepta (ni fallor) occaſione ex

eo,

eo, quod *capite priore extremo* dixerat, imperium, quod humanitate quadam & facilitate temperatum, eſſe & diuturnius. Attingit & de oligarchia. Nam ex omnibus Rebuſpublicis hæc duo Rerumpublicarum genera (oligarchiam & tyrannidem) ait eſſe minime diuturna. Cauſam nullam affert hoc loco, exemplis tantum id confirmat, & quidem de ſola tyrannide. Nos breuiter & de aliis Reipublicæ generibus, vt hoc ipſum de tyrannide melius intelligatur, exponamus. Cum igitur Rerumpublicarum ſex ſint genera; tria recta, Regnum, Ariſtocratia, & Politia; vitioſa item tria, Tyrannis, Oligarchia, & Democratia: De Regno; hunc ſtatum Reipublicæ valde eſſe diuturnum & ſtabilem Ariſtoteles docuit *ſupra capite 10. extremo*, his verbis; βασιλεία μὲν ὑπὸ τῶν ἔξωθεν, &c. Quod ratione eo loco confirmat, & exemplis multorum Regnorum facile confirmari poteſt; Aſſyrii, Perſici, Spartani, Moloſſici, Macedonici, &c. & ab ipſo Ariſtotele confirmatur exemplis *initio cap. 11.* De Ariſtocratia quoque, qui optimatum eſt ſtatus, hunc quoque ſtabilem ac diuturnum eſſe, docuit idem Ariſt. *ſupr. h. l. cap. 7.* his verbis; διόπερ ἀσφαλέστεραι, &c. hac ratione: quia in Ariſtocratiis qui præſunt, moderate ſe gerunt, non petulanter, & iniuſte, vt in Oligarchiis. De politia, eam eſſe maxime diuturnam ac ſtabilem, ſæpe iterat Ariſtoteles, vt *hoc lib. cap. 1. in fi. & capite 7. & libr. 4 cap. 11.* hac nimirum ratione, quod in ea magna ſit multitudo ciuium mediocrium, neque nimis diuitum, neque nimis pauperum: quæ res faciat, vt quam rariſſimi & pauciſſimi motus exiſtant. De Democratia, eam prioribus tribus minus eſſe diuturnam, reliquis duabus Rebuſpublicis, Oligarchia & Tyrannide, eſſe diuturniorem: Quia ſcilicet maiorem cum Politia cognationem habeat, docuit *ſupra lib. 4. cap. 11. & hoc lib. cap..... in fin.* De Oligarchiæ autem diuturnitate, aut potius breuitate, eiuſque rei cauſis, quia nimirum ſolis diuitibus aditus ad Rempublicam pateat, quæ diuitiæ inſolentiam parere ſolent, explicatum *ſupra libro quarto, capite primo, & hoc libro cap. 1. cap. 6. & cap 2.* De Tyrannide autem, eam eſſe ex omnibus minime diuturnum ſtatum Reipublicæ (de cuius mutandæ cauſis dictum eſt & *ſupra capite decimo.*) hic potiſſimum explicatur, multiſque & variis exemplis oſtenditur, aliam quidem tyrannidem alia eſſe breuiorem, & nonnullas eſſe ac du-

Regnum genus Reipub. ſtabile eſt ac diuturnum.

Ariſtocrat. genus Reip. diuturnũ.

Ratio.

Politia genus Reipub. maxime firmum.

Ratio.

Democratia diuturnitas.

Ratio.

Oligarchia infirmitas.

Ratio.

Tyrannis omniũ Rerump. imbecillima.

Tyrannidũ collatio.

ac durare aliquot annos, ſed plæraſque eſſe breuiſſimas.
Apophthegma. Quare olim & Thales Philoſophus ex diuturna peregrinatione domum reuerſus, cum interrogaretur, quid in ea maxime rarum vidiſſet, reſpondiſſe dicitur; Tyrannum ſenem, *teſte Plutarcho in lib. de Dæmonio Socrat. & in Sympoſ.* *Æliani teſtimonium.* *Ælianus quoque lib. 6. var. hiſtor. ca. 10.* oſtendit, præclare à Deo comparatum eſſe, vt nulla tyrannis vltra nepotes permaneat, ſed plæræque inſtar pinus ſtatim conterantur; & ait, tres tantum ex omni antiquitate apud Græcos commemorari, quæ ad nepotes fuerint proditæ, Gelonis in Sicilia, Liuaniorum (de his amplius quærendum) in Boſphoro, & Cypſelidarum Corinthi.

1. Exempl. Πλεῖστον γὰρ ἐγένετο.] Commemorat Ariſt. quatuor tyrannides, quæ apud Græcos maxime fuerint diuturnæ, in quibus principē locum quę teneat, quæq; longiſſime durauit, ait eſſe Orthagoræ, eiuſq; liberorū atq; poſterorū, qui Sicyone centum annos tyrannidē occuparunt vel obtinuerūt. *1. cauſa diuturnitatis huius tyrānidis.* Cuius diuturnitatis cauſam ait eſſe partim ipſorum Tyrannorum humanitatem, partim quod multa non pro ſua libidine, vt plærique ſolent Tyranni, ſed ex legum præſcripto adminiſtrarent; *2. Cauſa.* partim etiam, quod ex iis quidam non effœminati & *3. Cauſa.* ignaui, ſed bellicoſi eſſent, & proinde non facile à ſuis contemnerentur vel opprimerentur. Quæ tria, humanitas aduerſus ciues, adminiſtratio legibus conſentanea, & ſtudium rei militaris, imperiis conſeruandis inprimis eſſe idonea, *ſup.* ſæpe eſt explicatum.

1. Forma Reip. Sicyoniæ. Ἡ περὶ Σικυῶνα.] Antiquiſſimo tempore Sicyonii regali ſtatu Reipublicæ vtebantur. Nam inter Græciæ ciuitates Regnum Sicyonium antiquiſſimum commemoratur, quos Reges omnes ordine ac deinceps *Euſebius* commemorat *in Chronico.* Meminit & *Pauſanias libro 2.* *2. Forma.* Sublato Regno, & mutato Reipublicæ ſtatu, longo poſt tempore in ea ciuitate tyrannidem occupauit Orthagoras, cui Miron & *Cliſthenes.* Cliſthenes, fortaſſe ante Cliſthenem alii, ſucceſſerunt. Nam obſcura horum eſt memoria, præterquam de Cliſthene, qui in multis celebratur, vt valde prudens, potens, bellicoſus & popularis princeps, vt videre licet *apud Herodotum libro quinto, & hic & apud Pauſaniam libro ſecundo.* Orthagoræ tamen huius meminit *Plutarchus in libr. de iis qui tardè à Deo puniuntur.* his verbis; ἀλλὰ Σικυώνιος μὲν Ὀρθαγό-

ρας

ρας γινόμενον τύραννον, &c. vbi Hieronis & Cliſthenis mentionem ſubiungit.

Φασὶ δὲ τὸν Πεισίστρατον.] Vt Cliſthenem: ita & Piſiſtratum *2. Exempl.* facilem & comem, valdeque popularem fuiſſe ait, & exemplo demonſtrat. Alia quoque veteres Piſiſtrati humanitatis & popularitatis exempla, & qui iniurias etiam ciuium non ſtatim ſit vltus, commemorant, vt videre eſt *apud Athenæum libro 12.* Δειπνοσοφιστῶν. *& Senecam lib. 3. de ira, cap. 11. Plutarchum in apophthegmat. & in lib. de his qui tarde à Deo puniuntur.* Eſt autem & *apud Valer. Max.* hac de re locus communis de iniuria æquo animo accipienda, & Principum facilitate ac patientia.

Δευτέρα δὲ περὶ Κόρινθον.] Priori diuturnitate & conſtan- *3. Exempl.* tia proximam tyrannidem Cypſelidarum, qui Corinthi tyrannidem obtinuerunt annos *73.* & quod excurrit, affert & exponit hic Ariſt. De cuius tyrannidis ortu late *Herod. lib. 5.* Nam cum & olim Regno vterentur Corinthii: tandem in *1. Forma* paucorum poteſtatem recidit ciuitas, quos Bacchides ſiue *Reipub. Co-* Bacchiades (familiam in ea vrbe nobiliſſimam) vocat; quo- *rinth.* rum imperio oligarchico deleto, Cypſelus tyrannidem occu- *2. Forma.* pauit, *teſte Strabone lib. 8. & Pauſan. lib. 2.* Et Cypſelus qui- *3. Forma.* dem annos *30.* præfuit. Eius autē filius Periander *40.* Et hoc ſine liberis mortuo fratris Cypſeli nomine Gordiæ filius, vt hic dicitur, Pſammetichus tres annos, & ſex fortaſſe menſes. Tandem & hæc Cypſelidarū Tyrannis à Corinthiis ope *4. Forma.* Lacedæmoniorum deleta eſt, *teſte Plutarcho de malignitate Herod.* Quod igitur hic Ariſt. perſpicue demonſtrat, tres ex hac familia Cypſelidarum huic tyrannidi præfuiſſe: idem ait & *Strabō lib. 8. Geograph.* vbi ait, Cypſeli familiam μέχρι τριγονίας permanſiſſe. Quod eodem verbo vtens de Cypſelidis confirmat *Ælian. lib. 6. var. hiſt. cap. 13.*

Τετταράκοντα καὶ τέτταρα.] Illud τέτταρα delendum videtur. Nam alioqui Ariſtotelis ratio inter ſe pugnat. *Apud Laertium quoque in vita Periandri,* in verbo Περίανδρος, reperi Periandrum *40.* tantum annos imperio præfuiſſe.

Ψαμμήτιχος δ' ὁ.] Et hic legendum puto, ὁ Γορδίου, Gordiæ. Cypſelus enim duos habuit filios, Periandrum & Gordiam: quorum ille, vt maior natu, patri in imperio ſucceſſit, qui etſi & ipſe duos habuit filios, Cypſelum & Lycophronem: quia tamen Cypſelus imperio minus aptus eſſet, vt fu-

rioſus ac demens; & alter minor natu, inſigni indole, à Corcyræis viuo adhuc patre vocatus fuiſſet, *teſte Laer. in vit. Periandri*, atq; ita ſine liberis deceſſiſſet: veriſimile eſt, fratris eius Gordiæ liberos, vt proximos imperii ſeu tyrannidis hæredes ei ſucceſſiſſe. Gordias autem Periandri frater *à Plutarcho in Sympoſio* ſæpe commemoratur. Verum de ipſo Pſammeticho nihil dum reperi, & valde vereor, ne & hoc nomen ſit deprauatum. Nam Ægyptium & Barbarum potius, quam Græcum eſſe videtur: quo certe nomine celebratur Rex quidam Ægyptiorum *ab Euſebio, Strabone, &c.* Sed ſubiciamus, perſpicuitatis ergo, tabellam.

Locus de mendo ſuſpectus.

Cypſelus. { *Periander.* { *Cypſelus.* / *Lycophron.* } / *Gordias.* --- *Pſammetichus.* }

Τὰ δ᾽ αἴτια ταὐτά.] Docet eaſdem diuturnitatis cauſas in hac Cypſelidarum tyrannide fuiſſe, quæ fuerit in priore Orthagoræ; humanitatem & ſtudium rei militaris.

Cypſeli moderata tyrannis.

Ὁ μὲν γὰρ Κύψελος.] Etſi Cypſelus *apud Herodotum lib. 5.* ab inimicis tyrannidis accuſetur, vt crudelis Tyrannus: Ariſtoteles tamen ait, eum imperio moderate eſſe vſum, & ſe valde populariter geſſiſſe; adeo vt toto imperii ſui tempore tanta ciuium beneuolentia vteretur, vt nullis corporis cuſtodibus ac ſatellitibus opus habuerit. Idem & *ſupr. c. 9.* Cypſelum Demagogum ac populi ſtudioſum fuiſſe, eaq; occaſione tyrannidem occupaſſe ait.

Periandri tyrãnis quã ob rem firma.

Περίανδρος δ᾽ ἐγένετο.] Quod hic de Periandro, idem quoque *in Suida* commemoratur, apud quem Periander dicitur crudeliter & violenter imperaſſe, & cuſtodes ſibi adiunxiſſe 300. fuiſſe natura bellicoſum, multaq; bella terra ac mari geſſiſſe. Qua re factum eſt, vt magnas opes ſibi compararit, magnamq; authoritatem. Eius quoq; prędicatur ſapientia, adeo vt plæriq; Periandrum vnum ex ſeptem ſapientibus veterib. Græcis numerent. Quare & *Laert.* eius vitam, vt ſapientis & Philoſophi, deſcripſit: & à *Plutarcho in Sympoſio* eodem in numero habetur. Plato tamen & alii quidam Periandri loco alium conſtituunt. De eius crudeli imperio & *Herodotus libro quinto.*

3. Exemplū

Τρίτη δ᾽ ἡ.] Tertio loco Piſiſtratidarum tyrannidem com-

commemorat Ariſtoteles, quos ait Athenis dominatos eſſe annos triginta quinque. De hac autem tyrannide omnes veteres meminerunt. *Herodot. lib. 1. & 5. Thucydid. Plutarchus, Plato in Hipparcho, Pauſanias lib. 1. Seneca, Cicero, & Iuſtinus Hiſtoricus lib. 3.* *diuturnæ tyrannidis.*

Οὐκ ἐγένετο.] Piſiſtratus aſtu occupata tyrannide paulo poſt pellitur factione Megaclis & Lycurgi Principum Athenienſium. Inde eiuſdem Megaclis opera, & pacta affinitate rurſus Athenas rediit, ac tyrannidem recuperauit. Poſtea, denuo graui orta inter Megaclem & Piſiſtratum inimicitia, Piſiſtratus ſibi metuens à Megacle vltro ſolum vertit, & in exilium abiit. Qui tamen, aliquot vrbium & Tyrannorum auxiliis adiutus, tyrannidem recuperauit, eamque moriens liberis ſuis, Hipparcho & Hippiæ, tradidit. Qui eius liberi quemadmodum præfuerunt * & amiſerunt imperium. Nam Hipparchus necatus, & Hippias in exilium pulſus, poſtea redire ope Perſarum conatus, in celebri illo prælio Marathonio interfectus fuit. Hæc igitur omnia veteres illi Scriptores commemorant. Et *ſupra* facta eſt mentio *cap. 10.* Ex quibus perſpicuum eſt, verum eſſe, quod ait hoc loco Ariſtot. hanc Piſiſtratidarum tyrannidem non continuatam, ſed interruptam ſæpe fuiſſe.

Ὥστε τὰ πάντα.] *Herodot.* paululum ab Ariſtotele diſſentit. Nam triginta ſex annos commemorat, quibus Piſiſtratidæ Athenis ſint dominati. Sic enim ait *lib. 5.* ἄρξαντες μὲν Ἀθηναίων ἐπ' ἔτεα ἓξ καὶ τριάκοντα.

Τῶν δὲ λοιπῶν.] Quarto loco Gelonis tyrannidem commemorat, quæ inter diuturnas cenſeri poſſit. Quam tamen duodeuiginti annos duraſſe ait. De hac autem tyrannide & *ſup cap. 10 in fi.* & alii multi meminerunt: *Plut. in libr. de ſera numinis vind. & Herod. lib. 7.* & optime *Diodor. Sicul. libr. 11. Xenoph quoque in lib. de Hierone.* *4. Exemplum diuturnæ tyrannidis.*

Γέλων μὲν γὰρ.] Huius tyrannidis primus autor Gelo, belliсoſus & humanus Princeps à pleriſq; celebratur, cui frater Hiero ſucceſſit. Cuius nomine *Xenoph.* libellũ inſcripſit Hieroni. Thraſybulus iunior Gelonis frater, Hierone maiore fratre mortuo ſucceſſit in imperium, *teſte Diod. lib. 11.* vbi explicat, quemadmodum Syracuſani, eius crudelitatem pertæſi, ipſo victo & pulſo, ſe in libertatem vindicarint. De hoc Thraſybulo meminit & *ſupr. cap. 10. in fin.* *Gelon.*

Plæræq; tyrãnides breui tempore durant.

. Αἱ δὲ πολλαί.] Poſtquam Ariſtoteles expoſuit, quæ tyrannides maxime diuturnæ olim fuerint: Nunc de vniuerſo genere ait, plæraſque omnes breuiſſimo tempore permanſiſſe. Cuius rei innumerabilia exempla hiſtoriæ ſuppeditãt. Quod ſi tyrannides in regna conuertantur; certum eſt, eas tum effici quammaxime diuturnas, vt quæ iam non tyrannides, ſed regna & principatus iuſti ac legitimi ſint & vſurpentur. Quo in numero fortaſſe imperium Romanum collocari poteſt.

TEXTVS.

De Rebuſpublicis igitur & Monarchiis ea, ex quibus & intereunt & rurſus conſeruantur, omnia fere ſunt explicata. In Politia autem Platonis diſputatur quidem à Socrate de mutationibus: non tamen recte diſputatur. Nam optimæ Reipublicæ & præſtantiſſimæ mutationem non exponit proprie. Ait enim, cauſam eſſe, quod nihil maneat, ſed quodam orbe mutetur. Horum autem eſſe principium ea, quorum radix ſeſquitertia, numero quinario iuncta, duas harmonias efficiat; Cum, inquit, figuræ huius numerus factus fuerit ſolidus: proinde, quaſi natura paucos interdum & diſciplina inſanabiles gignat. Atque hoc quidem ipſum fortaſſe non male. Fit enim, vt tales ſint, qui diſciplina inſtitui, & viri boni fieri minime poſſint. Sed hæc cur propria ſit mutatio eius, quæ ab illo dicitur, optimæ Reipublicæ magis, quam aliarum omnium rerum, quæ oriuntur, & quo tempore omnia debent mutari, etiam ea, quæ non ſimul fieri cœperint, ſimul mutantur: vt ſi quid pridie ſolſtitii vel brumæ factum ſit, ſimul mutatur? Præterea quid cauſæ eſt, cur ex hac in Laconicam fiat mutatio? Nam plæræque omnes Reſpublicæ ſæpenumero in contrarias vel proximas mutantur.

tur. Eadem & aliarum mutationum eſt ratio. Nam ex Laconica, ait in Oligarchiam fit mutatio; ex hac in Democratiam, in Tyrannidem ex Democratia. Atque è contrario mutantur, vt ex Democratia in Oligarchiam magis etiam, quam in monarchiam. Præterea de Tyrannide nihil affert, ſitne eius mutatio futura nec ne, qua ex cauſa, & in quam Rempublicam. Cuius rei cauſa eſt, quod non facile fuerit explicare: Eſt enim infinitum. Siquidem ex illius ſententia deberet in primam & optimam conuerti. Sic enim contextus fieret & orbis. At mutatur Tyrannis & in Tyrannidem, vt Sicyone dominatio Myronis in Tyrannidem Cliſthenis: in Oligarchiam, vt Chalcide Antileontis: in Democratiam, vt Syracuſis Gelonis: & in Ariſtocratiam, vt Lacedæmone Charilai, & Carthagine. Et in Tyrannidem ex Oligarchia fit mutatio, vt plæræque veteres in Sicilia in Leontinis, in Panætij Tyrannidem, & Gelæ in Cleandri, & Rhegij in Anaxilai, itemq́ue in alijs multis ciuitatibus. Illud quoque abſurdum, putare, propterea in Oligarchiam mutationem fieri, quod qui magiſtratib' præſunt, (id eſt, qui cum imperio ſunt) pecuniæ ſint cupidi, eiuſque ſtudio quærendæ ducantur: non vero, quod hi, qui bonis longe præſtant, non putent æquum eſſe eos, qui rem non habent, ijs, qui habent, pares eſſe in Republ. adminiſtranda. In multis quoque Oligarchijs non licet pecuniam quærere, ſed leges ſunt, quæ id vetant. Carthagine autem, quæ Democratia vtitur, pecuniæ quærendæ ſtudent, & nondum Rempub. mutarunt. Abſurdum & hoc, dicere, ciuitatem

Oligarchicam ex duabus ciuitatibus conſtare, diuitum & pauperum. Cur enim id magis illi accidat, quam Laconicæ aut aliæ cuilibet, vbi non æqualia ſunt bona, aut non omnes æqualiter ſunt viri boni. Vt autem nemo pauperior fiat, quam prius; nihilominus in Democratiam Oligarchia commutatur, ſi pauperes plures numero exiſtant, & in Oligarchiam Democratia, ſi diuites plebe ſint ſuperiores, & hi quidem negligant, hi vero animum attendant. Cumque multæ ſint cauſæ, propter quas commutationes fiant: non niſi vnam commemorat, quod propter luxuriam, fœnore exhauſti, pauperes euadant: quaſi omnes aut plæriq; ab initio diuites fuerint. At hoc falſum eſt. Verum cum ex principibus quidam bona diſſiparint, rebus nouis ſtudent: cum alij vero, nihil mali accidit. Et mutantur nihilo magis vnquam in Democratiam, quam in aliam Rempublicam. Præterea etſi honorum non ſint participes, etſi iniuria vel contumelia afficiantur, ſeditiones mouent, & Reſpubl. mutant, etiamſi bona non conſumpſerint; eo quod liceat, quicquid velint, facere. Huius rei cauſam eſſe ait libertatem nimiam. Cum ſint autem plures Oligarchiæ & Democratiæ, Socrates quaſi vna vtraque ſit, ita mutationes exponit.

COMMENTARII.

Platonis errata de cõſeruatione & mutatione Rerũpub.

Τὰ μὲν οὖν περὶ ἐς.] Monui ſupra initio, aliud capitis initium, ſeu aliud caput hic commode inſtitui poſſe. Nam Ariſtoteles poſtquam toto hoc libro ſuam de mutationibus Rerumpublicarum ſententiam explicauit; adiungit hoc loco *Platonis* de eadem re ſententiam. Cuius octo fere errata

rata hic indicat & ordine exponit, totamque Platonis ſententiam hac de re, vt vitioſam, improbandam eſſe docet. Extat autem hæc *Platonis* diſputatio *toto fere lib. 8. de Republica.* Cuius ſententia hæc eſt, quam *Cicero lib. 2. de Diuinat.* expreſſit; Rerumpublicarum eſſe quaſdam conuerſiones & orbes naturales; *Plato & Ariſtoteles* periodos & κύκλους vocant. De qua *Platonis* ſententia etiamſi aliter Ariſtoteles: plæriq; tamen alij eam laudant ac probant, vt naturæ, rationi, & euentis conſentaneam. Quam latiſſime & pulcherrime explicat & perſequitur grauis author *Polyb. libr. 6. hiſtor. in initio,* πρώτη μὲν οὖν ἀναγκαστικῶς καὶ φυσικῶς, &c. *Cicero autem initio libro 2. de Diuinat.* agens de Republica Romana prius à Cæſare oppreſſa & modo eius morte rurſus liberata: Id enim ipſum, inquit, à Platone didiceram, naturales eſſe quaſdam conuerſiones Rerumpublicarum, vt eæ tum à principibus tenerentur, tum à populis, aliquando à ſingulis, id eſt, Tyrannis. *& libro 2. Ep. ad Attic. Ep 36.* eo alludit; Equidem, inquit, ſperabam, vt ſæpe etiam tecum loqui ſolebam, ſic orbem Reipublicæ eſſe conuerſum, vt vix ſonitum audire, vix impreſſam orbitam videre poſſemus. *Tacitus* quoque ſcribit; rebus cunctis ineſſe videri quendam veluti orbem: & quemadmodum temporum vices, ita & morum verti. Recentiores quoque plærique Platonem ſequuntur: *Philippus Melanchth. libr. 3. declamat. fere in fine. Caſparus Peucerus prolixe in præfat. in Chron. Carion. & Ioan. Bodin. in Meth. hiſt. cap 6.* Cæterum ſolet Ariſtoteles plærumque aliorum ſententias priore loco perpendere, eaſq; vel approbare vel refellere; quod hic contra fecit.

Summa facta ſententia Platonis. *Aliorũ de ea iudiciũ.* *1. Polyb. teſtimon.* *2. Teſtim. Cic.* *3. Teſtimo. Taciti.* *4 Philip. Mel.* *5. Peucer.* *6. Bodin.*

Εν δὲ τῇ τοῦ Πλάτωνος.] *Platonis* verba *in libr. 8 de Republica*, quibus exorditur diſputationem de mutationibus Rerumpublicarum, ſunt hæc; χαλεπὸν μὲν κινηθῆναι πόλιν οὕτω, &c.

Τῆς τε πρώτης ἀρίστης.] Errata ſeu vitia *Platonis* exponere orditur. Quorum primum eſſe ait, quod *Plato* eius Reipubl. quã ipſe, vt primam & optimam, *in libris de Repub.* deſcribit mutationem nullã afferat propriam ſed communẽ, quæq; etiam in alias Reſp. cedat, atq; adeo nõ in Reſp. tantũ, ſed in res omnes. Nã cauſam hui⁹ mutationis, quã huic ſuæ optimæ (*Platonis*) Reip. accidere poſſit, *Plat.* affert hãc; quod omnia mutent, quod-

1. Platonis erratum. *Cauſa mutationis Reip. à Platon. allata.*

quodque ſit ea conditio rerum omnium, vt nihil in eodem ſtatu permaneat; ſed omnia velut in orbem quendam vertantur. Quo pertinet prouerb. illud *apud Terent. in Eunucho*; omnium rerum eſſe viciſſitudinem, quod ab *Eraſmo* copioſe explicatur. Quæ rerum viciſſitudo cùm ſit omnium & humanarum & naturalium, de quibus id teſtatur *Ariſtot. lib. 1. de ortu & interitu*: *& Lucret. eleganter libr. 1. & ipſe quoq; Plato hoc lib.* non plantis tantum, ijsque, quæ ex terra oriuntur, ſed animantibus quoque id coniunctum eſſe ait, vt quod ortum aliquando intereat, & hinc rurſus aliud ſuboriatur, eorumque ſit quædam naturalis velut in orbem conuerſio. Cum igitur cauſa hæc ſit communis rerum omnium: merito Ariſtoteles Platonem reprehendit, qui nullam Reipubl. propriam cauſam mutationis attulerit.

Ἀρχὴν δὲ εἶναι τούτων.] Sententia *Platonis* exponenda, eiuſdem quoque verbis vtitur. Nam hæc verba ipſa ſunt *Platonis ex lib 8. de Repub. initio*, quibus *Plato* cauſam huius optimæ Reipubl. mutandæ, quam naturali quadam rerum omnium conuerſione & viciſſitudine contineri diximus, à muſica harmonica & Arithmetica petit, vt & alias, (*vt in Timæo*) ſolet ſæpe in ſuis diſputationibus non Phyſicis tantum, ſed etiam Politicis, vti rebus & exemplis Geometricis, *& lib. 4. de Republic. Plato in fin.* Verba autem Platonis hæc ſunt: ἔστι δὲ θείῳ μὲν γεννητῷ περίοδος ἣν ἀριθμὸς περιλαμβάνει τέλειος ὧν ἐπίτριτος πυθμὴν, &c. De quo loco, Ciceronis illo dicto vti poſſumus, Platonis numero nihil eſſe obſcurius. Nam hic certe locus de Harmonijs & numeris eſt obſcuriſſimus. Quare & *Theon Smyrnæus*, (vetus ſcriptor, qui commentaria ſcripſit in Euclidem) qui librum olim conſcripſit de rebus ad matheſin pertinentib⁹, quæ *in Platone* reperiuntur, eaſque explicauit, hunc locum prætermiſit. Nec *Iamblichus* ſummus Philoſophus (vixit ante 1200. annos) eum ſatis commode explicare potuit, *teſte Marſil. Ficino in procem. in hunc lib.* cui & ipſi aqua hæret. Duo ſunt recentiores, qui ipſum explicare ſunt conati: *Matthias Lauterwaldius, de quo tomo. 3. orationum Philipp. Melanchth. & Io. Bodin. lib. meth. hiſt. cap. 6.* Quicquid tamen ſit, ita huic de cauſa mutandæ Reipubl. diſputationi accommodare videtur Ariſtoteles. Cum Platonis ea Reſpubl. ei ſic optime temperata videatur ex tribus hominum generibus; aureo, argenteo, & æreo

Obſcuritas ſententiæ Platonicæ.

Itemq; Cardanus, de proport. lib. 5. prop. 205.

reo ſeu ferreo: ſi aureum conſilio & ſummæ Reipub. præſit: argenteum rei militari: reliquum genus ſit agricolarum & opificum, vt apud eum videre eſt *libr. de Republ. 3. extremo.* de quo & *ſupra* attigimus *lib. 2. cap. 3. in fin.* multis annorum conuerſionib⁹ & procedente tempore fieri poſſe, vt hæc hominum genera degenerent, & liberi parentibus, vel maioribus nepotes diſſimiles naſcantur, hoc eſt, vt quorum maiores ex primo fuerint genere, ipſi vix ex ſecundo cenſeri poſſint, & ex aureis fiant quidam (vt ita dicam) argentei, vel ærei, & ex argenteis quidam ærei vel ferrei: atque ita hæc genera atque ordines permiſceantur: Ita vt in eo ordine exiſtant non tantum viri boni, ſed etiam improbi, qui ſummæ Reipubl. ſint præfuturi. Quæ diſſimilitudo & velut diſcrepans ſonus, fieri non poteſt, quin animorum quoque diſſidia & ſimultates ac bella afferat, vnde ibidem & motus & mutationes Reipubl. conſequantur. Huc ſcilicet ſumma ſententiæ Platonis pertinere videtur, praua nimirum hac generatione tria illa genera, velut concentum & harmoniam, perturbari. Ex qua diſcrepantia Reipub. mutatio conſequatur. Verum huius prauæ generationis principium ſeu principem & dominum numerum illum, quo nihil obſcurius eſſe diximus, facit *Plato.* Sic enim ait; σύμπας δὲ οὗτος ἀριθμὸς γεωμετρικὸς τοιούτου κύριος ἀμεινόνων καὶ χειρόνων γενέσεων. *Numerus*
Ariſtoteles ad hoc, quod Plato ait boni ortus ſiue generatio- *nõ eſt cau-*
nis, bonæ (inquam) indolis & ingenij, ſiue contra praui & *ſa ingenij*
mali cauſam & principium numeris eſſe attribuendum, nihil *vel boni*
ad id reſpondet, ſed alibi, ni fallor, *in Metaphyſ. & in lib. de* *vel praui.*
anima, id quoque refellit. Verum ſumit ex eo & probat hoc *Ingeniorũ*
ingenij & indolis diſcrimen, verumque eſſe fatetur, fieri ſæ- *quorũdam*
penumero, vt quidam tam prauo ingenio & ad omnem vir- *deſperata*
tutem inepto naſcãtur, nulla vt inſtitutione & diſciplina hæc *prauitas.*
naturæ prauitas corrigi, & emendari diſciplina bonisq; moribus & inſtitutis poſſit. Qua in re grauiter peccant, qui Ariſtotele poſteriores fuerunt, qui natura neminẽ malum eſſe, ſed conſuetudine tantum & diſciplina effici putarint, vt explicauimus *apud Cicer. lib. 1. de ll.* Rectius Plato & Ariſtoteles non diſciplinæ tantum, ſed naturæ quoque diſcrimen tradiderunt. Qua de re idem Ariſtoteles *lib. 6. Eth. in fin.* vbi *Plato Pro-*
hanc indolem bonam, id eſt, δύναμιν & facultatem bonam *tagora pag.*
diuinitus ingeneratam, ſiue (vt ille loquitur) naturalem, vo- *286. &*
cat *Menone.*

cat virtutem, ἀρετὴν φυσικήν. Quo pertinet & quod *Cic.* ait *lib. Tuſc. quæſt.* virtutes tardis mentibus non committi. Atq; ita hic locus accommodandus videtur.

Plutarch. ὅτι διδακτὴ ἡ ἀρετή.

Τοῦτο μὲν αὐτὸ λέγων.] His verbis probat Ariſtoteles hoc naturæ diſcrimen ingeniorum & indolis, de quo iam explicatum. De eodem & *lib. vlt. Eth. cap. vlt.*

1. Argum. ἀνασκευαστικόν.

Ἀλλ᾽ αὕτη τί αὖ ἴδιος.] Etſi diſcrimen illud probauit, improbat tamen id h. loco, quod inde Plato cauſam mutandæ ſuæ optimæ Reip. petendam iudicauit, propterea quod hæc mutationis cauſa ex hac viciſſitudine petita non ſit propria huius optimæ Reip. ſed aliarum quoq; Rerump. communis; adeoq; omnium rerum; vt artium, familiarum, hominum: Nam interdum ſiue alio tempore aliæ artes magis aut minus florent aut intereunt, vt omnium rerũ eſt viciſſitudo. Et hæc prima eſt Platonis reprehenſio, quam paulo ſupra iam explicauimus.

Ἢ τῶν ἄλλων πασῶν.] Non illi Reip. Platonis tantum, ſed alijs quoq; id accidere, vt qui ſingulis præſunt, vt Ariſtocratiæ optimates, Oligarchiæ diuites, ac nobiles, &c. non in eodem ſtatu ſemper permaneant, ſed ex optimatibus quidam improbi, ex diuitibus pauperes efficiantur. Atq; ita etiam in alijs Rebuſpublic. ac hominum mutatione mutatio ſenſus (ſtatus) ſubſequatur.

2. Argum. ἀνασκευαστικόν.

Καὶ διά τι τοῦ χρόνου.] Altera eſt ratio, qua Platonis eam ſententiam de mutatione, q̃ ex temporis & annorum conuerſione fiat, refellitur. Nam inde effici demõſtrat Ariſt. h. loco, vt q̃ ſimul eodemq; tempore ſint cœpta aut primum inſtituta: eodẽ quoq; tempore illa poſtea deſinant mutenturq;: & contra, vt quæ eodem tempore intereunt & mutantur, vt eodem temporis momento cœperint. Quod tamen falſum eſſe, perſpicuũ eſt. Nam multa videre licet, quorũ ortus in idẽ temporis punctũ concurrat, interitus non item: & cõtra, quorum interitus concurrat, q̃ tamen alio atq; alio tempore fuerint cœpta. Hoc .a. abſurdum ex Platonis ſententia ſequi & effici, ait quidem Ariſt. ſed non ſatis demõſtrat, quemadmodũ id ſequatur ex ea. Quare hinc id poteſt intelligi: Quod cum hæc Platonis cauſa mutationis tẽpore æſtimetur ac definiatur, omniſq; in tempore ab eo ponatur; neceſſe ſit eodẽ temporis interuallo hanc cauſam cõtineri. Nã alioqui ſi vna Reſpub. longiore, altera eiuſdẽ generis breuiore cõſtaret: ſequetur;

retur, cauſam mutationis nō tam in tēpore quam alia aliqua in re eſſe ponendā. At contra Plato in tēpore hanc mutationē poſuit. Quare ex eius ſententia plane id efficitur, vt ſi mutationis cauſam tantum tempori & annorū conuerſioni tribuere velim⁹; fateamur quoq; eadē eod. tēpore interire, quo cœpta fuerint. Vt ſi pridie ſolſtitij (inquit Ariſt.) aliquid cœperit, pridie quoq; eius mutetur aut deſinat: & contra. Ea .v. q̄ eodē tēpore intereunt, eodē tempore cœpiſſe eſſe: q falſum eſt & abſurdum. Non recte igitur Plato tempori & annorum periodo cauſam mutationis adſcripſit. Atq; ita Ariſt. duab⁹ his rationibus hanc totam cauſam Platonis refellit, quarum priore eam non eſſe propriam illius Reipubl. docuit. ἀτοπὸν [illegible]

Πρὸς ᾗ τούτοις διά.] Alterum Platonis peccatū hic repræhēditur. Quod vt intelligatur, ſciendū eſt à Plat. eo loco, i.e. li. 8. de rep. quinq; Rerūp. genera afferri: Ariſtocratiam, Timarchiā ſeu Timocrat. ſiue Laconicā, Oligarchiā, Democrat. & Tyrannidē, eaſq; illo ordine inter ſe cōmutari, vt prima in ſecundā, hæc in tertiā, & tertia ſiue Oligarchia in Democratiam, q̄ deniq; in Tyrannidē poſtremo mutetur ac degeneret. Quā Platonicā periodū & conuerſionē Rerūp. inter ſe eo ordine ſuccedentiū ꝓbaſſe quidē *Cic.* videtur, cuius verba ſupra attulim⁹ & *Polyb. li. 6.* q eam præclare & copioſe explicat, ac docet, hanc mutationis ac cōuerſionis ſeriem plane eſſe neceſſariam & naturæ conſentaneā. Ariſt. tamē eam h.l. refellit. Nam primū indicat nullā ſatis iuſtā eſſe rationē, cur hæc conuerſionis ſeries & periodus fiat aut perpetua eſſe debeat. Deinde docet, ſæpe accidere, vt Reſp. vel in contrarias vel in proximas & finitimas mutentur. Vt Oligarchia in cōtrariam Democratiam, & rurſus Democratia in Oligarchiam, vt ſibi contrariā, non v. in monarchiam ſemper, vt putat Plato, cōuertatur. Et ſæpe fit, vt Oligarchia vna in aliam (Sunt .n. plura Oligarchiarū genera) eiuſdē generis conuertatur. Sic & Ariſtocratia alias in contrariā ſibi Democratiā, alias in ſibi finitimā Oligarchiam cōmutari ſolet. Quæ omnia late *ſupra* ſunt explicata, *c. 6. in fin. & c. 7.* vbi & hanc Platonis ſeriem & mutationū connexionē reprehēdimus ſiue adduximus. Cæterum Platonis verba de hac connexione mox afferentur.

2. Error Platonis.

Cic. & Polybij hac de re ſentētia.

1. Argum. ἀναγκαῖον.

2. Argum. ἀνάγκη.

Ἐκ ᾗ τυραννίδος ὐ λέγει.] Aliud Platonis vitium & peccatū, qui de Tyrannide nihil plane attulerit, quo ad mutationē, hic indicatur. Veriſſimum .a. id eſſe, ex Platone cognoſci poteſt. Nam

3. Error Platonis.

Nam cum *li. 8. & 9.* cauſas mutationum explicat, etſi quoq; de Tyrannide copioſe diſſerit; reliquarum tamen duntaxat 4. Ariſtocratiæ, Timocratiæ ſiue Laconicæ, Oligarchiæ & & Democratiæ mutationes exponit: de Tyrannide autem eſt ſilentium. Cuius rei cauſam quoque hic indicat Ariſtoteles. Quod ipſi Platoni difficile videretur de Tyrannide explicare. Propterea quod res ſit infinita, ſiue vt ait, ἀόριστον ὅν, id eſt, quod non ita vna mutatio, vt priorum 4. ſed multiplex & infinita ſit Tyrannidis, quæ alias aliter & in aliã Rempub. mutatur. Nam ex ſententia quidem Platonis, & ſi orbem illum Platonicum ſequamur quinque Rerumpublicar. cum à prima Ariſtocratia ad vltimam Tyrannidem ordine ac deinceps ventum fuerit, redeundum erit ad primum: Ita vt ex hoc orbe & periodo ſequatur, Tyrannidem rurſus mutari in Ariſtocratiam: cum tamen multis quoque alijs modis mutetur nunc in Tyrannidem, nunc in aliam Tyrannidem, nunc in Oligarchiam, nunc in Democratiam, nunc in Ariſtocratiam: adeo vt Tyránnis non tantum in optimam illã Platonis Rempub. (quod neceſſe eſt ex eo orbe & periodo) ſed & in alias omnes Reipubl. formas commutetur. Id quod exemplis hic quoque docetur. Et hæc quidem huius loci ſententia eſſe videtur, etiam aliorum interpretum iudicio. Haud ſcio tamen, an non aliter accipi poſſit illud ἀόριστον ὅν: non pro infinito, ſed pro inexplicabili: quaſi Ariſtoteles cauſam, cur Plato de Tyrannide nihil attulerit, hoc verbo indicet; quod ne putarit quidem Plato afferre, vt in re plane inexplicabili & abſurda. Nam ex ſententia Platonis, vt iam dictum eſt, dicendum fuerit, Tyrannidem conuerti in optimam Platonis Rempub. At hoc abſurdum videtur, vt ex deterrima optima ſuboriatur Platonis Reſpublic. maxime propter illa tria hominum genera; aureum, argenteum, æreum ſeu ferreum; quæ videntur ita facilius mutari poſſe, à melioribus (inquam) in deteriora, ab aureis in argentea, ærea, &c. non contra. *Polyb* tamen *initio lib. 6* quo loco Platonicum illum orbem probat & explicat, vltimæ Reipub. quam ponit Democratiam nequiorem, conuerſionem fieri ad Regnum, id eſt, optimam Rempubl.

Cauſa eius erroris. *Alia interpretatio.*

Refutatio. Ἀλλὰ μεταβάλλει.] Docet, Tyrannidem varie mutari, non in vnam, quod ex orbe illo Platonico ſequitur, ſed in omnes fere Rerumpubl. formas ac genera, vt & modo diximus

mus ſeu explicauimus. Et primum quidem quia Tyrannidis vt & reliquarum Rerumpub. non vna ſed multæ ſunt ſpecies, de quibus explicatum *ſupra lib. 4.* tres (inquam) Tyrannidis ſpecies; de quibus *cap. 10. lib. 4.* ait, ex vna Tyrannidis ſpecie conuerſionem interdum fieri in alteram, à leuiore in grauiorem, vel contra. Quod idem & de alijs Rebuſpubl. vniuerſe explicatum eſt *ſupra cap. 6. in fin.*

Ὥσπερ ἡ σικυῶνος.] De Myrone & Cliſthene, Sicyonijs Tyrannis, dictum eſt, *ſupra initio huius cap.*

Ὥσπερ ἡ ἐν χαλκίδι.] De Chalcidenſium (quæ vrbs eſt Eubœæ, Nigropontum hodie vocatur) hoc Tyranno Antileonte & de hac mutatione Tyrannidis in Oligarchiam in ea vrbe amplius quærendum.

Καὶ εἰς δημοκρατίαν.] De Gelone, Syracuſarum Tyranno, & *ſupra hoc cap.* diximus. Quod autem hic ait Ariſtoteles, Tyrannidem eam Gelonis, eiuſq; fratrum, Hieronis & Thraſybuli, in Democratiam commutatam eſſe: id optime explicatur *à Diodoro li. 11.* his verbis *οἱ δὲ συρακούσιοι τοῦτον τὸν τρόπον*, &c. vbi ait, Syracuſanos, Thraſybuli Tyrannide liberatos, ſtatim popularem non in ſua tantum vrbe, ſed in alijs quoque inſtituiſſe, eamq; conſeruaſſe annos fere *60.* vſq; ad Tyrannidem Dionyſij.

Καὶ εἰς ἀριστοκρατίαν.] Ait, Lacedæmone Tyrannidem in Ariſtocratiam commutatam fuiſſe. Nam etſi Charilaus Tyrannidem non occuparat, ſed regnum hæreditarium acceperat; quia tamen tyrannice regno præeſſet, & aſperius imperaret; Tyrannus potius, quam Rex, non iniuria hic ab Ariſtotele appellatur. Quam eius Tyrannidem Lycurgus, Charilai patruus, nouis legib. ita temperauit & moderatꝰ eſt, inſtituto ſecum conſilio (28. erant, de quo *ſupra lib. 2. c. 7.*) vt Reſp. Spartana poſtea non magis regni quam Ariſtocratiæ ſpeciem haberet: atq; adeo ex tribus generib. (regno, Ariſtocratia & Democratia) velut mixta & temperata eſſet; quod *ſupra* explicauimus *li. 2. c. 4.* videatur *Plutarch. in Lycurgo.*

Καὶ ἐν καρχηδόνι.] Carthaginem regali forma Reip. principio vſam fuiſſe vel ex *Virg.* notum eſt de Didone Regina Carthaginenſium. Poſtea Ariſtocratia vſos eſſe Carthaginēſes, ſiue potius mixta Repub. non ſecus, atq; Lacedæmonios, ab Ariſtotele ipſo ſæpius exponitur, & maxime *ſupra li. 2. c. 9. & Iſoc. li. 2. ad Nicocl.* De hac autem mutatione regni ſiue

Tyrannidis in Ariſtocratiam, cuius hic fit mentio, quando ea & quemadmodum facta ſit Carthagine, amplius quærendum.

Καὶ εἰς τυραννίδα.] Adiungit Ariſtoteles de Tyrannide, eam ex Oligarchia ſæpe naſci, multisq; in locis Oligarchiã conuerti in Tyrannidem, cum tamen Plato in ſuo orbe Oligarchiam dicat in Democratiam tantum conuerti.

Ὥσπερ ἐν σικελίᾳ.] Indicat Ariſtoteles, plæraſq; Siciliæ ciuitates olim Tyrannide vſas fuiſſe, quæ poſtea (maxime antiquiores) in Oligarchias fuerint conuerſæ. *Cic.* quoque *in Verrem* hanc Inſulam Tyrannorum feraciſſimam fuiſſe ait, *& Iuſtin. li. 4* vbi de Sicilia; hæc à principio, inquit, patria Cyclopum fuit, quibus extinctis Æolus regnum Inſulæ occupauit, poſtquam ſingulæ ciuitates in Tyrannorum imperium conceſſerunt, quorum nulla terra feracior fuit. Horum ex numero Anaxilaus iuſtitia cum cæterorũ crudelitate pugnabat, &c. Idem de Sicilia patria ſua *Diod. Sicul.* commemorat, apud quem nominatim omnes quoq; ciuitates commemorantur, quibus Tyranni præfuerint.

Ἐν Λεοντίνοις.] De hoc Leontinorum, quæ eſt præclara Siciliæ ciuitas, Tyranno Panætio dictum *& ſupra c. 10.*

Καὶ ἐν Γέλᾳ.] De hoc Cleandro, eius fratre Hippocrate, Gelæ (quæ & ipſa eſt Siciliæ ciuitas, de qua *Cicer 3. accuſ. in Verr*) Tyrannis *Herod. li. 7.* ita ait; Κλεάνδρου δὲ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ πλεύσαντος, &c.

Καὶ ἐν Ῥηγίῳ.] Anaxilai huius Rheginorum ſiue Rhegij (quod eſt oppidum Italiæ è Regione Siciliæ) Tyranni mentionem reperi apud *Pauſan in Meſſenicis lib 4. & Strab. li. 6.* Eſt fortaſſe & ille, de quo *ſupra ex Iuſtino.*

4. *Error Platonis.* Ἄτοπον δὲ καὶ τὸ οἴεσθαι.] Aliud Platonis peccatum hic refellit. Quam .n. cauſam Plato affert (cuius verba mox adducem) cur Laconica in Oligarchiam mutetur; eam Ariſtoteles non ſatis iuſtam & idoneam eſſe, ſed aliam potius oligarchiæ cauſam à Platone prætermiſſam eſſe oſtendit.

Cauſa falſa Laconicæ in Oligarchiam degenerantis. Plato cauſam hãc affert Oligarchiarum, quod principes Reipubl. & magiſtratus quæſtui & lucro ſint dediti, & pecuniæ ac diuitiarum ſtudio teneantur; vt quibus in ciuitatib. pro ambitione & honorum ſtudio diuitiarum & quæſtus cupiditas ac ſtudium eſſe cœperit, in ijs Oligarchia exiſtat. Sic .n. ait lib. 8. de Republ. σκεπτέον ὡς μεταβαίνει πρῶτον ἐκ τῆς τιμαρχίας εἰς τὴν Ὀλιγαρχίαν

γίαν ῥίπτειν, &c. vbi & hæc ipſa verba, quibus hic vtitur Ariſt. exſtant; αὐτὶ δὴ φιλονείκων καὶ φιλοτίμων ἀνδρῶν φιλοχρηματι-ςαί τε λευτῶντες ἐγένοντο, &c. Ariſt. Oligarchiarum hanc potius cauſam eſſe ait, ꝙ cum iam multi ſunt locupletes, ꝗ reliquos ciues longe diuitijs ſuperent; propter hanc ſuam præſtantiam plus quoq; in Republ. ſibi deberi putent, & iniquum ſiue iniuſtum eſſe arbitrantur, pauperes ſibi comparari, & paria cõmoda ferre in Repub. cum potius ipſis priores partes, tanquã præſtantioribus, debeantur in Republ. Id .n. iuri & iuſtitiæ Geometricæ eſſe conſentaneum. Quare illis ipſis ſolis honores & magiſtratus deberi, excluſis pauperibus; quod Oligarchiæ eſt proprium. Hanc igitur iuris ſpeciem ob illam diuitiarum excellentiam cauſam & originem eſſe Oligarchiarum ait Ariſtoteles hic: & explicatum eſt latius *ſupra lib. 3. cap. 6. & 8. & hic huius lib. cap. 1.* *Vera cauſa.*

Ἐν πολλαῖς γ.] Cauſam Platonis bifariam refellit, cur (inquiam) diuitiarum ſtudium & cupiditas non ſit vera Oligarchiæ cauſa. Primum, quod multæ ſint Oligarchiæ, in quibus quæſtus & diuitiarum ſtudium etiam lege ſit vetitum. Deinde, quod Carthagine licet ſit permiſſum & vſitatũ hoc lucri & pecuniæ ſtudium, nulla dum tamen exorta ſit Oligarchia. Cum igitur & non in omnibus Oligarchijs ſit hoc pecuniæ ſtudium, & in quibuſdam ciuitatibus ſit illud quidem, quæ tamen in Oligarchiam non mutentur: facile inde cognoſci poteſt, Oligarchiæ cauſam non ex hoc ſtudio, ſed aliunde eſſe petendam. *1. Argum ἀνασκευαςικὸν cauſæ falſæ Platonis.*

Ἐν πολλαῖς τε.] Legibus cautum in quibuſdam Rebuſp. quæ paucorum imperio continentur, de re familiari non augenda, eo fortaſſe conſilio, vt cenſus veteres, quorum pro ratione & modo Magiſtratus mandantur, conſeruentur. Ita Romæ lege Licinia cautum eſt, ne quis plus quam 500. iugera poſſideret. Quæ lex tamen paucis & Oligarchis potius inimica fuit; de qua *Liu. lib. 6.* De alijs Oligarchijs amplius quærendum. *Leges de re familiari non augenda.*

Ἐν καρχηδόνι γ.] Quod hic indicat Ariſt. Carthagine ſtudiũ pecuniæ & augendæ rei fuiſſe: id latius explicatur *ſupra li. 2. c. 9* Quod .a. hic ait eam populari imperio contineri, ex parte verum eſt. Erat enim mixta partim ex optimatum, partim ex regio, partim ex populari imperio temperata fere, vt Romana; atque adeo optimatum & paucorum factio potius *Carthaginis ſtatus popularis.*

dominabatur. Quare & paulo ſupra Carthaginen. Reſpub. Ariſtocratica vocatur. Videatur *cap. 9. li. 2. & cap. 7. li. 4.*

5. Error Platonis. Ἄτοπον δὲ καὶ τὸ φάναι.] Aliud Platonis peccatũ de Oligarchia & paucorum imperio indicat Ariſt. & refellit. Exiſtimat enim Plato, eam ciuitatẽ, quæ paucorum imperio teneatur, non eſſe vnam, ſed duas potius; diuitum vnam, & alterã pauperum. Nam *lib. 8 de Repub.* quo loco Oligarchiæ vitia exponit, alterum hoc eius vitium eſſe ait; *τὸ μὴ μίαν, ἀλλὰ δύο ἀνάγκη εἶναι τὴν τοιαύτην πόλιν· τὴν μὲν πενήτων, τὴν δὲ πλουσίων. οἰκοῦντας ἐν τῷ αὐτῷ, ἀεὶ ἐπιβουλεύοντας ἀλλήλους.* Quod idem graue & pernicioſum ciuitatibus vitium etiam *lib. 4.* indicarat his verbis; *μίας ὄντος εἶναι ἐγώ, &c. δύο μὲν γὰρ καὶ ὁπωσοῦν εἶεν πόλεις μιᾶς ἀλλήλων, ἡ μὲν πενήτων, ἡ δὲ πλουσίων.* Quæ Platoni cauſa quoq; fuit, cur bonorum communitatem & æquationem introduceret. Ariſtoteles hanc quoq; eius ſententiam, vt vitioſam & abſurdam, reprehẽdit, & refellit duabus rationibus.

1. Argum. ἀνασκευ. Prior hæc eſt, ꝙ illud de duab. ciuitatibus diuitum & pauperum, quod Plato Oligarchiæ vitium eſſe putat, etiam in alia Rerumpub. genera, vt Laconicam, quam Plato vocat Ariſtocratiam, Democratiam cadet. Nam quæcunq; tandẽ ſit Reſpub. fieri non poteſt, quin alij ſint diuites, alij ſint pauperes, niſi bonorum æquatio introducatur, quam *Cic. l. 2. off.* peſtem & perniciem Rerumpub. eſſe ait.

2. Ratio ſeu argum. ἀνασκευαστικόν. Altera ratio indicari videtur his verbis: *ἢ μὴ πάντες ὅμοιοι εἰσὶν*, &c. Quod ex ea Platonis ſententia videatur etiam in vrbe ea, in qua ſit communitas & æquatio bonorum, duas nihilominus eſſe ciuitates, vnam bonorum, alteram improborum. Vix enim fieri poteſt, vt omnes peræque ſint boni. Atq; ita, quod ille ſummum vitium Reipub. putauit, ſi non ſit vna, ſed multiplex; id in ipſius quoq; Repub. in qua alij ſint alijs meliores, euenire videtur.

6. Error Platonis. Οὐδενὸς δὲ πενεστέρου.] Multa Platonis peccata de Oligarchia reprehẽdit. Duo iam ſunt explicata, affertur & hic aliud. Putauit enim Plato, cur Oligarchia in Democratiam cõuertatur, hanc eſſe cauſam, idq; tum fieri ſolitum, cum ditiores facultatibus ſuis lapſi fuerint & ad egeſtatem redacti. Ariſtoteles contra ſæpe accidere ait, etiam cum nemo ex ditioribus facultates amiſerit; nimirum ſi tenuium & pauperum multitudo maior facta fuerit, non eſſe neceſſe, quod putauit Plato, vt diuites ad paupertatem redigantur; ſatis eſſe, ſi plebis

&te-

& tenuiorum turba augeatur. Hinc enim exiſtere Democratiam. Nam vt *ſupra* explicatum *li.3.cap.5.* Oligarchia eſt, vbi pauci diuites, Democratia, vbi multi pauperes imperium tenent. Facile autem fiet, vt tenuiores aucti & paucis pares aut ſuperiores facti imperium occupent, atq; Oligarchiam in Democratiam conuertant. Contra quoque fieri poterit, vt multitudo vel morbo vel bello vel qua alia re diminuatur veluti Colonia, eaq; vt exigua oppreſſa dominatũ arripiant pauci, deleto populari imperio: atq; ita ex Democratia è cõtra Oligarchia oriatur, neq; deminutis neq; auctis diuitũ bonis. Quare non bonorum deminutioni vel incremento, ſed *Concluſio.* multitudini potius pauperum, vel diuitum opibus & potentiæ, vt altera pars altera ſit ſuperior, cauſa & ortus Democratiæ & Oligarchiæ adſcribi debet.

Πολλῶν τε ὄντων.] Alia hic duo Platonis peccata de Oli- *7. Error* garchia affert; quorum alterum eſt; quod, cum multæ ſint *Platonis.* cauſæ interitus & mutationis Oligarchiarum, de quibus explicatum *ſupra cap. 6.* Plato tamen vnam duntaxat attulerit, eamq; vitioſam; quod alterum eſt peccatum. Plato namque *8. Error.* Oligarchias ex eo putat interire, quod diuites eorumq; liberi maxime luxu ſuo, qui diuitiarum eſt comes, magniſq; ſumtibus & patria comedant & conſumant bona, & ijs conſumtis ære ſe alieno obruant, vnde tandem res nouas moliri & Rempub. perdere & mutare cogantur. Verba Platonis hæc ſunt: οὐκ ἂν ἦν γε ἐγὼ μεταβάλλει ἕνα τούτων, &c. Ariſtoteles *Aroſtotelis* hanc de ære alieno cauſam probat ille quidem, ſed adhibita *ſententia.* diſtinctione. Nam Plato ita loquitur, quaſi propter quorumlibet æs alienum non principum tantum Reipubl. ſed etiam aliorum ciuium hi motus & mutatio exiſteret, & omnes ciues aut certe plæriq; ſint diuites: cum tamen in Oligarchia pauci rem habeant, ij qui imperio præſunt: & ab his tantum, vel ab his ſolis periculũ eſſe ait Ariſtoteles, ne lapſi facultatibus & fœnorib⁹, vt ait *Saluſt.* cooperti, res nouas moliantur. A reliquis ciuibus, quorum non magnæ ſint opes, autoritas & ſplendor, nihil admodum eſſe metuendum. De qua re explicatum latius *ſupra cap. 6. & lib. 2. c. 5.* videatur & *Sueton. in Othone ca. 5. & Plutarch. in lib. de ſanitate tuenda.* Etſi *Cic. lib 2. in Catilin.* videtur indicare, non à Catilina & patricijs, ſed plebe quoq; vſuris & ære alieno exhauſta periculũ fuiſſe; Nemo, inquit, non modo Romæ, ſed ne vllo in angulo to-

tius Italiæ oppreſſus ære alieno fuit, quem non ad hoc incredibile ſceleris fœdus Catilina adſciuerit. Et mox: patrimonia ſua profuderant, fortunas ſuas abligurierant.

Error Platonis. Καὶ μεταβάλλουσιν.] Aliud Platonis peccatum de Oligarchia, quam putauit ſemper in Democratiam conuerti, vt ſupra vbi de orbe illo Platonico dictum eſt, cum ſæpe tamen in aliam Rempublicam Oligarchia commutetur, in Tyrannidem, & alia Oligarchia in aliam (Sunt enim plures eius ſpecies) commutetur. Huius rei exempla allata ſunt *ſupra cap 6. Polyb.* tamen, vt & ſupra diximus, Platoni aſſentitur, Oligarchiam in Democratiam conuerti. Quod idem Reip. Romanæ accidit. Et certe plærunque accidere ſolet. Id quod Plato fortaſſe ſpectauit. Nam in rebus politicis ea, quæ plærunque accidunt, ſpectari ſolent. Quod *ſupra* explicatum *lib. 1. Eth. cap. 3. & lib. 2.*

Ἔτι δὲ καὶ τιμῶν.] Id pertinet ad ea, quæ paulo ſupra explicauimus de bonorum & patrimoniorum profuſione & ære alieno, quam communem cauſam Plato attulerit. Ariſtoteles, eo reprehenſo, alias præterea cauſas eſſe, ex quibus ſeditiones & motus oriantur, vt ſunt honores, iniuriæ, contumeliæ, quas hic commemorat vno verbo, & *ſupr.* late explicauit *cap. 2. & 3. & 6.*

Correctio huius loci. Διὰ τὸ ἐξεῖναι.] Hæc verba de mendo valde mihi ſunt ſuſpecta, adeo vt eo fere labar, vt putem, hæc omnia vſque ad verba, πλειόνων δ' οὐσῶν, hic interiecta ex Platone non ſatis opportune. Nam hæc verba, οὐ αἰτίαν, hic ad Oligarchiam torquentur, quæ à Platone de Democratia afferuntur. Sic enim ait *libr. 8. de Republ.* ἡ γὰρ ἄγαν ἐλευθερία ἔοικεν οὐκ εἰς ἄλλο τι, ἢ εἰς ἄγαν δουλείαν μεταβάλλειν καὶ ἰδιώτῃ καὶ πόλει. Et ijs deletis locus hic totus dilucidior videtur. Niſi forte prioribus ita accommodentur: vt Ariſtoteles cauſam eius luxuriæ & patrimonij conſumendi ijs hanc afferat, quod propter nimiam diuitum licentiam, quicquid ipſis libitum fuerit, faciant, profundant, perdant, pereant, vt ait *Terent.* *Sepulueda* hæc verba ad Democratiam refert: eo fortaſſe adductus, quod Plato illis οὐ αἰτίαν de Democratia ſit vſus, vt iam diximus: putatque, ad cæteras cauſas mutationem Rerumpublic. de quibus ſupra eſt explicatum, aliam hic addi, nimiam libertatem. Quod profecto nimis alieno loco fieret. Agitur enim perſpicue de Oligarchia.

ἐπανόρθωσις.

Sepulueda explicatio.

Refutatio.

Πλειόνων

Πλειόνων ἢ οὐσῶν.] Aliud Platonis peccatum in hac diſputatione de mutationibus Rerumpubl. poſtremo loco hic affert; Quod Plato cauſas mutandæ Oligarchiæ & Democratiæ ita exponat, quaſi vna tantum ſit Oligarchiæ ſpecies aut Democratiæ. Nam cuiuſq; vnam tantum mutationis cauſam affert. Cum tamẽ Oligarchiæ aliarumq; Rerumpub. ſua cuiuſq; multa ſint genera. De quibus accurate explicatum eſt *ſupra lib.4 cap.4.5. &c.* Quare cum multa cuiuſq; Reipubl. ſint genera: multæ quoq; vt ortus & interitus ſint cauſæ, neceſſe eſt, cuiq; generi accommodatæ. Qua in re & alios quoque lapſos eſſe monuit *ſupra lib.4.c.1.* *10. Error Platonis.*

Libuit hic quoque, ὡς πάρεργον ἢ προσθήκην ex *Cenſorino de die natali ca 17. in fin.* adſcribere; Vettium Romanæ Reipubl. interitum olim ex diſciplina augurali prædixiſſe: mea quidem ſententia, aut iuuante cacodæmone ad ſtabiliendã auſpiciorum ſuperſtitionem: aut forte fortuna coniecturæ reſpondente euentu. Cum enim Romulo vrbẽ condenti *12.* vultures apparuerint: Vettius primum eius annum Climactericum conſtituit *120.* numero nimirum auium per denarium multiplicato. Cum autem eum annorum numerum tunc temporis Reſpublic. Romana incolumis attigiſſet: eo ipſo numero rurſus in denarium deducto, ad annum vſque 1200. Rempub. Romanam peruenturam prædixit. Id quod etiam accidit, paucis tantummodo exceptis annis. Ita enim ſub anno Chriſti *475.* hoc eſt, Romæ conditæ *1226.* ſcribit *Funcc. in ſuis Chronicis*; Caſus occidentalis Regni Romanorum, &c.

FINIS LIBRI V.

LIBER VI.

ARGVMENTVM.

Ἀνάμνησις eorum quæ hactenus ſunt explicata.

*M*Onuit Ariſtoteles ſupra lib. 4. cap. 2. extremo his verbis; ἡμῖν δὲ πρῶτον, &c. de iis, quæ in hoc opere ſibi ſunt explicanda. Et primum quidem de Rerumpublicarum generib. quæ & quot ea ſint numero, & ſingula quam ſint multiplicia. Deinde,
2. quæ Reſpubl. cui maxime ſit expetenda aut deligenda. Aliis
3. enim Democratia conuenit, aliis Regnum. Poſtea quomo-
4. do hæ Reſpubl. inſtitui & deſcribi debeant. Tandem de earum cauſis interitus & ſalutis. Ac de illis quidem explicatum eſt lib. 4. de hoc vltimo, id eſt, de cauſis ſalutis & interitus Rerumpubl. toto libr. 5. Hoc autem libr. 6. veluti appendix & additamentum quoddam continetur, prioribus libris, & maxime libr. 4. applicandum. Nam quæ eo lib. velut prætermiſſa ſunt de Rebuſpubl. maxime de iis duabus Democratia & Oligarchia deſcribendis; ea hic perficiuntur. Quibus tandem extremo cap. de magiſtratuum generibus præclara diſputatio adiungitur. Quare huius lib. tres veluti partes conſtitui poſſunt: quarum in prima de ordine & ſcopo ac materia huius libri exponatur: in altera, cap. 2. 3. & 4. de illis duabus Rebuſpub. agatur: in tertia, ca. vlt. aurea & inſignis magiſtratuum partitio & genera explicentur.

Præſentis libri argumentum. 1. Pars. 2. Pars.

Alia partitio. 1. Pars. 2. Pars. 3. Pars.

TEXTVS.

Quot ſint differentiæ & quæ, & partis deliberantis, quæque Reipubl. eſt Domina, & eius, quæ in magiſtratuum deſcriptione eſt poſita, & eius,

cius, quæ in iudiciis, quæque cui Reipublicæ ſint accommodatæ: de interitu quoque & ſalute Rerumpublicarum, ex quibus & propter quas cauſas fiat; ſupra eſt explicatum. Cum autem Democratiæ multa ſint genera, & item aliarum Rerumpublicarum; non ab re fuerit, de iis ſimul & ſi quid reliquum fuerit, conſiderare, & proprium & cuique accommodatum modum tribuere ſeu exponere. Coniunctiones quoque omnium eorum modorum erunt explicandæ. Hæc enim coniuncta efficiunt, vt & Reſpublicæ varient, vt Ariſtocratiæ ad Oligarchiam, & Politiæ ad Democratiam declinent. Coniunctiones voco (de quibus explicandum quidem eſt, adhuc autem non ſunt explicatæ) vt ſi pars, quæ in conſilio & quæ in magiſtratu eſt poſita, deſcripta ſit oligarchice; ea vero, quæ eſt in iudiciis, ariſtocratice. Vel hæc quidem, & ea, quæ in conſilio oligarchice; ea vero, quæ in magiſtratu, ariſtocratice, vel quo alio modo, ne ea, quæ Reipublicæ ſunt propria, omnia coniungantur.

COMMENTARII.

Πόσαι μὲν οὖν διαφοραὶ.] Adfert Ariſtoteles eorum, quæ *ſup. lib. 4. extremo & toto lib. 5.* ſunt explicata, breuem quaſi *ἀνακεφαλαίωσιν* ſiue repetitionem. Sic enim ſolet his enumerationibus vti; cum, vt tractatio magis ſit perſpicua: tum, vt, quæ ſuperſint explicanda, intelligatur. Docuit autem *ſupra lib. 4. cap. 14. & 15. ac vltimo.* tres eſſe ſummas Rerumpublicarum partes: Conſilium ſiue Senatum, Magiſtratus & Iudicia: quibus tribus partibus ſumma Reipublicæ continetur. De iis partibus cum alia diligenter eo loco ſunt explicata: tum & hæc, quæ hoc loco commemorantur, quemadmodum hæ partes inter ſe differant, & quemadmodum Rerumpublicarum generibus accommodari poſſint. Nam cum ſingularum Rerumpublicarum multæ ſint formæ (vt Demo-

Summũ imperiũ τὸ κύριον πολίτευμα. De quo aliter Bodi. meth. hiſt. ca. 6. p. 260. & de Rep. l. 1. c. 8. Huius loci argumentum.

cratiæ non vnum eſt genus, ſed multa; de qua re explicatum *ſupra lib. 4.* & mox dicetur) docuit *eodem in loco* Ariſtoteles, quis Senatus, qui Magiſtratus, quæ iudicia huic vel illi Democratiæ vel Oligarchiæ, &c. magis ſint accõmodata, magiſque conueniant.

Καὶ κυρίου τῆς πολιτείας.] Ex illis tribus partibus eam, quæ deliberationibus & conſilio præeſt, Ariſtoteles κύριον, dominam & principem vocare ſolet, vt *ſupr. lib. 4. cap. 14. 15.* cauſam perſpicuam eo loco explicauimus.

Ἔτι δὲ περὶ φθορᾶς τε.] De cauſis ſalutis & interitus Rerumpublicarum explicatum eſt copioſe *ſupr. toto lib. 5.*

Ἐπεὶ δὲ τετύχηκεν εἴδη.] Nunc accedit ad ea, quæ hoc libro ſunt explicanda. Nam cum Democratiæ, aliarumque Rerumpublicarum non vnum, vt plærique hactenus putarunt, ſed multa ſint genera, de quibus accurate explicatum *ſupr. lib 4. cap 1. & 2.* & maxime 3. *&* 4. & hoc amplius hæc ipſa genera ſæpe commiſceantur & coniungantur; adeo, vt quæ ad Democratiam proprie pertinent, ad Oligarchiam transferantur, ſaltem aliqua, & contra. De his igitur coniunctionibus ſeu copulationibus, & veluti temperationibus (Ariſtoteles συνδυασμοὺς & συναγωγὰς vocat) & ſi quid præterea reliquum erit de variis Rerump. generibus explicandum: hoc *lib. 6.* agit multis quidem verbis. Hæc de argumento & materia huius lib. & ſatis intricate perſequitur Ariſt. Eorũ tamen hæc mihi ſumma eſſe videtur. Cum de Rebuſp. quædã prioribus in libris ſint prætermiſſa, maxime de his duabus, Democratia & Oligarchia: de iis accuratius eſſe hoc lib. diſſerendum, quemadmodũ optime hæ duæ inſtitui & deſcribi debeant: id quod hac permixtione & confuſione fieri docet: adeo vt non ſtatim, quæ ad vnam eandemq; Remp. pertinent, omnia coaceruentur: ſed vt quod vnius eſt proprium, & alteri accommodet. Verbi gratia, Democratiæ proprium eſt, Magiſtratus ſorte deligere: Oligarchiæ, ſuffragio & iudicio.

Οὐ χεῖρον ἐπισκέψασθαι.] Elegans eſt hoc dicendi genus Græcum, quo vtitur Ariſt. *& lib. 4. Ethic.* vtuntur & alii: in quibus ſæpe male ab Interpretibus eſt redditum Latine. Valet autem Latine; non inutile erit, commodum fuerit, non abs re fuerit.

Καὶ τὸν οἰκεῖον.] Ait, modum cuique Reipublicæ conuenientem & accommodatum explicãdum eſſe, quib. formam Reip.

Reip. intelligere videtur: vt cum Democratiæ (verbi gratia) Oligarchiæ quoq; , &c. multa ſint genera; explicetur, quæ cuique generi forma maxime ſit accommodata & ſalutaris, & ad diuturnitatem idonea. Etſi autem hæc verba ad omnes Rerumpub. ſpecies pertinent: de omnib. tamen hoc lib. non explicatur, ſed de Democratiæ tantū generib. & Oligarchiæ.

Ἔτι δὲ καὶ τὰς συναγωγάς.] Ait, de coniunctionib. ſiue copulationibus modorum eſſe explicandum. Quas autem intelligat coniunctiones, mox ipſe aperit his verbis: λέγω δὲ τοὺς συνδυασμούς, &c. de quibus latius explicatum eſt *ſup. li. 4. c. 9.* vbi Græce vocantur συνθέσεις, coniunctiones ſiue copulationes, μίξεις, id eſt, mixtiones, & συνδυασμοὶ, vt & hic, id eſt, coniugationes. Sunt autem coniugationes ſiue cōiunctiones, quib. duarum vel trium Rerump. inſtituta propria in vnam Remp. conferuntur & commiſcentur, vt *eo cap. 9. lib 4* explicatum eſt. De iis igitur denuo hic explicandum eſſe ait, maxime in duabus Rebuſpubl. Democratia & Oligarchia: tum, quod ex iis coniunctionibus & permixtionibus ipſarum quoque Rerumpub. diſcrimina oriantur: tum, quod ab aliis Scriptoribus Rerumpub. & etiam politicis ac legum ſcriptoribus hæc res prætermiſſa ſit, quæ tamen Rebuſpubl. valde eſt ſalutaris & fructuoſa, vt *infr.* explicabitur.

συναγωγὴ Rerump. diuerſarum.
συνδυασμός.
σύνθεσις.
μίξις.

Λέγω δὲ τοὺς συνδυασμούς.] Exemplo oſtendit, de quib. coniunctionibus loquatur. Nam cū tres ſummæ & maximæ ſint partes Rerump. Senatus, Magiſtratus & Iudicia: ex harū partium varia deſcriptione & permixtione hæ copulationes & coniunctiones conſtant. Aliter enim hæ partes in Ariſtocratia: aliter in Oligarchia, aliter in Democratia conſtituuntur; vt explicatum eſt *ſupra libro 4. capite 14. & duobus ſequentibus.* Fieri igitur poteſt, vt Senatus & Magiſtratus oligarchica ratione, Iudicia Ariſtocratica, vel iudicia & Senatus oligarchice, Magiſtratus ſumatur & conſtituatur ariſtocratice; & ita hæ partes miſceantur partim ex Ariſtocratia, partim ex Oligarchia. Rurſus fieri poteſt, vt Magiſtratus fiat modo politico, Senatus & iudicia modo democratico. Itemque aliis modis hæc permiſceri poſſunt. Ea permixtio quoque facit, vt ipſæ quoque Reſpublicæ fiant aliæ atque aliæ.

Exemplū τοῦ τῶν πολιτειῶν συνδυασμοῦ.

Ταῦτα γὰρ συνδυαζόμενα.] Ex his coiunctionibus varia Rerumpubl. diſcrimina exiſtere ait, idque *infra hoc capite* latius expli-

explicabitur, quod hoc loco breuiter exemplo confirmat. Nam inde ſæpe fieri, vt quæ ſua ſponte eſt Ariſtocratia, quodammodo fiat Oligarchia, & vt Politia (quæ & ipſa ſpecies eſt Reipublicæ, de qua *ſupr. lib. 4. cap. 9.*) ad Democratiam quodammodo redigatur. Idem & in aliis Rebuſpublicis accidere poteſt hac coniunctione ſiue permixtione, vt vna Reſpublica in aliam conuertatur: & cum multa Democratiæ ſint genera, vna Democratia in aliam, vna Oligarchia in aliam conuertatur,

Οὐκ ἐσκεμμένοι ἦ.] Ait, tractationem & diſputationem de iis coniunctionibus ſiue copulationibus vulgo ſua adhuc ætate ignotam fuiſſe, quod idem & alias iterat *ſupra libro 4. capite 1.*

Μὴ πάντα συντεθῇ.] Expoſitis breuiter coniunctionibus, & exemplo explanatis adiungit, non eſſe neceſſe, quæ ad vnam Rempublicam pertinent, eiuſque vnius ſunt propria, ea omnia coaceruare, ſed potius ex aliis Rebuſpublicis quædam aſſumenda, atque ita hac permixtione & copulatione eſſe vtendum: qui ea in re alios grauiter reprehendit multis in locis, qui Reſpublicas meras inſtituant aut conſtituant, vt Democratiam ex meris Democraticis inſtitutis: cum tamen vtilius ſit, & ad diuturnitatem accommodatius, quædam tantum Democratica ad Democratiam conſtituendam ſumere, iiſque adiungere quædam etiam ex aliis Rerumpublicarum generibus petita, vt oligarchica quædam & politica, &c. De iis autem, qui meras Reſpublicas conſtituunt, eorumque peccatis, latius *infr. hoc cap. in fin.*

TEXTVS.

Quæ igitur Democratia ciuitati conueniat, itemque ex oligarchiis, quæ cui multitudini & ex aliis Rebuſpublicis, quæ quibus conducat, ſupra eſt explicatum. Cæterum non tantum quæ ex iis Rebuſpublicis optima ſit ciuitatibus, notum eſſe debet: ſed etiam quemadmodum & hæ & aliæ ſint deſcribendæ, breuiter exponamus. Et primum de Democratia dicamus. Simul enim & de contraria Republica intelligetur. Ea eſt, quam vocant

quidam

quidam Oligarchiam. Ad hanc autem rationem omnia popularia ſiue Democratica, quæque Democratiis conſentanea videantur, ſumi debent. Fit enim, vt ex horum copulatione Democratiæ genera efficiantur, & plures vna ſint Democratiæ & diſſimiles. Duæ namque ſunt cauſæ, propter quas plures ſint Democratiæ: primum quidem ea, quæ ſupra expoſita ſeu explicata, quod diuerſi ſint populi. Nam quædam eſt agricolarum multitudo, quædam opificum & mercenariorum. Quarum prima ad ſecundam aſſumpta, & tertia rurſus ad vtramque, non eo tantum differt, quod melior & deterior fiat Democratia: ſed etiam, quod non eadem. Altera, de qua nunc agimus. Quæ enim Democratiis ſunt conſentanea, huiuſque Reipublicæ propria eſſe videntur, compoſita ſiue coniuncta alias Democratias efficiunt. In hac enim pauciora, in illa inerunt plura, in hac denique hæc omnia. In harum autem vnumquodque vtile eſt tam ad inſtituendam, quam earum quis velit, & ad correctiones, cognoſcere. Qui autem Reſpublicas conſtituunt, dant illi quidem operam, vt propria omnia inſtituto ſuo adiungant: ſed hac re peccant, vt ſupra in iis, quæ de interitu & ſalute Rerumpublicarum, explicatum eſt. Nunc videamus, quæ ſint communes ſententiæ, & qui mores, & quæ expetant.

COMMENTARII.

Ποία μὲν οὖν δημοκρατία.] Pergit exponere Ariſtoteles ea, de quibus in hoc libro ſit explicandum, nimirum de Democratiis & Oligarchiis, cum earum multa cuiuſque ſint genera, quemadmodum pro ſuo quæq; genere optime conſtitui vel deſcribi poſſit. Quam ad rem duo maxime conſideranda eſſe ait.

1. Præceptũ co- ſtituendarum Rerumpubl. ſe ait. Primum quidem, vt diligenter obſeruetur, quæ inſtituta & mores cuiuſque Reip. ſint propria. Deinde quemadmodum ea inſtituta in iis Rebuſpublicis vel primo inſtituendis, vel etiam emendandis & corrigendis ſint adhibenda. Nam *2. præcept.* illud quidem de iis duabus Rebuſpublicis, Democratia & Oligarchia, quænam Democratia huic ciuitati vel hominum generi & multitudini, itemque quæ Oligarchia, cui hominum generi maxime conueniat, explicatum eſt *ſupra libro quarto, capite duodecimo*, vbi præclare docuit Ariſtoteles, in conſtituendis ciuitatibus & Rebuſpublicis, videndum eſſe, ciues & inquilini ſiue incolæ quo ſint ingenio & moribus præditi, & quibus in artibus aut rebus occupati. Verbi gr. an agriculturæ, an mercaturæ, an opificiis, an rei militari, an rei nauticę, an otio & literis ſint dediti: & rurſus, an ingenio tractabili, an aſperiore & intractabili. Nam pro harum diſſimilitudine rerum atque differentia Reſpublica quoque ſiue ſtatus erit variandus: de quo & paulo *infra hoc capite*. Illud etiam, ex omnibus Rebuſpublicis quæ ſit optima ſiue accommodatiſſima, & conuenientiſſima ciuitatibus, ſiue humano generi, hominumque moribus, explicatum eſt *ſupra libro 4. capite 11.* Quo in loco docuit Ariſtoteles, eam Rempublicam, quæ communi nomine Reſp. ſeu Politia dicitur, in qua Reipub. præſunt non minus diuites vel pauperes, ſed mediocres, hominũ generi maxime ſalutarem eſſe. Verum non de iis tantum, de quibus iam in iis locis explicatum diximus: ſed etiam de hoc explicandum, qua ratione & modo hæ Reſpublicæ duæ, Democratia & Oligarchia, aliæque optime deſcribi & inſtitui poſſint. Etſi autem de hac ipſa re, id eſt, de ratione & via deſcribendarum Rerumpublicarum, & quidem de ea ipſa, quam hoc libro perſequitur, quæ in permixtionibus & copulationibus illis poſita eſt, prioribus quoq; in libris mentio facta eſt, vt *infra* dicemus: nuſquam tamen ea de re tam accurata & propria, quam hoc loco, explicatio & diſputatio requiritur. Cæterũ non de omnibus, ſed de duabus tantum Rebuſpub. Democratia & Oligarchia, hoc libro explicatur: cuius rei cauſam hanc eſſe puto, quod apud Græcos, quorum Reſpubl. maxime ſpectat Ariſt. eius ætate hæc duo genera maxime eſſent in vſu; quæ eadem eſt cauſa, cur in toto hoc opere de iis duobus generibus ſæpius & accuratius, quam de reliquis explicetur, vt & *ſupr.* ni fallor, monui *libr. 3.*

Cur de Democrat. & Oligar. permixtione tantũ diſſerat Ariſt.

ab

ab initio. Etſi autem hæc diſputatio de duobus tantum generibus Reip. ſuſcipitur: eadem tamen ad alia quoque eadem via & ratione accommodari poteſt.

Καὶ πρότερον περὶ δημοκρατίας.] Cum diſputatio de duabus Rebuſpublicis, Democratia & Oligarchia, ſit futura: prius de Democratia, *cap. 2. 3. 4. & 5.* deinde de Oligarchia, *capite 6.* explicatur: copioſe quidem & late de Democratia, de Oligarchia breuiter. Nam (vt vulgo dicitur) contrariorum eadem eſt ſcientia: ſiue cognito vno contrariorum, cognoſcitur & alterum. De quo præcepto Dialectico diximus & *ſupr. lib. 5. cap. 6. in princ.*

Ἅμα γὰρ καὶ περὶ τῆς.] Democratiam & Oligarchiam contrarias inter ſe eſſe Reſpub. quod in iis partes, quæ imperium tenent, plane ſint contrariæ, vt diuites ſiue pauci in Oligarchia, pauperes ſeu multi in Democratia, *ſupra* ſæpe dictum, vt *lib. 4. cap. 4.*

Ληπτέον δὲ πρὸς ταύτην.] Deſcribendæ ſeu inſtituendæ Democratiæ vtile eſſe ait, ſi inſtituta Democratica ſiue popularia, eaque omnia, quæ populari ſtatui ſunt conſentanea, colligantur & ſumantur, eaque ſapienter miſceantur ac temperentur. Ex qua temperatione quoque ipſarum Democratiarum varia genera naſcentur. Eadem eſt & Oligarchiæ deſcribendæ ratio, vt & *ſupr.* dictum. Quæ autem popularia ſint inſtituta & mores, quæ Democratiarum proprietates ac notæ; explicatum eſt *infr. cap. 2.*

Ἐκ γὰρ τούτων συντιθεμένων.] Ex inſtitutis popularibus varie mixtis & temperatis multa Democratiarum genera exiſtere ait: de quo paulo *infr.* latius.

Δύο γάρ εἰσιν.] Inſignis eſt locus de cauſis multarum Democratiarum. Nam cum alii legum Scriptores & Politici, rerumque politicarum ſcriptores, in quibus eſt & Plato, vnum duntaxat Democratiæ genus eſſe putarint, vt eſt *libro quarto, ſupr. ab initio*. Ariſtoteles & huius & Oligarchiæ, & aliarum quoque Rerumpublicarum genera eſſe docet *libr 4.* De Democratia autē, cur ea ſit multiplex, cur (inquam) eius multa ſint genera & formæ: duas cauſas eſſe ait: quarum altera in *δήμων* ſeu populorum varietate, multiſque generibus ſit poſita: altera in iis mixtionibus, ſiue copulationibus inſtitutorum. De priore diligenter explicatum eſt *ſupra libro 4. capite 3. & 6.* Quo in loco docuit Ariſtoteles, multitudi-

Duæ cauſæ, cur plura ſint genera Democratiarum.

titudinem ſiue plebem aliam quidem agris colendis, aliam pecoribus paſcendis eſſe deditam, aliam mercaturæ, aliam opificiis, aliam denique rei nauticæ: ſiue aliam eſſe agricolarum, paſtorum, inſtitorum, mercatorum & opificum mercenariorum. Qua ex partium differentia alia quoque atque alia Democratia efficiatur, & alia melior quam alia. Verbi gratia, ſi in ciuitate multi ſint agricolæ, & paſtores, & hortulani, qui plus poſſint, quam reliquæ ciuium partes, vt vel opifices, vel nautæ, vel piſcatores, &c. erit hæc Democratia agricolarum, eaque prima & optima: vel contra, in qua plus poſſunt opifices, & maxime nautici; alia quoque eſt Democratia; ſed omnium nequiſſima & deterrima, vt Athenis tempore Demoſthenis & Ariſtotelis: qua de re explicatum

2. Cauſa latior explicatio.

ſupra lib. 4. cap. 3. & 4. Altera cauſa, etſi eius quoque mentio facta eſt *ſupr. lib 4. cap. 1. & 9.* hoc tamen libro ea proprie & accurate explicatur. Nam cum inſtituta popularia, vt & oligarchica, & aliarum Rerumpublicarum ſint multa, & ſua cuiuſque Reipublicæ propria: ea quoque varie ac diſſimiliter permixta varias quoque & diſſimiles Democratias efficere ſolent, vt alia ſit Democratia, in qua omnia Democratica ſiue popularia inſtituta ſint congeſta; alia, in quam plæraque; alia, in quam perpauca. Quod idem & de Oligarchiis & aliis Reipublicæ generibus dici poteſt, vt infra ſuo loco demonſtrabitur.

Vtilitas huius doctrinæ.

χρήσιμον δὲ ἕκαστον.] De vtilitate ſiue de vſu huius diſputationis, de inſtitutis popularibus, aliarumque Rerumpublicarum diligenter internoſcendis, ait Ariſtoteles, rem hanc vtilem eſſe cum ad deſcribendas ſeu ab initio bene inſtituendas Reſpublicas: tum etiam ad inſtitutas iam olim ſapiēter corrigendas & emendandas. Quod vtrumque munus & officium boni Politici, legumque ſcriptoris, vt * Reſpub. de integro & à principio bene deſcribere, & vitioſas ſiue tempore collapſas inſtaurare & emendare: monuit Ariſt. & *ſupr. lib. 3. cap. 1. & lib. 4. cap. 1.*

Aliorum politicorũ hac in re commiſſa peccata.

Ζητοῦσι μὲν γὰρ οἱ τὰς πολιτείας.] Aliorum in hac re, de qua hic agitur, de inſtitutis his bene temperandis, peccata hic commemorat, qua & ipſa ex re ſiue aliorum peccatis vſus quoque huius diſputationis cernitur. Nam alii Politici, Rerumque publicarum auctores magno errore & peccato ſua cuiuſque Reipublicæ propria inſtituta non temperare ſed

coacer-

coaceruare, & in vnum congerere ſunt ſoliti, vt popularia in Democratia, vt oligarchica in Oligarchia, &c. Quam rem vitioſiſſimam eſſe, & ciuitatibus valde pernicioſam, docuit *ſupra lib. 5. cap. 9.* vbi & nos de hoc multorum Politicorum peccato copioſe explicauimus.

CAPVT II.

PERSEQVITVR hoc capite Ariſtoteles propria Democratiæ inſtituta, quorum vnum eſt veluti fundamentum & ſcopus, vnde reliqua deinde promanant, quod fundamentum libertas dicitur & æqualitas ſiue æquitas.

Fundamentum omniũ inſtitutorũ democraticorum.

TEXTVS.

Democraticæ ergo Reipublicæ finis ſiue ſcopus eſt libertas. Id enim ſolent dicere, in hac ſola Republica ciues libertate vti, quia hoc dicant omnem Democratiam ſpectare. Libertatis autem vnum quidem, viciſſim parere & imperare. Etenim ius populare eſt, æquale habere numero, ſed non dignitate. Hoc autem ius cum eſt, vt plebs domina ſit; neceſſe eſt, & quod pluribus viſum fuerit, vt hoc quoque ſit ratum, & hoc ſit ius. Aiunt enim, quemque ciuium æquale habere debere. Quare fit, vt in Democratiis pauperes plus poſſint, quam diuites: Sunt enim plures. Id autem, quod pluribus viſum fuerit, plus poteſt & ratum eſt. Eſt ergo hoc vnum libertatis ſignum, quem Reipublicæ finem omnes populares ponunt. Alterum vero, viuere, vt quis velit. Id enim libertatis munus atque officium eſſe ait. Siquidem eius, qui eſt ſeruus, viuere eſt, non vt velit. Democratiæ igitur hic alter eſt ſcopus. Vnde illud, non parere, natum eſt; maxime quidem nulli; aut ſi non, viciſſim: hacque ratione confert ad libertatem in æquitate poſitam.

COMMENTARII.

ὑπόθεσις μὲν οὖν.] Expoſiturus Ariſtoteles duo inſtituta Democratiæ, moreſque ei proprios, primum affert ſcopum & finem eius, & velut fundamentũ ſeu principium Democratiæ. Scopus autem Democratiæ vulgo ponitur libertas. Nam tametſi vera libertas in aliis Rebuſpublicis bonis (vt in Regno, Ariſtocratia, & Politia) verius ſtatuenda videtur: vulgo tamen in ſola Democratia ciues libertate vti, & liberos eſſe iactatur. Quæ cauſa quoq; eſt, cur Oratores, Iſocrates, Demoſthenes, maxime & Cicero, quia populari ſtatu vterentur, ſæpe libertatem in ore habeant atq; prædicent. Huius autem vulgaris ſeu vulgi ſententiæ, qua in hac vna Republ. ciues libertate frui dicuntur, duo probabilia argumenta, quæ vulgo afferri ſolent, hic quoque exponit Ariſtot. Quorum alterum eſt æqualitas: alterum ex ipſa defenſione libertatis petitum. Nam de æquitate quidẽ ſiue de æqualitate, id libertatis proprium eſſe videtur, vt pari omnes iure vtantur, ex qua æquitate illud naſcitur, vt omnibus ad magiſtratus & imperia ſeu honores pateat aditus: Omnes vt viciſſim præſint & imperent, quæ viciſſitudo imperii maxime propria libertatis nota eſſe videtur. Id quod à contrario doceri poteſt. Nam quibus in Rebuſp. hæc imperii viciſſitudo nõ eſt vſitata, vt in reliquis omnibus, in quibus alii ſemper imperant, alii parent: videtur dominatus potius & ſeruitus inter ciues eſſe, non libertas. Et hæc quidẽ de ſcopo Democr. etiã *ſup. l. 4. c. 3* expoſita fuerũt.

Scopus Democratiæ.

Argumẽta ſeu rationes quib. vulgo vtuntur ad confirmandam hanc ſentẽtiam.

1. Ratio ſeu nota libertatis popularis.

Imperandi & parendi viciſſitudo maxime propria libertatis nota.

Καὶ γὰρ τὸ δίκαιον τὸ δημοτικὸν.] Docuit *ſupra* Ariſtoteles *libro 3. cap. 3. & cap. 8. & lib. 5. cap. 1.* Reſpublicas omnes etſi alia alium ſcopum propoſitum habet, quamque tamen ſuum ſcopum tanquam iuſtum defendere, & ſuo quamque Remp. iure quodam niti. Cum autẽ ius ſit duplex (alia namque eſt æquitas numero, alia dignitate. Ius autem eſt æquitas quædam: quæ diligenter explicata ſunt *lib. 5. Eth.* quarum alia Arithmetica, alia dicitur Geometrica) aliæ quidem Reſp. ius ſiue æquitatem Geometricam, Democratia Arithmeticam laudare ſolet, quod ea libertati magis cognata eſſe videatur: propterea quod hac æquitate Arithmetica mera quædam æqualitas conſtituatur, in omnes plane pari & eodem iure cenſeantur: quę quidem omnia de hoc iure & æquitate populari iis in locis *ſupr.* late ſunt explicata: vbi & hoc docuimus, æqualitatem ſeu æquitatem Arithmeticam priuatis

Ratio. Democratia æquitatem ſeruat Arithmeticam.

uatis tantum negotiis, vt contractibus, teſtamentis, &c. Geometricam publicis rebus conuenire, & eſſe ſalutarem. Peccat ergo Democratia, quæ etiam in publicis rebus Arithmetica æquitate vtitur.

Democratiæ vitium.

Τούτου δ' ὄντος τοῦ δικαίου.] In ea ciuitate, quæ iure & æquitate Arithmetica vtitur, plebem ſeu multitudinem dominari neceſſe eſſe ait. Nã vbi pares pari ſunt iure omnes, vt diuites aut nobiles non pluris æſtimentur, quam pauperes & plebei, quia plærumque tenuiorum maior eſt multitudo & plebeiorum: perſpicuum eſt, maiorem ibi poteſtatem eſſe plebeiorum, vtpote longe plurium, quam diuitum aut nobilium, quos conſtat plærumque paucos eſſe. Hinc quoque efficitur, vt quod plebi placuerit, id ſolum ſit ratum, id ſit κύριον, vt Græci eleganter vocant. Nam in omnibus Rebuſpublicis, quod ei parti, quæ plus poteſt, ſiue quæ præeſt Reipublicæ, viſum fuerit: κύριον & ratum eſt, vt *ſupra* docuit Ariſtoteles *libro 4. capite 8.* Et hoc eſt, quod ait; καὶ ὅ,τι ἂν δόξῃ, &c. & quod paulo *infr.* in eandem ſententiam iterat; κύριον ἢ τὸ τοῖς πλείοσι δόξαν, &c.

1. Inſtitutum quoddã populare: quæ hac vulgi opinione ſequitur. Ratio. 2. Inſtitutũ populare, quod inde conſequitur. Ratio.

Ἐν μὲν ταῖς ἐλευθερίαις.] Initio huius cap. dictum eſt, ſcopum & fundamentum Democratiæ eſſe libertatem. Quod idem & *Plato l.8. de Rep.* commemorat, quo in loco multa affert, quibus hæc Ariſtotelica plane ſunt conſentanea.

Τῆς πολιτείας ὅρον.] Hoc verbo varie vtuntur Plato & Ariſtoteles. Sæpe autem vtuntur eo pro ſcopo ſiue nota quadam, & etiam fine, qua res vna veriſſime ab altera diſtinguitur, vt *ſup. lib.3.c.8. & lib.4.c.8.*

ὅρος

Ἓν δὲ τὸ ζῆν, ὡς.] Altera libertatis nota ſiue proprietas hic exponitur, qua cuique, vt velit, liceat viuere. Nam ſi ſerui eſt non poſſe viuere, vt velit: efficitur è contrario, liberi eſſe, viuere, vt velit. Atque ita libertas definiri ſolet. De qua ita *Cicero 5. Paradox.* Quid enim eſt, inquit, libertas? poteſtas viuendi, vt velis. & *idem libro 1. Offic.* Cuius (inquit) proprium eſt, viuere vt velis. Quomodo & *Plato eo loco* vocat ἐξουσίαν ποιεῖν, ὅ,τι τις βούλεται. Cum ergo Democratiæ libertas, tanquam ſcopus & fundamentum, ſit propoſita: libertatis autem duo hæc ſint propria: primum imperii viciſſitudo: ſecundo poteſtas viuendi, vt velis: efficitur quoque inde, duas has eſſe Democratiæ notas, quarum altera ſit imperii viciſſitudo, altera viuendi licentia. De priore iam

2. Nota libertatis popularis, ſed falſa. Vera n. libertas deſcribitur à Cic. parad. 5. & Hora. li.2. Sat.7. verſ. 83. & ſupr. lib.5.c 9.

dictum, & dicetur etiam paulo *infra*. De altera Democratiæ nota (Ariſtoteles ὅρον δεύτερον vocat) ſiue inſtituto hic agitur; ſummam viuendi licentiam popularis Reipublicæ eſſe propriam. Id quod copioſe exponit *Plato eo loco*, his verbis; πρῶτον μὲν δὴ ἐλεύθεροι καὶ ἐλευθερίας, &c. Exemplo quoque Reipublicæ Romanæ ætate Ciceronis, & Atticæ, ætate Demoſthenis ac Ariſtotelis, hic confirmari poteſt. Quibus temporibus quanta morum ac vitæ licentia, & ſcelerum ac flagitiorum impunitas, quam corrupti fuerint mores in vtraque vrbe, ex *Cicerone*, *Demoſthene*, *Iſocrate*, intelligi poteſt.

Exempla.

Ἐντεῦθεν δ᾽.] Ex ea licentia, nimiaque libertate aliud quoque naſci & oriri grauiſſimum malum ait, ἀναρχίαν. Quam & Plato eo loco Democratiæ propriam eſſe ait ac docet multis verbis: nec Magiſtratus à ciuibus, nec parentes à liberis, nec præceptores à diſcipulis in ea Republica coli & obſeruari; omnes ordinum gradus eſſe confuſos. Ciues ab inquilinis & peregrinis vix internoſci: & hanc ſcilicet ἀναρχίαν vulgo in ea ciuitate ſplendido titulo vocari libertatem. Recte ergo & Ariſtoteles in Democratia ciues ait vel nemini parere velle, quæ vera eſt ἀναρχία, vel certe non ſemper, id eſt, nunc imperare velle, nunc parere, vt ſit imperii viciſſitudo: de qua iam paulo ante *ſupr.*

Effectus huius falſæ libertatis.

1. Pars.

2. Pars.

TEXTVS.

His autem poſitis, & tali imperio, popularia ſunt talia: creare Magiſtratus omnes ex omnibus: præeſſe omnes quidem ſingulis, ſingulos vero viciſſim omnibus: ſorte creari Magiſtratus vel omnes, vel qui vſum & artem non requirant: non ex cenſu vllo eſſe Magiſtratus, aut quam minimo: nullum eidem bis mandare Magiſtratum, aut raro, aut exiguum, exceptis bellicis: magiſtratus vel omnes, vel qui poſſint, non eſſe diuturnos: iudicare omnes, & ex omnibus, & de omnib. aut de plæriſque, aut maximis ac grauiſſimis rebus, vt de rationibus reddendis, & de Rebuſpublicis,

blicis, & de priuatis contractibus: concionem omnium eſſe dominam: magiſtratum vero nullius, aut minimarum & pauciſſimarum dominum. Magiſtratuum autem maxime popularis eſt curia, vbi non omnibus mercedis eſt copia. Ibi namque & huius magiſtratus poteſtatem deminuunt. Populus namque mercede potiens, iudicia omnia ad ſe reuocat, vt ante in lib. priore explicatum eſt. Præterea mercedē percipere maxime quidem omnes; concionem, iudicia, magiſtratus. Si vero non, magiſtratus & iudicia & curiam & conciones, principes vel magiſtratus, quos neceſſe ſit inter ſe vna epulari. Præterea cum Oligarchia & genere & diuitiis & diſciplina definiatur: popularia eſſe videntur, quæ his ſunt contraria: generis obſcuritas, paupertas, ſordes. De magiſtratib. autem, nullum eſſe perpetuum. Si quis autem ex vetere mutatione remanſerit, & poteſtatem eius deminuere, & ſuffragia vertere in ſortem.

COMMENTARII.

Τούτων δὲ ὑποκειμένων.] Expoſito Democratiæ ſcopo libertate, eiuſque notis duabus, imperii viciſſitudine, & vitæ licentia, ſiue *ἀναρχίᾳ* potius, nimiæ libertatis ſocia & comite; hoc ergo tanquam fundamento ſtatus popularis iacto, & prius poſito, in quo ſtatu ea ſit libertas, eaque imperiorum quoq; & magiſtratuum ratio: nunc ordine ac deinceps inſtituta huic ſtatui & fundamento accommodata perſequitur. Videntur autem ea, quæ ab Ariſtotele hic exponuntur, duodecim eſſe numero. Quæ tamen omnia ad tria ſumma capita, meo quidem iudicio, reuocari poſſunt: Senatum, Magiſtratus, & Iudicia. Nam cum Rerumpub. omnium hæ tres principes ſint partes, de quibus copioſe explicatum eſt *ſupr. lib. 4. c. 14. 15. & 16.* ſapienter fecit Ariſtot. qui, quemadmodum iis partibus ſtatus popularis vtatur, ſingulatim hic explicet. Nam & *ſupr. eo cap. 14. lib. 4.* monuit, pro harum diſſimilitudine ac differentia partium ipſas quoque Reſpub. inter ſe eſſe diſſi-

Inſtituta popularia in trib. ſummis capitibus conſiſtunt.

diſſimiles ac diſcrepantes. De ea ergo parte, quæ in magiſtratu & imperiis eſt poſita, accuratiſſime hic agitur, quæ (in qua) magiſtratuum ratio eſſe debeat in ſtatu populari: de reliquis minus accurate. Nam multa eo pertinentia inde, id eſt, *ex li. 4. cap. 14.* peti poſſunt.

1. Inſtitutũ populare. Τὸ αἱρεῖσθαι τὰς ἀρχάς.] Primum inſtitutum eorum, quæ hic commemorantur, de magiſtratibus eſt, vt omnes ciues ius & poteſtatem habeant magiſtratuum creandorum, idque ex omnibus ciuibus. Nam Democratiæ proprium eſſe, vt omnib. ad magiſtratus & honores pateat aditus, & vt omnib. eorum creandorum ſit poteſtas: cum in oligarchiis paucis tantum genere vel diuitiis præſtantibus id pateat, vt copioſe explicatum eſt *lib. 4 c. 15. & c vlt. in fin.*

2. Inſtitutũ populare. Τὸ ἄρχειν πάντας.] Alterum populare inſtitutum ſiue *νομοθέτημα* de magiſtratibus, imperiorum viciſſitudo ſiue magiſtratuum, hic exponitur, & etiam imperii communitas. Nam popularis Reipublicæ eſt, vt omnes quidem imperent ſingulis, ſinguli vero viciſſim omnib. hoc eſt, vt ſumma quidem Imperii ſiue Reipublicæ ſit penes omnes, ſiue penes populum vniuerſum: ſinguli autem magiſtratus cuiq; de plebe & populo viciſſim mandentur. Hanc enim magiſtratuum viciſſitudinem, qua ſingulis ciuibus ad honores & imperia pateat aditus, popularem eſſe dictum eſt & *ſupra hoc cap. & lib. 3. cap. 4. in fin.*

3. Inſtitutũ populare. Τὸ κληρωτὰς εἶναι τάς.] Aliud populare inſtitutum de magiſtratibus hic affertur, vt magiſtratus non ſuffragiis, ſed ſorte mandentur, vt ſunt *ἀρχαὶ κληρωταὶ*, non *αἱρεταὶ*: quod

Ratio. eſt oligarchicum & ariſtocraticum. Nam in populari Republica nec virtutis, nec generis, aut diuitiarum in magiſtratibus habetur ratio. Quare & *Cicero* fortunam campi (Romæ namque in Campo Martio comitia centuriata magiſtratuum creandorum habebantur) dominam vocat. De hoc inſtituto & *Plato libro octauo de Republica*, his verbis agens de populari ſtatu; *τοῖς δὲ λοιποῖς ἐξ ἴσου μεταδιδῶσι*, id eſt, cum cæteris aũt æquabiliter communicant & Rempublicam, & magiſtratus. In ipſa quoque Democratia magiſtratus plærumque à ſortibus, *ἀπὸ κλήρων γίνονται*, fiunt. Ariſtoteles ſæpe huius inſtituti mentionem facit in his libris, vt *ſupra libro quarto, capite nono, & capite 15.* quo in loco accurate de eo eſt explicatum.

ἢ ὅσαι

ἢ ὅσαι μὴ ἐμπειρίας.] Quidam ſunt magiſtratus, in quibus opus eſt magna ſapientia, vſu & rerum peritia, vt eſt præturæ rei militaris, vt eſt quæſtura, vt eſt prætura iuri dicundo; quæ imperia & magiſtratus non niſi à doctis & vſu peritis recte adminiſtrantur. Etſi ergo in populari Republica omnes magiſtratus ſorte mandari eſt conſentaneum: ſoli tamen hi, de quibus modo dictum, excipiuntur. Fieri enim non poteſt, vt fortuito & ſorte mandentur: ſed in iis mandandis delectus eſt neceſſarius. Quare alii quidem plærique omnes in Democratia erunt κληρωτοὶ, hi pauci αἱρετοί. Et hoc eſt, quod ait, ἢ ὅσαι μὴ ἐμπειρίας, &c. quod idem & *ſupra* docuit *libro 4. capite decimoquarto,* his verbis; τὰς δ' ἄλλας ἀρχὰς, &c. *Quidã magiſtratus in ipſaquoque Democratia ſuffragiis creandi.*

Τὸ μὴ ἀπὸ τιμήματος.] Aliud populare inſtitutum de magiſtratibus affertur, eos non eſſe ex cenſu mandandos, aut certe ex perexiguo. In Oligarchiis diuitiarum & cenſus in magiſtratibus demandandis ratio haberi ſolet, quod contra fit in Democratiis, vbi plebei & tenuiores dominantur, vt illic ditiores. Huius quoque inſtituti democratici ſæpe facta eſt mentio *ſupra libro quarto, capite octauo.* Etſi autem in Democratiis plærũmque nulla cenſus ratio in magiſtratibus mandandis habetur, vt peræque omnibus ad eos pateat aditus: interdum tamen aliqua cenſus ratio haberi poteſt, vt nihilominus ſit Democratia: quod explicatum eſt *ſupra lib. 4. cap. 4.* vbi de Democratiæ generibus. Et hoc eſt, quod ait; ἢ ὅτι μικροτάτου, &c. *4. Inſtitutũ populare.* *Limitatio.*

Τὸ μὴ δὶς τὸν αὐτόν.] Aliud populare inſtitutum de magiſtratibus, quod eſt de eodem magiſtratu non iterando, aut ſæpius eidem mandando. Nam id quoque populare eſſe ait, vni eidemque eundem magiſtratum non mandare. Ratio autem hæc eſſe videtur: quod in Democratiis vtiliſſimum ſit, maximeque conſentaneum, vt imperia & honores ad ſingulos tandem peruenire poſſint. Quæ cauſa eſt, cur vtile ſit cum aliis ſtatibus, tum maxime populari, vni vnum duntaxat, non duos aut plures magiſtratus, vno tempore mandari. Qua de re explicatum *ſupra libro 2. capite 9 in fine.* Hinc quoque eſt, quod in Democratiis magiſtratus & imperia non debeant eſſe diuturna: de qua re mox explicabitur. *5. Inſtitutũ populare.* *1. Ratio.*

ἢ ὀλιγάκις.] Ait, nunquam id committendum, vt idem

magiſtratus eidem ſæpius mandetur; aut certe, vt id perraro fiat: & quidem in magiſtratibus minoribus ac leuioribus. *Ratio.* Nam præter illud incommodum, quod modo attulimus, eſt & alterum, ne hac occaſione ambitioſi quidam homines maiores magiſtratus ſæpius adepti, tyrannidẽ tandẽ inuadant, vt *ἢ ὀλίγας.* mox explicabitur. Plæriq; tamen hoc verbum ἢ ὀλίγας, Latine reddunt, aut paucos, hac ſententia; vt idem nullum magiſtratum bis gerat, aut ſaltem non ſępe ſeu raro, aut certe paucos magiſtratus, vt (inquam) non omnes magiſtratus idem bis gerat, ſed perpaucos. Quæ interpretatio huic verbo magis videtur conſentanea.

Limitatio. ἔξω τῶν κατὰ πόλεμον.] Excipit Ariſtoteles bellicos magiſtratus, qui ab eodem ſæpius geri poſſunt. Vt ſi plura exoriantur bella, vnum poſt alterum: iuſtum eſſe ait, vni ſæpe imperium belli deferri. Cur autem in bello ſeu bellicis magiſtratibus id ſit ſingulare, cur (inquam) idem ſæpius Imperator de- *1. Ratio.* ſignari poſſit, cauſa hæc eſſe videtur: tum, quod pauci boni *2 Ratio,* Imperatores reperiantur: tum, quia & peritia & magna autoritas in Imperatore ſint neceſſe, quæ vſu & prioribus bellis ac victoriis comparantur. Et hanc pacis & belli differentiã præclare explicauit *Cicero in Orat. de Imperio Cn. Pomp. ſeu de leg. Manil.* Sic enim ait: At enim nihil noui fiat contra exempla atque inſtituta maiorũ. Non dico hoc loco, maiores noſtros ſemper in pace conſuetudini, in bello vtilitati paruiſſe, &c.

6. Inſtitutũ populare. Τὸ ὀλιγοχρονίους τὰς ἀρχάς.] Aliud populare inſtitutũ de magiſtratibus: Eos vel omnes, vel certe quorum ratio id patitur, non debere eſſe diuturnos. Eſt autem inſignis hic locus de magiſtratuum diuturnitate ac tempore: de quo explicatum eſt *ſupra libro 2. capite 3. in fine. & capite 7.* & maxime *lib. 5. capite* 8. quo in loco idem plane, quod hic affertur de Democratia; ei conducere, ſemenſtres (dicunt veteres, hodie ſemeſtres) minimeque diuturnos eſſe magiſtratus. Et cauſæ duæ afferuntur, eo loco explicatæ.

Magiſtratus quoſdã diuturnos eſſe cõuenit. ἢ ὅσας ἐνδέχεται. Indicat quoſdam eſſe magiſtratus, quos inutile ſit & Reip. pernicioſum ſæpe mutari, ſeu breui tempore concludi. Cuius generis videtur eſſe quæſtura.

7. Inſtitutũ populare, quod ad ſe- τὸ δικάζειν πάντας.] Hic de altera principe Reipublicæ parte, Iudiciis, quæ eorum ratio in Republ. populari ſit tenenda, exponitur. Iudicia ergo omnemq; eorum vim ac poteſtatem penes populum eſſe debere, nimirum vt iudicis officium ac munus

munus primum pateat omnibus ciuibus ſeu ordini ciuium. Deinde, vt de rebus omnibus populus, ſiue quilibet ex populo iudex factus iudicandi poteſtatem habeat: aut certe de rebus maioribus aut grauioribus quæque ad ſummam Rempub. pertinent, vt ſunt repetundarum, maieſtatis, de bello, de pace, de leg.bus ferendis, de priuatis etiam contractibus. In Oligarchijs autem contraria plane ratio eſt vſitata, in quibus iudicia ſunt penes paucos. Sic olim Athenis Solon iudicijs in populum translatis Rempublic. eam ex parte popularem fecit, vt *ſupra* dictum *lib. 2. cap. 10.* & Gracchi Romæ, de quibus *Plutarchus in Gracchis*. Quam enim grauia certamina Romæ fuerint propter iudicia, videre licet *in li. Pauli Manutij de ll.* & nos alibi in hoc opere explicauimus. videatur *cap. vlt. lib. 4. ſupra.*

eundũ cap. generalis diſtributionis horum inſtitutorũ pertinet. *1. Membr.* *2. Membr.* *Contraria inſtituta.* *1. Exempl.* *2. Exempl.*

Καὶ πολιτείας.] Iudicium ſiue quæſtio περὶ εὐθυνῶν quale fuerit, explicatum *ſupra lib. 2.* Cui reſpondere videtur illud, vt Romani vocant, repetundarum. Quod autem ait καὶ πολιτείας, eius mentio facta eſt *ſupra lib 4. cap. 14.* his verbis, ἓν τὸ περὶ τῆς πολιτείας. *& eiuſdem libri cap. 16. vlt. his verbis;* ὅσα εἰς τὴν πολιτείαν φέρει. Quo contineri mihi videntur ea, quæ maxime Rempublic. continent, & ad ſtatum Reipub. pertinent, vt de bello, pace, legibus, magiſtratibus, &c. adeo, vt & illud ipſum iudicium repetundarum ſiue περὶ εὐθυνῶν hoc loco πολιτείας nomine contineatur. Id indicat Ariſtoteles *lib. 4. cap. 14.* his verbis; συνιέναι δὲ μόνον, &c.

εὐθυνῶν. πολιτεία.

Καὶ τῶν ἰδίων συναλλαγμάτων.] Hæc ſunt iudicia priuata de contractibus & teſtamentis, vt vocant ICti. Quæ iudicia cur Ariſtoteles inter grauiora numeret, obſcurum eſſe videtur: cum publica ſint maiora, priuata minora ac leuiora iudicia. Niſi forte non de quibuslibet priuatis iudicijs, ſed de grauioribus, in quibus vel totum alicuius patrimonium, vel maior pars, vel fama atq; æſtimatio agatur.

συναλλάγματα.

Τὸ τὴν ἐκκλησίαν.] Eſt hæc tertia princeps & ſumma pars Reipub. Conſilium & Senatus. Cuius partis vis & poteſtas in plæriſque Græciæ ciuitatibus olim erat penes concionem, quam ἐκκλησίαν vocant. Quod grauiter reprehendit *Cic. in orat. pro Flacco fere initio.* Sic enim ait; ſic ſunt expreſſa iſta, quæ recitantur, ψηφίσματα, &c. De hac autem parte late explicatum eſt *ſupra lib. 4. cap. 14.* quo in loco plu-

8. Inſtitutũ populare.

res modi cum populares, tum alijs quoque Rerumpublic. generibus accommodati explicantur. Ex popularib. autem modis quartus eſt ille, quo rerum omnium penes cõcionem ſiue multitudinem & populum, nullius penes magiſtratum ſit poteſtas. Quod idem hic ait Ariſtoteles eſſe populare. Contra vero pauca populo, plæraq; magiſtratibus permittere Ariſtocraticum eſſe ait *eo c. 14. li. 4.* his verbis: ὅταν ᾗ ἐνίων ἐνὶς, &c. Atq; hinc recte Anacharſis Scytha ille Philoſophus inſignis, *teſte Laertio*; θαυμάζειν ἔφη, πῶς παρὰ τοῖς ἕλλησιν ἀγωνίζονται μὲν οἱ τεχνῖται, κρίνουσι δὲ οἱ μὴ τεχνῖται. Seu vt Crinitus de hon. diſc. lib. 1. cap. 4. refert, eum cum forte in Athenienſis populi concionem deductus eſſet, vidiſſetq;, omnia ea, quæ ſumma & præcipua ſunt in Repub. populi iudicio diſcerni: miratum primo conditionem Athenienſium: qui cum rebus præclare geſtis & authoritate apud omnes præſtarent, ad tam iniquum imperium peneque obnoxium deueniſſent: itaque prudentiſſime exclamaſſe; O Rempub. breui perituram, in qua viri principes conſultant, populus autem & imperita rerum plebecula decernit, &c. paulo aliter tamen *Plutarch. Solone mihi pag. 148.*

Ἢ ὅτι ὀλιγίστων, ἢ τῶν μεγίστων.] Ait, magiſtratui vel nullam rem vel certe pauciſſimas eſſe permittendas, quod ad priores tres modos *eo cap. 14.* explicatos pertinet, quibus grauiora & plæraq, concioni deliberanda reſeruantur: reliqua leuiora, eaq; pauca magiſtratibus.

Καὶ τῶν μεγίστων κυρίαν.] Hæc verba non ad proximum, ἀρχὴν, ſed ad prius, τὴν ἐκκλησίαν, accommodanda videntur: vt (inquam) concio deliberandi ius habeat vel de rebus omnibus, vel ſaltem de ſummis & maximis, vt de pace, bello, legibus, ærario, magiſtratibus creandis, &c. & ita recte *Sepulueda* hæc verba, ἢ τῶν μεγίστων, hunc locum vertens, coniungit illis; τὸ τὴν ἐκκλησίαν. Hæc igitur verba, ἀρχὴν δὲ, velut interiecta, & παρενθέσεως (vt vocant) nota videntur includenda. Τῶν δὲ ἀρχῶν δημοτικώτατον] Βουλὴ *à Plin. & Cicer.* Bulæ ſiue Curia inter magiſtratus ab Ariſtotele numeratur, eoſque populares, ſiue eos, qui Democratijs maxime conueniant, non hoc tantum loco, ſed etiam *ſupra libro quarto capit. 15. & infra hoc libro capite vltimo.* Quod idem indicat *Thucyd. lib.* 8. vbi

Βουλὴ ex magiſtratib. maxime popularis.

vbi Alcibiades, ſublata Oligarchia, quæ eſſet Athenis, veterem Democratiam ſuadet reſtitui, in eaque reſtituenda etiam τὴν βουλὴν quingentorum virorum conſtituendam demonſtrat. *Xenophon* quoque *libro ſecundo* ἑλληνικῶν, βουλὴν magiſtratus quoddam genus eſſe, idque populare, indicat. Nam 30. Tyrannos Athenis & Bulen & alios magiſtratus pro ſua libidine inſtituiſſe commemorat. Erat igitur βουλὴ ſiue Curia conſilium, nunc eſt mille ciuium pro ciuitatum magnitudine conflatum ex omni populo & multitudine, Græcorum potius moribus, quam aliarum gentium, accommodatum & proprium. Nam Romæ Senatus ſiue curia longe erat alia. Qui Senatus etſi interdum ex octingentis Senatoribus conſtabat: erant tamen illi omnes optimates. Quare Senatus Romanorum Ariſtocratiæ potius, quam Oligarchiæ conueniebat, vt & Senatus ſiue γερουσία Lacedæmoniorum, de qua *ſupra lib. 2.* Βουλή. ***Senatus Roman.*** Γερουσία ***Laconica.***

Ὅπου μὴ μισθοῦ εὐπορία.] De Bules poteſtate & authoritate in Republic. populari agit. Eam ergo magnam eſſe ait, nulla plebi ſeu multitudini ſuppeditante ſiue præbita mercedula. Contra vero plebe mercedulam nacta Bules nullam vel exiguam eſſe poteſtatem, omnia nimirum plebe ad ſuam poteſtatem reuocante. Et hoc quoque ex Græcorum morib. & inſtitutis intelligendum eſt. Qua de re ſæpe explicatum eſt *ſupra libr. 4. cap. 4. & 6. & cap. 13. & 15.* Quæ mercedula, *teſte Polluce lib. 8.* dicebatur ἐκκλησιαστικὸν & δικαστικὸν, latine ſportula. Sic & *Iſocr. in orat. de pace,* περὶ τῆς εἰρήνης, agens de improbis demagogis & oratoribus, ait, illos ſibi obnoxios facere eos, qui ex iudicijs & concionibus & eiuſmodi lucellis ſe ſuſtentant, id eſt, infimam plebem. Quia ergo infima plebs & egentium hæc multitudo, mercedula ſiue ſportula hac propoſita, frequens conuenire ſolet vel in concionem, vel ad iudicandum: efficiebatur, vt omnis & deliberandi & iudicandi poteſtas penes hanc multitudinem, vt numero præualentem, eſſet, & nulla vt eſſet vel curiæ vel magiſtratuum aliorum autoritas, quod inſtitutum populare eſſe ait, vt & *ſupra* ijs locis latius eſt explicatum, & etiam *libro quinto capit. 5. & 6. & 8.* Quem locum aut libr. Ariſtoteles his verbis: καθάπερ εἴρηται, &c. ἐκκλησιαστικόν. δικαστικόν. ***Sportula.***

vide-

videtur indicare. Etſi latius & vberius hac de re explicatum fuit *lib. 4.*

Εἰς αὐτὸν γὰρ ἀνάγ.] Ait Ariſtoteles, hac ſportula fieri, vt omnia iudicia ſint in poteſtate populi, nulla in magiſtratus vel Senatus poteſtate & autoritate. Quod ijs locis explicatum eſt, vbi dictum eſt de Demagogis, omnia illos ad populum ſeu populi poteſtatem reuocare.

9. Inſtitutũ populare. *Ἔπειτα τὸ μισθοφορεῖν.*] Aliud populare inſtitutũ de mercedula ſiue ſportula concioni, iudicijs & magiſtratibus proponenda hic affertur. Nam cum tres ſummæ ſint Reipub. partes: Senatus, cuius locum in Græcia tenebat concio: magiſtratus & iudicia: populare eſſe ait, ad conciones vel iudicia conuenientibus & magiſtratum capientibus ſportulam aliquam proponi; aut certe his duabus partibus, magiſtratibus & iudicijs & concionib. ſaltem maioribus & ſtatis: aut denique ſi non omnibus magiſtratib⁹, ſaltem ijs, quorum ſolennia quædam ſunt conuiuia & ſodalitates ſiue *συσσίτια*. Huius autem inſtituti, cur (inquam) hoc ſit populare, ratio modo eſt explicata; vt hac ſportula multitudo omnis inuitata & pellecta omnium rerum poteſtatẽ (quod eſt populare) vt numero potior, obtineat; quod idem & *ſupra* docuit *lib. 4. c. 13.* his verbis: *τὸ μὲν γὰρ, &c.*

Ratio.

ἐκκλησία, διπλῆ· κυρία, & σύγκλητος. *Καὶ ταῖς ἐκκλησίαις ταῖς κυρίαις.*] Concio ſiue *ἐκκλησία* Athenis erat duplex, *κυρία* & *σύγκλητος*: Stata ſiue iuſta & legitima ac ordinaria, & indictiua ſiue extraordinaria, *teſte Poll. lib. 8.* Statis & legitimis comitijs ſiue concionibus magiſtratus deſignari & adimi, legationes decerni, bellum, pax, alia ad Rempub. pertinentia ſumma quæq; deliberari & decerni ſolent. Quæ comitiorum ſeu concionum duplex ratio ad alias quoq; vrbes accommodari poteſt. Nunc ait Ariſtoteles de comitijs ſiue concionibus: dandam eſſe operam, vt proponatur mercedula conuenientibus ad conciones, ſi non ad omnes, certe ad ſtatas & ordinarias, vtpote in quibus maius ſit poſitum momentum, & in quibus de ſumma Reipub. agatur, vt ſupra dictum.

10. Inſtitutum popul. *Ἢ τῶν ἀρχῶν.*] De magiſtratibus quoque, ſi non omnibus, ſaltem ijs, qui *συσσίτια* ſiue ſodalitates inter ſe celebrare & communiter epulari debeant, mercedulam proponendã eſſe ait. Ad ea namque conuiuia ſolennia tenuioribus pecuniam ex hac mercedula vult ſuppeditari. Qua in re Ariſto-

teles

teles *ſupra lib. 2. cap. 7.* Cretenſes laudat, Lacedæmonios reprehendit. Quod hi ſumtum ad συσσίτια de ſuo quiſque facerent: illi de publico. Hinc enim factum eſſe, vt Lacedæmone tenuiores his ſyſſitijs non poſſent intereſſe. Atq; ita inſtitutum hoc ſyſſitiorum ſua alioqui natura populare & commune deſineret eſſe populare & reddetur Oligarchicum.

Ἀς ἀνάγκη συσσιτεῖν.] Erant & Athenis & Romæ ſolennes quædam epulæ magiſtratuum communes, vt & in alijs Rebuſpub. ac ciuitatibus vſitatum eſt. De ijs ita *Cic. li.4. Tuſcul. quæſt.* Nec vero illud non eruditorum temporum argumentum eſt, quod Deorum puluinaribus & epulis magiſtratus fides præcinunt. *Athenæus* quoque *libr.5.* δειπνοσοφ. differens de conuiuijs & epulis, principio varia conuiuiorum genera exponit, & in his etiam magiſtratuum; cuius rei argumentum profert ex Demoſthene, apud quem magiſtratus, quos Athenienſes vocabant Prytanes, vna cænantes reperimus. Sic enim inquit orator in orat. περὶ τοῦ στεφάνου, id eſt, de corona; ἀλλὰ μὴν τὸν τότε, &c. eo loco, vbi de Platæa vrbe à Philippo occupata. *Epulæ magiſtratuũ.*

Ἔτι ἐπειδὴ Ὀλιγαρχία.] Aliud populare inſtitutum hic exponitur, ductum velut ex contrario. Vt enim genus, diuitiæ, educatio ac diſciplina ſunt oligarchica ſiue propria Oligarchiæ, quæ Democratiæ eſt contraria (vt ſæpe dictum *ſupra lib. 4. &c.*) ita popularia vt ſint, neceſſe eſt, generis obſcuritas, paupertas & ſordes ac ſordida vita & educatio. Quare Democratiæ accommodatum eſſe ait, vt ignobiles & obſcuro loco nati, vt tenues & pauperes, vt opifices & ſordide educati ſint ciues; ijque maiore ſint in precio, quam nobiles, copioſi ac diuites & præclare inſtituti ac educati. De his rebus, id eſt, genus, diuitias, &c. eſſe Oligarchica, & contraria eſſe popularia, dictum eſt *ſupra lib 4 cap. 4. & alibi.* *II. Inſtitutum popul.*

Παιδείας.] Obſeruandum, Ariſtotelem huic verbo, vt contrarium, opponere verbum βαναυσίας. Nam παιδείας verbo vtuntur veteres, *Plato, Ariſtoteles, Demoſthenes, &c.* pro diſciplina & educatione ſæpenumero, vt & alias dictum. βάναυσοι autem Græcis ſunt opifices, & τέχναι βάναυσοι, id eſt, artes ſordidæ, de quibus *ſupra lib 1.* Quare recte hic Ariſtoteles βαναυσίαν, vt opificum propriam educationem, id eſt, ſordidam, παιδείᾳ, id eſt, bonæ & honeſtæ educationi contrariam facit. *παιδεία.* *βάναυσος.*

Ἐπὶ

12. Inſtitutum popul. Ἐπὶ δὲ τῶν ἀρχῶν.] Aliud populare inſtitutum de magiſtratibus: eos non debere eſſe perpetuos in Repub. populari. De quo loco communi ſæpe explicatum eſt *ſupra libr. 2. cap. 1. 3. & 8. & lib. 3. ca 7.* & explicabitur *infra lib. 7. ca. 14.*

1. Ratio. Ratio huius inſtituti eſt duplex: tum, vt plures ad magiſtratum & honorem peruenire poſſint: *2.* tum, vt ne imperij dulcedine & occaſione adductus aliquis diuturni, Tyrannidem inuadat, vt explicatum *ſupra lib. 5. c. 8.* In Monarchijs autem & Regnis plærîſq; vtilius eſſe videtur, vt magiſtratus ſint perpetui, quod hodieq; vſitatum eſt.

1. Conſiliũ aduerſus magiſtratũ perpetuum iam ante inſtitutũ. Ἐὰν δέ τις καταλειφθῇ.] Quia ſæpe accidere poteſt, vt ſtatu Reipub. mutato (verbi gratia, regno in Democratiam) eaq; ratione in priore ſtatu magiſtratus quidam fuerint perpetui, ijdemque in alterum ſtatum, puta Democratiam, translati ita remanſerint (neque enim mutata Repub. continuo omnia inſtituta ſunt commutanda, vt ſapienter docuit *ſupra* Ariſtoteles *lib. 4. cap. 5. in fin.*) hic ergo tale eſt Ariſtotelis conſilium, vt huic perpetuo magiſtratui ſaltem poteſtas deminuatur & detrahatur: atque ita quidem tempore plus poſſit cæteris, poteſtate nihil vel parum. Hac enim ratione fiet, vt nec Tyrannidem inuadere, nec alioqui Reipub. nocere poſſit.

2. Conſiliũ. Καὶ ἐξ αἱρετῶν.] Aliud conſilium Ariſtotelis aduerſus talem magiſtratum perpetuum hic affertur. Nam vt prioribus verbis ſuaſit, poteſtatem eius eſſe minuendam: ita his verbis docet ac ſuadet, eius deſignandi ſeu creandi rationem eſſe conuertendam; vt nimirum qui antea ſuffragio creari conſuerit: nunc, id eſt, in populari Repub. non amplius ſuffragio, ſed ſorte deſignetur. Sortem enim populari Reipub. accommodatam eſſe ſæpe dictum eſt *ſupra hoc cap. & alibi, vt ſupra hoc ipſo cap.* ad ea verba: τὸ κληρωτὰς εἶναι, &c.

TEXTVS.

Hæc ergo fere ſunt, quæ Democratiarum communia ſunt inſtituta. Efficiuntur autem ex iure quod Democraticum (populare) eſſe conſtat. Id autem eſt, vt omnes æquale numero obtineant. Ea, quæ maxime videtur eſſe popularis Reſpubl. ac po-

ac populus. Nam æquale eſt, nihilo magis impe-rare tenues, quam diuites; neque ſolos eſſe Do-minos, ſed omnes ex æquo pro numero. Sic inæ-qualitatem Reipubl. adeſſe & libertatem exiſti-mant.

COMMENTARII.

Τὰ μὲν οὖν κοινά.] Poſtquam Ariſtoteles populariа inſtituta explicauit, adiungit, ea omnia ex ipſo iure populari, tanquam ex fonte & capite, manare. Nam cum ius populare ſit æquitas arithmetica, qua non plus poſſit diues aut nobilis, quam vnus aliquis de plebe; qua nulla (inquam) dignitatis ratio habeatur, ſed omnes modo ciues pari conditione & iure cenſeantur, vt explicatum eſt *ſupra lib 3. cap.5. & lib.5. Eth. & hoc lib. cap.1. 2.* neceſſario efficitur, vt ll. & inſtituta, quæ populari Reipub. accommodata & vtilia eſſe poſſint, eiuſmodi eſſe debeant, quæ hanc æqualitatem tueantur. Cuius generis perſpicuum eſt ea omnia eſſe, de quibus hoc capite ſingulatim fuit explicatum. Sed idem iam *ſupra* hoc cap. dictum fuit, ex ipſo iure & fundamento ſeu ſcopo populari, quæ eſt æquitas Arithmetica & libertas, inſtituta popularia eſſe petenda ac metienda, his verbis: *τούτων δὲ ὑποκειμένων.*

Ratio & origo horum inſtitutorum.

CAPVT III.

RECTIVS ab illis verbis prioris cap. τὰ μὲν οὖν κοινὰ, &c. aliud caput inſtitueretur: propterea quod illud de iure populari hic Ariſtoteles perſequatur. Docet namq; hoc capite tertio de iure populari. Primum, inſtituta popularia & 1.
leges ex eo, tanquam fonte, profluere. Deinde, quemadmo- 2.
dum id ius obtineri commode poſſit. In eo namque recte ponderando & conſequendo magna eſt varietas & difficultas; quod ex hoc capite cognoſcitur.

TEXTVS.

Quæritur autẽ deinde, quomodo ſint habituri

æquale.

æquale. Vtrum cenſus quingentorum in mille partiri oporteat, & 1000. tantum poſſe, quantum 500. an non ita hæc æqualitas ſit ſtatuenda: ſed partiendum quidem ita. Deinde ſumtis æque multis ex 500. & ex mille, hi præeſſe debeant iuri dicundo & iudicijs. Vtrum ergo hæc Reſpubl. ex iure populari iuſtiſſima eſt, an potius quæ ex multitudine ſeu numero. Hoc enim ius eſſe aiunt populares, quod multis placuerit; Oligarchici, quod maioribus facultatibus. Aiunt enim, ex multitudine facultatum eſſe iudicandum.

COMMENTARII.

Τὸ δὲ μὲν τοῦτ.] Quæſtionem ſiue controuerſiam, vt dixi, de iure populari, quemadmodum id ponderari ſiue ſpectari & obtineri poſſit ac debeat, primum exponit. Deinde varios modos ſiue rationes eius affert, ex quibus vulgo quidem probatam rationem, vt vitioſam, refellit: eam vero, quæ ipſi probetur, vt veriorem ac meliorem, confirmat. Vna autem ratio iuris popularis inſtituendi exponitur his verbis: πότερον δὴ, &c. Ea autem eſt huiuſmodi; ſi mille pauperes non plus poſſint, quam quingenti diuites. Altera eſt: ſi, verbi gratia, non vniuerſi mille cum vniuerſis 500. comparentur, quæ prima eſt ratio: ſed ſi ex vtroque ordine aliquot deligantur vel ſumantur vtrinq; æquali & pari numero, qui delecti ſoli præſint ſummæ Reipubl. Nam cum partes ciuitatis fere ſint duæ, vt paulo infra dicetur; diuitum vna, altera pauperum ſeu tenuiorum: neceſſe eſt, ſenatum & iudicia, in quib. ſumma Reip. eſt poſita, vel eſſe penes vtramq; partem, vel penes alteram tantum. Si penes alteram, vt vel ſoli pſint diuites, vel ſoli tenuiores, ita vt q̃ videtur maiori parti ciuium (ſiue diuitũ, ſiue tenuiorum & pauperũ) id ſit ratum: diuitũ quidẽ, mera erit Oligarchia: tenuiorum .v. mera erit Democratia. Et hanc quidem rationem vulgo probari, vt iuri & æquitati conſentaneam, ait. Nam qui Democratia vtuntur, ſiue populares ac multitudo, hoc ius ſiue iuſtum eſſe ait, quod multitudini ſiue maiori ciuium parti, id eſt, plebi ac tenuio-

1. Iuris popularis inſtituendi ratio.

2.

Multitudinis ratio æquitatis.

tenuioribus, quorum ſemper maior ſolet eſſe numerus, placeat: cum pauci ac diuites ius ſiue iuſtum id eſſe dicant, quod ijs placeat, quorũ licet minor numerus, maior tamen ſit res & patrimonium. De hoc iudicio multitudinis & paucorũ ſiue diuitum (quorum illi quidem ius numero ſiue multitudine, hi diuitijs & rei magnitudine æſtimant & metiuntur) ſæpe explicatum, vt *ſupra libro tertio, capite 6. & 8. libro 5. cap. 1. &c.* Ariſtoteles vtroſq; aberrare & falli docet ijs quidem locis copioſe: hoc .a. loco, vna tantum ratione & argumento. Nam quod ad diuites attinet & eorum iudicium; ex eo hoc effici docet, vt interdum Tyrannis iure ſit probanda. Sic igitur concludit: ſi ius & æquitas ex diuitijs erit metienda: efficietur, vt ius quoque interdum ſit, Reipubl. præeſſe Tyrannum. At hoc iniuſtum eſſe inter omnes conſtat. Omnes enim Tyrannidem ſiue Tyrannum (tam multitudo, quam pauci ſiue optimates) oderunt. Ergo & illud iniuſtum eſt, quo ius ex diuitijs ponderatur. Confirmat autem maiorem hac ratione: quod fieri interdum poſſit, vt vnus aliquis in ciuitate tam ſit diues vel ditior, quam reliqui vniuerſi ciues. Quod ſi igitur ex diuitijs erit iudicandum: perſpicuum eſt, hunc vnum, vtpote reliquos diuitijs ſuperantem, Reipub. præeſſe debere: Quæ iam Tyrannis erit. Et hoc eodem argumento in eadem re vſus eſt & *ſupra lib tertio cap 8.* Quod ad tenuiores attinet eorumque iudicium, ius & ſummam Reipub. numero & multitudine æſtimantium: hoc eos argumento refellit, quod inde magnæ quoque iniuriæ plebis in optimates ac ditiores (maxime in eorum bona, quibus plebs inhiare, & poteſtatem nacta, diripere ſolet, ipſis optimatibus vel pulſis vel necatis) ſint metuendæ. Qua de re explicatum eſt *ſupra lib. 5. ca 5. in princ. & ca. 8. li. 3. cap. 7. in princ.* Atque ita amborum tam popularium quam paucorum iudicia refellit, aberrantium in hac diſputatione de iure & æquitate vere & recte conſtituenda ac obtinenda. Reliquum eſt igitur, vt in vtraque parte coniuncta hæc æquitas inquiratur: vt videlicet qui ſint præfuturi Reipublicæ partim ſint optimates ſiue pauci, partim ſint de plebe. Et hanc quidem bifariam inſtitui poſſe docet. Vel enim hæc erit ratio inſtituenda, vt ex omni ciuium numero diuitum & paucorum aliquot deligantur, penes quos ſumma Reipublic. (vt Senatus, Iudicia, magiſtratus) ſit

Paucorum ratio æquitatis.

Vtrorumq; reprehẽſio.

Maioris cõfirmatio.

Argumentum contra tenuiores & multitudinem.

Modus iunctus.

futura. Id quod duplici ratione ac bifariam fieri poſſe demonſtrat. Vel enim, vt numeri tantum ſeu multitudinis habeatur ratio: vel, vt numeri & cenſus, ſiue maximè cenſus ac diuitiarum. Prioris modi hoc ſit exemplum. Si tota ciuium multitudo conſtet mille pauperibus & quingentis diuitibus: atque ex vtroque genere ciuium par numerus, verbi gratia, ex millibus tenuioribus deligantur quinquaginta & totidem ex quingentis ditioribus ſiue optimatibus, qui vniuerſi centum, vna præſint Reipublicæ. Alterius modi hoc ſit exemplum: Si ex eodem ciuium numero non par numerus deligatur, ſed potius ſeruata dupla ratione, vt ex mille tenuioribus viginti vel centum, ex quingentis ditioribus decem vel quinquaginta, qui poſtea coniuncti ſiue triginta ſiue centum quinquaginta, ſummæ præſint Reipublicæ. Ex his autem modis prior potiſſimum probari videtur Ariſtoteli, quó nimirum & multitudinis & diuitiarum quoque ratio quædam habeatur, quique velut mixtus & temperatus ſit ex vtriuſque huius Reipublicæ Democratiæ & Oligarchiæ ſcopo & iure. Conſtat enim inter vtramque, & vtriuſque communis hæc eſt ſententia, id ratum eſſe debere, quod maiori parti ciuium placuerit. Quam earum communem ſententiam & hoc ſibi probato modo Ariſt. oſtendit contineri, atq; ita eam quoq; probat, non tamen omnimodo. Nam illi quidem Reſpublica Democratiæ maiorem partem multitudine tantum, Oligarchia ſola diuitiarum magnitudine ſiue, vt Græci loquuntur, multitudine æſtimant. Ariſtoteles autem ita eam moderatur, vt vtriuſque partis ſiue ordinis ciuium (diuitum & tenuiorum) ratio habeatur, & vtraque pars coniungatur, certis aliquot ex vtraq; parte viris delectis, quibus vel omnibus vel certe pluribus quod placuerit, ſit ratum. Retinet igitur eam communem ſententiam Ariſtoteles, non tamen ſimpliciter, ſed eo modo temperatam, vt diximus. Quia autem tam in ſuffragijs ferendis, quam in ſententia dicenda (quorum illud fere de comitijs, hoc vero de iudicijs dici ſolet) neceſſe eſt, vt vel conſentiant omnes vel plærique, vel diſſentiant & contraria cenſeant, vel denique paria vtrinque ſint ſuffragia ſiue ſententiæ: demonſtrat hic Ariſtoteles

1. Ratio ſeu modus.

2 Ratio ſeu modus.

Quinā probetur Ariſtoteli.

In ſuffragiis ferēdis & ſententia dicenda quanā ratio ſeruanda.

teles, his tribus rebus quemadmodum ciuitas modo huic à ſe probato accommodate & congruenter quam iuſtiſſime vti debeat. Nam primo quidem ſi conſentiant: nulla erit difficultas. Id enim, quod vtrique parti ciuium, ſiue potius delectis ex vtraque parte vel omnibus vel plæriſque placuerit, quodque iſti ſtatuerint vel ſciuerint: vt id ratum ac firmum ſit. In altero maior eſt difficultas, ſi pugnantes vel diſſidentes reperiantur ſententiæ: quæ ſententia ſiue vtra potior eſſe debeat. Verbi gratia, ſumantur ſiue deligantur decem diuites & viginti tenues: ex quibus aliud quidem ſtatuant ſex diuites & quinque pauperes: aliud quatuor diuites & quindecim pauperes: vel aliud ſtatuant octo diuites & octo pauperes: aliud duo diuites & duodecim pauperes. Quam difficultatem hac temperatione explicandam docet: vt ea ſemper ſententia ſit potior, quæ maiore cenſu nitatur. Cenſus autem hanc rationem iniri vult, vt diues vnus duobus tenuioribus reſpondeat: duo diuites quatuor tenuioribus. Quare ſi ab vna ſententia fecerint ſex diuites & quinque pauperes: ab altera quatuor diuites & quindecim pauperes: potior erit horum ſententia: eo quod quatuor diuites octo pauperibus reſpondeant: quibus cum aliјs quindecim pauperibus coniunctis, efficiuntur viginti tres. Cum altera ſententia quinque pauperes & ſex diuites qui duodecim pauperibus reſpondent, id eſt, decem & ſeptem duntaxat habeat. Atque ita hic quoque communis ea ſententia, vt id, quod maiori parti viſum fuerit, ſit ratum, locum ſuum retinet. Quod ſi pares vtrinque fuerint ſententiæ (id quod tertium eſſe diximus) difficultas quidem & hic erit, ſed communis, vt ait Ariſtoteles, id eſt, quæ non in hanc tantum formam ab Ariſtotele hic præſcriptam & probatam, ſed in omnes Reſpub. omneſque iudiciorum & ſuffragiorum modos & formas cadere poſſit.

1. Omnibus conſentientibus.

2. Suffragiis & ſententiis pugnantibus numero impari.

3. Sententiis vtrinq; paribus.

Ἀλλὰ περὶ μὲν τοῦ ἴσου.] Ad *Platonis* verba alludere videtur, quæ exſtant *libro ſexto de legibus*, quo in loco de vtroque æquitatis genere diſſerit; τὴν δὲ ἀληθεστάτην καὶ ἀρίστην ἰσότητα οὐκ ἔτι ῥᾴδιον παντὶ ἰδεῖν. Διὸς γὰρ ἡ κρίσις ἐστί. Non eſt cuiuſuis, inquit, veriſſimam & optimam æquitatem videre. Id enim Iouis ſiue DEI eſt iudicium.

Hinc Arctur⁹ apud Plaut. Rudente ait Iouem res in terris per-

peram iudicatas iterũ iudicare, malosq́; qui res falſas impetrent apud Iudicem maiore multa multare, q̃ litem auferant.

Ariſtoteles igitur fatetur quidem & ipſe, difficile eſſe factu, veritatem de iure & æquitate reperire: id tamen inuentu facilius eſſe, quam potentibus perſuadere, vt inuento iure & æquitate vtantur: propterea quod, vt præclare ait, tenuiores & minus potentes æquitatem & ius quærere ſoleant, potentes non curent, hoc eſt, quod ij, qui opibus valent, nunquam eodem & pari iure cum reliquis ciuibus contineri velint, ſed alijs ſemper dominari, & ſuperiores partes obtinere: cum contra tenuiores hoc agant & laborent, vt à potentioribus non opprimantur, & omnes pari iure & æquitate contineantur.

CAPVT IV.

EXPOSITIS adhuc notis omnium Democratiarum communibus; nunc ſingulatim, quia plures Democratiæ ſunt, hoc capite de ijs explicatur.

TEXTVS.

Cum autem quatuor ſint Democratiæ; quæ ordine prima eſt, ea eſt optima, vt in prioribus libris eſt explicatum, quæ eadem & omnium eſt antiquiſſima. Primam voco, vt populos ſi qui diuidant. Optimus namque eſt populus agris colendis occupatus aut deditus. Quare & conſtitui poteſt Democratia, vbi multitudo ex agricultura, vel paſtione, vel pecore paſcendo viuit. Nam eo quod res non ſit magna, ſemper ſunt occupati, vt minus ſæpe ad conciones ventitare poſſint. Et quia non ſuppetant neceſſaria, in operibus ſuis permanent, nec appetunt aliena opera. Quin iocundius eſt opus facere, quam Rempublicam adminiſtrare, aut magiſtratum gerere, vbi ex magiſtratibus non magni ſint quæſtus. Multi enim quæſtum potius, quam hono-

honorem expetunt. Argumento eſt, & quod veteres Tyrannides ferrent, & Oligarchias ferant, ſi nemo eos in operibus impediat, nihilque adimat. Cito enim quidam eorum diteſcunt, quidam non egent. Præterea ſi & creandorum magiſtratuum & rationum repoſcendarum ius ac poteſtas ijs concedatur; ſuppletur id, quod deeſt: ſiquidem ambitione vtantur. Nam in quibuſdam Democratijs etiamſi ius creandi magiſtratus cum ijs non communicetur, ſed quidam ſint magiſtratus, qui ex omnibus viciſſim deligantur (vt fit Mantineæ) & conſultandi (deliberandi) poteſtas ijs permittatur: ſatis eſt, eoque contenta eſt multitudo. Nam & hæc quædam Democratiæ ſpecies exiſtimanda eſt, vt erat olim Mantineæ. Quare Democratiæ, de qua ſupra diximus, vtile eſt, & fieri ſolitum eſt, vt creentur quidem magiſtratus, & ratio repoſcatur, & iudicia exerceantur ab omnibus: gerant vero maximos lecti ſiue delecti à maiore cenſu, maiores à maiore, aut nullum quidem à cenſu, ſed ij, qui poſſunt. Neceſſe eſt autem, eos, qui hac Republica vtuntur, bene Repub. vti. Nam & magiſtratus ſemper ab optimis gerentur, populo conſentiente, & bonis non inuidente. Et hanc deſcriptionem bonis & optimatibus ſeu principibus eſſe ſatis. Non enim alijs deterioribus parebunt. Tum iuſte quoque imperabunt, cum alij ius & poteſtatem habeant rationum repoſcendarum ſeu repetendarum. Vtile namq; eſt, ſuſpenſo eſſe animo, & non licere quodlibet facere. Nam poteſtas faciendi, quod quiſq; ve-
 lit,

lit, non ſatis eſt, quod in quoque eſt, malo continendo. Quare neceſſario accidit id, quod in omnibus Rebuſpublicis eſt vtiliſſimum, vt optimi imperent ſine maleficio, aut peccato, aut iniuria populi.

COMMENTARII.

Δημοκρατιῶν δὲ οὐσῶν.] Iam dictum eſt, hoc capite, & proximo de ſingulis Democratiæ generibus ſeparatim explicari, quæ cuique generi optime deſcribendo ſint maxime neceſſaria & accommodata. Et de duobus quidem generibus, id eſt, de optimo & de peſſimo, latiſſime explicatur. Nam *ſupra libro quarto, capite quarto, & cap. 12.* docuit Ariſtoteles quatuor eſſe Democratiarum genera: agricolarum, ſiue in quo nulla cenſus habeatur ratio, &c. opificum, tabernariorum, &c. Eam igitur Democratiam, in qua maior pars ciuium ex agricolis conſtat, primam & optimam & præſtantiſſimam eſſe docet. Et prima quidem ea de cauſa dicitur, quod ab Ariſtotele in hoc opere ſemper eo ordine commemoratur & explicatur: & etiam hac de cauſa, quod ſit omnium antiquiſſima. Cauſa & ratio hæc reddi poteſt, quod agricultura ex omnibus artibus maxime ſit vetuſta & antiqua, vt tam ex ſacris, quam profanis literis & hiſtorijs conſtat. Cur autem omnium ſit optima hæc Democratia, ratio hic explicatur quod populus, ex quo hæc Democratia conſtat, omnium ſit optimus; nimirum agricolarum & paſtorum. Id autem Ariſtoteles latius explicat; Cur (inquam) Democratia ex hoc populo ſiue multitudine conſtans omnium ſit optima. Rationem quoq; & modum adiungit, quemadmodum hæc Democratia quam optime deſcribi & inſtitui debeat. Ratio, cur agricolarum multitudo vtiliſſima ſit, maximeque accommodata optimæ Democratiæ inſtituendæ, hæc affertur. Quod hæc multitudo ad conciones ventitare raro conſueuit. Sæpe autem dictum eſt, inutile eſſe & pernitioſum Reipublicæ multitudinem & plebem frequentem eſſe in concionibus: propterea quod more & inſtituto

1. & optima Democratia.
1. Ratio, cur prima.
2. Ratio.
Approbat.
Ratio, cur optima.
1. Approbatio.

ſtituto Græcorum in concionibus omnia fere, quæ ad Rempublicam pertinerent, etiam grauiſſima quæque in concionibus deliberarentur ac fierent, & quidem numero ſuffragiorum. Vnde accidit, vt quo plebs eſt frequentior, eo plus poſſit de omni Republica. Id quod pernicioſum eſt, plebem imperitam omnia poſſe. Quemadmodum accidit in peſſima ac deterrima Democratia. Contra vero optima hæc agricolarum & paſtorum. Cuius rei ratio hæc eſt, cur (inquam) agricolæ rariores ſint in comitijs & concionibus vrbanis, quod ſuis agris colendis occupati res vrbanas non magnopere curent, nec ipſos etiam magiſtratus vel honores, atque præclare ſecum agi ſciant, ſi in operibus ruſticis non impediantur. Hæc igitur opera ruſtica & occupationes faciunt, vt huic multitudini non ſit otium ventitandi ad conciones & comitia. Quæ ratio & cauſa allata eſt & *ſupra libro quarto, capite ſexto in principio*, vbi dictum eſt, ruſticos propter opus ruſticum rariſſime, & non niſi ad neceſſaria comitia, ex agris in vrbem conuenire. Indicatur & altera cauſa, cur hæc multitudo ad optimam Democratiam ſit vtiliſſima: Quod nimirum ſuis ea rebus & bonis contenta non appetat aliena. Nam plærumque accidit, vt agricolæ vel ſint diuites ſatis, vel tantum ſaltem acquirant, vnde non incommode ſe tueri poſſint. Quod contra accidit in multitudine opificum, quorum plærumque magna eſt egeſtas & cupiditas ſiue appetitio alieni. Quare in multitudine opificum & tabernariorum, id eſt, in extrema & nequiſſima Democratia ſæpe metuendum eſt, ne ditiorum bona inuadant, illis vel interfectis vel exilio multatis: vt aliquoties dictum eſt *ſupra libro quinto*. Cæterum de agricolarum mediocribus fortunis, maximeque iuſtis dictum eſt *ſupra libro 4. capite 6.* & notum eſt ex *Cicerone in Catone maiore, &c.*

2. Approbatio.

Extremũ Democratia genus cur deterrimum.

Βέλτιστος γὰρ δῆμος.] De varijs ciuium & multitudinis generibus late explicatum eſt & *lib. 4.*

Ἀπὸ γεωργίας.] Hæc duo genera agricolarum & paſtorum hoc capite ſeparatim explicantur: prius quidem de agricolis, poſtea de paſtoribus eo loco, ſeu his verbis: μετὰ δὲ τὸ γεωργικὸν, &c. qui tamen vtpote inter ſe valde ſimiles,

miles, vnum Democratiæ genus, idque optimum, efficere poſſunt.

Ὥστε μὴ πολλάκις.] Hæc vna eſt cauſa, cur agricolarum multitudo optimæ Democratiæ ſit vtiliſſima, quod vrbanas conciones & comitia non curent, vt ſupra dictum. Qua de re & *ſupra lib. 4. cap.* 8. explicauimus.

Διὰ τὸ ἔχειν.] His verbis eadem fere cauſa contineri videtur. Nam cur hæc multitudo, vel agriculturæ vel pecoribus paſcendis dedita, perpetuo fere in opere ruſtico ſit occupata, ita vt ab eo opere parum illi ſit vel otij vel temporis ad aliena munia obeunda vel appetenda, vt administratione Reipublicæ; cauſam hanc affert: Quia plærumque rebus ad vitam victumque neceſſarijs non nimium abundent. Harum igitur parandarum cauſa ſuis tantum operibus ruſticis eos intentos eſſe ait, eaque ex re id quoque conſequi, vt aliena ab opere ruſtico munera non appetant, ſed potius ruri opus facere, quam vel magiſtratus vel honores petere vel ad conciones ventitare velint, maxime ſi ſit ea magiſtratuum & honorum ratio, nullus vt inde quæſtus & lucrum ſperetur, aut certe exiguus.

1. Argum. Nam, vt præclare hic adiungit Ariſtoteles, multitudo ſeu plebs quæſtum potius, quam dignitatem & honores amat; quæſtum honoribus anteponit, vt contra honores lucro ij, qui magno & generoſo ſunt animo præditi. Qua de re ſæpe iteratum eſt *ſupra*, vt *libro ſecundo capite quinto, libro quinto, capite octauo.* Hoc igitur vnum eſt argumentum ex ea communi ſententia, quæſtum plebi honoribus & imperijs eſſe gratiorem, quo docet Ariſtoteles agricolarum multitudinem propter quæſtum ex opere ruſtico, & non ex magiſtratibus ſperandum, poſthabita Reipublicæ adminiſtrandæ cura, tantum ruſtico operi deditam eſſe, nec multum curare, quis quibus magiſtratibus & imperijs præſit.

II. Σημεῖον δὲ.] Alterum argumentum, à priſcis moribus & vita veterum ſumptum, hic affertur. Cur enim antiquitus & olim ciuitates non populari & Democratico, ſed ſingulari imperio regerentur & continerentur, cauſam hanc fuiſſe indicat, quod antiquitus ciues ſeu ciuium multitudo maiorẽ vitæ partẽ in agris verſaretur, & agros coleret, neglecta & omiſſa

miſſa vrbis & vrbanarum rerum cura. Quam occaſionē nacti vel pauci diuites vel nobiles, vel vnus aliqs præter cæteros excellens, facile vel tyrannidem, vel huic ſimilem Oligarchiam ſeu paucorum factionem & imperium inuadebat & inſtituebat. Ferebat ſcilicet multitudo etiam grauia hæc imperia, tyrannica (inquam) vel vnius vel paucorum, ſaltem vt ipſis liceret ſine moleſtia & ſine impedimento ſuos agros colere, & ſine vllo damno vel deminutione, ac detractione fructus frugeſque ſecure percipere. Sic fit, vt ex iis alii quidem diteſcant, alii certe non egeant, tantumque ex opere ruſtico emolumenti capiant, vnde vitam, ſuamque familiam ſi non laute, ſaltem quod ſatis eſt, tueri poſſint. Quod nimirum tenuioribus & multitudini fere propoſitum eſſe ſolet, non vt magiſtratus honores vel imperia, ſed vt vel diuitias, vel certe vitæ ac familiæ neceſſaria aſſequantur. Quod igitur olim tyrannides & oligarchias ferret multitudo propter curam & quæſtum operis ruſtici, id argumenti ſatis eſt ad hoc, de quo hic agitur, eam multitudinem ciuium, quæ agriculturæ ſtudet & paſturæ, honores & Reipublicæ adminiſtrationem parum curare.

Ἔτι δὲ τὸ κυρίους.] Sæpe monuit *ſupra* Ariſtoteles, in ciuitate rem eſſe periculi plenam, ſi pars aliqua ciuium honoris omnis ſit expers, ab omni magiſtratu excludatur, quare ſapientes politicos rerumque publicarum peritos huic malo & periculo callida quadam ratione & via occurrere eſſe ſolitos, hac nimirum, vt maiores quidem magiſtratus principibus viris & præſtantioribus permitterentur, plebi & tenuioribus ſaltem ad minores magiſtratus aditu relicto: vel etiam, vt ius quidem magiſtratus capiendi non eſſet plebi, nec maioris nec minoris: ſed ius eſſet omnium magiſtratuum creandorum, & hoc amplius rationum ab iis repoſcendarum: de quo ſapiente conſilio explicauimus *ſupra lib. 2 cap. 5. & lib 3. c. 7.* Huius conſilii facit & hoc loco mentionem Ariſtoteles, & in hoc primo Democratiæ genere, de quo iam agitur, ſapienter adhiberi poſſe, ſi ſit opus, monet, nimirum ſi metus ſit, ne ciues, quantumuis in agris colendis occupati, interdum tamen, vt fit, ſtudio aliquo vel cupiditate honoris ducantur: vt huic quoque ciuium generi ius & poteſtas magiſtratuum deſignandorum & rationum ab iis repoſcendarum tribuatur, ne quid cōqueri poſſint, ſe omnis honoris expertes eſſe, & veluti

Inſtitutum piculoſum, quo pars aliqua ciuiū eſt honorū expers.

1. Remediū.

2. Remed.

pro peregrinis haberi, quod Venetiis pulcherrime ſectantur, & Norimbergæ, Auguſtæ, & Antwerpiæ, in quibus locis nullus ex opificibus poteſt officium in magiſtratu gerere, ſed omnes debent eſſe patricii. Seruius totum pop. Romanum diuiſerat in 5. claſſes: quinta erat infima. Secunda claſſis rariſſime diſſentiebat à prima claſſe, vt eſt apud *Liu.* Multi legunt Liuium, ſed hæc non intelligunt.

Inſtitutum quorũdam populorum in creandis magiſtratibus.

Ἐπεὶ παρ᾽ ἐνίοις δήμοις.] Ait, in quibuſdam Democratiis hoc eſſe inſtitutum, vt mandandorum quidem ſiue creandorum magiſtratuum ius & poteſtas non ſit communis totius populi, ſed quorundam duntaxat, ex vniuerſo tamen populo delectorum; idque viciſſim, vt alii alias ad hoc deligantur: Ius vero deliberandi de Rep. totius populi ſit commune. Etſi autem plus datur & communicatur cum populo, ſi non quibuſdã, ſed vniuerſo populo ius mandandorũ magiſtratuum detur, quam ſi tantũ detur ius deliberandi, quod apud Græcos in concionibus fieri ſolet: ſatis tamen plebs & multitudo potentiæ & honoris obtinere ſe putat, atque adeo præclare ſecum agi, ſi vel hoc tantum ius deliberandi habere & retinere poſſit, quo iure multitudini permiſſo efficitur, vt Democratia ſit quædam, vbi hoc inſtitutum vſitatum fuerit. Quod vt melius intelligatur, iterandum eſt id, quod *ſupr. lib. 4. c. 14 & duob. ſeqq.* copioſe explicatum eſt; tria eſſe ſumma capita & partes omnium Rerump. Senatũ, Magiſtratus & Iudicia, quarum ex deſcriptione & varietate partium ipſa quoq; Rerumpublicarum genera varientur & diſtinguantur, vt ſi multitudini ad eas partes ſit aditus, iam ſit Democratia: ſi non ſit aditus ad vllam, iam Democratia eſſe non poſſit. Quare h. l. cum agatur de Democratiis, vt aliqua ſit Democratiæ ſpecies, neceſſe eſt, vt vel magiſtratus, vel ius deliberãdi, vel iudicia cum multitudine communicentur. Recte igitur Ariſtoteles; Etſi (inquit) ius deliberandi tantum permittatur plebi, fore nihilominus & ſaluam remanere aliquam Democratiæ ſpeciem.

Exemplũ. Exemplum affert ex Rep. Mantineenſium, in qua plebs ius quidem ad conciones itandi, & in iis de Rep. deliberandi habuerit: mandandorũ tamen magiſtratuũ poteſtas penes paucos fuerit. *Obiectio.* Sed tamẽ quæri poteſt, ſi ius deliberandi plebi permittatur imperitæ & impotenti, vt fere fit: quî fieri poſſit, vt, hac grauiſſima re plebi permiſſa, bona & laudabilis ea Reip. *Solutio ſeu* forma eſſe poſſit. Sane vt hac quoq; in re plebs fallatur & exeluda-

cludatur, conſilia & præcepta hic exponuntur, nimirum quibus via & ratio indicatur, qua multitudo rariſſime ad deliberationes ſiue conciones conuenire poſſit, occupata ſcil. opere ruſtico & domeſticis negociis. Vnde iam intelligitur, ad optimam Democratiã inſtituendã vtiliſſimã eſſe eam ciuiũ multitudinẽ, cui ab occupationib. domeſticis ad deliberationes & Reip. procurationes parũ temporis & otii ſit reliquum. Cuius generis multitudinem agricolarũ & paſtorũ, id eſt, ciuiũ agriculturæ & paſcuis ſiue paſcendis pecorib. deditorũ eſſe docet.

ſophiſmata quadam.

Ad optimã Democratiam quodnam genus ciuium ſit accõmodatiſſimum.

Διὸ ἣ καὶ συμφέρον.] Quod de iure deliberandi, & mandandorum magiſtratuum, illo quidem vniuerſç multitudini, hoc parti tantum ex ea delectæ dato ac permiſſo attulit inſtitutum quarundam Rerumpubl. velut interiectum hic fuit, vt vel hoc vno iure multitudo contenta interdum eſſe debeat: nunc redit ad ipſum ius mandandorum magiſtratuum vniuerſo populo permittendum, quod inſtitutum laudat Rebuſpub. vtiliſſimum eſſe, maxime huic primæ & optimæ Democratiæ, confirmat. Ita autem de his ſummis Reipub. partibus, magiſtratib. (inquam) & iudiciis conſtituendũ ac temperandum eſſe docet, vt ius quidẽ mandandorũ magiſtratuũ, iuſq; rationum ab iis repoſcendarum, atq; ius iudicãdi ſiue iudicia ſint penes vniuerſum populũ: ipſi autẽ magiſtratus primum quidem non ſorte (vt in plæriſq; & vitioſis Democratiis ſolet fieri) ſed ſuffragiis mandentur & legantur. Deinde, vt iidem pro cenſu, vel ſi non pro cenſu, ſaltem iis mandentur: quorum ea eſt & dignitas & otium, & facultates, vt eos capere & gerere pro dignitate poſſint. Quæ mandandorum & capiendorum magiſtratuum ratio non tam eſt popularis, quam ariſtocratica & optimatum, ſiue etiam oligarchica. Nam, vt iam dictũ eſt, in popularib. Rebuſp. magiſtratus ſorte, in optimatum & paucorũ imperiis ſuffragio fere mãdari ſolet. Qua de re ſæpe d. *ſup. l. 4.* Cenſus quoq; ſeu diuitiarũ ratio in mandãdis magiſtratib. haberi ſolet, non tam in popularib., quam in paucorũ ſiue oligarchicis imperiis, & ẽt in optimatũ, vt item *li. 4. c. 4 5. 6. & 7.* late explicatũ eſt. Atq; ita hæc Democratia non ex meris popularib. inſtitutis, ſed quibuſdam ariſtocraticis admixtis erit temperata: quam temperationẽ ſæpe collaudat Ariſt. & de ea re *ſup. h. lib. c. 1. & 2.* Illud vero notabile eſt, quod ait, ſummos magiſtratus ex ſummo cẽſu eſſe mandandos, minores ex minore. Maiores magiſtratus erant Ro. dicta-

Quæ ratio magiſtratuum & iudiciorum tenenda ſit in hoc genere Reipubl.

Mixtio Rerumpubl.

dictatura, conſulatus, prætura, cenſura. Minores erant, ædilitas, quæſtura, tribunatus, &c. Apud Græcos maiores erant, prætura militaris, quæſtura, nomophylaces, nomothetæ. Minores, vt triumuiri frumentarii, monetales, vndecemuiri rerum capitalium.

Ex quo hominum ordine magiſtratus creandi ſint.

Ἀλλὰ τοὺς δυναμένους.] Monet *ſupra* Ariſtoteles *lib. 2. cap. 9.* curandum eſſe, vt qui magiſtratibus præfuturi ſunt, ex eo ordine hominum deligantur, quibus otium ad hæc ſuppetat, hoc eſt, qui tantum habeant in bonis, vt neque mercaturis faciendis, neque opere aliquo ſordido exercendo vel impediantur, vel etiam deformentur: breuiter: qui ſi non ſint ditiſſimi, ſaltem magiſtratui pro dignitate gerendo ocium ipſis ſuppeditare poſſit. Atque ita hoc verbum, τοὺς δυναμένους, eos qui poſſunt, hic accipi oportet.

Præſtantia huius Reip.

Ἀνάγκη δὲ πολιτευομένους.] His verbis præſtantiam huius Reipublicæ ſiue Democratiæ exponit; eius (inquam) Democratiæ, quæ ita ſit temperata, vt *ſupra* eſt explicatum, nimirum, in qua magiſtratus plærique ſint penes optimates & principes, ius tamen aliquod ipſi quoque multitudini relinquatur, puta magiſtratuum mandandorum, & rationum ab iis repoſcendarum, & iudiciorum. Præſtantiam & bonitatem

1. Effectus.

huius deſcriptionis & ſtatus in eo poſitam eſſe oſtendit, quod ex hac temperatione fiat, vt primum optimi quique ſemper præſint magiſtratibus, & quidem non repugnāte & inuiden-

2. Effectus.

te multitudine. Deinde, quod eos, qui præerunt magiſtratibus, oportebit recte & iuſte præeſſe & plane inculpate, nulla vt eorum vel tyrannis, vel ſordes, vel ambitio, vel alia id genus vitia accuſari aut reprehendi poſſint. Quæ certe bona

1. Effectus præſtantiæ.

Rebuſpublicis maxime eſſe ſalutaria perſpicuum eſt. Nam optimos quoſque Reipublicæ & magiſtratibus præeſſe, idq; conſentiente & approbante ipſa multitudine, cum aliis de cauſis per ſe perſpicuis vtiliſſimum eſt: tum ex eo, quod hac ratione inter ordines Reipublicæ ſumma concordia exiſtat: cum nihil ſit, quod principes & optimates conqueri poſſint. Siquidem ipſis magiſtratus & honores mandentur, quibus alioqui grauiſſimum eſt parere tenuioribus & indignioribus, ac deterioribus. Tenuiores quoque, quia ius ſaltem aliquod iis eſt relictum mandandi magiſtratus, &c. hac velut eſca placati, non iniquo animo patientur alios præeſſe. Atque ita vterque ordo, principum & plebis, ſuis quique commodis con-

contentus, cauſam nullam habebit, cur ſimultates vel odia inter ſe exercere debeat aut velit. Alterum quoque illud huius deſcriptionis bonum, quo diximus fore, vt magiſtratus ita deſignati iuſte & temperanter præſint: non dubium quoque eſt, quin ſit maximum. Nam quæ mala ex ſordibus & auaritia, ex tyrannide & libidine magiſtratuum exoriantur ad perniciem totius Reipublicæ, explicatum eſt *ſup.l.5.* Hanc autem magiſtratuum temperantiam & continentiam ex ea deſcriptione neceſſario effici docet Ariſtoteles, hac ratione, quod rationes geſti magiſtratus ab illis repetantur non inter ſe, ſed per ipſam plebem ſeu multitudinē, ne ipſi inter ſe colludere poſſint & conniuere, quo metu & ſolicitudine rationum reddendarum velut ſuſpenſi, facile continebuntur, ne ſordide vel impotenter ac libidinoſe præſint. Nam niſi hoc metu contineantur ac reprimantur à peccando: difficile profecto factu eſt, vt qui ſunt in magnis imperiis, quibus quicquid libet liceat, omniaque quæ velint poſſint, vt hi (inquam) intra fines modeſtiæ ſe contineant, vt præclare hic ait Ariſtoteles, his verbis; ἡ γὰρ ἐξουσία, &c. quæ pulcherrima eſt γνώμη & ſententia: de qua & *Plato lib.6. de legibus. & alibi*; χαλεπὸν γὰρ, &c. Difficile (inquit) factu eſt, magnaq; dignum laude, * ita ſe gerere in magno imperio haud poteſt, vt nemini iniuriam intuliſſe merito culpari poſſis. Et Pompeium ea re laudat *Cic.lib.2.de Finib.* qui in ſumma poteſtate tamen ab iniuriis tenuiorum ſe contineret. Solent & alii hanc Reipublicæ deſcriptionem ſeu temperationem Ariſtotelis collaudare, quæ ſit velut mixta ex Ariſtocratia & Democratia, propter ea, quæ diximus, bona, huic ſtatui neceſſario coniuncta: qua de re explicatum *ſup.lib.2.cap vltimo.* vbi talem Reipublicæ ſtatum ab ipſo Solone Athenis olim inſtitutum fuiſſe demonſtrat & *lib.3 cap.7. & lib.5.cap.8. & multis in locis.* Quæ cauſa quoque eſt, cur Oratores, *Iſocrates maxime ac Demoſthenes*, Rempublicam à Solone deſcriptam & inſtitutam toties celebrent. Romæ quoque eadem Reipublicæ forma ab ipſo Rege Seruio cœpta fuit, qua etiam Romani poſtea pulſis iam regibus ſunt vſi. Rex enim ille Seruius auctor comitiorum ex cenſu, ſiue per claſſes quinque ex cenſu diſtinctas hac arte & ſapientia eſt vſus, vt tam principes, hoc eſt, honeſtiores ciues, quam tenuiores comitiorum quidem eſſent participes: vis tamen & vtilitas omnis à ſuffragiis principum

2. Effectus præſtantiæ.

Magiſtratus hoc modo iuſtos fore probatur.

1. Exempl. huiuſmodi Reip.

2. Exempl.

cipum & ditiorum penderet, & ad eos pertineret, vt erudite & copioſius explicat *Dionyſ. Halicarn. lib. 4.*

Αἵ τε γὰρ ἀρχαὶ, &c. τοῦ δήμου.] Sæpe explicatum eſt, quam periculoſum ſit Reip. ordines inter ſe inuidere, ac ſimultates & odia exercere: idque inde ſæpenumero naſci, quod omnia Reip. commoda & honores ad vnum duntaxat deferantur.

τὸ ἐν ἑκάστῳ τῶν ἀνθρώπων.] His verbis videtur Ariſt. eas animi partes, quæ vitioſæ, vel ad vitium ducāt, iram & cupiditatem ſignificare. Quemadmodum *in Eth ad Nicom l. 7. c 7. & ad Eudem. l. 7. c pen.* cum ait, in homine ineſſe *θεῖόν τι*, ſiue diuinum quiddam: primam animi partem, id eſt, mentem intelligere videtur.

TEXTVS.

Perſpicuum eſt igitur, ex democratiis hanc eſſe optimam, & quam ob cauſam; eo quod populus ſit eiuſdem modi. Vt autem populus efficiatur rei ruſticæ ſtudioſus: quædam ex iis legibus, quæ apud multos antiquitus ſunt latæ, ſunt vtiles: vt plane non liceat maiorem agrum certo modo poſſidere, aut à loco quodam ad vrbem (oppidum.) Erat autem & olim in multis vrbibus lege cautum, ne primas agri partes vendere liceat. Eſt ēt lex, quam aiūt eſſe Oxyli, quæ tale quid poſſit, ne quis in partem agri cuiuſquam mutuum det. Nunc autem & legem Aphytæorum dirigere oportet. Eſt enim ad id, de quo agimus, perutilis. Illi namq; quantūuis multi & exiguū agrum poſſidentes: tamen omnes agrum colunt. Cenſentur enim non totos fundos, ſed pro certis partibus, vt & pauperes cenſib. poſſint diuites ſuperare.

COMMENTARII.

Ὅτι μὲν οὖν.] More ſuo Ariſtot. re iam pertractata, breuiter commemorat & iterat, qua de re ſit explicaturus: nimirum cum plura ſint Democratiarum genera, & maxime quatuor, quæ ex iis & cur ſit optima, maximeq; laudabilis; ea ſc. quæ ciuibus conſtet agros magnam partem colentibus, non vero opifi-

opificibus, vel mercatoribus. Cauſas autem, cur ex his conſtãs ciuitas popularis ſit optima, modo late explicauit. Quarum hæc eſt præcipua, quod hæc multitudo, ſuis agris colendis intenta, facile patiatur ditiores dicere, & nobiliores ac digniores Reipublicæ præeſſe.

Πρὸς δὲ τὸ κατασκευάζειν.] Poſtquã expoſuit eam eſſe optimam Democratiã, quæ ex iis conſtat agros maxime colentibus, & agriculturæ ſtudioſis: adiungit, velut ἐπίμετρον & additamentũ quoddã vtiliſſimum de ſtudio agriculturæ; exponit (inquã) rationes & vias; quib. ciuiũ multitudo talis reddi poſſit, quæ agros potius colere, & agriculturæ ſtudium amplecti, quã vel mercaturę vel opificũ malit. Quas rationes & modos petit Ariſt. à veterũ inſtitutis ac legib. ad ſtudium agriculturæ accommodatis. Etſi autẽ quædã vetera inſtituta ad hanc rem vtilia ab Ariſtotele hic afferuntur, de quibus mox ſingulatim explicabitur: poſſunt tamen & alia, eandẽ vim ac poteſtatem habentia, quæ (inquam) agriculturæ ſtudium excitare inter ciues poſſint, reperiri. Cuius generis vnũ à Romanis peti poteſt, apud quos agriculturæ ſtudium magno erat in honore, & præmiis affici ſolebat: vt cum tribus Romæ eſſent triginta quinque, eæque partim in ruſticas, partim in vrbanas diſtributæ: ruſticæ longe honeſtiores habebantur. Qua de re videatur *Plinius lib. 18. cap. 13. & Cicero in Catone maiore.* *Quib. modis reddantur ciues agricultura ſtudioſi?* *1. Modus.*

Ἢ τὸ ὅλως.] Vetus ait eſſe inſtitutum multarum ciuitatum, quo vetitum fuit agrum parare, niſi ad certum modum, ſiue quo cautum fuit, ne liceat agros continuare. Hac enim ratione efficitur, vt non ad paucos recidant omnes poſſeſſiones & agri: quo nomine grauiter Lacedæmonios reprehendit Ariſtoteles *ſupra lib. 2. & lib. 5.* Et *Cicero* ſua ætate accuratius Romæ hanc agrorum continuationem accuſat. Sed efficitur potius, vt ſinguli ciues agellum aliquem habeant. Vnde mox conſequitur, vt ſinguli quoque ciues ſuum quiſque agellum ipſe colat. Neque enim eorum patitur tenuitas, vt colonum quiſq; alere poſſit; quod diuites & locupletes ſolent: vt pulchre ait *ſup. lib. 4.* Atque ita fit hac agrorum deſcriptione & certo modo, vt omnes ciues aut certe plæriq; agriculturæ ſtudium ſequãtur. Et hoc quidẽ inſtituto aliquando ipſi quoq; Romani ſunt vſi lata lege Licinia, qua certus agri modus erat præfinitus, cautumq; ne plus quam 500. iugera poſſidere liceat: vt eſt *apud Liu. libr. 6. & Plin. d. libr. 18. cap. 3.* *2. Modus.* *L. Licinia.*

Veteres

Inſtitutum cõtrarium. Veteres autem Germani contrario plane inſtituto ſunt vſi: quoniam nec certum agri modum haberent, nec agriculturæ ſtuderent. Sic enim ait *Cæſ. li. 6 belli Gallici*: Agriculturæ non ſtudent, maiorque pars victus eorum in lacte & caſeo & carne conſiſtit; neque quiſquam agri modum certum aut fines proprios habet: ſed magiſtratus ac principes in annos ſingulos gentibus, cognationibusq; hominum, qui vna coierunt, quantum eis, & quo loco viſum eſt, attribuunt agri, atq; anno poſt alio tranſire cogunt.

Ἡ ἀπό τινος τρόπου.] Videtur his verbis Ariſtoteles agrorum continuationem permittere longius ab vrbe, ſiue non in locis ſuburbanis: idque inſtitutum quarundam vrbium fuiſſe. Quare hoc inſtitutum de agri modo bipartitum fuiſſe videtur, vt aliis quidem in ciuitatibus certus agri modus tota regione tam ſuburbana, quam remotiore definitus fuerit: in aliis vero tantum in ſuburbana regione, non in remotiore, in qua continuatio agrorum & poſſeſſionum permiſſa fuerit, vetita licet in ſuburbana. Cuius hæc differentia fuiſſe videtur, quod longinquiores poſſeſſiones, licet maiores, non facile ciues ament aut curent, quod in remotioribus ab vrbe locis non tam facile plures agros coemere ſint ſoliti: vt hac ratione non opus ſit hanc plurium & maiorum poſſeſſionum coemptionem vetare, vt à qua ciues ſua ſponte abhorreant: à ſuburbanis potius prædiis continuandis lege deterrendi & reprimendi ſunt, vt ad quæ ſint propenſiores coemenda. Eſt enim inſigne præceptum politicum, vetare ea incommoda & mala, ad quæ ciues ſua ſponte ſint procliuiores; relinquere ea, à quibus ipſi per ſe abhorreant: vt docent & *Iuriſconſulti ad l. Iul. de fundo dot. §. 1. Inſtit. quib. alienare lic. vel non.* Verbi gratia, Romæ erat vetitum, ne quis ciuis in ſuo teſtamento poſſit centum libertate donare ſeruos.

Præceptum politicum.

3. Modus. Ἦν δὲ τό γε ἀρχαῖον.] Aliud inſtitutum, ad agriculturæ ſtudium excitandum vtile & accommodatum, de non vendendis vel alienandis primis agri partibus. Quod vt intelligatur, ſciendum eſt, veteres Rerumpublicarum auctores in condenda Republica ſolitos eſſe pro ciuium & capitum multitudine ac numero ipſam regionem & agrum in certas portiones partiri, & ſuam cuique ciui certam portionem attribuere. Quem morem etiam in coloniis deducendis poſteriores & Romani & Græci olim ſequebantur. Et has portiones

Græci κλήρους vocant, quod ſorte ea attributio fieret. Vnde & κλῆρος. ſinguli coloni κληροῦχοι, quaſi ſortem habentes, dicuntur, qui κληροῦχος. à Cicerone agripetæ. De hoc more tam in condendis Rebuſpublicis, quam in deducendis coloniis dictum eſt *ſupr. libr. 2. cap. 5.* (ſæpe diximus ea de re: eſt enim res nota de coloniis) Qua ratione & ipſe Moſes in Republica Iudaica deſcribenda & condenda vſus eſt, ſuam vt cuique familiæ velut hæreditariam agri portionem deſignaret & attribueret. Hic igitur lege cautum in quibuſdam ciuitatibus eſſe ait Ariſtoteles, ne cui ſuam agri portionem hæreditariam & primo attributam liceat alienare. Qua lege & inſtituto duo hæc commoda efficiuntur: primum, vt ditiores agros continuare non poſſint, prærepta ipſis emendi occaſione: deinde, quod quiſque agri ſui ſemper dominus habeat, quem colere poſſit. Atque hac ratione omnes in agro colendo continebuntur. Neque enim tenuiores facile volent, aut etiam poterunt colonum alere, qui eorum vices in agro colendo agat. Et hoc quidem inſtitutum, quo vetitum fuit, ne prædia hæreditaria ſibi alienare poſſent, apud Locros (ciuitas Italiæ) fuiſſe monuit ipſe Ariſtoteles *ſupr. lib. 2. cap. 5.* Quod idem inſtitutum & in Iudaica Republica receptum fuiſſe intelligitur ex *Leuit. cap. 25.* Etſi enim licebat Iudæis ſuum cuique agrum alienare: non licebat tamen in perpetuum. Nam anno quinquageſimo, quem Iubilæum vocant, agri & poſſeſſiones ad ſuam quæq; familiam redibant. Cæterum & apud alias omnes fere Gentes turpe fuit auitas & hæreditarias poſſeſſiones alienare, & probro habitum, licet legibus vetitum Romæ, Athenis, &c. vt videre eſt apud *Diog. Laert. in Solone. Cic. lib. 2. de orat.* vbi de M. Bruto accuſatore. *Quintilian. lib. 6 cap. 6 & Horat. lib. 1. ſerm.* (commemorat omne patrimonium ſuum) & optime *Heraclides in lib. de Rebuſpub. in fragmentis potius.* Non videtur mihi genuinus iſte libellus.)

Agripetæ. *1. Exempl.* *2. Exempl.* *Auitas poſſeſſiones alienare probroſum.*

Ἔστι δὲ καὶ ὃν λέγουσιν.] Aliud inſtitutum agriculturæ inter ciues excitandæ, Oxylo auctore, hic exponitur: quo vetitum fuit dare mutuam pecuniam in ſuam cuiuſque agri partem. Videtur enim hic Oxylus vetuiſſe, ne ſuam quis agri portionem pecuniæ mutuo accipiendæ cauſa oppignoraret, idq; eo conſilio, vt ne veteres poſſeſſiones ab vno domino ad alium tranſirent, ſed vt ſuam quiſq; portionem hæreditariam in familia retineret. Quare perſpicuum eſt, hoc quoque in- *4. Modus.*

ſtitutum ad hanc rem, id eſt, ad agriculturæ ſtudium excitandum eſſe vtile: vt quo efficiatur, vt ſua cuique agri portio remaneat. Quæ eadem vis & poteſtas prioris quoque inſtituti, multis in locis recepti, de non abalienandis primis portionibus fuit non abſimilis legi Moyſis, de qua etiam *ſupra* dictum, qua domos quidem & res alias immobiles mutui accipiendi cauſa abalienari permiſit, agrorum portiones hæreditarias non item in perpetuum. De hoc autem Oxylo, Rege Eliorum iuſtiſſimo ac præſtantiſſimo, plura habet Strabo *libro decimo Geographiæ, & Pauſanias libro quinto.*

5. *Modus.* Νῦν δὲ δεῖ διορθοῦν.] Aliud inſtitutum ad agriculturam pertinens ab Aphytæis ſiue Aphytenſibus hic exponitur. Cuius inſtituti ſatis obſcuri ſentẽtia & vis ac poteſtas hæc fuiſſe videtur. Apud eos namque receptum fuiſſe indicat Ariſtoteles, vt ne cui liceat in cenſum dedicare (**auff den Stall angeben**) ſiue referre (ſic enim in hac * vrbe loquimur) non integras poſſeſſiones vel fundos, ſed certas tantum partes, quæ partes à ſingulis ciuibus teneantur plane æquales. Verbi gratia; ſi fundus ſit, qui conſtet triginta iugeribus, refeferetur hic fundus in cenſum hac ratione ac diſtributione, vt non vnius nomine, ſed quinque ciuium nomine ac cenſus & patrimonii cauſa ſinguli * quina eius fundi iugera poſſideant, deferatur. Vnde intelligitur, Aphytenſes agros ſuos ita partitos ac diſtributos habuiſſe, vt ſemper omnium ciuium eſſent æquæ partes agrorum. Nam quo ad alia bona, vt pecuniam numeratam, ſupellectilem, ſeruos, domos, iumenta, &c. attinet: in his licuiſſe alium alio eſſe ditiorem. Hæc videtur Aphytenſis huius inſtituti fuiſſe ſententia: vis autem & poteſtas eadem, quæ priorum, vt ſuam quiſq; ciuis agri portionem poſſideat. Qua ratione iam efficitur id, quod volumus, vt omnes agricolæ eſſe cogantur, aut certe plæriq;.

* *Argentorati.*

* *ſena.*

Aphyta. Καὶ τῷ ἀφυταίων νόμῳ.] Aſſentior Ioanni Sepuluedæ, qui coniectura ductus pro ἀφυτάλων legendum putat ἀφυταίων. Nam ἀφυτάλων ſiue Aphytalorum, ſi ita dicere licet, non facile reperiatur mentio. Aphytæ autem, vnde Aphytæi ſeu Aphytenſes, quæ & ἄφυτις, oppidum Thræciæ (ita dicunt veteres, alii Thraciæ) ignobile tamen, prope ab vrbe nobiliſſima Pallene, commemoratur ab *ipſo Thucydide libro primo, Pauſan. libro tertio, & à Stephan. in libr.* πόλεων, *vrbium.*

ſium. Huic autem Aphytenſium inſtituto de paucis iugeris in cenſum referendis conſentanea eſt principis Romani Curii ſententia & oratio, qua docuit ac monuit populum Romanum, perniicioſum eſſe ciuem, cui ſeptem iugera non eſſent ſatis (ille ipſe colebat ſuum agrum) de quo vide *Cicer. de Senectut.* vide hodie noſtrates homines. Longe alia fuit M. Craſſi oratio, qui dicere ſolet iuſtum non eſſe patrimonium, niſi eo exercitus ali poſſit: de quo caſu *in Paradox.* & de Curio *Plin. lib. 18. cap. 3.*

Ὥς' ἔχειν ὑπερβάλλειν.] Hac cenſus ratione & æqualitate accidit & hoc, vt tenuiores diuitiis ac patrimonio, ac cenſu ipſos quoque diuites ſuperent: quod plærunque diuites pauci, tenuiores multi ſint numero. Etſi igitur rebus mobilibus pauci ditiores eſſe poſſunt: agrorum tamen ac poſſeſſionum ruſticarum numero ditior erit multitudo tenuiorum; quod idem Democratiæ eſt accommodatum, vt plus poſſint tenuiores, quam diuites.

TEXTVS.

Secundum agricolarum multitudinem optima eſt Democratia, vbi ſunt paſtores, & viuitur ex pecoribus. Multa namq; ſunt agriculturæ conſimilia Et quod ad actiones bellicas attinet, hi maxime ſunt exercitati & corpore vtiles, quique ſub dio vitam facile degere poſſint.

COMMENTARII.

Μετὰ δὲ τὸ γεωργικόν.] Plebis ſiue multitudinis Ariſtoteles plærumque facit quatuor genera: agricolas, opifices, mercatores & mercenarios, quæ eſt infima fex plebis, vt videre eſt *ſupra lib. 4. c. 4. & infra hoc lib. cap. 7. in princ.* quibus in locis agricolarum & pecuariorum, ſiue paſtorum multitudo ſub vno genere continetur: propterea quod magna inter eos ſit affinitas. Etſi autem hoc l. ea duo genera, vt inter ſe diuerſa, hic exponuntur, ex quibus duo quoque diſcrepantia Democratię genera conſtent: videtur tamen hic locus, ne aliis repugnet, non incommode ita accipi poſſe, vt primũ & optimum Democratiæ genus deſcribi & condi poſſit tam ex agricolarum, quã pecuariorũ multitudine. Id enim Ariſt. propoſitum eſt:

Democratia genus optimum ex paſtoribus quoq; conſtare.

eſt: primum, vt doceat, ex quo multitudinis genere prima, eaque optima, Democratiæ forma conflari poſſit: deinde, quibus ex multitudinis generibus tria quoque reliqua Democratiæ genera conſtituantur. Docet igitur hoc loco, optimam Democratiam condi eo quoque in loco poſſe, in quo plebs ſiue multitudo rem pecuniariam curat: & vt agricolæ ab agris colendis: ita hi à pecoribus paſcendis vitæ neceſſaria comparant. Cur autem optima Democratia non tantum ex agricolarum, ſed etiam ex pecuariorum multitudine inſtitui poſſit, cauſa ab Ariſtotele indicatur his verbis; πολλὰ γὰρ ἔχει: quod horum vita vitæ agricolarum ſit perſimilis. Nam vt agricolis non eſt otium, ſæpe in vrbe verſari, & res vrbanas curare: ita & pecuarii, plærumque in ſyluis & agris ſub dio vitam agentes, non multum habent reliqui temporis, quod rebus vrbanis tribuant. Quin etiam pecuariis minus eſt otii, qui nunquam fere vno in loco conſiſtere, ſed propter paſcua ſæpe locum commutare cum ipſis pecoribus coguntur. Quare Ariſt. eleganter *ſup. l. 1. c. 5* pecuarios, ait, velut animatæ & viuæ agriculturæ operam dare: vt agricolarum cultura ſit velut mortua & inanima, pecuariorum velut animata. Adiungit præterea Ariſtot. hoc ſtudio pecuario ciues aptiſſimos reddi ad rem militarem; propterea quod vita ſub dio ſemper agenda, æſtuque & frigore, aliiſq; moleſtiis tolerandis, robuſtis corporibus fiant, & ad labores militiæ tolerandos aptiſſimis: quod contra accidit opificib. & tabernariis (**Krämer**) quorum corpora deſidia ac torpore, ac ſub vmbra molliri atque relangueſcere neceſſe eſt. Et hanc quoq; vtilitatem non ſolum ex re pecuaria, ſed ex omni agricultura, quæ ciuium non ſolum animos, ſed etiam corpora ad optimam Rempublicam maxime reddat idonea, prædicat ſæpius *Xenoph. in œconom.* cum aliis opificum artibus contra & animi & corpora corrumpantur, & inutilia reddantur. Sic enim ait; ἔοικε γὰρ ἡ ἐπιμέλεια, &c. & *eodem libro*; πάσας μὲν ἂν τὰς ἐπιστήμας, &c. & *M. Cato* (*in præfat. de re ruſtic.* fort. *milit.*) ex agricolis & viri fortiſſimi gignuntur, maximeque pius ſtabiliſſimuſq; quæſtus conſequitur.

Res paſtoricia ciues bello aptos reddit.
Veget. de re milit. lib. 1. cap.
Agricultura hanc aliaſq; laudes cum pecuaria communes eſſe.

TEXTVS.

Multitudines autem aliæ omnes fere, ex quibus reliquæ Democratiæ conſtant, multo his ſunt nequio-

quiores. Nam vita eſt ignaua; nullumq; opus eorũ, q̃ tractat & opificũ & tabernariorũ & mercenariorum multitudo, cũ virtute coniunctũ eſt. Præterea hoc omne fere genus, quia in foro & in vrbe volutetur, facile ad conciones venit. Agricolæ autem quia per agros ſint diſperſi, neq; veniunt, nec peræque hoc conuentu (hoc eſt, concionibus, comitiis) egent. Vbi autem accidit, vt regionis quoque talis ſit ſitus, vt agri longe ab vrbe ſint remoti; facile eſt & Democratiam bonam efficere, & Rempublicam. Cogitur enim multitudo in agris commorari. Quare etiamſi tabernaria ſit multitudo: non tamen conciones erunt aduocandæ ſine multitudine, quæ eſt in agris.

COMMENTARII.

Laus agriculturæ & rei pecuariæ per collationem cum reliquis vitæ generibus.

Τάδ᾽ ἄλλα πλῆθη.] Adhuc laudes multitudinis tam agricolarum quam pecuariorum perſequitur, adhibita comparatione reliquorum generum multitudinis, docetque vna eademq; opera ex reliquis multitudinis generibus non poſſe optimam Remp. ſiue Democratiam conſtare. Tria autem reliqua genera cõmemorat, opificũ, tabernariorũ & mercenariorum, de quibus & *infr. c. 7. & ſup. l. 4. c 4.* Vt igitur de agriculturæ & rei pecuariæ ſtudio *ſupr.* docuimus, duo hæc effici: primum, vt illis non ſit otium, occurrere ad conciones, & res vrbanas tractare: deinde, corpora & animos eo ſtudio ad virtutem optime præparari & excoli: ita contra de his tribus reliquis multitudinis generibus docet, duo inde conſequi: primum, quod cum hi reliqui opifices, tabernarii & mercenarii, 1. perpetuo in vrbe & plærumq; in foro verſentur, ad conciones & concilia, ſeu conuentus populi conuenire & occurrere commodiſſime poſſint: deinde, in horum trium ſtudiis & 2. artibus nullum eſſe adiumentum ad virtutem & virtutis actiones poſitum: quin potius horum omnium ſtudia à præclaris actionibus & virtute eſſe diſiunctiſſima. Quod idem de his generibus opificum, &c. & de his ſordidis ac illiberalibus artibus & ſtudiis, eas (inquam) artes & animum corrumpe-

rumpere minutis fraudationibus & mendaciis, & corpora inquinare & ſordidare, & proinde in optimo Reipublicæ genere hos ne ciuium quidem numero eſſe habendos, docet *infr. libro 7. capite 9. & ſupr. libro 3. capite 3.* vbi ait, non poſſe fieri, vt opifices, & id genus alii, virtutis actiones & præclara beneficia facere ſeu edere poſſint. De iis ſordidis artibus & *ſupr. lib. 1. capite 7.* & pulchre *Xenophon in œconom.* καὶ γὰρ αἵ γε βαναυσικαὶ τέχναι, &c. vbi his artibus & animos effœminatos reddi, & corpora corrumpi & inquinari docet.

Et Lucian. in ſomnio, vbi χαμαιτύπης, &c.

Quib. in regionib. hoc genus democratiæ conſtitui poſſit.

Ὅπου δὲ συμβαίνει.] Vt *ſupr. hoc cap.* vbi de inſtitutis ad agriculturam inter ciues excitandam neceſſariis dictum eſt, agros longius ab vrbe diſſitos ad eam rem eſſe vtiliores ſuburbanis: ita & hoc loco de agrorum ac regionis ſitu, eum quoque hac in re conſiderandum eſſe monet, eoque in loco optimam democratiam, de qua hactenus agitur, inſtitui poſſe, quo in loco agri & poſſeſſiones ciuium non ſint ſuburbanæ, & vrbi ſubiectæ, ſed longius remotæ. Ex hoc namque ſitu effici docuimus & *ſupr.* eo in loco de inſtitutis, vt ciues cum ipſi, vt tenuiores agros ſuos colere cogantur (nam de plebeis & tenuioribus agitur) multos dies opere ruſtico faciendo in agris ſint conſumpturi, & ſæpe etiam in ruſticas poſſeſſiones commigraturi. Vnde conſequitur, vt præſtantioribus & ditioribus ciuibus plus otii & libertatis ad ipſam Rempublicam adminiſtrandam permittatur: propterea quod plebs velut in agros relegata, eoſque longe ab vrbe diſſitos, non poſſit facile ad res vrbanas ventitare. Si autem & alii de plebe in vrbe remanſerint, vt tabernarii, aut etiam opifices, qui facile ad conciones ventitare poſſint, reſque vrbanas tractare, & ad ſe pertrahere: hi quoque vt nihilominus deludantur & impediantur, conſilium hic ſuppeditat Ariſtoteles ſapientiſſimum. Monet enim, ſi qui ſint tales in ipſa vrbe reliqui, non eſſe conſilium populi vel conciones aduocandas ſine ea multitudine, quæ in agris verſetur. Hinc enim efficietur, vt & rariora ſint comitia, (Nam ruſtica multitudo propter opera ruſtica rarius ad vrbem commeare poteſt) & quæ habebuntur comitia, erunt moderatiora propter admiſſam ruſticam multitudinem: quam populi ſeu plebis partem opificibus ſellulariis ſeu tabernariis longe meliorem eſſe diximus. Atque ita hæc verba (ὥστε δὴ

Sophiſma aduerſus opifices, tabernarios, reliquamq; turbam forenſem.

καὶ

κἂν ἀγοραῖος ὄχλος ᾖ) ſatis obſcura, mihi accipienda videntur.

TEXTVS.

De optima quidẽ & prima Democratia, quemadmodum condenda ſit, explicatũ eſt. Perſpicuum eſt autem, quemadmodum & reliquæ extrui parariq; debeant. Sequendus eſt ordo, & ad eas progrediendũ, quæ degenerauerunt, ſemperq; deterior multitudo ſeparãda. Vltimã, quia omnes eius ſunt participes, nec ferre cuiuſuis eſt ciuitatis, neq; facile eſt manere, niſi legibus & moribus bene conſtitutã. Quæ res autem & hanc & alias Reſpublicas perdere ſolent, plæræque ſupra fere ſunt explicatę. Ad hanc autem Democratiam conſtituendam, & ad populum firmum reddẽdum ſolent ii, qui præſunt, quamplurimos aſſumere & facere ciues, non ſolum germanos (ſeu legitimos ſiue ſynceros) ſed & ſpurios (ſiue non veros) ciues, eoſque qui ex alterutro parente ciue, vt ex patre (inquam) vel matre ſint nati. Hoc enim omne genus talis populi magis proprium eſt. Sic igitur Demagogi quidem ſolent hanc Democratiam inſtituere. Verum aſſumere oportet euſque, donec multitudo ſuperet principes & mediocres, nec vlterius progredi. Nam ſi modum ſuperent, cum confuſam reddunt Rempublicã tum principes, vt grauius Democratiam ferant, magis irritantur. Quæ cauſa fuit ſeditionis Cyrenis. Nam exiguum quidem malum deſpicitur: maius vero factum, magis eſt in oculis (magis incurrit in oculos.) Præterea ad Democratiam talem vtilia quoque ea ſunt inſtituta, quibus & Cliſthenes Athenis vſus

eſt, cum populi poteſtatem augere vellet, & qui populum Cyrenis inſtituerũt. Cum enim plures aliæ tribus & curiæ erunt faciendæ; tum ſacra priuata in pauca & publica erunt contrahenda; omnia denique reperienda erunt, quibus omnes inter ſe maxime permiſceantur, & ſodalitates priores tollantur. Præterea & tyrannica inſtituta omnia videntur eſſe popularia, vt eſt licentia tam ſeruorum (hæc autem aliquatenus conducit) quam mulierum & puerorum. Permittere quoque, vt quis velit, viuere. Multi enim erunt, qui talem Rempublicam ſint admiſſuri; quod plæriſque iucundius eſt licenter viuere, quam modeſte.

COMMENTARII.

Ratio inſtituendarum reliquarũ Democratiarum.

Πῶς μὲν οὖν δεῖ.] Quia Democratiarum quatuor ſunt genera, explicato primo genere, quemadmodum id optime condi & inſtitui poſſit: ea, quæ ſunt reliqua, genera pergit nunc explicare, quemadmodum commodiſſime inſtitui ac deſcribi poſſint. Ait igitur, ex primi generis deſcriptione facile id intelligi poſſe, quemadmodum & reliqua inſtitui debeant. Nam cum primum illud genus omnium ſit optimum, & cui ea, quæ dicta ſunt optimæ notæ, inſtituta ſint neceſſaria, ab eo autẽ optimo genere reliqua gradatim, quo ad bonitatem, deſciſcant: ita nimirum, vt ſecundum genus primo quidem ſit deterius, & tertio tamen melius; hoc autem tertium rurſum ſecundo ſit deterius, quarto præſtãtius; & quartum denique omnium ſit deterrimum ac nequiſſimum: efficitur inde ac conſequitur, vt cum plebis quoque totidem ſint genera, reliquis quoque Democratiæ generibus ordine ac deinceps accommodetur: ita ſemper vt deterior multitudo ſiue plebs deteriorem Democratiam conſtituat.

Cur Ariſt. duo tantũ Democratiarũ genera hic perſequatur.

Etſi autem quatuor ſunt Democratiæ genera, vt *ſupr.* latius explicatum *lib. 4. cap. 4.* hoc tamen in loco Ariſtoteles duo tantum perſequitur: primum ſiue optimum, & vltimũ ſiue deterrimum, duobus inter hæc duo extrema velut interiectis, vt quæ comparatione quadam extremorum facile intelligantur, & inſti-

tui

tui ea comparatione poſſint, prætermiſſis. Et hactenus quidem de primo & optimo genere: de vltima Democratia, eaque deterrima copioſe ac diligenter reliqua huius cap. parte, totoq; *proximo cap. 5.* explicatur, quemadmodum commodiſſime & ad diuturnitatem aptiſſime inſtitui poſſit ac debeat.

Democratiæ genus nequiſſimum.

Τὴν δὲ τελευταίαν.] Ariſtoteles deterrimam Democratiam ſolet vltimam & extremam vocare, ἐσχάτην καὶ νεωτάτην, maximam & recentiſſimam, vtpote ſua demum ætate, exortam, cum antiquitus meliores fuerint in vſu, vt videre eſt *ſupra lib. 5. capit. 5.* Quæ autem ea ſit, ſatis ijs verbis, διὰ τὸ πάντας, &c. demonſtrat: ea nimirum, in qua omnes omnium ordinum non tantum principes ac diuites, ſed etiam inſtitores & opifices & vltima fex plebis ad honores & magiſtratus habeat aditum, locum ac numerum ciuis obtineat. Nam ante exortam hanc vltimam & nequiſſimam Democratiam opificibus, infimæque plebi ad honores aditus non patebat. vt dictum eſt *ſupra lib. 3. cap. 3.* De hac igitur Democratia monet initio, eam & inſtituere eſſe graue, & ægre permanere ac perdurare, niſi ſic legibus & moribus bene ac ſapienter temperetur. Monet (inquam) eam vix poſſe eſſe diuturnam, nec facile poſſe diu conſiſtere, niſi bonis inſtitutis ac legibus conditam ac deſcriptam. Cur autem hæc minime diuturna eſſe ſoleat, breui tempore ac facile interire & euerti conſuerit, cum multæ ſunt cauſæ, tum hæc fere princeps & ſumma eſſe dicitur, ipſius plebis & tribunorum plebis ſiue demagogorum nimia licentia ac petulantia. Quare cum hæc Reipub. ſpecies ad euertendum ſit facilima, boni eſt Politici ſiue rectoris Reipub. plus ei operæ impendere ac laboris, quemadmodum ſcopuloſo mari cautior ſolet eſſe bonus gubernator, & in corpore tenuiſſimæ valetudinis maiorem adhibet diligentiam bonus medicus. Quod idem hic facit Ariſtoteles. Nam boni Politici non eſt tantum optimã Rempublicam condere, vt quidam hallucinantur, ſed omnium Rerumpublicarum genera pro hominum, locorum & temporum attributionibus: vt Ariſtoteles docuit *ſupra initio lib. 3.*

Inſtabilitas huius Democratiæ.

Ratio.

Politici munus.

Error quorundam Politicorum.

Cauſæ interitus vlt. Democratiæ.

Α᾽ δὲ φθείρειν συμβαίνει.] Quia dictum eſt modo, hanc Democratiam minime eſſe diuturnã, & ad euertendum facilem: adiungit, de euerſionibus ſiue de cauſis euertendarum

rum cum aliarum Rerumpub. tum huius Democratiæ iam ante eſſe explicatum, nempe *toto libro 5.* vbi *cap. 5.* de hac potiſſimum Democratia vltima; quibus illa ex cauſis facile intereat & euertatur, dictum fuit. Quæ quidem euerſionis Rerumpublicarum mentio & commemoratio, hoc loco facta, eo etiam pertinet: vt quia contrariorum eadem eſt doctrina, ratio ac perceptio ſeu diſciplina, ex cauſis euertendæ huius Democratiæ cognoſcantur, & cauſæ eius cõſeruandæ & bene deſcribendæ: id quod eſt huius loci proprium. Primum igitur huic Democratiæ bene inſtituendæ quæ ſint vtiliſſima & accommodatiſſima, multa peti poſſunt ex *eo ca. 5.* quæ hic prætermittuntur, quibus alia complura non minus vtilia ac neceſſaria inſtituta & inuenta adiungit hoc loco Ariſtoteles quamuis & ea ipſa, ante *in eo cap. 5.* explicata quidem, etiam *infra* attinguntur.

1. Modus ſtabiliendæ huius Democratiæ. Πρὸς δὲ τὸ καθιστάναι.] Inſtitutum eſt ad hanc Democratiam valde vtile, de magno ciuium numero ac multitudine (eſt hoc inſigne & præcipuum, quod tamen in hac vrbe non obſeruatur, quod mirum eſt) de quo inſtituto diligenter hic exponit Ariſtoteles, eſſe id vtile quidem & vſitatum, ratione tamen & modo vſurpandum. Modus autem, quo ciuium multitudo in ciuitate effici poſſit, quoque veteres demagogi & tribuni plebis vterentur, hic eſt: ſi in ciuium numerum referantur nõ tantum veri & genuini, ſed etiam nothi ſiue ſpurij, hoc eſt; ſi omnes in ciuium numerum recipiantur, ſiue vtroq; parente ciue ſint nati, ſiue altero tantum. Sic enim veteres ciuium duo faciebant genera: alij vt eſſent γνήσιοι ſiue germani & veri, qui nati eſſent ex vtroq; parente ciue: alij dicerentur nothi ſiue ſpurij ciues, qui altero tantum parente, vel patre vel matre, eſſent nati; de quo ciuium diſcrimine explicatum eſt *ſupra lib. 3. cap. 3. & cap. 1.* Quomodo & *Demoſth.* interdum & *Plutarch in Themiſtoc. & in Pericle* ciues diſtinguit, & *Eurip.* Hippolytum natum ex Theſeo ciue & Antiope peregrina nothum vocat, *in Hippol.* ὦ δυστάλαινα μῆτερ, &c. Quod diſcrimen diligenter Athenis & in reliqua Græcia ſeruabant: adeo, vt qui ex altero tantum parente eſſent nati, fere pro peregrinis haberentur, maxime in Rebuſp. melioribus. Nam in deterioribus, vt in ea, de qua hic agitur, Democratia, eius diſcriminis non magna habebatur ratio. Quare & Ariſtoteles hoc loco huic deterrimæ Democratiæ accom-

Πολίτης γνήσιος καὶ νόθος.

In vlt. Democratia huius diſcriminis nõ habenda eſt ratio.

accommodatum ait eſſe hoc inſtitutum, vt nulla eius diſcriminis habita ratione omnes, ſiue vtroq; parente ſiue altero nati, in numero ciuium & æquo iure habeantur. Sic enim fiet, vt maior ſit ciuium numerus. Erat & Romæ vſitata alia augendæ multitudinis ratio, quam laudet magnopere Dionyſ. Halicarn. Nam Romani non tantum eos, qui parente ſiue vtroq; ſiue altero tantum eſſent nati, ſed etiam plane peregrinos facilime iure ciuitatis donabant. Qua ratione effecerunt, vt ciuitas Romana eſſet frequentiſſima, quæque, etiam clade aliqua accepta, facile de ſuis ciuibus exercitum ſupplere & reſtituere poſſet. Id quod Lacedæmonij non potuerunt propter ὀλιγανθρωπίαν, vt dictum eſt *ſupra lib 2. c. 7.* & pulcre, vt dixi, *Dionyſ. lib. 2. antiq. Rom.* Ratio autem, cur ciuium multitudo ac frequentia huic vltimæ Democratiæ ſit accommodatiſſima & vtiliſſima, eſt hæc. Quod ea frequentia plebis multitudo augeatur & proinde magis confirmetur: cum parua multitudo & plebs exigua facile opprimi etiam à paucis potentioribus, & ſuperari poſſit.

Augēdi numeri ciuiū alia ratio Romanis vſitata.

Lacedæmonij.

Ratio, cur multitudo ciuium vltima Democratia vtilis ſit.

Εἰώθασι μὲν οὖν.] Pergit Ariſtoteles explicare de ea ratione ſiue inſtituto huic Democratiæ conſeruandæ vtiliſſimo; ac docet, qua fini & modo recte eo inſtituto ſit vtendum. Nam ait, demagogos ſiue tribunos plebis eo quidem vti ſolitos, ſed ſæpius abuti, & ſine modo ciuium multitudinem ac numerum amplificare: non minus autem vitioſum eſſe, nimium augere ciuium numerum, quam parum. Nam, vt iam dictum eſt, parua plebs & ciuium multitudo facile ſuperari poteſt: nimia ſiue magna affert & magnam confuſionem, & principes facilius ad ſeditionem concitat, vt mox explicabitur latius. Modum igitur hac in re ſalutarem affert & præſcribit Ariſtoteles, quanta nimirum ciuium multitudo eſſe debeat in hac Democratia, quemque modum excedere non liceat. Nam alioqui de alijs Rebuſpublicis & maxime de optima, quæ & quanta ciuium multitudo eſſe debeat, diligenter explicatur *ſupra libro 2. capite 7. & infra libro 7. capite quarto.* De hac igitur Democratia tantum hoc loco eum modum præſcribit, vt multitudo ſiue plebs numero ſuperet & principes & mediocres: vt (inquam) hic infimus plebis & ciuium ordo, licet vnus, vtroſq; tamen reliquos & principum & mediocrium vincat ac ſuperet. Satis eſſe vult, ſi vnius plebis maior ſit multitudo, quam ſit duo-

Mod⁹ quis tenēdus in hoc inſtituto.

Modus.

Ratio. duorum ordinum reliquorum. Huius autem modi, id eſt, cur (inquam) tanta ſaltem plebis multitudo eſſe debeat, vt vtrumque illum ordinem numero ſuperet, ratio hæc eſt: Quia alioqui ſi duo illi ordines coniuncti eam efficerent multitudinem, quæ plebem ipſam numero ſuperaret; facile coitione & conſpiratione illi facta opprimerent, vt potentiores, ipſam plebem. Et hunc quidem modum numeri ciuium ſiue plebis, vt maior ſit reliquis duobus ordinibus hic præſcribit Ariſtoteles in Democratia. In alijs quoque Rebuſpub. eundem præſcribit modum, vt in Politia. In qua Reipub. ſpecie mediocres dominantur, iubet mediocrium eam eſſe multitudinem, quæ reliquis duobus ordinibus, principum & plebis, ſit maior, aut ſaltem altero ordine, vt dictum eſt *ſupra libro quarto, capite vndecimo.* Huc quoque pertinet præceptum politicum, quod in hoc opere valde celebratur; de quo dictum eſt *ſupra lib. 5. cap. 9.* cum ordinem ſiue partem Reipublicæ, quæ iſtam Rempub. & ſtatum præſentem ſaluum & incolumem velit, reliquis partibus & ordinibus potentiorem & maiorem eſſe debere.

In Politia.

Regula generalis.

1. Incõmodum nimiũ aucta multitudinis.

Ὑπερβάλλοντες γὰρ.] Ex nimia plebis multitudine duo conſequi incommoda iam diximus, quorum alterum eſt confuſio ſiue ἀταξία, quod incommodum ſiue malum potius eſt grauiſſimum, & vnde ſæpe interitus Democratiæ ſolet exiſtere, vt explicatur *ſupra lib. 5. cap. 3.* De hac quoq; confuſione ex nimia populi frequentia ſiue multitudine & *infra lib. 7. cap. 4. in fin.*

2. Incommodum.

Καὶ τοὺς γνωρίμους.] Alterum eſt incommodum nimiæ multitudinis, motus ſiue concitatio principum ac diuitum. Nam ex nimia populi multitudine fieri plærumque ſolet, vt principes eam indigne ferant, credo, quod populus, vt frequentior, ita & potentior, & proinde plærumq; petulantior etiam in principes ac nobiles diuitesq; eſſe conſueuerit. Vnde odia ac ſimultates, & tandem ſeditiones ac motus exiſtunt, nolentibus amplius principibus plebis ac multitudinis grauem petulantiam ferre, & graues opes ac potentiam. Id quod exemplo Cyrenarum, vbi hac de cauſa grauis exorta fuerit ſeditio, confirmat. Adiungit autem elegans velut epiphonema Ariſtoteles; cur principes paruam, vel etiam modicam & mediocrem plebis multitudinem ferant: magnam & nimiam non ferant: Quia, inquit, paruum malum latet & con-

Exemplũ.

γνώμη.

& contemnitur: maius factum nō item. Cernitur (inquam) & incurrit in oculos. Sic & *ſupra lib.5. ca.4. in princ. & ca.7. in fin.* dictum eſt, minima in Repub. peccata eo eſſe periculoſiora, quo facilius latent & contemnuntur.

Ἔτι δὲ καὶ τὰ τοιαῦτα.] Alia inſtituta & conſilia huic Democratiæ vtilia ac neceſſaria hic Ariſtoteles perſequitur, & primum ea, quibus olim Athenis eſt vſus Cliſthenes: deinde ea quoq; quibus Tyranni in Tyrannide ſua ſtabilienda vti ſolent: poſtremo & alia complura, de quibus *cap. proxim 5.* Cliſthenis autē inſtituta Democratica 4. aut 5. fere hic exponuntur: tribuum maior numerus & curiarum: ſacrorum priuatorum in publica & communia commutatio: ordinum permixtio ſeu confuſio, & ſodalitatum interitus. De quibus ordine ac deinceps explicabitur. ***1. Modus ſtabiliendæ vltimæ Democratiæ.***

Οἷς Κλεισθένης τε.] De Cliſthene Athenienſi (Fuit enim & alter Sicyonius, vterq; in ſua Republ. princeps, de quibus late *Herod. lib. 5.*) dictum eſt *ſupra li.3. cap.1.* Eum vna cum Ariſtide Rempub. Athenienſium, 30. Tyrannis per Thraſybulum pulſis ac deletis, inſtauraſſe; ita tamen, vt non veterem, & à Solone inſtitutam Democratiam primi & optimi generis, ſed longe deteriorem, aucta nimium populi ſeu plebis potentia, inſtituerint. Cuius rei meminit & *Plutarch. in vita Ariſtid.* Cliſthenem poſtea ſecuti & alij, vt Pericles Ephialtes, Lycurgus, Demoſth. ipſe, &c. in gratiam plebis, rebus omnibus ad eius libidinem reuocatis, extremam tandem ac nequiſſimam, de qua hic agitur, Democratiam reddiderunt: de qua toties conqueritur Iſocrates populumque hortatur ad reſtituendam veterem ſiue Soloniam Democratiam. ***De Cliſthene Athen.***

Καὶ περὶ Κυρήνην.] Ait, eos, qui Cyrenis (quæ vrbs caput eſt Cyrenaicæ regionis, Ægypto contermina in Africa) Democratiam, ſublata fortaſſe vel Ariſtocratia vel Oligarchia, induxerint, ijs conſilijs & inſtitutis vſos eſſe, quibus vſus ſit & Cliſthenes, quæque huic vltimæ Democratiæ ſint perneceſſaria; de qua re amplius quærendum. ***Cyrena.***

Φυλαί τε ἕτεραι ποιητέαι.] Vnum Cliſthenis inſtitutum, firmandæ & augendæ populi potētiæ peridoneum, tribuum & curiarum multitudo, exponitur. Nam *Pollux lib. 8. Onomaſt.* vbi de tribubus & curijs Atticis docet, Athenis primo quatuor duntaxat tribus, deinde aucto per Cliſthenem earum ***2. Modus. Tribuū & curiarum multitudo.***

rum numero, factas fuiſſe decem. Et centum poſt Cliſthenē annis in gratiam Demetrij Regis Macedonum (vt & *Plutarchus* ait *in vita Demetrij*) duas præterea fuiſſe decē prioribus adiectas & continuo rurſus ſublatas. Sic & Romæ initio tres tantum tribus, vnde & nomen habent, *teſte Varrone lib. 4. de lingua latin.* fuerunt. Et tandem, aucta populi potentia, factæ 35. Cur autem tribuum multiplicatio Demo-

1. Ratio. cratiæ ſit vtilis, cauſa hæc eſſe videtur: tum, quod inde optime intelligatur populi magnitudo ac numerus;

2. Ratio. tum, quia plures hac ratione magiſtratus ſiue curationes, vt tribuum præfecti, & id genus alij, inſtituantur. Quæ res plebi eſt per-

3. Ratio. grata. Tum denique, quia omnis tribuum inſtitutio Demo-

1. Approbatio. cratiæ ſit imprimis vtilis: propterea quod conuentibus & ſæpe conuiuijs tribuarijs inter ciues amicitia & concordia optime alatur: cum in Regnis ſeu Monarchijs hæc diſtinctio per tribus plane ſit inutilis, vt diximus *ſupra libro quinto, capite 10.*

φρατρίαι, τριττύαι, curia. Καὶ φρατρίαι.] Quas Græci vocant φρατρίας & τριττύας, de quibus *Pollux eo loco*: eas docet *Dionyſ. Halicarn. lib. 2. & Plutarch. in Romulo ac Numa* eſſe, quæ Romanis dicuntur curiæ. Erant autem & Athenis & Romæ 30. vt ex *Polluce eo loco, Liuio & Cicer.* perſpicuum eſt in plurimis locis.

3. Modus, Sacrorum priuatorū in publica commutatio. Ἰδίων ἱερῶν.] Alterum Cliſthenis inſtitutum in ſacris eſt poſitum, quo ſacra priuata commutentur & conuertantur in publica. Notum eſt enim ex *Cicer. lib. 2. de legib. & Plutarch. in Alcibiade & in alijs locis,* Romæ & in Græcia ſacra fuiſſe & priuata ſiue familiarum propria, quæ & familiaria, & publica. Cur autem hoc inſtitutum huic Democratiæ ſit

Ratio. vtile, cauſa hæc eſſe videtur; quod populare ſit ac Democraticum, omnia facere communia, nec permittere, vt præter cæteram populi multitudinem pauci quidam, vel antiquitate generis vel diuitijs præſtantes, ſua ſibi ſacra quædā priuata

Exemplū. habeant. Ex hoc (ni fallor) Cliſthenis inſtituto, de tollendis ſacris priuatis, illud eſt, quod veteres hiſtorici, *Xenoph. Plutarch. Cornel. Nepos in vita Alcibiad.* commemorant; Alcibiadem, quia domi ſuæ ſacra faceret, abſentem in Sicilia capitis domi accuſatum, in exilium abijſſe.

4. Modus, Ordinum confuſio. Καὶ πάντα σοφιστέον.] Et hoc quoq; proprium ſingulare Democraticum inſtitutum eſſe poteſt, etſi verius commune videtur, & reliqua ſingularia complecti: quo iubet Ariſtoteles

les omnia fere ordinum diſcrimina tolli, & populum ita inter ſe permiſceri, nulla vt aut certe peregrina vel generis vel diuitiarum vel doctrinæ, &c. ratio habeatur. Id quod Romæ quoq; ita accidiſſe, Ariſtocratia ſiue Oligarchia paulatim in Democratiam conuerſa, videre licet *paſſim in Liuio*. Nam cum primis temporibus ea religione & cautione patricij à plebeis ſe diuiderent, vt contaminari gentem patriciam dicerent, ſi vel plebeia in patriciam gentem vel contra enuberet, nullumque (vt veteres loquuntur) inter plebeios & patricios eſſet connubium: Sacra quoque alia eſſent patricia, alia plebeia, item & magiſtratus & cætera: ſeditionibus populi & actionibus tribunorum res eo tandem perducta eſt, vt nonomine tenus hoc patriciorum ac plebeiorum diſcrimen remaneret: cum omnia eius diſcriminis iura eſſent confuſa, ſiue cum populo etiam communicata. *Exemplū.*

Αἱ δὲ συνήθειαι.] Verbo συνήθειαι, obſcurum eſt, quid Ariſtoteles intelligat. Interpretes conſuetudines fere reddūt. Videtur autem ſocietates ſiue ſodalitates & factiones, vt Romani vocant, diuitum & potentiorum intelligere, quas vtile ſit abolere & diſſoluere in Democratia. Quod idem præceptum & Tyrannidi conducere docuit *ſupra lib.5.cap.11.* Eadem autem & huic Democratiæ deterrimæ & Tyrannidi conducere, mox explicabitur. Cur autem ſocietatum & ſodalitatum diſſolutio & abolitio his Rebuſpubl. conducat (de potentiorum potiſſimum coniunctione & conſuetudine loquimur) cauſa hæc eſt; quod ſimulatione ſodalitatū coniurationes & ſeditiones facile exoriantur; vt *eo loc.* late explicauim9. *5. Modus.* *Ratio.*

Ἔτι δὲ ἐ τὰ.] Affert Ariſtoteles & alia inſtituta huic Democratiæ perutilia. Ait autem, inſtituta & præcepta Tyrannica, de quibus copioſe & diſtincte *ſupra* eſt explicatum *li. 5. ca.11.* eadem quoq; eſſe popularia ſiue populari huic Reipub. vtilia. Eius autem generis inſtituta & præcepta Tyrannica (inquam) cum alia multa *eo capite* ſunt explicata: tum hæc duo, quæ & hic commemorantur, & ſeruorum licentia, 1.
& licentia atq; imperium mulierum & liberorum. Quæ duo 2.
tamen ad vnum caput, id eſt, licentiam in victu & communi vita referri poſſunt. Cur autem hæc magna licentia tam liberorum hominum quam ſeruorū, mulierum quoq; petulātia & laſciuia, breuiter, viuendi poteſtas vt quiſque velit, & impunitas; cur hæc (inquam) Democratiæ ſint vtilia, ratio & *6. Modus generalis.*

cauſa

Ratio. cauſa ab ipſo Ariſtotele hic exponitur: quod hac via multi acquirantur ſeu comparentur, qui huic ſtatui, quo talis licentia permittitur, optime cupiant, eumq; auctum & conſeruatum velint. *Approbat.* Ea namque natura & indoles eſt hominum, vt magis hac viuendi licentia, quam libertatem ipſi vocant, nullisq; frenis & legibus conſtricta ratione gaudeant, quam modeſtia & ſtatu ſeu imperio ſeueris legib. & ad bonos mores ac modeſtiam accommodatis temperato. Pauci ſcilicet ſunt boni & modeſti; plæriq; omnes ſumus deteriores licentia, *inquit Terentius.* *Incommodum huiusmodi.* Vtilis eſt igitur huic ſtatui populari ea vitæ & victus licentia ſiue libertas: quæ tamen quia plærumque in petulantiam & effrenatam libidinem degenerat: fit ſæpenumero, vt nimia ea libertas Democratica in extremam conuertatur ſeruitutem, vt præclare docet *Plato lib. 8. de Republica.* Qua de re, id eſt, de hac libertate & licentia populari & *ſupra* à nobis eſt explicatum *hoc libro, cap. 2.* *Ratio, cur eadem ſint præcepta tyrannidis & vltima Democratia.* Cur autem eadem inſtituta & præcepta tam conueniant Democratiæ quam Tyrannidi, cauſa prioribus libris ſæpe explicata hæc eſt: quod inter hæc duo Reipub. genera ſumma ſit affinitas & cognatio: adeo quidem, vt hæc Democratia extrema & Tyrannidis nomine appelletur, & ipſe populus huius dominationis princeps *à Cic in libris de Repub.* nō alio commodiore nomine, quam Tyrannidis, dicatur.

CAPVT V.

MONVI iam aliquoties, libros Ariſtotelis multis in locis non ſatis docte vel apte in capita eſſe diſtributos: id quod & hoc loco vſu venit. Nam quæ hoc cap. explicantur, à prioribus minime diuidi poſſunt. In eadem namq; re verſatur Ariſtoteles, & perſequitur ea inſtituta ac præcepta, quæ vltimo ac deterrimo huic Democratiæ generi ac ſtatui recte inſtituendo & conſeruando maxime ſint vtilia.

TEXTVS.

Munus autem & opus legumſcriptoris & Politici hominis & eorum, qui talem Rempublicam inſtituere velint, nō illud eſt maximum aut vnum ſolum, eam inſtituiſſe: ſed potius, vt conſeruetur.

Neq;

Neq; enim difficile factu eſt, vnum vel duos vel tres dies incolumes remanere, qui vel qualiter Republica vtantur. De quibus diſputatum eſt ſupra, quæ ſint cauſæ ſalutis & interitus Rerump. ex his conādum eſt ſtabilitatem efficere: ijs quidem, quæ interitum ſeu perniciem afferunt, vitatis: ijs vero legibus (tam ſcriptis quam non ſcriptis) latis, quæ contineant ea, quæ Rebuſpub. ſint ſalutaria. Neq; exiſtimandum, hoc eſſe populare vel Oligarchicum, quod ciuitatem reddat maxime popularem vel Oligarchicam, ſed quod longiſſimo tempore. Sed enim qui nunc ſunt demagogi (noſtræ ætatis) dum ſtudent populo placere, multa iudicijs publicant. His igitur ij, qui Reipub. curam gerunt, (quibus Reſpub. curæ eſt) obſiſtere debent, & legibus cauere, ne quicquam eorum, qui damnantur, & qui debent Reipub. in publicum ærarium, ſed in ſacrum referatur. Nam & facinoroſi nihilominus à delinquendo cauebunt (æque enim multabuntur) & plebes (plebs, populus) vt nihil acceptura, minus vertetur ad condemnationem eorum, qui in iudicium adducti fuerint. Præterea curandum, vt publica iudicia ſemper ſint ſeu fiant pauciſſima, magnis pœnis in eos, qui temere accuſarint, inſtitutis. Non enim plebes, ſed patricios ſeu principes ſolent accuſare.

COMMENTARII.

Ἔστι δ' ἔργον ἔ.] Diximus, Ariſtotelem ea, quæ ad vltimæ Democratiæ deſcriptionem & conſtitutionem pertinēt, hoc quoque in loco perſequi. Affert autem hic, veluti præmunitionis loco, præclaram ſententiam de vero boni legumlatoris & rectoris Reipub. officio. Nam veri & ſapientis Politici officium eſſe ait, ſiue in eo poſitum eſſe, non ſolum, vt Rem- *Politici officium.*

pub. deſcribat & inſtituat: ſed in eo potius, vt ita deſcribat *Ratio.* eam, vt perpetua, ſtabilis ac firma eſſe poſſit. Vt enim leges, imo etiam opificum opera tempore & perpetuitate explorãtur: ita & Politici opus Reip. ſtabilitate & firmitate maxime æſtimatur. Sæpe enim fortuna ſeu caſu aliquid fit recte: ſed vt idem ſtabile ac firmum permaneat, id vero ſapientis artificis eſt opus ac munus. Quo pertinet & illud, quod vulgo dici ſolet; *Non minor eſt virtus quam quærere, parta tueri.*

Caſus ineſt illic, hic erit artis opus.

1. Exempl. Hinc olim laudata fuit ſapientia Lycurgi, cuius Reſp. Lace- *2. Exempl.* dæmone inſtituta aliquot ſæcula durauit, Romanorũ quoq; ſapientia eo nomine laudari ſolet, qui magnum ac diuturnũ *Exempla contraria.* imperium condiderint. Contra vero Hunnorum, Scytharũ, aliarumque barbararum nationum merito vituperatur imprudentia, qui regna & prouincias occupare quidem potuerint: ſed Remp. in ijs cõſtituere diuturnã, quæq; occupaſſent, tueri non potuerint. Hoc igitur ſapientis Politici eſt opus & munus, vt condat Rempub. q́ maxime ſtabilis ac diuturna ſit *Quanã ratione Reſp. firma redduntur.* futura. Qua. a. ratione & via id aſſequi poſſit, monet hic vno verbo Ariſtotel. nempe vt ea præcepta, q́ de incolumitate & interitu Rerump. priore libro ſunt explicata, norit ac teneat: h.e. vt ea, quæ peſtem & perniciem Reip. ſpectant, vitet aut tollat: ea, quæ ad ſalutem, diuturnitatem & incolumitatem pertinent, vt ea (inquam) in Remp. introducat, eaq; tam legibus quam moribus & inſtitutis complectatur. ea autem in vtramq; partem, i.e. tam peſtifera quam ſalutaria præcepta q́ ſint & qualia in omni Reipub. genere, accuratiſſime *ſupra* eſt explicatum. Ex quibus tamen & hoc loco vnum aut alterum commemoratur, quo ad hanc Rempub. de qua hic agitur, id eſt, Democratiam vltimam.

Νόμοι ἢ ἄγραφοι, ἢ γεγραμμένοι. Νόμους καὶ τοὺς ἀγράφους.] Ita Græci leges diuidunt, ſæpe *Plato & Ariſtoteles quoq; lib. 1. Rhetor* ἀγράφους vocant & πάτρια ἔθη. Romani vocant ius ſcriptum & non ſcriptum, id eſt, inſtituta & mores ſiue conſuetudines.

Καὶ μὴ νομίζειν τοῦτ.] Hoc illud eſt præceptum, quod diximus hic iterari, licet priore libro iam explicatũ, quod pertinet ad conſtitutionẽ Democratiæ & etiam Oligarch. Nam de hoc vtroq; Reip. genere hoc potiſſimum libro explicatur: de quo præcepto *ſupra* diligenter eſt explicatum *lib. 5. c. 9. ibi:* παρὰ πάντα δὲ ταῦτα δεῖ μὴ λανθάνειν, &c. Et primum quidem

eorum,

eorum, qui ſua ætate Rebuſp. maxime popularib. & Oligarchicis præeſſent, peccata in h. præcepto exponit. Eos namq; exiſtimaſſe optime tunc cum Repub. agi, populiq; poteſtatẽ tum optimo eſſe in loco, ſi omnia ſub eius (populi, inquam) poteſtatem ſubijcerentur, eiuſq; imperio & arbitrio vniuerſa adminiſtrarentur: Oligarchiamq; eam eſſe optimam, ſi nihil legib. ſed omnia paucorum, qui Reip. præeſſent, arbitrio, ac libidine fierent: quo errore & peruerſa opinione imbuti & incitati demagogi eius ætatis, ſiue tribuni plebis, & oratores tum omnia ad plebem pertrahebant, eamq; ipſis legibus ſuperiorem reddebant: tum plebi aſſentantes, gratiamq; popularem captantes, multa conquirebant & reperiebant, quæ populo grata eſſe crederent. Vnde ſæpe iniuſto more & exemplo locupletiorum bona inuadebant, eaq; populo propinabãt, calumnijs & iniuſtis accuſationib. locupletioribus in ius pertractis, & apud plebem damnatis. Erant & aliæ, præter has iniuſtas accuſationes & bonorum publicationes, demagogis illis & tribunis plebis vſitatæ ad blandiendum populo calumniæ & viæ: nouæ tabulæ, leges agrariæ, & leges frumentariæ: de quibus nos *ſupra* quoq; *li.5.c.5.* vbi de his demagogis, eorumq; calumnijs diligenter explicauimus. Nã hoc loco de iniuſtis tantum accuſationibus & bonorum publicationib. agitur. Recte igitur Ariſtoteles laudem Democratiæ vel Oligarchiæ nõ in eo, vt omnia ſub earum poteſtatem & imperium ſubijciantur, ſed in couerius poſitã & ſitam eſſe ait, ſi quã diutiſſime ſtet incolumis, & firma permaneat. *Error hac in re ſui temporis Politicorum.*

Διὸ δεῖ περὶ ζωντα.] Aureum Ariſtotelis præceptũ ſequitur, in quo aliquando animaduerti in hac vrbe, Gallia, & toto fere orbe terrarum peccari. *Imp. Iuſtinianus* bonorum publicationem ſuſtulit, hodie eo iure non vtimur. Galli dicunt; Qui confiſcat corpus, confiſcat etiam bona. Id quod multi experti in Gallia ante triennium in ſeditione illa, vbi debitores creditores ſuos ſub prætextu hæreſeos interfecerunt, vt liberarentur à pecunia, quam ipſis debebant. *7. Modus ſtabiliendæ vltima Democratia.*

Διὸ δεῖ περὶ ζωντα] Exponit iam Ariſtoteles ſuum conſilium, quod ſane eſt ſaluberrimum aduerſus eas bonorum publicationes, quib⁹ ea ætate demagogi vti ſolent. Eſt .a. duplex via & ratio, qua ijs calumnijs obuiatur. Prior eſt, vt multæ damnatorum non in fiſcum redigantur, ſed in ſacrum dedicentur. Altera eſt, vt publica iudicia efficiant pauciſſima, *Publicatio bonorum.* *1. Remedium.* *2. Remed.*

ſeu 8. Mod⁹ ſtabilienda Democratiæ vltimæ. Effectus primi. Ratio.

vt ſint rariora. Ex priore hoc commodum docet conſequi, quod populus ſiue plebes iudex in his publicis iudicijs non tam erit procliuis & facilis ad reorum condemnationem: propterea quod ex ea ſciat nihil ſe commodi aut vtilitatis percepturam: multa videlicet non in populi fiſcum & vtilitatem, ſed in ſacrum redigenda. Quod autem ad ipſos reos vere ſontes attinet, ſiue multa in fiſcum ſiue in ſacrum dedicetur, nihil intereſt. Peræque enim multabuntur, & peræque graue eis erit, multam perſoluere. Hoc tantum agitur, vt ne inſontes calumnijs & iniuſtis accuſationibus vexentur à demagogis, & populo locupletum bonis inhianti iniuſte condemnandi tradantur. Eodem pertinet & altera cautio ſiue ratio de numero iudiciorum publicorum deminuendo.

Ratio ſecundi.

Quo enim ea erunt pauciora: eo minus vexabuntur ditiores, minorq; erit occaſio eorum bona occupandi ſpecie iuris & iudiciorũ, qua demagogi & plebes vti ſolent, vt iam dictum eſt.

Quonã pacto ſecundũ remedium obtineri poſſit. De calumniatorib.

Vt autem pauca ſint hæc iudicia, modum quoque & rationem oſtendit, nempe ſi graues multæ aut pœnæ in calumniatores ſiue iniuſtos accuſatores ſtatuantur. Ijs enim temeritas litigantium (vt vocant ICti) & calumniatorum audacia ſiue impudentia frenari ſolet. Qua de re quemadmodum Athenis & Romæ diligenter olim cautum fuerit, exponitur *à Polluce lib. 8. & à ICtis tit. Pand ad SC. Turpil. & ſub tit. de calumniatorib. & ſub tit. Inſt de pœn. tem. litigant.* Hoc autem ſapientiſſimum Ariſtotelis conſilium bimembre non tantum Democratiæ, de qua hic agitur, ſed omni imperio ac Reipub. ſalutare eſſe videtur. Nam & in regnis idem vſu venire ſolet, vt accuſationes publicæ, ſi vtilitas inde tam ad accuſatorem quam ad fiſcum aliqua redeat, ſint frequentiores; ſi nulla redeat, ſint maiores (hac de cauſa hic etiam crebro & facile homines conijciuntur in carcerem: maxima enim inde vtilitas redundat ad Magiſtratum.) Quare & imperio Romano minuendarum accuſationum cauſa *Imp. Iuſtinianus in Nouell.* bonorum publicationem ſuſtulit humaniſſima & clemẽtiſſ. inſtitutione. (Hodie eo iure nõ vtimur.)

TEXTVS.

Oportet autem Reipub. quoq; omnes quidem ciues optime cupere: ſin minus, ſaltem principes non videri inimicos.

COM-

COMMENTARII.

Δεῖ δὲ καὶ τῇ πολιτείᾳ.] Aliud populari huic Reipub. ſalutare conſilium hic breuiter exponitur. Danda enim eſt opera, vt erga Rempub. vel omnes ciues bene ſint affecti, eiuſq; cõſeruandæ & amplificandæ ſtudioſi, vel certe, vt principes, ijq; qui reliquis ſapientia, genere ac diuitijs antecellunt. Nam vt eleganter monuit *ſupra lib.* 5. Principium eſt dimidium totius. Male enim affecti principes ac ditiores, rerumq́; nouarum cupidi, facile reliquos ordines inferiores ad eandem peſtem ac perniciem ſecum trahunt, vt *ſupra* explicatum *lib.* 5. *cap.* 4. Sed de hoc præcepto ſiue conſilio quod item, vt prius, optimum & aureum eſſe certum eſt, ab ipſo Ariſtot. & à nobis multis in locis *ſupra* eſt explicatum, vt *li.* 4. *c.* 9. *in fin. & cap.* 12. *& li.* 5. *ca.* 9 *& li.* 2. *ca.* 7. *ibi; συνέχει μὲν τὴν πολιτείαν*, &c. 9. *Modus.*

TEXTVS.

Quia autem vltimæ Democratiæ & celebres ſunt ſeu frequentes, & difficile factu eſt, vt ad conciones ventitent ſine mercede: id quod, nullis vectigalibus publicis, graue eſt principibus (neceſſe eſt enim, & ex collatione & ex publicatione & ex improbis iudicijs colligi, quę multas iam Democratias euerterunt) Nullis igitur reditibus ſiue vectigalibus publicis, paucas conciones & iudicia fieri oportet, multorum quidem, ſed paucos dies. Id enim & hoc affert, vt diuites non metuant ſumptus, ſi ditiores quidem non accipiant ſportulam iudicialem: tenuiores vero accipiant. Affert & hoc, vt iudicia multo melius exerceantur. Nam ditiores multos dies à ſuis rebus abeſſe nolunt, paruo tempore non grauantur. Quod ſi erunt publica vectigalia; non id faciendum erit, quod iam demogogi factitant. Ea enim quæ ſuperſunt, diuidunt (populo ſcilicet tenuioribus) ſimul au-

tem & capiunt,& rurſum ijſdem egent. Tale enim præſidium tenuiorib. eſt pertuſum dolium. Quin potius vere populari videndum eſt, vt ne plebs nimium egeat. Hæc enim cauſa eſt, cur Democratia ſit vitioſa.

COMMENTARII.

10. Modus.

Ἐπεὶ δ᾽ αἱ τελευταῖαι.] Aliud affert Ariſtoteles conſilium, huic Democratiæ, de qua agitur, id eſt, vltimæ maximeque vitioſæ & infirmæ, conſtituendæ ac firmandæ neceſſarium, ac ſalutare, de concionib⁹ bene & vtiliter inſtituendis ac moderandis. Nam, vt ſæpe alias monuimus, apud Græcos popularium imperiorum vis omnis atq; poteſtas in concionib⁹ erat poſita. De iudicijs quoq; adiungit, quæ optima ipſorum ratio eſſe videatur: de quibus ipſis & modo nonnihil explicatũ eſt, quamuis hic de priuatis potiſſimum, *ſupra* de publicis agi videatur. Hoc autem Ariſtotelis conſilium vt melius intelligatur, repetendum eſt id ꝙ alias explicatum fuit *li. 2. c. vlt. & li. 4. ca. 13 & li. 5. c. 5. alijsq; in locis*: Græcorũ hoc fuiſſe inſtitutũ in concionib. & iudicijs, vt cuiq; de plebe ad cõciones & ad iudicia (qui modo iudex eſſet lectus) ſportula q̃dam ſeu mercedula ex ærario publico daretur, vt etiam ad ludos & theatra cõuenienti. Cuius inſtituti quæ ratio & cauſa fuerit, ijs quoq; in locis explicatum eſt: vt nimirum hac mercedula inuitati tenuiores, relicta opera domeſtica, ad conciones, &c. frequẽtiores & promptiores conuenirẽt. In ea namq; frequẽtia ipſius firmamentũ ac robur ſtatus ſeu Reip. erat poſitum, h.e. vt plebs quo frequentior, eo eſſet, vt ita dicam, dominãtior, & plus poſſet. Quæ ſportula ſiue mercedula, pecuniola varijs nominib⁹, θεωρικὸν, ἐκκλησιαστικὸν, δικαστικὸν, &c. à Græcis dici ſolet, vt alias dictum. Hæc igitur eius * iudicij ratio fuit & vtilitas, populari Reip. accommodata & propemodũ neceſſaria. Eius autem vitium quoddam Ariſtoteles & *ſupra* indicauit *li. 5, c. 5.* & idem hic quoq; explicat, eiq; quẽadmodum occurri poſſit, exponit; quod eſt illud ſalutare, vt dixi, cõſilium de moderandis concionib. & iudicijs in hac Democratia. Vitium igitur hoc eſſe docet, idq; duplex, pro duplici ærarij ſtatu. Vel enim, inquit, ærarium eſt locuples, vel eſt tenue. Si tenue eſt, & nulla ſunt publica aut certe perexigua vectigalia: omnia hæc onera recidunt in ditiores, & quæ ſportula

Conciones Græcorum.

Sportula iudicum & concionis.

Ratio.

θεωρικὸν, ἐκκλησιαστικὸν, δικαστικόν.

** fort. inſtituti.*

1. Vitium, quo demagogi compararunt pecunias hiſce ſport.

tula ex ærario ſumi non poteſt, ex priuatorum bonis ditiorũ ſumitur & eripitur. Quam ad rem Tri. pl. ſiue demagogi iniuſtis & ſceleratis quibuſdã rationibus ſiue artibus vti ſolent, vt tributi indictione, vt publicatione bonorũ, vt onerib. & muneribus quibuſdã publicis, apud Græcos vſitatis, de quib. dictum *ſupra li. 5. c. 5.* Trierarchia, Lampadarchia, Chorigia: de quib. dictum *ſupra li. 5. c. 8. in fin.* quæ quidem onera principibus viris & ditiorib. neceſſe eſt accidere grauiſſima, maximeq; eam bonorũ publicationẽ, quæ ex improbis & nefarijs iudicijs exiſtere ſolet. Nam, vt paulo *ſupra* dictũ eſt, tribuni plebis ſeu demagogi multitudini ſtudentes gratificari, & inhiantes bonis principum, & eorum, qui rem habent, calumnijs illos in iudicia, in quibus plebs tanquam domina Reipub. dominatur, pertrahere & opprimere ſolent. Qua ex re fit, vt iudicia ſint corruptiſſima. Quanta autem hæc ſit Reipub. peſtis, iudiciorum corruptela, explicatum eſt *eo cap. lib. 5.* Recte vt hic dicat Ariſtoteles, hac vna re multas Democratias eſſe euerſas. Nam ditiores & principes viri vel exuti bonis, vel etiam pulſi patria, ijs (inquam) grauiſſimis iniurijs & contumelijs excitantur & conſpirant ad ſtatum popularem delendum. Quod ſi ærarium diues ſit, publicaq; ſint ſatis multa vectigalia, vnde plebi tantæque multitudini ſportula ſua cuique præberi poſſit: alterum nihilominus vitium ſuæ ætatis & hic notat Ariſtoteles, nimirum largitionem tribunorum ſiue demagogorum, quos ait, quod præter ſtipem ſiue ſportulam eam in ærarijs Reipub. eſſet reliquum, totum quoq; dilargiri ſolitos; de quibus largitionibus demagogorum, alijsque eorum vitijs dictum eſt & *ſupra lib. 4. cap. 4.* & grauiſſimme conqueritur *Iſocr. in orat de pace, his verbis;* θαυμάζω δὲ, εἰ μὴ δμώχαξ, &c. Et hæc quidem ſunt vitia & incommoda in concionibus & iudicijs. Ea autem quemadmodum tolli poſſint, conſilium viamq; & rationem hic exponit. Nam priori quidem vitio, quod propter nulla publica vectigalia naſci ſolet, hanc medicinam adhiberi ſuadet Ariſtoteles, vt, ſi nulla publica ſint vectigalia, & conciones fiant ſiue habeantur rariores, & iudicia ſint breuiora. Nam quo pauciores ſiue rariores erunt conciones: eo & minor erit plebis autoritas ac potentia, quæ in concionibus dominabatur: & minori ad ſportulas opus erit pecunia. Quæ res faciet vt ditiores minus onerentur contributionib⁹

Iudiciorũ corruptio.

2. Vitium, quo demagogi pecunias public. dilargiuntur & prodigunt.

1. Remediũ.

Vtilitas conci-onum ra-riorum. ad ſportulam & ſtipem illam neceſſarijs. Hæc igitur inſignis eſt vtilitas, quæ ex rarioribus & infrequentioribus concionibus conſequitur; minor plebis potentia, & minora ditiorum onera. Ex breuioribus autem iudicijs, & litibus non diuturnis illa conſequitur vtilitas, ipſa vt iudicia longe melius exerceantur & incorruptius & imprudentius. *Vtilitas iu-diciorum breuiorum.* Quid ita? *Ratio.* Quo enim erunt breuiora, eo iudices præerunt ijs ſapientiores & honeſtiores, non tantum de plebe, ſed ipſi quoque principes Reipub. ac ditiores. Nam graue eſt ditioribus multos dies in foro & iudicijs conterere, relictis vel omiſſis rebus domeſticis. Tenuiores, quorum res familiaris eſt exigua, plus habent otij, quod ijs rebus forenſibus impertiantur, modo, vt victus ipſis ſuppeditetur, ſoliciti: quam ſolicitudinem aufert ſportula ſiue mercedula. Eam igitur nacti, facilime & ad conciones ventitare, & in iudicijs deſidere ſolent. Quod cōtra in ditioribus vſu venit propter magnitudinem rei familiaris, & occupationes domeſticas, quas more hominum publicis & forenſibus negocijs anteponunt. Et hoc eſt quod ait, οἱ γὰρ εὔποροι πολλαὶ, &c. Quod idem latius explicatum eſt *ſupra lib. 4. cap. 6.* Alteri vitio, quod in tribunitijs largitionibus poſitum eſſe diximus; *3. Reme-dium.* cum ſc. publica erunt vectigalia, præclare docet, quemadmodum occurri debeat. Atque adeo toti huic, de ſportulis & tenuitate plebis largitionibus ac vectigalibus ac collationibus priuatis, negotio aut tractationi aut diſputationi ſalutare & commune affert conſilium hic. Suadet enim ſapientem huius Reipublicæ rectorem ac Politicum Democratiæ ſtudioſum id inprimis curare debere, vt ne plebs nimium egeat, ſiue vt ſingulorum etiam de plebe copiæ ſint mediocres ac diuturnæ ſiue ſtabiles: propterea quod omnium illorum malorum, vt calumniarum, iniuſtorum & improborum iudiciorum, frequentium multarumque concionum, publicationū bonorum, & collationum, aliorumq; onerum diuitibus ſeu ditioribus imponendorum, breuiter vitioſæ Democratiæ cauſa ſit egeſtas. *Paupertas ciuium q noxia ſit ciuitatib.* Quæ quam ſit Reipub. pernitioſa, & ad motus ac ſeditiones concitandas opportuna; dictum eſt & *ſupra lib. 2. cap. 4.* vbi & *Platonis* locum pulcherrimum ad eandem rem ex *lib. 4. de Republ.* adduximus. Quibus conſentit & *Sil. Poet. lib. 13.*

Et deforme malum ac ſcelerı procliuis egeſtas.

Hæc igitur huic vniuerſo malo, quo diximus maxime De-

mocratiam corrumpi, medicina ea eſt, vt quantum fieri poſſit, egeſtas de ciuitate pellatur. Id autem quemadmodum præſtari & obtineri commode poſſit, rationes & conſilia quædam adiungit, de quibus mox explicabitur. Ita mihi hic locus perſpicue & ordine videtur explicandus, qui ſatis difficilis eſt & perobſcurus.

Ἐπεὶ δ' αἱ τελευταῖαι.] Id ſæpe dictum eſt, veteres Reſpublicas ac Democratias infrequentiores, vltimas & recentiores fuiſſe frequentiores ac celebriores, *ſup. li.4.c.6 & l.5.c.5.* *Democratia veteres & recentes.*

Καὶ δικαστήρια.] Plærique, vt & nos, vertunt: Iudicia de multis quidem rebus, ſed paucorum dierum. Quorum hæc videtur eſſe ſententia: Paucis diebus multa iudicia fieri debere, ſiue paucorum dierum iudiciis multa expediri, multas controuerſias dirimi debere.

Ἐὰν οἱ μὲν εὔποροι.] Hæc verba vſque ad verbum, φέρει δ', &c. verendum eſt, ne ſint ſpuria. Tum quia eorum ſententia toti orationi ac diſputationi non ſatis conueniat, vt mox indicabitur: tum quia iis ſublatis totius curſus orationis Ariſtotelicæ longe ſit planior ac facilior. Id enim velle videtur Ariſtoteles; ex rarioribus concionibus, & ex breuioribus iudiciis hæc effici & conſequi commoda. Ex priore quidem, quod ditiores magnis ſumptibus faciendis in ſportulis non onerabuntur. Quo enim rariores ac pauciores erunt conciones, eo & paucioribus opus erit ſportulis. Ex altero vero, vt iudicia & ſanctius & ſapientius exerceantur, adınixtis videlicet plebi viris ſapientia ac dignitate præſtantibus. Siue breuius & ad verba ipſa accommodatius ac propius: Hoc enim, inquit, id eſt, ſi rariores ſint conciones, efficit, vt ditiores non metuant magnitudinem ſumptuum. Hoc igitur, id eſt, vt dixi, raritas concionum, non hoc, id eſt, vt hic adiungitur, ſi ditiores non accipiant ſportulam, ſed tenuiores; de quo nihil plane dictum fuerat. Quanquam & hoc verum eſt, ſportulas minores fore non tantum, ſi & conciones ſint rariores, & iudicia breuiora; ſed etiam, ſi non omnibus iudicibus, ſed paucis tantum, id eſt, tenuioribus dentur, ſiue præbeantur. Quare etſi verum quoque eſt, quod his verbis exprimitur: quia tamen de concionibus tantum & iudiciis actum fuit, non videntur hæc verba ſatis huic loco conuenire. *Commodũ concionum rariorum.* *Commodũ iudiciorum rariorum.* *Sportulæ minores ſi dentur tenuioribus tantum.*

Τὰ γὰρ περιόντα νέμουσι.] Et hæc in paucis obſcura ſunt. Videtur tamen hæc eſſe ſententia, quam & interpretes alii, qui *Demagogorum intempeſtiua per-*

uerſaq; liberalitas: imo vere ſacrilegium, vti appellat Plutarch. quicquid hoc modo expilari ſolet de publico. præcept. polit. pag. 1466. περιβολὴ.

de Græco verterunt, expreſſerunt; Tribunos plebis ſiue Demagogos vectigalia publica largitionibus profundere ſolitos, nec ſatis ſapienter adminiſtrare ſiue diſpenſare. Nam partim ea in ſportulas conuertiſſe, partim quod reliquum erat, & largitionibus, & epulis, & viſcerationibus conſumere ſolitos, & partim in ſuum quoque vſum conuertiſſe, ac depeculatos. Quam rationem ſiue modum, ſi ratio dici debet diſpenſandæ pecuniæ publicæ, Ariſtoteles dolio pertuſo comparat. Iis enim largitionibus plebem expleri non poſſe, non magis atque pertuſum dolium. Nam (vt dici ſolet) male parta male dilabuntur, & maxime male collocata. Quare & pulchre *Xenophon in libr. de tuenda re familiari, qui eſt liber quintus τῶν ἀπομνημονευμάτων* (ſunt alias tantum quatuor, ſed hic quoque his annumeratur, vt ſint quinque. Hunc Cicero adoleſcens conuertit.) monet, boni patriſfamil. eſſe, non tantum parare diuitias, ſed etiam tueri & conſeruare. Alioqui, inquit, perinde facit, atque ſi cribro aquam hauriat, aut in dolium pertuſum vina diffundat.

TEXTVS.

Curandum eſt igitur, vt diuturnæ ſint copiæ. Et quia diuitibus quoque id conducit; ea, quæ ex vectigalibus redeunt, colligere (cogere) & vniuerſa egentibus diuidere oportet: maxime quidẽ, ſi tantum quis colligere poſſit, quantum ſit ſatis ad agelli comparationem: ſin minus, quod ſit ſatis ad mercaturæ aut agriculturæ occaſionem. Atque ſi non poſſit omnibus, ſaltem vt tributim, aut per aliam ciuitatis partem viciſſim fiat diuiſio. Interea autem ad conuentus neceſſarios locupletes oportet mercedem conferre, inanibus muneribus liberandos. Et tali fere modo vtentes Carthaginienſes populo vtuntur amico. Semper enim aliquot de plebe ad vrbes circumiectas dimittunt, eoſque locupletant. Principum autem peritorum & ſapientium hoc eſt, tenuiores inter ſe diſtribuere, iiſque operi faciundo occaſionem dare, & eo excitare.

Bonum

Bonum quoque eſt, Tarentinorum inſtituta imitari. illi namque poſſeſſiones cum tenuioribus communes, quo ad vſum, faciendo, populum ſibi beneuolum reddunt. Prętcrea magiſtratus omnes fecerunt duplices, vt alii quidem ſuffragio, alii vero ſorte mandentur: ſorte quidem, vt populus eorum ſit particeps: ſuffragio vero, vt Reſp. melius adminiſtretur. Hoc autem & in eodem magiſtratu facere licet, ita diuidendo, vt his quidem ſorte, illis vero ſuffragio ille mandetur. De Democratiis igitur, quemadmodum conſtituendæ ſint, explicatum eſt.

COMMENTARII.

Τεχναστέον οὖν, ὅπως.] Dictum eſt modo, omnis mali cauſam in Democratiis eſſę paupertatem ſiue egeſtatem plebis, idque viro politico, & Democratiæ vere ſtudioſo, ſiue vere populari, maxime curæ eſſe debere, vt ea vel tollatur vel minuatur. Id igitur quemadmodum fieri poſſit, h. l. iam docet Ariſt. vbi quatuor fere modos ſiue rationes plebis collocupletandæ affert. Et primo quidem hunc modum exponit, vt vectigalia omnia plebi diuidantur, egentibus nimirum de plebe. Ex qua diuiſione hoc ſequetur commodi, quod eodem tempore ſinguli egentes, multum conſecuti pecuniæ, prędiolum ſiue agellum aliquem vel comparare proprium ipſi poſſunt, vel ſaltem conducere ad colendũ, vel ẽt merces aliquas coemere ad mercaturã exercendã. Verũ quia difficile ſæpe factu erit, vt in magna Democratia, maxime ſi vectigalia non ſint ita magna, tenuioribus tantum cuique tribui poſſit, vnde vel agrum vel merces comparare queat: ſuadet Ariſtoteles, ſi non ſingulis, omnibus tantum diuidi poſſit, vt tum tributim ſiue curiatim ea vectigalium publicorum diuiſio fiat; vt (inquam) in ſingulas tribus vel curias, vel ſimiles vrbis & ciuitatis partes ac membra (Romæ erant tantum Tribus & Curiæ. Athenis erant & Tribus & Curiæ, φρατρίαι καὶ δῆμοι) publica pecunia diuidatur. Sed enim, dicet aliquis; vnde ergo ſuppetet pecunia ad ſportulas concionales & iudiciales, vnde ad grauiores Rei-

Boni politici eſt curare, ne plebs ſit egena.

1. Modus collocupletandæ plebis.

Ratio.

1.

2.

3.

In magna nimis ciuitate quid faciẽdum.

Obiectio.

Reipublicæ vſus belli & pacis eſt, ſi omnis pecunia publica in
Solutio. his diuiſionibus conſumatur? Ea quidem difficultas, ſi noſtra ſpectentur tempora, ſit inexplicabilis: ſi Græcorum inſtituta, erit perfacilis ad explicandum. Nam ea onera moribus Græcorum ditiores ſuſtinebant, vt *ſupra* eſt explicatum
1. Cautio. *lib.5.cap.8.in fin.* quæ onera ne ditioribus ſint nimia, & vt ditiores ad ſportulas conferendas ſint faciliores; iubet Ariſtot. liberari eos muneribus quibuſdam ſumptuoſis illis quidem, ſed minus Reipublicæ neceſſariis aut vtilibus, vt erat χορηγία, λαμπαδαρχία, aliaque id genus popularia munera: de quibus *eo cap. lib. 5.* explicauimus: vbi idem iubet Ariſtoteles,
2. Cautio. quod hoc l. vt ea munera prohibeantur. Eo autem facilius quoque erit ditioribus, pecuniam ad has ſportulas præbere, quo conciones erunt rariores & iudicia breuiora, vt iam *ſupr.* explicatum eſt. Hoc eſt, quod ait: πρὸς τὰς ἀναγκαίας συνόδους, &c. vt paucæ eæque neceſſariæ habeantur conciones &
Quomodo vectigalia ſint diſtribuēda pauperibus. conuentus, quibus ſportulæ præbeantur. Cæterum quod ſuadet Ariſtoteles, vectigalia publica tenuioribus eſſe elargienda & diuidenda: ita intelligendum puto, vt tantum iis detur, quantum Reipublicæ vſibus ſuperſit; ita tamen detur, non, vt Demagogi ſolent, particulatim & in ſingulos ciues pauci numi, ſed maior aliqua ſumma non omnibus ciuibus,
Ditiorum hac in re vſus. ſed egentibus & tenuioribus diuidatur, vt *ſupra* dictum. Vt autem plus eo conferri ac ſumi poſſit ex vectigalibus publicis, adiuuabunt ditiores, onera illa publica, & ſumptus Reipublicæ neceſſarios, vt in muris ac viis reficiendis, in triremibus & exercitu comparando, &c. ſuſtinentes.

2. Modus plebis collocupletandæ. Τοιοῦτον δέ τινα τρόπον.] Aliam adfert rationem collocupletandæ plebis. Ea eſt autem, ſi pars aliqua plebis ſiue populi, eaque tenuior, in colonias mittatur, vbi domibus & agris donati locupletentur. Qua ratione plurimum Romanos v-
1. Exempl. ſos eſſe conſtat, qui propter imperii latitudinem in omnem
2. Exempl. fere orbem terrarum colonias deduxerunt. Ait autem hic Ariſtoteles, eadem & Carthaginenſes eſſe vſos, vt & *ſupra* dictum fuit *lib.2. cap. 9. in fin.* vbi & hoc Carthaginenſium in-
3. Exempl. ſtitutum laudat, vt hoc loco. Athenienſes quoque hoc facti-
Vera huius loci ſententia. tare ſolitos indicat *Libanius in argum.8. Philip. Demoſth.* Verum haud ſcio, an hoc inſtitutum Carthaginenſium, ex quo hanc alteram plebis collocupletandæ rationem elicit Ariſtoteles, aliud fuerit, ac diuerſum à deductione coloniarum, ſimile

mile tamen. Nam videntur illi, quia & ipſi late imperarent, tenuiores ex vrbe Carthagine in alias vrbes finitimas ſui imperii mittere ſoliti, iiſque agros & prædia iis in locis dediſſe. Qua ratione hoc aſſequebantur, vt plebe vterentur amica, quam habuiſſent alioqui inimiciſſimam ac infeſtiſſimam, niſi tali velut bono obiecto eam placaſſent. Erat enim Carthagine Oligarchia ſiue Ariſtocratia, vbi ad honores & imperia plebi non patuit aditus. Dictum eſt autem ſæpe, plebem facilius ferre, ſe honoribus & imperiis excludi ac priuari, ſi modo in quæſtu & rebus ad vitam neceſſariis adiuuetur, aut non impediatur.

χαριέντων δ' ἐστιν.] Alia hæc eſt ratio, qua tenuioribus ſuccurratur, quam licet vocare operis præbitionem. Ea eſt autem, ſi ditiores, eos, qui ſunt de plebe tenuiores, velut inter ſe partiantur, & ſuis quiſque ſibi attributis vel quaſi adoptatis patronum ſe præbeat, & opus ſuppeditet, vnde victum exercere, & pecuniolam conficere poſſint. Id quod ditioribus factu non erit difficile, qui cum ad domos, tum ad ſupellectilem, ad veſtes, ad agros colendos, villas reficiendas, aut extruendas operis habeant opus. Ea ratione principes Romani, Lucullus, Cæſar, alii magnis domibus extruendis, aut operibus memorabilibus efficiendis ſæpe ſunt vſi. Neque vero ſinguli tantum & principes viri hac ratione vti ſolent: ſed ſæpenumero ipſa quoque Reſpublica, vt, annona cariore, aut vallum, aut murum, aut foſſas curet fieri aut refici, eo tamen conſilio, vt tenuiores operis aliquid habeant ad victum exercendum. Hoc factum & in hac vrbe. *3. Modus.* *Exempla.*

Καλῶς δ' ἔχει.] Aliam rationem affert Ariſtoteles, à Tarentinis ſumptam, collocupletandæ plebis ac tenuiorum. Scribit enim hoc loco Ariſtoteles, id quod non temere alibi reperias: Tarentinos ſolitos poſſeſſiones & res ſuas cum tenuioribus communicare, ſiue potius communes illis facere, quo ad vſum, non quo ad proprietatem. Quod idem de Cimone principe Reipublicæ Athenienſ. ſcribunt veteres. *Cic. lib. 2. Offic. Plutarch. in eius vita*, ſolitum eum hortorum ſuorum maceriem diruere, omnibuſque fructuum colligendorum aut decerpendorum aditum ac poteſtatem facere. (*Cor. Nepos in vita Cimonis.*) eaque liberalitate magnam ſibi gratiam populi collegiſſe. Quæ rerum, quoad vſum, communio etiam Lycurgo in Republ. Lacedæmonia probata fuit, non *4. Modus.* *1. Exempl.* *2. Exempl.* *3. Exempl.*

quo ad

quo ad proprietatem, quæ placuit *Platoni*. Ariſtoteles Laconicam probat. Qua de re explicatum *ſup. lib. 2. c. 3. ibi*, *οἷον ὡς ἐν Λακεδαίμονι*, &c.

Εὔνουν παρασκευάζουσι.] Quod hic de Tarentinorum inſtituto quaſi ſeparatim ac ſingulatim ait, illos ea rerum, quo ad vſum, communione multitudinē ſibi conciliaſſe, & amicam reddidiſſe: idem & reliquis his locupletandæ multitudinis rationibus accommodari poteſt. Nam quæ rationes ſeruiunt locupletandæ multitudini, eædem & vtiles ſunt ei conciliandæ: vt ipſe nominatim de priore ratione à Carthaginenſibus ſumpta, ait *ſup. l. 2. c. 9. in fin.*

5. Modus. *Ἔτι δὲ τὰς ἀρχὰς πάσας.*] Aliud hic Tarentinorum inſtitutum commemorat placandæ & conciliandæ potius, quam ditandæ multitudini accommodatum. Ait enim, hanc apud eos magiſtratuum fuiſſe rationem, vt alii ſuffragiis, alii ſorte deſignarentur. Quod idem inſtitutum & Athenis fuit aliquando, grauiores vt magiſtratus eſſent *αἱρετοὶ*, minores *κληρωτοί*. Romæ omnes erant *αἱρετοὶ*, ſiue ſuffragiis mandabantur, partim in comitiis centuriatis, partim in tributis. Huius autem inſtituti conſilium & vtilitas quoque præ-

Ratio. clara hic exponitur. Nam ſors placandæ multitudini accommodata eſt: ſuffragium facit, vt Reſpublica melius adminiſtretur, inquit, id eſt, ſors facit, vt quidam magiſtratus etiam in multitudinem cadant: & proinde ea, non planè honorum expers, facilius acquieſcit, & ſtatum Reipublicæ ſaluum eſſe cupit. Suffragiis autem (vbi non fortuna dominatur, ſed virtutis, dignitatis, doctrinæ habetur ratio) efficitur, vt magiſtratus melioribus mandentur viris bonis, generoſis, doctis, ditioribus; breuiter, optimatibus. Et hinc eſt, quod in mera Democratia omnes magiſtratus ſint *κληρωτοὶ*, in Ariſtocratia ſint *αἱρετοὶ*, vt ſæpe dictum *ſupr. maxime lib. 4. cap. penult.*

6. Modus. *Ἔστι δὲ τοῦτο ποιοῦσι.*] Ariſtoteles huic Tarentinorum inſtituto de hac magiſtratuum varietate velut *ἐπίμετρον* adiungit, ſiue acceſſionem quandam & correctiunculā. Ait enim, poſſe & hoc inſtitui, vt vnus idemque magiſtratus alii ſorte, alii ſuffragio mandetur; Verbi gratia, vt ex Theſmothetis, quos conſtat, ſex fuiſſe Athenis (erat ſummus magiſtratus; *Pollux lib. 8.*) tres ſorte, & totidem ſuffragio deſignentur. Et Romæ ex decem Trib. pleb. alii ſortito, alii ſuffragiis crearentur,

creentur. Qua ratione Ariſtotelica quia valde permiſcentur magiſtratus, & communicantur omnes cum ordinibus Reipublicæ duobus, optimatibus ac multitudine: efficietur optime, vt & inter ordines ſumma ſit beneuolentia ac conſenſio, & Reſpubl. pulcherrime adminiſtretur. (Tenuiores cedunt plærunq; doctioribus, niſi impudentes ſunt valde.)

CAPVT VI.

POSTQVAM de Democratiis, maxime de vltima ac deterrima, quemadmodum ea commodiſſime ad ſtabilitatem inſtitutis temperari ac deſcribi debeat, his duobus prioribus capitibus (quod vnicum potius eſſe deberet, vt *ſup.* monuimus) explicauit: hoc capite iam de Oligarchiis, quemadmodum & illæ quam optime inſtitui poſſint, adiungit. Nam de his duobus tantum Reip. generibus conſilium eſt ei explicare: cauſam *ſup.* attulimus *initio h. lib.* Eſt autem in hac explicatione de Oligarchiis longe breuior, quam in priore. Cuius rei cauſam ipſe affert *initio h.c.* hanc nimirum, quod contrariorum eadem ſit diſciplina & cognitio: ſiue cognito vno contrariorũ, cognoſcatur & alterum. Notum eſt autem, hæc duo Reip. genera inter ſe eſſe contraria; quorum in vno multi ac tenuiores, in altero pauci ac ditiores dominentur. Hoc igitur cap. 6. & proximo, quod & ipſum ab hoc male ſectum eſt, de Oligarchia breuiter explicabit. Cæterũ de Oligarchiis & earum generibus & cauſis perdendarum ac conſeruandarum copioſe explicatum eſt *ſup. l. 4. c. 5. & l. 5. c. 6. & 8.*

De Oligarchiis.

Cur hic breuior ſit Ariſtot.

TEXTVS.

De Oligarchiis autem, quemadmodum inſtitui debeant, ex his quoq; fere intelligitur. Ex contrariis enim colligere oportet, vnaquaq; Oligarchia cum Democratia contraria cõparata. Ea quidem, quæ Oligarchiarũ maxime eſt temperata & prima. Eſt autem ea, quæ politiæ, quam vocant, eſt finitima, in qua cenſus ita diuidendi ſunt, vt alii quidem ſint minores, alii maiores. Minores quidẽ, ex quib. neceſſarii magiſtratus mandent; maiores, ex q̃bus

ſummi.

ſummi. In qua quoq; cenſum conſequenti aditus ad Rempublicam patere debeat, eo quidem numero multitudine per cenſum aſciſcenda, vt cum eo, qui præſunt, plus poſſint iis, quibus non patet aditus ad Rempublicam. Aſciſcendi ſunt autem ſocii Reipublicæ ex meliore populi parte. Ad eundem modum & proxima Oligarchia paulum intendendo eſt inſtituenda. Ea autem, quæ vltimæ Democratiæ contraria eſt, & ex Democratiis dynaſtiæ & tyrannidi ſimilima, vt nequiſſima eſt, ita maiorem curam & cautionem deſiderat. Vt enim corpora bene conſtituta, & naues ad curſum nautis bene inſtructæ plura incommoda ſiue peccata citra interitum vel læſionem ex ſe recipiunt: morboſa vero corpora, & naues fatiſcentes, maliſque inſtructæ nautis, ne parua quidem incommoda ferre poſſent: ita & peſſima quæque Reſpublica plurimam cautionem deſiderat. Omnino igitur Democratiam frequentia ſiue multitudo ciuium conſeruat. Id enim ei tribuere, quod eſt ex dignitate, reſpondet: Oligarchiæ vero ſalutem contra ex bono ordine ſiue ordinis deſcriptione petendam eſſe perſpicuum eſt.

COMMENTARII.

Σχεδὸν δὲ καὶ περὶ.] Ariſtoteles vt alias, ita & hoc loco inſtitutum ſuum tenet, hoc eſt, vt, qua poſſit breuitate, omnia complectatur. Quare cum contrariorum eadem ſit diſciplina & ratio, & hæ duæ Reſpublicæ, Democratia & Oligarchia inter ſe ſint contrariæ; explicata vna, ſuperuacaneum putauit de altera, id eſt, Oligarchia, longiore vti explicatione. Quod idem monuit initio huius libri his verbis; ἐ πρότερον, &c. Priori quidem loco, inquit, de Democratia explicemus. Ita enim & de Republ. ei contraria facile intelligetur, quæ eſt Oligarchia. Eodem argumento breuitatis à contrariis & alias

vti

vti ſolet; vt *ſupr. lib.5. cap.8. in princ. & cap.11.* Adiungit tamen rationem & viam, qua hæc Rerumpublicarum inter ſe contrariarum comparatio commodiſſime fieri poſſit. Non enim vnum eſt duntaxat vel Democratiæ vel Oligarchiæ genus, ſed complura, & vtriuſque fere quatuor. Id quod diligenter explicatum eſt *ſup. lib.4 cap.4. & 5.* Ratio igitur comparationis hæc eſt, vt cum ex iis & Democratiæ & Oligarchiæ compluribus generibus alia aliis ſint & meliora & contra nequiora: ita faciundum monet, vt optima quæque ſpecies Oligarchiæ, optimæ Democratiæ comparetur. Deinde, quæ optimæ proxima, & quæ deinceps omnium ſit nequiſſima Oligarchiarum, deterrimæ ac vltimæ Democratiæ accommodetur ac reſpondeat. *Ratio comparandarũ inter ſe Democratiarum & Oligarchiarũ.*

Τὴν μὲν εὔκρατον.] De prima optimaque Oligarchia (quam vocat εὔκρατον; vt huic contrariam, id eſt, nequiſſimam Oligarchiam ἄκρατον, *ſup. lib. 4. cap. 11.*) primo loco; quemadmodum inſtitui ac deſcribi debeat, explicatur: id quod ſumendum eſt ex ea Democratia, quæ & ipſa eſt prima, omniumque ex eo genere optima: de qua Democratia dictum fuit *ſup. cap. 4. initio huius lib.* Nam; vt *eo in loco* monuit ac docuit Ariſtotel. imperia & magiſtratus ita eſſe mandandos, vt cenſus aliqua ratio ſemper habeatur, & maiores quidem magiſtratus iis, qui maiorem, minores vero iis, qui minorem cenſum habebunt, mandentur. Ita & hoc l. in hac Oligarchia rationem mandandorum magiſtratuum temperandam monet. Et hoc quidem omnium proprium Oligarchiarum, vt in iis non tam libertatis aut virtutis, quam diuitiarum aut cenſus ratio habeatur; vt explicatum eſt *ſup. li. 4.* Sed in aliis Oligarchiis alia atque alia cenſus eſt ratio. In optima enim non ſemper maximus cenſus requiritur, vt in nequiſſima ac deterrima. Quare in optima eandem, quæ iam de Democratia eſt expoſita, rationem Reipublicæ ac magiſtratuum tenendam docet, cenſus vt diſtinctio aliqua fiat, alius vt ſit maior, alius minor, & pro hoc diſcrimine magiſtratus, quos item conſtat eſſe partim maiores (Ariſtoteles vocat κυρίας & κυριωτέρας) in quibus ſumma Reipublicæ eſt poſiſita, partim minores; quos hic vocat ἀναγκαίους (ſolet ſcilicet Ariſtoteles viliora ac tenuiora vocare ἀναγκαῖα, minus honeſta, eaque opponere, vt contraria, liberalibus ac honeſtis, vt *ſupra lib. 1. cap. 7. πάντα δὲ τὰ τοιαῦτα,* &c. *& Metaph. α. c. 2. in fin.*) *1. Genus Oligarchiæ, quomodo ꝗ optime deſcribatur & inſtituatur. 1. Inſtitutũ.*

Ratio & vtilitas. *in fin.*) iis, qui minorem cenſum habebunt, mandentur. Cuius deſcriptionis ac diſtributionis hæc eſt ratio & vtilitas: cum, vt perſpicuum fiat, maiorem cenſus quam aliarũ rerum haberi rationem, quod Oligarchiæ eſt proprium. Nam & *ſup. l. 5. c. 8. in fi.* monuit, eſſe vtile Oligarchiis, quædam cum tenuioribus communicari, dummodo ἀρχαὶ κυρίαι τῆς πολιτείας penes ditiores remaneant: tum, vt melius Reſpublica adminiſtretur; quod quidem tum fieri docuit (*ſupr. ca. 4.* vbi & nos explicauimus ad ea verba, ἀνάγκη δὲ πολυδυνάμους, &c.) ſi & ſumma Reipublicæ ſit penes eos, qui cenſu ac dignitate præſtant, & optimatum loco habentur; & ſi plebi quoq; conſulatur, ea vel in operis & opificiis ſuis non perturbanda, vel ſi qui de plebe (vt fit) ambitione & honore aliquo ducantur, aditu etiam ad Rempublicam & honores ſaltem leuiores ei permittendo. Hoc igitur vnum eſt ſapiens inſtitutum ſiue conſilium optimæ Oligarchiæ accommodatum, perſimile ei, quod in optima Democratia explicatum diximus, *2. Inſtitutũ.* vtpote cui hæc reſpondet. Alterum hic exponit, quo monet Ariſtoteles, ei, qui cenſum hunc conſecutus fuerit, ad Rempublicam & honores aditum patere debere. Nam priore inſtituto id cautum fuit, vt in prima huius Reipublicæ deſcriptione ſiue inſtitutione iis tantum, qui eo iam tempore cenſum ita definitum habuerint, ad Rempublicam pateat aditus. Hoc altero id cauetur, vt etiam in poſterũ, qui ad cenſum primo definitum peruenerint, ad honores & Remp. adminiſtrandam aditum habere poſſint, quod idem inſtitutum etiam in Democratia ſeruandum docuit *ſup. l. 4. c. 4. his verb.* δεῖ δὲ τὸ, &c. De Oligarchia autem, eaque optima, idem inſtitutum in ea tenendum eſſe monuit *ſup. l. 4. c. 5. initio & ca. 6.* *Cõuerſum.* *& ca. 14. his verbis,* ὅταν μὲν ἀπὸ τιμημάτων, &c. Contra quoque monet *eo cap. 4. lib. 4* eos, qui, licet ante ditiores, poſtea lapſi ſint facultatibus, vt cenſum Reipublicæ explere nequeant, à Republica & honoribus eſſe remouendos. Quia autem hoc altero inſtituto fit, vt de plebe multi paulatim (ſæpe enim & hi paulatim diteſcunt) ad honores & Rempublicam perueniant: ne inde confuſio quædam ſequatur, & tandem interitus Reipubl. hoc eſt, vt Oligarchia in popularem Remp. conuertatur, duas adiungit Ariſtoteles præclaras cautiones, in receptione (vt ita dicam) plebeiorum ac tenuiorum tenendas. *1. Cautio.* Quarum prior hæc eſt, vt ne plures recipiantur,

tur, quam qui cum aliis coniuncti nihilominus ſemper plus poſſint vniuerſi aliis, quibus necdum ad Remp. pateat aditus. Cuius cautionis ratio petenda eſt ex principio politico valde *Ratio.* inſigni, & ſæpenumero ab Ariſtot. commemorato: de quo & nos *ſup.* explicauimus *lib. 5. cap. 9.* vbi maximum & ſummum στοιχεῖον ſiue principium dicit, in omni Republica dandam eſſe operam, vt is ordo ſiue ea pars ciuium, quæ Rempublicam ſaluam velit, ſit κρείττων, ſiue plus poſſit altera, eaque, quæ iubet. Altera cautio & prouiſio, quæ exponitur his *2. Cautio.* verbis; ἀεὶ δὲ δεῖ παραλαμβάνειν, &c. eſt hæc, vt qui ex plebe ad Reipublicæ ſocietatem recipientur, ſint melioris notæ, non ſint tabernarii & ſellularii, & de fece plebis: ſed ii, qui inter eos erunt honeſtiores ac meliores. Cuius cautionis perſpicua eſt ratio. Cæterum quod hic de recipiendis *Ordinum* plebeis, & ad optimatum ordinem producendis dicitur, *Reip. con-* qua ratione fit quædam ordinum permixtio ac temperatio: *tēperatio.* id tanquam laudabile inſtitutum & Reipublicæ ſalutare expoſitum eſt & *ſup. l. 5. c. 7* Et hanc rationem Romanos tenuiſ- *Exemplū.* ſe conſtat ex eo, quod etſi Romæ certæ tantum erant gentes patriciæ; interdum tamen ex plebeis quidam in ordinem patriciorum allegebantur, & plebeiæ familiæ ſiue gentes lege lata fiebant patriciæ, vt ipſa gens Tullia, vnde fuit Cicero, plebeia, lege Iulia facta eſt patricia, *teſte Dione.* Sic & ante Brutus ex plebeis aliquot fecit patricias gentes, & poſtea Octauianus Auguſt. [Lege Sæuia Brutus, lege Iulia Liuius & Dio.]

Ὁμοίως δὲ καὶ τὴν ἐχομένην.] Nunc de altero ſiue ſecundo O- *2. Genus* ligarchiæ genere, quæ optimæ & primæ eſt proxima, quem- *Olig.* admodum ea optime inſtitui ac temperari debeat, ratio ac via hic indicatur potius & attingitur, quam explicatur. Ratio autem hæc eſt, vt paulum intendatur, h.e. vt paucorum poteſtas acrior & maior fiat, & cenſus quoq; maior. Vt enim acerrima ſiue ſumma & cōtentiſſima eſt ea Oligarchia, in qua & maximi cenſus habetur ratio, & nulla legū ac iuris, ſed omnino paucorū ſit poteſtas ac imperiū, & ſumma deniq; Reip. ſit penes perpaucos; quæ Oligarchia omnium eſt eſt nequiſs. ac tyrannidi proxima, de qua mox: ita maxime remiſſa eſt ea Oligarchia, quā primā eſſe diximus omniū optimam, vt in qua non ita magna cenſus habeatur ratio, & non ita pauci dominentur. Huic igitur maxime remiſſæ oligarchię qui pximam

inſtituere volet, neceſſe erit, vt contentio aliqua adhibeatur, id eſt, vt iam dixi, vt & maior cenſus definiatur, & pauciores ſint, qui Reipublicæ præerunt: de quo genere dictum eſt & *ſup. lib. 4. cap. 6. eo loco; ἕτερον δ' εἶδος, &c.*

3. Genus Olig.

Τὴν δ' ἀντικειμένην.] Prætermiſit Ariſtotel. tertium Oligarchię genus. Nam cum ſint numero quatuor, vt alias eſt explicatum: tria tantum hic commemorantur: prima Oligarchia, eique proxima, & vltima ſiue nequiſſima: tertio genere, id eſt, ea, quæ nequiſſimæ eſt proxima, prætermiſſo. Credo, quod eius ratio deſcribendæ ac temperādæ ex reliquis facile intelligatur. Nam vt de ſecundo genere dictum eſt, intendi & cenſum & paucorum poteſtatem debere, ſi primam ſiue maxime remotiſſimā Oligarchiam ſpectes: ita & in tertio genere, ſi ſecundum ſpectes, maior adhibenda erit contentio, id eſt, vt & maior ſit cenſus, & minor eorum, qui præerunt, multitudo, & maior deniq; eorum poteſtas & imperiū, legū ac iuris perexigua. Hoc igitur loco Ariſt. de vltimo Oligarchiæ genere adiungit. Ea autem quemadmodum optime inſtitui & deſcribi poſſit, indicat quoq; potius quā explicat Ariſt. ꝓpterea quod eius deſcriptio ac temperatio ex iis, quæ *ſupr.* ſunt explicata, facile peti poſſit. Cum enim contrariorum eadem ſit diſciplina & ratio, & hæ duæ Reſpub. vltima ac nequiſſima, tam Democratia, quam Oligarchia, plane inter ſe ſint contrariæ (in altera enim maximi cenſus, in altera nullius habetur ratio; & in hac omnes, in illa perpauci habent imperium) quarum de altera iam ſit explicatum, quemadmodum ſit deſcribenda, *toto fere cap. 4. & 5. huius libri*: non erit factu difficile & inde ſumere & intelligere, qua ratione altera quoque, id eſt, hæc nequiſſima Oligarchia, commodiſſime temperari queat: de qua tamen & alias dictum eſt *lib. 4. cap. 6. & lib. 5. cap. 9.*

Δυναστεία. Quæ in re tyrānis, democrat. & oligarchia, vltima conueniant.

Τὴν δὲ δυναστικωτάτην.] Vltima Oligarchia his duobus epithetis afficitur ab Ariſtotele, quod ea proprie δυναστεία dici ſoleat, & quod tyrannidi reſpondeat, ac ſit vltima. Sunt enim hæc tria Reipublicæ genera, tyrannis, vltima & Democratia & Oligarchia, plane inter ſe ἀνάλογα, in eoque conuenientia, quod omnia hominum, nihil legum arbitrio & poteſtate geratur; *ſup. lib. 4. cap. 5.*

In vlt. hoc & nequiſſ. Oligarchia

ὅσῳ περ χειρίστη.] Ait, in Oligarchia vltima & nequiſſima plus operæ & curæ Politicum ponere & conſumere debere, quā in aliis Oligarchiæ generibus. Eademque eſt ratio, cur in Demo-

Democratia vltima, quæ huic Oligarchiæ reſpondet, recte *genere plu-*
conſtituenda prolixior fuerit Ariſtotel. Nam deteriora maio- *rimum ope-*
re cura ac diligẽtia opus habere cõfirmat duplici ſimilitudine *ra ponen-*
pereleganter, tam à corporibus, quam à nauibus ſumpta. *dum.*
Corpora namque bene affecta beneque valentia nec à cibo, *1. Similitu-*
nec à potione, nec ab aere denique, aliaq; aduenticia, aut in- *do.*
teriore iniuria facile læduntur: ſed plagas eius generis & ma-
la potius repellunt aut ſuſtinent, nulloque interiore morbo
facile tentantur, aut laborare incipiunt. Contra vero male
affecta corpora & morbis obnoxia leuiſſimo momento
morbis tentantur, nullamque iniuriam vel minimam ſuſti-
nere poſſunt. Quod idem de nauibus dici poteſt: eas bene *2. Similitu-*
ornatas omni inſtrumento nautico, & nautis optimis inſtru- *do.*
ctas, alioqui per ſe quoque firmas, facile omnes & cœli &
fluctuum iniurias ſuſtinere, nec temere qualibet offenſiun-
cula vulnerari aut diſſolui. Contra, naues & per ſe hian-
tes & carioſas, maleque armatas & inſtructas tam ab inſtru-
mento nautico, quam à nautis & ſociis naualibus leuiſſi-
ma vel ad ſcopulum offenſione, vel occurſu, vel etiam cœ-
li aut fluctuum iniuria diſſolui. Ad eundem modum & de ἀπόδοσις.
Rebuſpublicis exiſtimandum, recte monet hic Ariſtoteles;
eas, quo ſunt meliores, eo eſſe firmiores, nec facile quolibet
vitio interire: quo ſint deteriores ac vitioſiores, eo ad o-
mnem offenſionem & vitium ferendum minus eſſe pares:
eaque propter illas minore, has maiore cura ac diligentia o-
pus habere. Vt enim docuit *ſupra* Ariſtoteles *libro quarto, capite 1.* Politici, bonique legum ſcriptoris eſt non tantum ea
Reipublicæ genera, quæ recta ſunt, ſed etiam ea, quæ ſunt
vitioſa ac deprauata, curare; & noſſe, quemadmodum v-
traque vel inſtitui debeant, vel emendari & conſeruari.

Τὰς μὲν οὖν δημοκρατίας.] Dictum eſt, vltimam & Demo-
cratiam & Oligarchiam, vt Reſpublicas omnium deterrimas
ac nequiſſimas, Politico ſummæ curæ eſſe debere. Videndum
eſt igitur, quæ Politicus in iis curare debeat. Et de Demo-
cratia quidem iam accuratiſſime eſt explicatum *prioribus duobus capitibus*. In Oligarchia vero quę ſint curanda & con-
ſideranda, ex Democraticis intelligi poteſt. Nam, vt dictum
eſt, contrariorum eadem eſt ratio ac diſciplina. Ariſtoteles
tamen non contentus hac nuda comparatione, adiungit hic
quædam, quæ maxime ad Oligarchiam recte inſtituendam

aut conſeruandam pertineant, ea (inquam) quæ proximo capite afferuntur, perperam (vt iam ante monui) ab hoc capite diſtincta aut diuiſa. His autem verbis affert quiddam, quod ad vtramque Rempublicam, id eſt, Democratiam & Oligarchiam, pertineat; conſilium vtrique valde ſalutare. Nam Democratię ciuium & hominum multitudinem, Oligarchiæ paucitatem & frequentiam vtilem ac ſalutarem eſſe: cuius præcepti & conſilii politici cauſa & ratio hic quoque affertur, his verbis; τοῦτο γὰρ ἀντίκειται, &c. cauſa (inquam) & ratio, cur imperia popularia ciuium multitudine maxime conſeruentur ac floreant, hæc eſt; quod ciuium multitudo ac frequentia iuri ac iuſtitiæ populari maxime conueniat & reſpondeat. Notum eſt enim, iuris & iuſticiæ duplicem eſſe rationem, duo ſumma eſſe genera, *ex lib. 5. Ethic. & iis, quæ ſupra ſæpe ſunt explicata initio lib. 5. &c.* Eſt enim aliud ius & iuſticia, quo numeri tantum, id eſt, capitum ac perſonarum habetur ratio: quo iure omnes liberi in ciuitate pares cenſentur. Quo recte quidem vtimur in contractibus, ſed populus etiam vtitur in Repub. Aliud ius & iuſtitia eſt, vbi non capitum, ſed dignitatis ac præſtantiæ habetur ratio. Ex eo autem intelligitur, in magna hominum ac ciuium multitudine ac frequentia, quia plærumque confuſio quædam naſci ſolet, non poſſe magnam dignitatis ac præſtantiæ, aut virtutis rationem haberi, ſed capitum potius ac multitudinis. Merito igitur & recte Ariſtoteles multitudinem ciuium, vt iuri & æquitati populari magis conuenientem, Democratiis ait eſſe ſalutarem. Vnde intelligitur, ciuium paucitatem Oligarchiis conuenire: confuſionem Democratiæ, ordinem ac deſcriptionem, ſiue ἀταξίαν Oligarchiæ magis eſſe accommodatam. Et hæc quidem huius conſilii eſt ratio. Exempla vero ſuppeditant & Græcorum & Romanorum Reſpublicæ. Nam & in Græcia & Romæ primis temporibus quia ciuitates eſſent paucæ & infrequentes, vtebantur fere Ariſtocratia & Oligarchia. Poſtquam vero & ciuitates maiores eſſe cœperunt & frequentes; non iam amplius optimatum, ſed popularibus imperiis regi cœperunt. Quod cum ex hiſtoriis veteribus perſpicuum eſt: tum ab ipſo iam Ariſtotele *ſupra* aliquoties iteratum *lib. 4. cap. 6. & libro 5. cap. 5.*

a Inſtitutũ.

Ratio.

Iuſtitia duplex: Arithmetica & Geometrica.

In democratiis cur primi generis habeatur ratio.

Ciuiũ paucitas Oligarchiis conuenit.

Exempla.

CAPVT VII.

MONVIMVS ſupra, hæc verba (ἐπεὶ δὲ τέτταρα μὲν) perperam diuerſo capite à priorib. diuelli: eſt enim eadem diſputatio, ac perpetua de Oligarchiis recte vel inſtituendis, vel conſeruandis. Et hoc loco præter ea, quæ modo ſunt expoſita, afferuntur alia quædam eodem pertinentia, hoc eſt, ad Oligarchias & conſtituendas & conſeruandas, vt de re militari, de plebeis melioribus ad Rempublicam aſciſcendis, de muneribus publicis, & ſumptibus in Rempublicam faciendis. Qua in re exponenda illud quoque continetur & indicatur, quibus in locis, & ciuitatibus, quæ Reipublicæ forma, & maxime oligarchica poſſit commode inſtitui.

TEXTVS.

Cum autem multitudinis quidem quatuor maxime ſint partes: agricolarum, opificum, tabernariorum & mercenariorum: quatuor vero ſint ad bellum vtiles: equitum, peditum, velitum & ſociorum naualium: eo quidem in loco, vbi regio eſt campeſtris ſiue apta equitatui, commode Oligarchia grauis inſtitui poterit. Incolarum namq; ſalus in his eſt copiis; equos autem alere eſt eorum, qui magna ſunt re familiari. Eo vero in loco, vbi eſt peditatus, proxima Oligarchia. Peditatus enim eſt diuitum potius, quam tenuiorum. Velitum autem & nautica turba plane popularis eſt. Ergo vbi talis multa eſt turba; exorta ſeditione, pauci ſiue diuites plærumque vincuntur. Quare huic rei medicina à peritis Imperatoribus eſt petenda, qui equitibus ac peditibus velites aptos admiſcēt. Nam hac velitum turba in ſeditionibus diuites ſuperant plebei. Qui cum ſint velites ſiue leuiter armati, facile inuadunt & equites & pedites. Itaq; hanc manum (velitum) ex his (plebeis) conſtituere, eſt in ſeipſos conſtituere. Verum cum ciuium multi-

tudo partim in ſeniores, partim in iuniores ſit diſtributa: faciundum id erit, vt ipſorum liberi adhuc adoleſcẽtes diſcant hæc leuia & expedita munera, & vt, poſtquam ex ephebis exceſſerint, ea ipſa munera ſubeant. Præterea vt plebi ad Rempublicam aperiatur aditus, vel, vt ſupra dictum eſt, ſi qui cenſi fuerint (ſi quis nactus fuerit cenſum publicum) vel, vt mos eſt Thebis, iis, qui aliquandiu à ſordidis artibus ſe abſtinuerint: vel, vt eſt in Maſſilia, dilectu faciundo idoneorum, tam eorum, qui Reipublicæ ſunt participes, quam qui ſunt expertes. Præterea, Magiſtratibus maioribus, quos Reipublicæ participes capere decet, munera publica incumbere debent, vt populus ſponte ſua Reipublicæ ſit expers, & concedat magiſtratibus, vt imperii magnam mercedem ſoluentibus. Conuenit autem, & cum ineunt magiſtratus, magnifica ſacra facere, & publicum aliquod opus extruere, vt populus, epularum particeps, & vrbem cernens ornari partim donariis & ſtatuis, partim operibus & ædificiis, cernat quoque libentius Rempublicã permanere. Vnde & principes ſumptuum monumenta conſequentur. Verum hodie qui Oligarchias tenent, non hoc, ſed omnia alia faciunt (plane contraria) quæſtum non minus, quam honorem ſectantur; vt eleganter dici poſſit, has (Oligarchias noſtri tẽporis) eſſe paruas democratias. Ad hunc igitur modũ explicatũ ſit, quemadmodum Democratiæ & Oligarchiæ inſtitui debeant.

COMMENTARII.

a Multitudinis Democratica genera.

a Ἐπεὶ δὲ τέτταρα.] Quod alias ſæpe dictum eſt, plebis ſiue multitudinis quatuor ſumma eſſe genera ac partes: agricolas, opifices, mercatores, ſiue tabernarios, & mercenarios,

ſupra

ſupra lib. 4. cap. 4. & hoc lib. cap. 4. id hic iteratur ab Ariſtotele, haud ſatis ſcio, quo conſilio. Nam alijs quidem locis de ijs ea de cauſa actum fuit, vt pro harum diſcrimine partium ipſa quoque Democratiarum genera internoſcantur. Hoc autem loco non tam de Democratijs quam Oligarchijs agit, ad quas ea multitudinis varietas non pertinet. Quia tamen docet, quæ regio & quæ multitudo Oligarchijs, & quæ (licet per conſequentias) etiam Democratijs ſit accommodatior: faciendum ſibi putauit, vt omnia multitudinis genera breuiter exponeret. Octo igitur non multitudinis tantum, ſed omnium ciuium genera facere videtur, ex quibus quatuor illa, plebis propria, ad tempora pacis pertineant; altera quatuor ad tempora & vſus belli. Quæ partim ad principes, partim ad plebeios pertineant. Et de his quidem quatuor ad bellum pertinentibus generibus maxime nunc agit. Nam pro horum diſcrimine nō tantum variare Reſpubl. has duas, id eſt, Oligarchiam diſtingui à Democratia, ſed ipſas quoq; Oligarchias, de quibus maxime nunc agitur, inter ſe variare ac diſſimiliter conſtitui poſſe; eoque amplius docet, ad Oligarchias vel recte inſtituendas vel conſeruandas in his quatuor partibus bene deſcribendis & ordinandis magnum eſſe poſitum momentum, vt *infra* videbitur. *4. Genera ciuium ad belli vſus pertinētia.*

Τέτταρα δὲ τὰ χρήσιμα.] Inſignis eſt hic locus, & velut nota tantum, de militum generibus, quæ ait eſſe quatuor. Nam cum bellum omne vel ſit terreſtre vel nauale: efficitur primum, milites alios ad illud, alios ad hoc eſſe neceſſarios. Plærumque enim, qui terra ſunt boni milites, ijdem ad militiam naualem non ſunt boni, & contra. Eorum deinde, qui in terreſtribus bellis merent, tria ſumma ſunt geneta: equites ac pedites; & horum alij grauioris armaturæ, quos Romani legionarios & ſimpliciter milites, Græci ὁπλίτας vocant; alij ſunt velites, ſiue ψιλοὶ, quorum plura erant genera, vt funditores, ſagittarij, &c. quorum de numero ſunt & acroboliſtæ, ſagittarij, & funditores Græcorum. *Ælian. libr. περὶ στρατηγικῶν τάξεων, cap. 2.* rem militarem & genera militum paulo aliter diuidit, ſed eodem tamen fere res recidit. Quod autem genus hic vocat ναυτικὸν, id *ſupra lib. 4. cap. 4.* vocat τριηρικὸν, quo militum genere olim abundabant Athenienſes, vt *eo loco* teſtatur, & *infra lib. 7. cap. 6.* *4. Genera militum.* *Legionarij Milites. ὁπλίται, velites, ψιλοὶ.*

Ὅπερ μὲν συμβέβηκε.] Doce tiam hoc loco vſum earum *Vſus 4. ge-*

 partium

nerum militum ad inſtituēdas oligarchias. partium militarium in Oligarchijs, de quibus hic agit Quod igitur ad primam partem attinet, quæ eſt equitum; docet, eam eſſe Oligarchiæ accommodatiſſimam, eiq; acerrimæ & grauiſſimæ, quam vocat ἰσχυρὰν, vt & alias in hoc opere loqui ſolet, vt *ſupra lib. 5 cap. 4* cui ex contrario ex altera parte reſpondet moderata ſiue modica, εὔκρατος. Cur autem equitatus Oligarchiæ ſit accommodatiſſimus, eique (vt diximus) grauiſſimæ ac deterrimæ; cauſam adiungit optimam, quod equos alere ſit eorum, qui magna patrimonia poſſident; ſiue quod, vbi magna eſt equitum & equos alentium multitudo, ijs quoque in locis vt multi ſint diuites, quorum eſt equos alere, neceſſe eſt. Et hoc quidem de equitatu, ſiue de equorum alendorum ſtudio, illud ad Oligarchias eſſe accommodatiſſimum, docuit & *ſupra lib. 4 cap 3.* vbi & cauſam, cur antiquioribus temporibus ciuitates vterentur Oligarchijs potius quam Democratijs, hanc eſſe ait; ꝙ ciuitatum opes ac potentia maxime in equis eſſet poſita.

Ratio.

οὐσία μακρά. Τῶν μακρῶν οὐσίας.] Quod latine magnum patrimonium, magna res familiaris, magnæ copiæ; id attice elegantiſſime dicitur μακρὰ οὐσία, vt latius explicatur *in Suida.* Sic & *ſupra* locutus eſt *lib. 4. cap. 4* & contra, quæ latine tenuis & pauca res familiaris, eadem græce βραχεῖα οὐσία dicitur: vt *ſupra li. 2. c. 5.* τῆς μὲν οὐσίας βραχείας, &c. Sic & magnum cenſum vocat τίμημα μακρὸν, *lib. 3. cap. 3.* ἀπὸ τιμημάτων, &c.

οὐσία βραχεῖα.

Grauioris armaturæ milites ad quam Oligarchiam ſint commodi. Ὅπου δ' ὁπλίτην.] Nunc de altera parte militari, quam peditum grauioris armaturæ, quos Græci ὁπλίτας vocant, docet hic Ariſtoteles, cui ea Reipub. generi conueniat. Et ait, Oligarchiæ, non ei quidem grauiſſimæ, ſed proximæ ſiue populo moderatiori conuenire; eſſe (inquam) & hanc partem potius oligarchicam, quam democraticam: propterea quod (vt ait) hæc quoque diuitum ſit potius quam tenuiorum. Quare quibus in locis magna horum, id eſt, peditum, erit multitudo aut copia, in ijs commodiſſime Oligarchiam, eamq; moderatiorem, inſtitui poſſe. Verum quod de equitatu dictum eſt, eum eſſe ditiorū proprium, perſpicuum eſt, ſed de peditatu obſcurius: nam ſi noſtra ſpectentur tempora, & hic paſſim ex tenuioribus conſtare ſolet. Quare intelligēdum eſt, grauem veterum peditum armaturam ſumptuoſam fuiſſe: vt & noſtra ætate pedes bene inſtructus non leui ſumptu inſtrui ſolet, maxime haſtati & ſariſſarij noſtri.

H' δὲ ψιλή.] De reliquis duabus partibus velitum & nauticorum ſiue ſociorum naualium, vtramq; hanc manum ait eſſe popularem ac Democratiæ accommodatam: propterea quod tenuiorum ſit propria. *Velites & claſſiarij Democratijs accommodi.*

Νῦν μὲν οὖν.] Quia toto hoc loco de Oligarchijs loquitur, conſilium hic affert præclarum Ariſtoteles de his duabus partibus tenuiorum, velitum & nauticorum: ne quid ea, ſi qua in ciuitate magna eorum fuerit multitudo, Oligarchiæ ſiue Reip. nocere poſſit, eamq; in Democratiam conuertere. Quod Athenis, vbi maxima fuit nauticorum multitudo, olim accidiſſe docuit *ſupra libr. 5. cap. 4. his verbis*: καὶ πάλιν, &c. Quam enim hæc multitudo Oligarchijs ſit perniculoſa ac perniciofa, ex eo facile intelligi docet Ariſtoteles, quod in motibus & ſeditionibus Reipub. cum partes Reipub. inter ſe committunt ditiores, vt equites & pedites grauis armaturæ cum tenuioribus & velitibus & nauticis: plærumq; fiat, vt illi victi, hi victores diſcedant. Cuius rei cauſam quoque indicat Ariſtoteles, his verbis; ψιλοὶ γὰρ ὄντες, &c. quod hi velites ac nautici leuiter armati & expediti agilitate & celeritate equites & pedites ſtatarios vndique aggredi & nocere poſſint. Huic igitur malo ſalutare conſilium hic affert Ariſtoteles. Id quod à ſapientibus & peritis belli ducibus & Imperatoribus petendum eſſe ait. Hos namq; aciem ita inſtruere ſolitos, vt equitum turmis, & legionibus peditum, velitum quoque tantum, quod ſit ſatis, & equitatui ac legionibus reſpondeat, perite admiſceant. Quæ ratio belli gerendi & aciei inſtruendæ notiſſima eſt, maxime veterum. Apud quos exercitus plærumque ex his tribus generibus militum, equitibus, peditibus, ac velitibus, conſtaret, & velites fere hoſtem laceſcendi & ad pugnam eliciendi præmitterentur. Non male & hic accommodari poteſt, quod *Cæſ.* ſcribit *in comment. bel. Gal.* ſolitos veteres Germanos ipſis quoq; equitibus pedites admiſcere & interponere. Quam rationem Germanicam ita probauit, vt ipſe ea ſemper poſtea ſit vſus, non ſolum contra Gallos & Germanos, ſed etiam in bello ciuili contra Pomp. vt videre eſt *in lib. de bello Gallico & ciuili.* Horum igitur exemplo bonorum Imperatorum ſuadet hic Ariſtot. vt in Oligarchijs principes Reip. inſtituant non tantũ equitatũ & legiones, ſed etiã velites ac ferentarios. Eos .a. quia periculoſum eſſet ex ipſa plebe ſumere (id .n. nihil eſſet aliud, quam

Cautio, ne velitum & claſſiariorum multitudo noceat Oligarchijs.

Quam noxia ſit hæc multitudo oligarchijs.

Cautio.

Vnde ſumendi ſint velites.

eam

eam ipſam velitum manum in ſe comparare) viam quoque & rationem exponit, qua his velites ex ſuo corpore principes, id eſt, ex numero nobilium & ditiorum, non vero ex plebe, ſumere & habere poſſint. Nam cum ciuium multitudo in duas ſummas partes tribuatur, iuniorum ac ſeniorum (Sic enim & olim Seruius Tullius Romæ cen[illegible] inſtituendo ciues partitus eſt, *teſte Agellio lib. 10. cap. 28. & Liu. lib. 1.*) ſuadet, vt opera militaria pro hoc ætatis diſcrimine diſtribuantur, atq; vt ipſi quoq; principum liberi etiamnum adulescentuli velitum munia & opera doceantur, vt poſtquam ex ephebis exceſſerint, & iuuenes ac viri facti erunt, munera ipſi velitum ſubire poſſint. Qua re fiet, vt principes ex ſuo corpore perfectam habeant rem militarem, nec opus habeant plebeis vti velitibus, aut etiam ab ijs opprimi poſſint.

Excedere ex ephebis. Ἐκκεχωρηκότας δὲ.] Id eſt: poſtquam pueri & adulescentuli eſſe deſierunt, quod alias (ni fallor) Græci dicunt, ex ephebis excedere, anno ætatis 20. & 22. Vtitur autem Ariſtoteles verbo ἐκκεχωρηκότας, propter alterum, ἀθλητὰς, qui proprie dicebantur ἐγκεκριμένοι, vt & ἐγκρίσεις ἀθλητῶν apud Græcos vſitata, quæ à *Cic. lib. 1. off.* vbi de Sophocle à Pericle reprehenſo, latine vertitur probatio Athletarum. *Ἐγκρίσεις & ἀθλητῶν.* Eleganti autem tralatione verbum, ἀθλητὴς, à Græcis accommodatur etiam ad pugilum & athletarum opera & actiones, vt hoc loco, & apud *Demoſth. in Ariſtogitoniana extrema*; ἐξ ὧν πάντες οἱ ἀθληταὶ τῶν καλῶν, &c. (qui totum Demoſthenem vertit, peſſime vertit, grammatice, non latine & Ciceroniane; *pugiles operum*, vertit barbare.)

Inſtitutum Oligarchiarum. Τὴν δὲ μισθώσιν.] Aliud inſtitutum Oligarchijs ſalutare hic exponit: de quo tamen iam *ſupra* dictum fuit, *capite priore his verbis*: τῶν δὲ κληρωμένων, &c. & à nobis eo loco diligenter explicatum. Eſt autem de communicatione Reipubl. & honorum cum plebe ſiue de aſciſcenda ad Reipubl. gerendæ ſocietatem plebe ac multitudine. Quod quemadmodum commodiſſime fieri poſſit, vnum duntaxat modum & rationem priore loco Ariſtoteles expoſuit. Hoc autem loco & illum modum & duos præterea adiungit, quib⁹ principes in aſciſcenda multitudine vti poſſint. Et primus quidem locus eſt de cenſu, hoc eſt, vt qui eo cenſu eſſe cœperint, qui ad honores capiendos & Reipub. aditum definitus fuerit, *1. Modus.*

rit,

rit, ad Rempub. aſciſcantur. Alter modus eſt, vt hi quoque aſciſcantur, qui certo ac definito tempore, 10. puta annis aut 20. ſe à ſordidis artibus abſtinuerint, & ad ordinem honeſtiorem acceſſerint. Quo modo & ratione Thebanos olim vti ſolitos ait & hic & *ſupra lib.* 3. *cap.* 3. Tertius à Maſſilienſibus ſumitur, quos indicat hic ſolitos omnium ciuium tam eorum, qui Rempubl. gererent, quam aliorum probationem quandam facere, qua probatione & iudicio, qui omnium optimi maximeque idonei haberentur ac iudicarentur, ijs adminiſtranda Reſpub. committeretur. Cuius inſtituti Maſſilienſium, quorum Politia cum *à Cicerone*, tum ab omnibus fere valde laudatur, puto & *Strabonem* facere mentionem: quo in loco de vrbe Maſſilia, eiuſque origine, progreſſu & inſtitutis late diſſerit in Geographia. Vtebantur & Spartani probatione ſeu κρίσει, non in omnibus magiſtratibus, ſed in ſenatu ſiue γερουσίᾳ. Sed eam κρίσιν Ariſtoteles vocat puerilem, vt *ſupra* explicauimus *libr.* 2. *cap.* 7. *in fine fere*. De Platonica quoque κρίσει & probatione *initio fere eius lib.* 2 dictum fuit.

2. Modus. *Exemplū.* *3. Modus.* *2. Exempl.* *3. Exempl.*

Ἔτι δὲ ταῖς ἀρχαῖς.] Aliud inſtitutum oligarchicum hic affertur de maioribus magiſtratibus. Nam cum maiores magiſtratus ijs tantum, qui Reipub. principatum tenent, vt nobilibus aut diuitibus in Oligarchia, plebi in Democratia, mandari debeant, vt & hic ait, & dictum eſt *ſupra libr.* 5. *cap.* 8. *in fin.* minores etiam tum ijs, qui Reipub. ſunt expertes communicari poſſunt, vt *ſupra cap. priore*; ἀναγκαίας, &c. *& cap* 4. dictum, & ne hi maiores ſint inuidioſi, & plebes ac multitudo ægre ferat, ad eos nullum ſibi patere aditum: rationem hic ac viam eius inuidiæ minuendæ affert Ariſtoteles pulcherrimam; quaque id efficiatur, vt plebs facile patiatur, eos ditioribus ſemper mandari. Eſt autem hæc ratio maxime poſita in magnis ſumtibus & oneribus rei familiaris. Suadet .n. vt his maioribus magiſtratibus coniungantur onera & munera Reipub. quæ λειτουργίαι à Græcis dicuntur, hoc eſt, vt qui hos maiores magiſtratus capere volet, munera quoque & onera Reipub. ſuſtinere debeat: quibus oneribus facile deterrebitur multitudo plærumque tenuior à magiſtratibus illis maioribus, nec inuidebit ditioribus, qui magiſtratum aut honorem, licet maiorem, magno ſiue magna mercede conſtantem & comparatum habeant. Quæ autem

Inſtitutum oligarchicum, quo plebs tenuior arcetur à magiſtratibus. *Λειτουργία.*

hæc

Munera Græcis magiſtratibus iniuncta. hæc munera apud Græcos vſitata fuerint, explicatum eſt *ſupra* diligenter & copioſe *lib. 5. cap. 8. in fin.* Et hac ratione, vt ditioribus incumberent hæc munera, plæriq; Græci vtebantur, vt dictum eſt *eo loco & huius lib. cap 5 in fin. & libr. 4. Eth. cap 2 in fin.*

Alia ratio arcendæ plebis tenuioris à magiſtratib. & placandæ. Ἁρμόττει δὲ θυσίας.] Alia plebis, à maioribus magiſtratibus excluſæ, placandæ cõſilia & rationes hic afferuntur, quæ poſitæ ſunt in muneribus, vt Cicero vocat, popularibus, hoc eſt, in hoſtijs magnifice faciendis, ſiue in epulis populo præbendis, & in publ. operibus extruendis. Et hoſtias quidem magiſtratum ineuntes cædere ſolent, ex quibus cæſis & ob- *Epulæ.* latis mox epulum apparari ſolet, eoque accipi vniuerſa ci- *Viſceratio.* uium multitudo, aut ſingulis particula diſtribui; viſcerationes vocant Romani. Solent etiam ij, qui auram popularem captarent, & ambitioſi, interdum tribum tantum quiſque ſuam conuiuio accipere; quod Romæ tandem veti- *Ludi.* tum fuiſſe ſcribit *Cicero pro Murena.* Ludis quoq; ſumptuoſe & ambitioſe exhibendis Romæ ædiles maxime plebem *χορηγία.* ſibi conciliare ſunt ſoliti; Græci vocant χορηγίαν. Sed hos ſumtus, vt inutiles & Reipublicæ pernicioſos, *ijs locis* reprehendit Ariſtoteles *ſupra lib. 5.* hic tamen in Oligarchijs per- *Opera pub.* mittit & epulas ex hoſtijs & re diuina factas, & in operibus publ. aut ſacris, vt ſunt templa, porticus, theatra, muri, viæ, *Ratio.* baſilicæ. Nam & epulis plebs facile placatur, & gaudet vrbem præclaris & magnificis operibus ſumptu principum exornari: adeo vt his duabus rebus principes id conſequi poſſint, vt plebs ita placata, non inuita cupiat ſtatum Reipubl. ſaluum eſſe, & incolumem. Et hoc quidem conſilium de operibus extruendis etiam Tyrannis ſalutare eſſe docuit *ſupra* *Cic. hac de re ſentẽtia.* *lib. 5. cap. 11. his verbis;* κατασκευάζειν γὰρ, *&c. Cicer. tamen lib. 2. off.* hos ſumtus in operibus ijs extruendis reprehendit, ſi ad ornatum ea ac ambitionem potius quam ad vſum Reipubl. pertineant; ſuæque ſententiæ approbatorem laudat nimirum Ariſtotelem, repugnante licet *Ariſtotelis diſcipulo Theophraſto.*

Συμβήσεται δὲ καὶ τοῖς.] Sumptuum in operibus extruendis duas vtilitates affert Ariſtot publicam vnam, hoc eſt, ad Reipub. ſalutem pertinentem, de qua iam dictum; alteram priuatam, principum, ſiue eorum. qui hos ſumtus faciunt, velut quandam conſolationem. Ait namq;, eos id quoq; commodi

modi hinc conſecuturos, vt præclaram ſui apud poſteros memoriam & hæc monimenta ſuæ in Rempub. liberalitatis relinquant. Quo vel ſolo nomine (propter memoriam poſteritatis, inquam) multorum opera olim & Athenis & Romæ extiterunt.

Ἀλλὰ τοῦτον νῦν.] Expoſito hoc ſuo de ſumtibus in magiſtratu plebis conciliandæ faciundis conſilio: Ariſtoteles adiungit, ſua ætate in Oligarchijs non hoc ſuum conſilium, ſed omnia alia (quod dicitur) vſurpari. Nam eos, qui in Oligarchijs Reipub. præerant, non tantum nullos de ſuo ſumtus facere in Rempub. ſed ipſam potius totam Rempub. cõpilare, & vectigalia publica in ſuos vſus priuatos conuertere, & (vt eleganter ait) τὰ λήμματα ἢ ζητοῦσιν, i.e eas non minus quæſtum ex Repub. adminiſtranda, quam honores & imperia aucupari. Quod idem & *ſupra* aliquoties conqueritur *lib. 3. cap. 4. in fin. & lib. 5. cap. 8. in fin.* Ex quo illud effici & conſequi ait, vt vere & eleganter quis dicere poſſit, tales vt Oligarchiæ, paruæ ſint Democratiæ, non vero Oligarchiæ: Democratiæ quidem propter quæſtum, cuius multitudo popularis eſt ſtudioſa, vt ſæpe *ſupra* dictum: paruæ vero propter eorum, qui præſunt honoribus, vel ad Rempub habent aditum, non magnam multitudinem, vt in Oligarchijs aſſolet. Huius autem dicti perelegantis autor eſſe videtur ipſe Ariſtoteles.

Olicharchiarũ ſui temporis mos hac in re.

CAPVT IIX.

AVREVM hoc & præclarum eſt caput de generibus & partibus magiſtratuum. De quibus etſi quædam accurate & *ſupra* ſunt explicata *lib. 4. cap. 15.* hoc tamen loco maiore ea ordine & accuratius omnia explicantur. Quæ autem ordinis ſit cauſa, id eſt, cur hoc loco de magiſtratuum partibus ſiue generibus explicetur; perobſcurum eſt. Videtur tamen Ariſtoteles tractationem illam de duabus illis Rebuſp. ſua ætate maxime vſitatis, Democratia & Oligarchia, plane perficere voluiſſe: vt quamuis hæc tractatio de magiſtratibus, non ijs tantum Reipublicæ generibus, ſed alijs quoque conueniat, eo tamen maxime accommodetur. Poteſt autem & hoc caput in tres principes partes tribui: quarum in prima de magiſtratibus ciuilibus: in altera de ſacris: de qua in his verbis; ἄλλο δὲ εἶδος ἐπιμελείας, &c. inter-

Argumentum huius capitis.

Ordinis ratio.

De magiſtratib. ciuilib. ſacris & rariorib.

in tertia de quibuſdam extraordinarijs ſiue potius rarioribus magiſtratibus (de qua in ijs verbis, *ἰδίᾳ δὲ ταῖς σχολαστικωτέραις*, &c.) explicatur.

TEXTVS.

His autem explicatis, ſequitur, vt ea, quæ ad magiſtratus pertinent, bene explicentur; quot & quid ſint, & quarum rerum, vt & ante dictum eſt. Nam abſque neceſſarijs quidem magiſtratibus ciuitas ne conſiſtere quidem poteſt: abſque ijs vero, quæ ad ornatum & pulchritudinem pertinent, præclare adminiſtrari non poteſt. Præterea, in paruis quidem neceſſe eſt pauciores numero eſſe magiſtratus: in magnis vero plures, vt ſupra dictum. Quare ſciendum eſt, qui ſint coniungendi, & qui diſiungendi.

COMMENTARII.

In magiſtr. conſiderād. 1. Numer⁹. 2. Perſona. 3. Species. 4. Obiecta.

Ἀκόλουθον δέ.] De ratione ordinis, quam hic initio attingit Ariſtoteles, paulo ante diximus. Ait autem, in diſputatione hac de magiſtratibus, primum id eſſe explicandum, quot ij numero eſſe debeant. Deinde qui quæue eorum nomina & ſpecies ſint: & poſtremo, quarum rerum ſint, quibus in rebus eorum imperium & poteſtas verſetur: vt quia alij rerum ciuilium, alij rerum bellicarum, capitalium, ſacrarum, &c. curam & imperium habeant. Quæ quidem & *ſupra* attigit *lib. 4. cap. 15.* Alterum eſt, quod hic præfatur, in quo præclara omnium magiſtratuum bimembris diuiſio continetur.

Magiſtrat⁹ 1. Neceſſarij. 2. Non neceſſarij.

Ait enim, Reſpubl. ſine neceſſarijs magiſtratibus ne eſſe quidem poſſe, ſine alijs, id eſt, non neceſſarijs, ſed ad ornatum tātummodo pertinentibus eſſe illas quidem poſſe, ſed non poſſe eſſe amplas & honeſtas. Sunt enim hæc duo Ariſtoteli vſitata membra inter ſe contraria: neceſſarium ſiue vtile, & honeſtum ſiue præclarum & amplum; quarum priori tribuitur, vt quid ſit; alteri, vt bene & pulchre ſit: de quibus alias dictum eſt. Ex his intelligitur id quod dixi-

diximus, In ijs verbis diuiſionem magiſtratus tacite contineri, qua magiſtratus alij ſint neceſſarij, id eſt, ad res vitæ neceſſarias accommodati, & ſine quibus nulla Reſpublica conſiſtere poſſit: alij ſint non neceſſarij, ſed ad ornatum & amplitudinem accommodati. Quæ diuiſio optime mihi confirmari videtur verbis quibuſdam *Ciceronis*, qui quod hic Ariſtoteles tantum de magiſtratibus, idem ille de omnibus Rerumpub. partibus dicere non eſt veritus. *Et Plato li. 2. de Repub.* Sic enim ait *libr. 2. vet. Rhetorica* (vulgo vocant *de Inuent.*) vt in Repub. quædam ſunt, quæ (vt ſic dicam) ad corpus pertinent ciuitatis, vt agri, portus, pecunia, claſſes, nautæ, milites, ſocij; quibus rebus incolumitatem ac libertatem retinent ciuitates: alia vero, quæ iam quoddam magis amplum & minus neceſſarium conficiunt, vt vrbis egregia exornatio atque amplitudo, aut quædam excellens pecuniæ magnitudo, amicitiarū atque ſociorum multitudo, &c. Et huius quidem diuiſionis membra ordine ac deinceps Ariſtoteles perſequitur, priore quidem loco de neceſſarijs; deinde de alijs, puta eo loco, *ἴδια ἢ*, &c. Huic autem Ariſtotelicæ diuiſioni adiungit ipſe & ſubdiuiſionem quandam, qua magiſtratus neceſſarij alij ſint minores, alij maiores. Sic enim Romani veteres magiſtratus diuidebant, quos Romani poſteriores partim vocabant plebeios, partim patricios. *Maiores: Minores: Plebeij: Patricij.* Eſt & altera magiſtratuum diuiſio, qua magiſtratus alij ſunt ciuiles ſiue politici, alij ſunt ſacri. *Ciuiles: Sacri.* Quanquam magiſtratus vocabulum, non niſi latiſſime acceptum, ad res ſacras, quarum ſacerdotia & præfecturæ rerum ſacrarum ſunt propriæ, pertinere ſoleat. Nam proprie magiſtratus à ſacerdotijs, vt res ciuiles à ſacris, ſeparantur. Et de hac quidem altera magiſtratuum diuiſione *infra* opportunius & commodius ad ea verba; *αἱ μὲν πολιτικαὶ τῶν ἀρχῶν*, &c. Nam prior, qua magiſtratus alij ſunt neceſſarij, alij ad dignitatem ſiue amplitudinem Reipub. accommodati, etiam *ſupra* attingitur vno verbo ab Ariſtotele *lib. 4. ca. 15.* Sic enim ait; *καὶ πόσας οὐκ ἀναγκαῖον μὲν, δεῖ δὲ ὑπάρχειν*, &c. Inſignis autem & egregia inter hæc duo magiſtratuum genera differentia hic affertur, vnde & ipſa nomina ſiue appellationes oriuntur, quod ſine neceſſarijs ne ciuitas quidem conſiſtere vel eſſe poſſit, ſine alijs poſſit illa quidem eſſe, ſed non peræque bene ac præclare adminiſtrari. *Diſcrimen inter neceſſarios & nō neceſſarios.* Quæ duo [eſſe, & bene eſſe: viuere, & bene beateq́; viuere] ſemper & quidem

Abſq; magiſtratu nulla poteſt eſſe Reſpub. recte ab Ariſtotele diſtingui ſolent, vt *ſupra lib 1 cap. 2. in princ.* Cæterum abſq; magiſtratu nullam poſſe eſſe Remp. aut ciuitatem, explicatur à *Cicer lib. 3 de ll. in princ.*

Ἔτι δ' ἀναγκαῖον.] Tria ſunt, quæ hic præmuniuntur ſiue prius afferuntur, quam exponantur ipſa nomina & genera magiſtratuum. Nam primo breuiter de differentia magiſtratuum neceſſariorum & non neceſſariorum iam eſt expoſitum. *2. Præmunitio.* Alterum hic affertur, quo monet, in paruis ciuitatibus paucos, in magnis multos neceſſarios eſſe magiſtratus. *Ratio.* Cuius rei hæc eſt ratio; quod in paucis ciuitatibus pauci ſint ad honores & imperia idonei, in magnis multi. Quæ res facit, vt in paruis neceſſario multi ſæpe magiſtratus vni mandentur (vt in hac vrbe) vel diſſimilium officia magiſtratuum in vnum genus conferantur; de qua collatione ſiue coniunctione paulo *infra*. Nam alioqui ſi magna fuerit ciuitas, multique ad magiſtratus idonei; vtiliſſimum eſt Reipub. vnum vni tantum mandari. Vnde, vt multi magiſtratus exiſtant, neceſſe eſt. Sed hæc iam *ſupra* ſunt explicata: vt & ipſe ait; ὥσπερ καὶ τυγχάνει πρότερον, *&c.* puta *li. 4. cap. 15.* ad ea verba; ποῖαι δὲ αἱ ἀρχαὶ καὶ πόσαι, &c.

3. Præmunitio. Ποίας δ' ἐν ἁρμόττει.] Tertia eſt velut præmunitio de collatione ſiue coniunctione magiſtratuum, quam σύναξιν vocat, & de ſeparatione ſiue diuiſione, quam χωρισμόν. Fit enim interdum, vt vni magiſtratui attribuantur multa munera. Id quod fieri diximus maxime in infrequentibus ciuitatibus. Et contra fit, vt, quæ vni ſunt attributa, officia & munera, diuidantur, & ſuum quæque magiſtratum ſortiantur. *Exemplũ.* Verbi gratia: Romæ ædiles curabant & forum & vias & ludos. Athenis hæc tria tres diſtincti magiſtratus adminiſtrabant: Agoranomi, Aſtynomi, & Choragi. Sic Romæ cenſores vendebant vectigalia, legebant ſenatum, præerant moribus ciuium, & ex inſtituto Ciceronis etiam iuris & legum curam habebant. Qua de re *Cicer. lib. 3. de ll. maxime in fin.* Quæ omnia Athenis ſuos quæque magiſtratus diſtinctos habebant, vt erant θεσμοθέται, νομοφύλακες, πωληταί, παιδονόμοι, γυναικονόμοι: de quibus *infra*. De hac autem magiſtratuum ſiue officiorum tam collatione quam diuiſione ait hic Ariſtoteles, eam viro politico notam eſſe debere: quæ (inquam) officia commode vel in vnum conferri vel diuidi poſſint: propterea quod inde pendeat magiſtratuum & pauci-

paucitas & multitudo. Quæ duo pro ciuitatis aut magnitudine aut infrequentia & paruitate neceſſario obſeruanda eſſe, iam dictum eſt. Et de hac quidem officiorum (vt ita dicam) copula ac diuortio iam & *ſupra* explicatum *libro quarto, capite decimo quinto*, ad illa verba; διόπερ οὐδὲν κωλύει, &c.

TEXTVS.

Ergo primum quidem eſt curatio rerum neceſſariarum ea, quæ in foro, vbi oportet magiſtratum quendam eſſe, qui curam gerit rerum contrahendarum & modeſtiæ. Nam omnibus fere ciuitatibus neceſſaria eſt aliarum quidem rerum emptio, aliarum vero venditio ad vſus inter ſe neceſſarios. Et hoc eſt maxime proximum ad copiam rerum, propter quam videntur homines in vnam Rempublicam conueniſſe.

COMMENTARII.

Πρῶτον μὲν οὖν.] Hoc loco iam nominatim & ſingulatim de neceſſarijs magiſtratibus orditur explicare. Sunt autem magiſtratuum genera neceſſariorum, quæ quidem hic ab Ariſtotele explicantur, ſiue nomina & ſpecies numero 11. Ex his autem primo loco exponit de ijs, qui à Græcis ἀγορανόμοι: qui quidem magiſtratus apud omnes fere Græcos eo nomine erat vſitatus, cuius officium maxime poſitum erat in foro rerum venalium & rebus contrahendis ſiue contractibus, vt & fraudes ex rebus contrahendis tollerentur, & mendacia venditorum ac inſtitorum ſeu tabernariorum coercerentur; libræ, menſuræ, modij iuſti eſſent, &c. *Theophraſtus* duo ſumma ἀγορανόμων officia eſſe ait *in lib. de legib.* Sic; δυοῖν τούτοιν ἐπιμελεῖσθαι, τῆς τ' ἐν τῇ ἀγορᾷ εὐκοσμίας, καὶ τοῦ ἀψευδεῖν μὴ μόνον τοὺς πιπράσκοντας, ἀλλὰ καὶ τοὺς ὠνουμένους: quæ verba extant apud *Suidam in verbo*, κατὰ τὴν ἀγοράν. Eaque duo ipſa hic quoque ab Ariſtotele attinguntur: cura rerum contrahendarum, & εὐκοσμία, id eſt, vt clamores, conuitia, rixæ, periuria, verbera, carmina famoſa, Ἀγορανόμοι.

 alia-

Neceſſitas huius magiſtratus.

aliaque id genus turpia & flagitioſa tollantur. Cur autem hic magiſtratus ſit ex numero neceſſariorum, idemque primus, omnibusque ciuitatibus neceſſarius: cauſa ſiue ratio ab ipſo hic exponitur Ariſtotele. Sic enim ait; σχεδὸν γὰρ ἀναγκαῖον, &c. quod emptio & venditio (his enim duobus omnia contractuum genera continentur) ſiue rerum ad vſus vitæ neceſſariarum communicatio ac permutatio ad ipſam vitam plane ſit neceſſaria. Quæ ipſa permutatio cauſa eſt τῆς αὐταρκείας, id eſt, efficit, vt quod vni deeſt ab altero ſuppeditetur, & contra. Quare vt αὐτάρκεια ſiue iuſta rerum ad vſus vitæ neceſſariarum copia ciuitatibus omnibus eſt neceſſaria: ita & rerum permutatio ſiue contractus omnibus ciuitatib. vt ſint neceſſarij, planiſſime efficitur. Quod autem de αὐταρκείᾳ modo dictum eſt, eam ciuitati imprimis eſſe neceſſariam, & (vt hic ait) eam eſſe, quæ homines in vnam ciuitatem & Rempub. conſociet, præclare explicatum eſt *ſupra li. 1. cap. 2.* Nam id ſæpe in hoc opere iteratur, ciuitatis velut ſcopum & animam eſſe αὐτάρκειαν, ex qua & ſemper definiri ſolet ciuitas, *vt eo cap. 2. & lib. 2. cap. 1. in fin. lib. 3. cap. 4. & 6. lib. 7. cap. 8. & hoc lib. cap. 4. & 8. & Eth. lib. 5. cap 5.* Ex quibus efficitur, hunc magiſtratum, qui rerum contrahendarum curam gerat, imprimis eſſe neceſſarium. Et hæc quidem videtur mihi Ariſtoteles, vt alia, ex *Platone* imitatus, qui *lib. 2. de Republ.* diſſerens de ciuitatis ſiue Reipubl. partibus maxime neceſſarijs, forum rerum venalium maxime commendat. Sic enim ait; δεῖ δὲ ἐν αὐτῇ τῇ πόλει ὡς ἀλλήλοις, &c. De hoc autem magiſtratu plura extant apud *Plat. lib. 6. & 8. de legib. Dionyſ. Halicarn.* ſcribit, ædiles Romanorum plæriſque in rebus reſpondere τοῖς παρ' ἕλλησιν ἀγορανόμοις. Meminerunt autem eius magiſtratus plærique omnes veteres: *Ariſtophan. Demoſth. & ipſe Plautus in Sticho: & Rudente, actu 1 ſc. 3.* Plane ædilium officium Romæ latius patebat, quam apud Græcos agoranomorum: adeo vt vni ædili Romæ incumberent, quæ apud Græcos ἀγορανόμοις & ἀστυνόμοις.

αὐτάρκεια finis ſocietatis ciuilis.

Ædiles.

2. Ἀστυνομία.

Ἑτέρα δ' ἐπιμέλεια.] Ex neceſſarijs magiſtratib⁹ alter hoc loco exponitur, qui à Græcis fere ἀστυνομία dicitur. De eo autem 4. hic afferuntur. Primo, eum priori agoranomorum proximum eſſe & finitimū. Nam vt agoranomus vnius tantum intra vrbem loci: ita aſtynomus præter hunc locum, puta fo-

ta forum rerum venalium, omnium reliquorum ſiue totius reliquæ vrbis curam gerit: vnde & nomen habet. Alterum eſt de ipſo officio ac munere aſtynomi, cuius hic 4. partes ſiue membra exponuntur ſingulatim. Nam & generatim ſiue *1. Munus.* vniuerſe ait ad aſtynomum pertinere curam *τῶν δημοσίων* & *ἰδίων*, id eſt, rerum ſiue locorum & operum tam publicorum quam priuatorum. Singulatim autem primo curare aſtynomum, vt tota vrbe ſit *εὐκοσμία*, id eſt, vt decenter, modeſte ſiue bono modo omnia fiant, vt pugnæ, clamores, diſcurſiones, ludi obſcœni, peregrini habitus prohibeantur aut puniantur. Hæc enim aliaque id genus ad *εὐκοσμίαν* pertinere mihi videntur. Quanquam id verbum hoc in loco non ad ea tantum, ſed ad ædificiorum & viarum tuitionem & ſplendorem non incommode referri poſſint. Nam & *Plato lib. 6. de legibus* de hoc magiſtratu diſſerens, curam *ὁδῶν καὶ οἰκοδομιῶν καὶ κόσμου τοῦ περὶ τὰ τοιαῦτα* ad eum pertinere ait. Romæ hæc fere curabant cenſores. Alterum eſt poſitum *2. Munus.* in ſartis tectis, vt Romani loquuntur, quo nomine ſiue officio id continetur vt & opera publica, porticus, theatra, curiæ, balnea, thermæ, &c. vel integra conſeruentur, vel collapſa reſtituantur; & vt priuatas domos (nam & harum ſpecies & incolumitas ad vrbis ſplendorem ac ſalutem pertinet, vt ait *ICtus in l. cætera. 43. ff. de leg. 1.*) ciues ſuam quiſque domum item tueatur aut labentem reficiat, aut ſordibus, quantum poteſt, liberet & puram conſeruet. De hoc autem, id eſt, curam operum publicorum & ædium priuatarum ad aſtynomos in Græcia, vt Romæ ad cenſores pertinuiſſe, perſpicuum eſt & ex *Platone lib. 6. & lib. 8 de legibus.* Quibus in locis diligenter & particulatim de hoc magiſtratu à ſummo illo viro explicatur. Tertia eſt viarum cura mu- *3. Munus.* niendarum & reficiendarum, quæ pars quam ſit laborioſa, quamque late pateat (nam & pontium refectio & plauſtrorum occurſus & ſordium, cadauerum, pellium vel effuſio vel proiectio in vias eo pertinet) accurate exponitur *à Papiniano in libro quem inſcripſit ἀστυνομικὸν, ſiue de officio aſtynomi.* cuius fragmentum exſtat *in libro 1. ff. ne quid in via publica, &c.* Idem & *Plato iis in locis* aſtynomos vias curare ſolitos ſcribit. Romæ viarum quidem *εὐκοσμία* ad ædiles, refectio ad cenſores pertinebat; vt videre eſt apud *Ciceronem libro 3. de legibus.* Auguſtus nouum huic rei ma-

Quatuorviri viarũ. Magiſtri vicuum. Viocuri. 4. Munus.

giſtratum creauit, Quatuorviros viarum, & ad *δυγορμίαν* vicuum magiſtros; vocarunt & Viocuros poſteriores. De quibus omnibus erudite *Briſſon. libro quarto antiq. in capite duodecimo.* Quartum officium item ad domos & ædificia pertinet, quo curabant aſtynomi, vt vicini ita domus & ædificarent & tuerentur, vt ſine fraude alterius fiat, & ne qua iurgia inde exoriantur. Sæpe enim vicinos inter ſe vel corripere aliquid de aliena area, vel aliâs nocere, vt luminibus officiendo, vt ſtillicidijs, fluminibus, alijſque oneribus & ſeruitutibus vicino onerando, notiſſimum eſt. Hos igitur fines, vt ita dicam; vrbanos regebat ædilis. Nam cura finium proprie non ad vrbana, ſed ad ruſtica prædia in iure Romano pertinet: vt & actio finium regundorum, *lege ſecunda & quarta. §. vltim. ff. fin. reg.* Qua de re hic locus accipi non debet. Nam ad aſtynomos cura vrbis, ad agronomos, de quibus infra, cura agrorum & fines regendi pertinent.

Ædilis.

Ἔχει δὲ μόρια πλείω.] Quod in alijs magiſtratibus, idem & in aſtynomia accidit, multæ vt eius ſint partes, munera & officia. Nam ad Aſtynomos pertinet cura viarum, aquarum, pontium, murorum, fontium, portuum, ſartorum tectorum, &c. vt *ſupra* iam dictum. Quæ omnia etſi vno huius magiſtratus nomine & officio continentur, & ab vno adminiſtrari poſſunt: interdum tamen in plures ea curationes, ita vt ſuum quæque pars velut proprium magiſtratum conſtituat, diduci ſolent. Maxime in maioribus & celebrioribus ciuitatibus, de quibus paulo *ſupra* dictum fuit, & alias diligentius explicatum, magnam magiſtratuum multitudinem in ijs eſſe debere, vt in paruis non magnam. Itaque ſeparatim ac diſtincte in ijs reperiuntur curatores muris reficiendis, Limenarchæ, & fontium præfecti & Viocuri, & Vicomagiſtri: vt *ſupra* dictum.

Cura.mur. ref. Limenarcha. Fõtiũ.præfect.

Οἷον τειχοποιοὺς.] Hæc curatio Athenis fuit. Nam & ipſe *Demoſthenes* aliquando fuit τειχοποιὸς, *vt ipſe pro Cteſiph & Æſch. contra Cteſiph. teſtantur. A Cicerone earum orationum interprete in lib. de optimo genere oratorum* dicitur Demoſth. curator muris reficiendis.

Καὶ κρηνῶν.] Hæc quoque Athenis erat curatio ſeu magiſtratus. Sic enim ait *Pollux libro 8. cap. de magiſtratibus,*

ὧν δὲ

ἣν δὲ κρηνοφυλάκων ἀρχὴν, &c. Romæ hæc ſarta (inquam) tecta & aquæ ductus curabant Cenſores.

Καὶ λιμένων] Hi quoque Romæ erant & dicebantur Limenarchæ, de quibus *ICti in l. Limenarchæ. ff. de ſeru. fugit. & l. vlt. §. hic quoq; ff. de muner. & honor.* quibus in locis videatur Budæus.

TEXTVS.

Alius eſt neceſſarius quoque & huic ſimilis. Nam de ijſdem quidem eſt rebus, ſed in agro eſt, & in ijs, quæ ſunt extra vrbem. Hos autem magiſtratus vocant hi quidem agronomos, illi vero hyloros. Tres igitur hæ ſunt harum curationes.

COMMENTARII.

Ἄλλη δ᾽ ἀναγκαία.] Ex neceſſariorum numero magiſtratuum tertius hoc loco exponitur, qui à Græcis fere ἀγρονομία dicitur. De quo tria potiſſimum hic afferuntur. Primum, eam eſſe aſtynomiæ non abſimilem. Deinde, de eius officio, id verſari in agris ſiue tota regione. Poſtremo, de nomine. Quod ad primum attinet, ſimilitudinem agronomiæ & aſtynomiæ in eo poſitam & verſari oſtendit, quod hi duo magiſtratus idem curent, ſiue eaſdem officij partes adminiſtrent: vt vias, ſarta tecta, fontes, puteos, pontes, itinera, ſyluas, &c. arces & propugnacula, &c. Nam in eo tantum differunt, quod aſtynomia in vrbe, & altera curet in agro ſiue regione; & ſit aſtynomia magiſtratus (vt ita dicam) vrbanus, agronomia velut ruſticus. Ex quibus alterum quoq; caput iam intelligitur, quod eſſe diximus de officio & munere huius magiſtratus, quibus illud partibus contineatur. Quanquam de eo capite copioſius & pulchrius & magis luculenter diſſerit *Plato libr. 6. & 8. de ll.* Sic enim ait *lib. 6.* ἀφρούρητον δὲ δὴ μηδὲν εἰς δύναμιν ἔστω, &c. vbi vrbis quidē præſidium & curam penes præfectos & duces belli: aſtynomos & agoranomos: reliqua vero vniuerſæ regionis penes agronomos eſſe debere conſtituit. Quorum hæc ſunt officia; 3. Agronomia.

 quotan-

quotannis omnem regionem circumire & luſtrare. Deinde, vt tota aduerſus hoſtes bene ſit munita; videre quoque, vt viæ item bene ſint munitæ & commodæ; & curare, vt ne aqua pluuia agris & frumentis noceat. Tertium eſt, vt dixi, de nomine. Ait autem Ariſtoteles hos regioni ſiue agro præfectos apud Græcos alijs quidem in locis dici agronomos, alijs vero Hyloros. Plato in ijs locis vocat agronomos & interdum φρουράρχους. Roma hoc magiſtratu caruit. Quanquam, quæ eius ſint partes, ſatis diligenter & Romæ curarentur ab alijs atque alijs magiſtratibus, vt ſyluarum cura ad Conſules ipſos, viarum extra vrbem ad Cenſores; & item ſartorum tectorum. Veteres Francorum Reges & ipſe Imperator Carolus Magnus hanc quoque curationem ſiue magiſtratum in regno & imperio habuerunt, vocat barbare Foreſtarium (foreſtum ſignificat ſyluam) poſſet rectius & magis latine dici Salutarius. Nam & in iure ciuili ſæpe nominantur ſerui ſaltuarij *l. in inſtrumento. 12. §. ſaltuarium. ff. de inſtructo vel inſtrumen. leg.* (Saltuarius non eſt magiſtratus aut præfectus, ſed ſeruus. poſſet ſic dici. ſed nuſquam reperio; ideoque perperam ita habent *Calepini.*

Φρουράρχος. *Foreſtari⁹.* *Saltuarius*

Αὗται μὲν οὖν.] Ariſtoteles hac clauſula priores tres magiſtratus à reliquis neceſſarijs velut diuidit ac ſeparat: eo quod hi tres ex omnibus neceſſarijs ſint primi, & in eadem velut materia verſentur: pertinent enim ad cultum & victum ſiue ad vſus neceſſarios, vt ſunt cibaria, veſtes, tecta, viæ, fontes, aquæ, &c. tam in vrbe quam in agro.

Diſcrimen horũ trium & reliquorum magiſtratuum.

TEXTVS.

Alius eſt magiſtratus, ad quem publica vectigalia referuntur, à quibus ea ſeruantibus ad ſingulos vſus ſiue adminiſtrationes diſtribuuntur. Eos autem vocant Apodectas & Tamias.

COMMENTARII.

4. Quæſtura.

Ἄλλη δ᾽ ἀρχή.] Hoc loco tres alios magiſtratus neceſſarios explicare orditur: & primum quidem de quæſtura ſiue de præfectura ærarij, de qua breuiſſime hæc duo notat;

chi-

officium eius,& nomen. Ad hunc namque magiſtratum curam publicorum vectigalium, vt ea recte ac fideliter perciperentur, ſeruentur, & omnes in Reipublicæ vſus neceſſarios conuertantur. Eos autem, qui huic magiſtratui præſunt, apud Græcos dici Apodectas & Tamias. Quod ad prius caput attinet, videtur verbo προσόδου latius accepto omnis pecunia publica, & totum ærarium contineri, vt non tantum vectigalia ſiue publica, ſed etiam bona caduca & publicata eo pertineant, & ipſa tributa, tam ciuibus interdum, quam aliis impio ſubiectis indicta ac deſcripta. Nomina hæc paſſim reperiuntur, & ſunt vulgaria, maxime hoc ταμείας. Nam Apodectæ proprie Athenis ita dici videntur, *Pollux lib. 8. & Suid. in verbo* ἀποδέκται. Vtuntur eo verbo & *Demoſth. & Æſchin. Xenoph. lib. 8.* παιδείας vocat ἀποδεκτῆρας προσόδου, vt & *autor libri de mundo* (qui Ariſtoteli tribuitur, ſed non eſt.) Erant Athenis & in Græcia quæſtorum certa quædam genera, vt κωλακρέται, ἑλληνοταμεῖαι, de quibus idem *Pollux, & Plutar. in Ariſtide.* Apud Romanos Quæſtores huic magiſtratui præerant antiquitus, poſtea Prætores, & tandem Præfecti (qui dicebantur) ærarii, vt breuiter, erudite & diſtincte commemorat *Tacitus Annal. 13* & latius *Briſſon. antiq. lib 3. c. 19.* vulgo vocant Theſaurarios, Rentmagiſtros, Receptores, Oeconomos, & eorum miniſtros olim Coactores. Sed de quæſtura Romana mox amplius.

προσόδου. ἀποδέκτης. ἀποδεκτῆρς προσόδου. *Quæſtor. Prætor. Præf. ærar. Theſaurarij. Coactor.*

προσόδοι τῶν κοινῶν.] Athenis hic dicebatur ταμείας τῶν κοινῶν προσόδων, & ταμείας τῆς διοικήσεως κοινῆς, & interdum præciſe, ὁ ἐπὶ τῆς διοικήσεως: vt videre eſt *apud Æſchinem in oratione de ementita legatione, & apud Pollucem lib. 8. Laert. in vita Zenonis, Plutarch in Ariſtide, vita Lycurgi Oratoris [non Legumlatoris] & in Politicis præcateris.* Dicitur & Quæſtor populi apud *Plutarch in vita Lycurgi rhetoris.* Erat autem ſplendidiſſimus hic magiſtratus, quem etiam principes viri gerere ſolent, vt Lycurgus ille, Ariſtides, Demades, &c. *teſte Plutarcho iis in locis.*

Ταμείας κοινῶν προσόδων ἢ τ̃ διοικήσ. κοιν. ὁ ἐπὶ τ̃ διοι. *Quæſtor populi. Magiſtrat. huius præſtantia.*

πρὸς ἑκάστην διοίκησιν.] Id iam breuiter explicauimus accipiendum de vario vſu publico, vt in ſportulas iudicum, in ludos & ſpectacula, in triremes & ædificia publica, in rem militarem, &c. Vnde factum eſt, vt & certi eſſent quæſtores militares, qui ταμίαι τῶν στρατηγικῶν dicebantur, *teſte Plutarcho in eodem Lycurgo,* & quæſtores Theatrales, quos Athenis vocant

Ταμίαι τῶν στρατηγικῶν.

Ταμίαι τῶν θεωρικῶν. Διοίκησις. Ratio, cur quæſtura referatur inter magiſtratus neceſſarios. * Legſtett nominant Germani.

cant ταμίας τῶν θεωρικῶν, de quibus & *Demoſthenes contra Niceam, & Plutarchus in Pericle; & ipſe Æſchines contra Cteſiphontem.* Sed (vt dictum eſt) verbum διοικήσεως proprie ad ſummum ſiue communem quæſtorem populi pertinebat, & pecuniæ ipſi commiſſæ τῆς διοικήσεως dicebantur: vt apud *Demoſthenem in ea oratione contra Niceam.* Reliquum eſt, vt à nobis explicetur velut additamenti loco, quod ab Ariſtotele hic eſt prætermiſſum, an & cur quæſtura ſit ex magiſtratuũ numero neceſſariorum. Qua de re ita breuiter dicendum: vt priuatis & ſingulis non ſolum ad rem familiarem bene adminiſtrandam, ſed etiam ad virtutum officia & actiones pecunia, tanquam organon, ſuppeditare debet, vt eſt apud *Ariſtotel. lib. 1. Ethic. ad Nicomach.* ita & ciuitas Rempubl. ſine hoc adiumento & præſidio ſuam nulla bene adminiſtrare poteſt, tam in pace, quam in bello, & maxime quidem in bello, cuius vetere prouerbio neruus dicitur eſſe pecunia. Quare & Spartanam Remp. hoc nomine grauiter reprehendit Ariſtot. quod nullum haberet commune ærarium (vt neque Germania. putant exteri, nos habere tria inſignia æraria: * Argentorati, Dantiſci, Norimbergi Viri clariſſimi ſeribunt de hoc triplici ærario Germaniæ, ſed nullum eſt) *ſupra libro ſecundo, capite 7. extremo.* Ex quibus intelligitur, vt ærarium, ita & præfectos ærario in Rebuſpublicis & Regnis eſſe neceſſarios.

TEXTVS.

Alius eſt magiſtratus, apud quem & contractus priuatos perſcribi oporteat (Cicero non vtitur vocabulo contractus) & ſententias iudiciorum. Atque apud hos litium quoque intentiones & introductiones fieri oporteat. Hunc autem partiuntur quidem alii in plures: ſed eſt vnus horum omnium princeps. Vocantur autem ἱερομνήμονες, & ἐπιστάται, & μνήμονες, aliiſque his vicinis nominibus.

COMMENTARII.

1. Scribæ.

Ἑτέρα δὲ ἀρχὴ.] Hoc loco de ſcribis explicatur, quos in nume-

numero magiſtratuum ponit Ariſtoteles ex Græcorum inſtituto, apud quos longe ſplendidior & honeſtior erat ſcribarum ordo, quam apud Romanos, *teſte Corn. Nepote in vita Eumen.* Nam apud Rom. vt ait ille, mercenarii erant, vt ſunt (inquit) & miniſtri potius magiſtratuum, quam magiſtratus. De iis autem tria fere hic exponuntur; officium, partes ſiue genera, & nomen. Officium autem duobus ſummis capitibus hic ab Ariſt. comprehenditur. Prius ad perſcriptiones & commentaria pertinet, alterum ad principia iudiciorum ſiue litium & actionum inſtituendarum. Quod ad prius attinet, notum eſt negotiū & peruulgatum. Nam apud ſcribas & tabulæ priuatæ, ſiue (vt loquimur) inſtrumenta contractuum ac teſtamētorum, nuptiarum, tranſactionum, donationum, &c. conficiuntur: apud eoſdem & publicæ tabulæ ſiue commentarii & acta publica, vt decreta magiſtratuum, vt Senatuſconſulta, vt ſententiæ iudicum, aliaq; id genus acta confici & ſeruari ſolent in Archiuo ſiue Tabulario publico. Alterum paulo eſt eſt obſcurius ſcribarū munus, Græcis tantum, idque olim vſitatum in litibus exercendis. Nam apud Græcos magiſtratus qui præerant iudiciis, vt fere erant Nouemuiri (de quibus *Pollux*) ad quem rei experiundi cauſa adſbant, non dabant actionem, vt Romæ prætor actori: ſed ſi actoris petitionem non iniuſtam iudicaret, id eſt, vt loquebantur, *εἰσαγώγιμον*: eam ſolent ipſi *εἰσαγωγεῖν*, vt loquebantur, id eſt, introducere, puta in forum: vt de ea iudices ab eo dandi, quibus & ipſi præſidebant, iudicarent. Hoc igitur munus actionum (vt ita dicam) introducendarum, id eſt, τὸ *εἰσαγωγεῖν*, etiam ſcribis delegandum & committendum iudicat Ariſt. Quod tamē munus aliorum & maiorum magiſtratuum Athenis fuiſſe, manifeſtiſſimum eſt cum ex *Polluce lib. 8. tum ex Demoſth. Luciano, & aliis.* Quanquam id quoq; Athenis receptum fuit, vt magiſtratus, qui litem ſiue actionē in forum introducerent, ſcribam ad manum haberēt, qui ipſam actionem exciperet, & in tabulas referret, vt indicat *Demoſt. contra Theocrinem.* Alterum de hoc magiſtratu caput his verbis exponitur; *ἐνιαχοῦ μὲν οὖν μερίζουσι*, &c. Quo monet Ariſtoteles, hunc quidem magiſtratum quibuſdam in ciuitatibus multas in partes ſiue curationes tribui, quarū tamen vna ſit princeps ac domina, id eſt, varii ſint ſcribæ ſiue *γραμματεῖς*, & eorum vnus princeps, ſiue *ἀρχιγραμματεύς*.

1. Munus.

2. Munus.

Εἰσαγωγὴ.

Atheniensium hac in re conſuetudo.

Ἀρχιγραμματεύς.

Erant

Ἀντιγραφεῖς. Ὑπογραφεῖς.

Erant enim & apud Græcos *ἀντιγραφεῖς*, *ὑπογραφεῖς*, & alii ſcribæ, qui ſenatui aut curiæ; alii, qui ſingulis magiſtratibus apparerent. Quod idem & Romæ receptum fuit, vt mox dicetur. Tertium caput eſſe diximus de appellationibus ſiue nominibus: quæ tria hic affert Ariſtoteles, de quibus mox ſingulatim explicabitur. Quod ad Romanos attinet; monuimus *ſupr.* quæſturam duos hos magiſtratus complexam eſſe, ad quam pertineret (inquam) & ærarii & tabularii cura. Quod idem & apud Græcos interdum factitatum eſſe indicat *Iſoc. in Ægynetica*: ſic enim ait; *αἱρετὸς ᾗ ἀρχῶν*, &c. Erat autem Quæſtor Romanus non ſcriba ipſe, ſed ſcribarum & ſcripturariorum (famuli ſunt ſcripturarii, *ὑπογραφεῖς*) præfectus: qui magiſtratus erat velut aditus ad reliquos omnes magiſtratus (Cicero adoleſcens fuit Quæſtor in Sicilia) Nam Quæſtura honos erat, & ex numero magiſtratuum, licet minorum. Scribarum *Cicero* ordinem vocat, non magiſtratum. Quare & *Nepos in Eumene* monet, ſcribarum officium apud Græcos fuiſſe ſplēdidum & honeſtum, apud Romanos mercenarium & vile. Qua de re diſputant *Dd. in tit. C. de tabulariis* (Venetiis nemo patricius poteſt eſſe Cancellarius) Verum de Quæſtura Romana multa *Plutarch. in Catone Minore* (hic primus reddidit Quæſturam illuſtrem) *& Budæus ad tit. ff. de off. Quæſt.* Nam quod ad Quæſtorem ſacri Palatii ſub Impp. Romanis attinet, *ἄλλος λόγος*, alia eſt ratio, de quo explicari ſolet *ſub eo tit. de off. quæſt.* Communi autem nomine Scribæ olim & Latine dicebantur. Sunt autem & alia nomina; ſed partim tempore, partim etiam officio nonnihil inter ſe diſcrepantia, vt Notarii, Tabularii, Commentarienſes, Tabelliones, Cancellarii, Actuarii, Exceptores, Scripturarii.

Scripturarius. — *Scribarum apud Rom. vilitas.* — *Notar. Tabular. Commentarien. Tabellion. Cancellar. Actuar. Exceptor.*

Ἀρχιγραμματεῖς. Ἱερομνήμονες.

Ἱερομνήμονες.] Communi nomine apud Græcos vocantur *γραμματεῖς*, & eorum principes *ἀρχιγραμματεῖς*, vt *Plutarchus* Eumenem Alexandri Archigrammatea, & *Nepos* Scribam fuiſſe ait. Hoc autem verbum, quo hic vtitur Ariſtoteles, non commune ſed certi Scribæ fuit. Nam ii tantum Scribæ, qui in conſilio Amphyctionico ſiue Pilacio (de quo conſilio ſiue conuentu totius Græciæ annuo late *Pauſan. in Phocicis*) apparebant, ſeruiebant: quia hoc conſilium velut ſacroſanctum apud Græcos haberetur. Adiungebantur autem hi *ἱερομνήμονες* legatis ſiue oratoribus, quos ciuitas quæque

que Græciæ eo quotannis mittere ſolebat. Hęc ex *Harpocratione, Heſychio, Scholiaſte Ariſtoph. ἐν νεφέλαις ex Suida, & hoc loco* (nam certe hæc vocabula, quæ ab Ariſt. hic afferuntur, rariora ſunt) collegi.

Καὶ ἐπιστάτῃ.] Id quoque verbum in hac notione rariſſimum eſt. Eo tamen pertinet, quod ſcribit *Pollux, & ex eo Suidas*, Athenis ex Prytanibus (maiores magiſtratus*) vnum præcipuo nomine dictum ἐπιστάτην, penes quem eſſent claues eius templi, in quo publica & χρήματα & γράμματα aſſeruarentur, id eſt, qui cuſtos eſſet ac præfectus ærarii ac tabularii publici. Επιστάτης.

Καὶ μνήμονες.] Eſt hoc vetus verbum, idque antiquioribus tantum ſcriptoribus vſitatum, vt & ipſi *Homero*, apud quem & *Euſtath.* id monet, ab *Homero* dici μνήμονας, quos poſteriores vocarint γραμματεῖς. Μνήμονες

Καὶ τοῖς ἄλλα.] De aliis nominibus tam Græcis quam Latinis *ſupra* dictum.

FINIS LIBRI VI.

LIBER

LIBER VII.

ARGVMENTVM.

Ἀνάμνησις. QVÆ prioribus libris ſex ab Ariſtotele adhuc ſunt explicata, ad tria fere ſumma capita reuocari
1. poſſunt. Vel enim ſunt principia ciuitatum & omnium Rerumpublicarum, vel communia
2. quædam præcepta Rerumpublicarum omnium, & propria ſingularum tam inſtituendarum, quam conſeruandarum,
3. quam etiam perdendarum: vel reprehenſiones & vitia cum aliarum Rerumpublicarum, tum Politicorum & Philoſophorum aliorum, qui vel Reſpublicas aut Regna inſtituerint ipſi: vel, quemadmodum inſtitui commode poſſint, ſcriptis & commentariis explicarint. His igitur iam explicatis, accedit Ariſtoteles ad eius Reipublicæ deſcriptionem & inſtitutionem, quam ſuo ipſe iudicio optimam eſſe iudicat, de qua & hoc libro & proximo explicatur. Ratio autem & via deſcriptionis, quam ſequitur Ariſtoteles, ipſi natura & rectæ rationi accommodata eſſe videtur. Cum enim educatio & inſtitutio omnium ciuitatum & Rerumpublicarum optimum ſit vinculum ac firmamentum, & quaſi fundamentum: recte & ordine fecit, qui ab educatione duxerit exordium. Sed perincommode & infeliciter accidit, vt prima tantum Reipublicæ Ariſtoteleæ velut ætas ac pueritia nobis hodie ſit reliqua, & pars adoleſcentiæ, vt ita dicam. Nam de matrimonio tantum & quædam de ſtudiis adoleſcentum extant: reliqua longe maiora, & ſine dubio præclariſſima perierunt, quæ Strozza Italus quidam, vir doctiſſimus, duobus libris Græce & Latine editis conatus eſt ſupplere, non ſatis conuenienter ingenio & inſtituto ſiue doctrinæ Ariſtotelis, qui neque de religione, neque de re militari in Politicis conſuerit

[Marginal notes: 4. ſeu Argumentum ſeq. librorum. — Methodus. — De reliquiis libr. politic. Ariſtot. qui hodie deſiderantur. — Strozza ſupplementum.]

ſuerit explicare. Vt autem & huius libri ſumma ſiue argu-mentum melius intelligatur, inſtituendæ nobis erunt duæ eius partes ſummæ ac principes: prooemium, & tractatio, ſiue ipſa diſputatio, quæ & ipſa bimembris eſſe videtur, ſiue duarum partium. Quarum in priore hypotheſes ſiue principia & fundamenta quædam Reipublicæ Ariſtoteleæ iaciantur, & velut præmuniantur, à capite 4. vſque ad cap. 13. In altera tractationis parte aggreditur demum Ariſtoteles ad Rempublicam ſuam, à primis fundamentis, id eſt, à matrimonio & educatione, explicando à cap. 13. vſque ad finem operis. Iam vero in prooemio id potiſſimum exquirit ac diſputat Ariſtoteles, qui Reipublicæ ſtatus ſit optimus. Eum namque Ariſtoteles reliquo hoc opere ſibi ſuſcepit deſcribendum & explicandum. Ea autem quæſtio, ſiue potius eius explicatio quia ex aliis pendet, & apta eſt, ea quoque in hoc prooemio pertractat: primum, quæ vita ſit optima: deinde, an eadem vita & publice & priuatim ſit optima, ſiue an vita optima ſiue beata eadem ſit ſingulorum, quæ ciuitatis, & contra. His autem explicandis admiſcet & alia duo, in quibus aliorum errores refellit: primum, vtrum is optimus ſit Reipublicæ ſtatus, qui in amplificando & proferendo imperio, ſiue in late dominando, in dominatu (inquam) aliorum eſt poſitus. Deinde, vtra vita ſit melior; ea ne, quæ in agendo (ὁ βίος πρακτικὸς) an ea, quæ in contemplando (ὁ θεωρητικὸς) verſatur. Quibus omnibus breuiter (vt in prooemio) expoſitis, concluditur tandem princeps huius loci quæſtio, de optimo Reipublicæ ſtatu, quem Ariſtoteles explicandum ac deſcribendum ſuſceperit.

Lib. 7. argumētum. — Partitio. — Prooem. — 2. ἐργασία. ὑποδιαίρεσις. — 1. — 2. — Prooemii periocha. — 1. Quæſtio. — 2. Quæſtio. — 3. Quæſtio. — 4. Quæſtio.

CAPVT I.

HOc capite indicat initio Ariſtoteles, qua de re agatur, vt loquuntur Iuriſconſulti, hoc eſt, de optimo Reipublicæ genere & ſtatu ſe toto hoc opere explicaturum. Deinde exquiren-

quirendum eſſe, in quo optimus ille Reip. ſtatus ſit poſitus. Cuius quæſtionis explicandæ cauſa diligenter hanc quæſtionem pertractat, quibus in rebus optima ac beatiſſima hominum ſiue ciuium vita ſit collocanda & æſtimanda.

TEXTVS.

Qui de optima Republica recte diſputare volet, ante omnia ei definiendum, quæ vita ſit maxime expetenda. Eo namque ignoto, vt optima quoque ignoretur Reſpublica, neceſſe eſt. Verum eſt enim, optime eos agere, qui optima Republica vtuntur, pro copiis, quæ ipſis ſuppetunt; niſi quid præter rationem accidat. Quare id primum conſtare inter nos debet, quæ vita plæriſq; omnibus ſit maxime expetenda. Deinde, vtrum publice & priuatim eadem ſit, an alia.

COMMENTARII.

Quodnam genus Reip. ſit optimũ Simpliciter: &, Quod obtineri poſſit.

Περὶ πολιτείας ἀρίστης.] Indicat his verbis Ariſtoteles, ſe iam de integro exordiri deſcriptionem & explicationem optimæ Reipublicæ. Optimum autem Reipublicæ genus Ariſtoteli regnum verum eſſe videtur. Quod quia fingi potius quam ſperari vel obtineri inter homines poteſt (Verum enim regem vult Ariſtoteles reliquis omnibus ciuibus ac parentibus non imperio tantum, ſed omnibus virtutibus antecellere; *ſup. lib.* 3.) eo fere delabitur hic noſter author, vt ex iis Reipublicæ generibus, quæ obtineri poſſint, optimam putet eſſe Ariſtocratiam, ſiue imperium optimatum: vt *ſup.* dictum *lib.* 3. Quare id quoque hic initio recte & vere conſtitui poteſt: totam hanc Ariſtoteleæ Reipublicæ deſcriptionem eſſe ariſtocraticam. Quo poſito, multa, quæ in extremo hoc opere deſiderantur, ſuppleri aliunde poterunt ex iis locis, in quibus de optimatum Republica diſputatum. Cuius generis loca aliquot ſunt inſignia in hoc opere, *lib.* 2. 3. 4. & 5. & apud *Platonem in Politia, aliiſque in locis, apud Cic. in libb. de Rep. & de legib.* Nam & Ciceroniana Reſpublica, quam ille ſecutus eſt & expreſſit in opere de Republ. magnam partem fuit ariſtocratica & optimatum propria, licet nonnihil mixta ac tem-

temperata ex Democratia. Hoc igitur leuiter & vno verbo hic ſignificat Ariſtoteles, de optimo ſe genere Reipublicæ reliquo hoc opere explicatùrum. Illud autem proprie & maxime his verbis proponit: ei, qui de optimo genere Reipublicæ diſſerere velit, prænotionem quandam de vita optima ſiue de maxime expetenda, id eſt, de beatiſſima, eſſe neceſſariam. Cognito enim, quæ vita ſit optima ſiue beatiſſima; ſtatim, & quæ Reſpublica ſit optima, cognoſci; & contra, eo ignorato, hoc quoque ignorari. Ratio autem & cauſa huius conſecutionis, id eſt, cur optimæ Reipublicæ notitia ex ea prænotione, id eſt, vitæ beatæ cognitione pendeat, affertur ſiue potius indicatur ab ipſo quoque Ariſtotele hoc l. Sic enim ait: ἄριστα γὰρ πράττειν, &c. Quæ verba, vt obſcuriora, & tamen totius loci vim ac momentum continentia, interpretes alii aliter latine reddiderunt. Nam ex tribus, qui hoc opus optime reddiderunt, *Perionius* quidem ita; & præclariſſime agi debeat cum iis, qui optima Republica vtuntur. *Sepulueda* ita; cum eos optime viuere conſentaneum ſit, qui optimo ſtatu Reipublicæ vtuntur. *Lambinus* ita; optimas enim res agere, optimeque res ſuas gerere conuenit eos, qui optima Reipublicæ adminiſtratione vtuntur. Omnes, ni fallor, male: *Sepulueda* minime male: quia ſentētiam eſt aſſecutus & expreſſit, cum, ἄριστα πράττειν, optime viuere, reddidit. Videtur autem, ἄριστα πράττειν, hic valere, beatiſſimum eſſe, id eſt, vt reddidi, optime ſiue beatiſſime agere. Nam & *infr. hoc cap. fere in fin.* ciuitatem ἀρίστην, & πράττουσαν καλῶς, pro eodem ponit. Hæc igitur eſt ſententia. Cum ii, qui optima Republica vtuntur, optimam vitam & beatiſſimam agant: perſpicuum eſt, alterum ex altero cognoſci. Nihil eſt enim aliud optima Reſpublica, quam vita ſiue ſtatus ciuitatis ac ciuium optimus ac beatiſſimus. Quare & *ſup. lib. 3.* Politiam ſiue Rempublicam & ſtatū ciuitatis ac deſcriptionem, vitam ciuitatis eſſe ait. Sic & *Cic.* optimam Rempublicam deſcribit ab optima ac beatiſſima ciuium vita & conſtitutione, *lib. 5. de Republ.* Vt enim gubernatori curſus ſecūdus, medico ſalus, Imperatori victoria: ſic huic moderatori Reipublicæ beata ciuium vita propoſita eſſe debet, vt opibus firma, copiis locuples, virtutibus honeſta ſit, &c. Quæ verba exſtant *libro octauo Epiſtol. ad Attic.*

Prænotio ad cognitionē optimæ reipubl. neceſſaria.

Ratio. 1. Approbatio.

ἄριστα πράττειν.

ἐκ τῶν ὑπαρχόντων αὐτοῖς.] Vocat Ariſtoteles ὑπάρχοντα ὑπάρχοντα.

bona Reipublicæ ac ciuium ipſis ſuppeditantia, vt virtutes, bonam valetudinem, opes, diuitias, ſalubritatem loci, opportunitates fluminum, montium, portuum, &c. Nam ex his bonis optime temperatis vita beata conſtat, vt *infr.* dicetur, eaque habere neceſſe eſt eos, qui optima Republica vtuntur. Niſi ſi caſu aliquo (vt fit) impediantur, quo minus iis bonis, licet abunde ſuppetentibus, vti poſſint, vt per ſeditiones, bella, morbos, &c. Hi enim caſus aduentitii vſum quidem bonorum ciuibus beatiſſimis adimere vel impedire poſſunt: optimum ſtatum Reip. & ciuium beatitudinem plane tollere & impedire, niſi ſint calamitates Priamicæ, vt loquitur *lib.* 1. *Eth. cap.* 1. *&* 5. non poſſunt.

Caſus fortuiti, quib. Rerump. felicitas interturbatur.

Διὸ δεῖ πρῶτον ὁμολογεῖσθαι] Vt quæ ſit optima Reſp. conſtare poſſit; duæ hæ quæſtiones prius ſunt explicandæ. Prior, quæ vita ſit ab omnibus maxime expetenda ſiue beatiſſima. Deinde, an eadem vita beata ſit ciuitatis, quę ſingulorum. Ex his enim propoſitionē de optimo Reip. genere recte perſpici & cōcludi, iam ante docuimus. Quare de his 2. quæſtionibus Ariſt. velut præmunitionis loco ordine ac deinceps, de priore quidem hoc cap. de altera proximo explicat.

TEXTVS.

Ergo cum ſatis multa explicari exiſtimemus de vita optima etiam in aliis libris, nunc quoque iis erit vtendum. Nam quod ad vnam quidem diuiſionem attinet, nemo certe ambigat, cum tria bonorum ſint genera; externa, corporis, & animi: omnia hęc beatis adeſſe debere. Neque enim quiſquam facile dixerit beatum, in quo nulla fortitudinis pars inſit, neque temperantiæ, neque iuſtitiæ, neque prudentiæ; quique metuat vel muſcas præteruolantes, nullaque re temperet etiam nequiſſima: ſi vel cupiat (concupiſcat) edere vel bibere: & qui ob quadrantem chariſſimos amicos interimat: itemque & mente ſit affectus, atque ſtultus & excors, vt puer aut furioſus. Omnes igitur

tur hæc quidem conceſſerint: ambigunt vero in quãto & magnitudine. Nam virtutis quidẽ quantulumcunque habere ſatis eſſe putant: diuitiarum vero, & pecuniæ, & opum, & gloriæ, omniumque eius generis infinitam magnitudinem quærunt.

COMMENTARII.

Νομίσαντας ἱκανῶς πολλά.] Ariſt. duas quæſtiones propoſitas explicaturus præmunitione ſiue excuſatione quadã vtitur. Videri namq; poterat ſuperuacaneum, hoc in loco de iis explicare, de quibus iam aliis locis accuratiſſime diſputarit, maxime de priore. De ea namque, id eſt, de beata vita, exquiſite diſputauit *in Eth. Nicom. lib. 1 & primo Mag. Mora. & etiam ad Eudem.* & aliis fortaſſe in locis & libris, qui interciderunt. De altera quoque quæſtione alibi quoq; iam attigit & concluſit: eandem eſſe beatitatem ciuitatis & ſingulorum ciuium, *initio lib. 1. Eth. ad Nicom. c. 2 in fin. & ſupr. huius operis l. 3.* Etſi igitur maxime de priore quæſtione, id eſt, de vita beata alibi accurate eſt explicatum: nihil tamen alienum à recta ratione & via docendi fecit Ariſt. qui inde ſumat, quantum ſit ſatis ad hunc locum: quo breuiter doceat, qua in re optimum Reipubl. genus cernatur. Sic & alias ſolent Philoſophi breuiter iis vti ad aliud argumẽtum, quæ aliis in locis late ac ſtudioſe explicarint. Qua tamẽ in re Stoici mihi peccaſſe videntur, qui ea, quæ nouo argumento ſeruire deberent alibi, licet ſuo loco vberrime explicata, omnia iterarent, & quaſi de integro explicarent, vt ſæpe πάρεργα ſiue adiumenta ipſis ἔργοις, id eſt, inſtituto argumento eſſent vberiora & longiora. Id quod quodam in loco de Stoicis affert & probat *Cicero.*

Occupatio ad excuſationẽ methodi pertinẽs.
1. De vita beata.
2. Vtrũ eadem ciuitatis & ſingulorum ſit beatitudo.
Stoicorum peccatũ contra ll. methodi.

ὡς ἀληθῶς γδ.] De priore quæſtione, quibus in rebus poſita ſit vita beata, primum explicatur. In ea autem explicanda, vt ſolet Ariſt. etiam vulgi ſententias affert. Affert autem duas, quarum alteram probat, alteram refellit. Nam de hoc quidem ſibi cum vulgo, atq; adeo inter omnes conuenire & conſtare: cum tria bonorũ ſint genera; animi, corporis, & fortunæ: vitam beatã ex his tribus conſtare debere. Certũ hoc eſſe velut axioma, beatum illũ eſſe, in quo omnia genera bono-

Quib. in rebus cõſiſtat felicitas ſeu vita beata.
In quo ge-

nere bonorũ pcipue conſiſtat. rum inſint ſolam: in eo eſſe controuerſiam, ex iis bonorum generibus quantum in beato ineſſe debeat, hoc eſt, vtrũ plus ex animi bonis, an plus ex corporis, aut etiam ex fortunæ. Vulgus enim & multitudo priores partes diuitiis & fortunæ bonis tribuere ſolet. Quam ſententiam Ariſtoteles præclare refellit aliquot argumentis, ac docet vitam beatam virtute potius & animi bonis, quam vel corporis vel fortunæ æſtimandam.

λόγοι ἐξωτερικοί. ἐν τοῖς ἐξωτερικοῖς λόγοις.] Veteres, in quibus eſt & *Cicero*, ſcribunt, Ariſtotelem ſcripta & commentaria ſua in duo genera partiri ſolitum, quorum altera dicerentur ἀκροαματικὰ, ſiue ἀκροατικὰ, quæ erant exquiſita & limata: altera ἐξωτερικὰ ſiue popularia. Qua de re latius *lib.1.Eth.* vbi monuimus, hanc veterum de libris Ariſtotelis ſententiam in dubium vocatam à *Io. Sepulueda in annot. in hunc libr.* Vult enim *Sepulueda*, verbum exoterici, & hic & alibi apud Ariſtotelem, non de certo libri genere, ſed (vt alias plærumq;) generaliter idem hic valere, quod ἄλλως, ſiue alias, quem & nos hic ſumus ſecuti: vt nimirum, cum ait, ſe explicaſſe de vita beata in libris ſiue diſputationibus, λόγοις ἐξωτερικοῖς: intelligantur *libri Ethicor.* id eſt, libri alii ab hoc opere Politicorum. Nam *toto lib.1. & 10. Ethicor.* de vita beata diligenter eſt explicatum. Non auſim tamen ita χρονοπολεμεῖν, & omni repugnare antiquitati, vt eam Ariſtoteleorum librorum partitionem dicam aut ſentiam eſſe commentitiam, & ex non intellecto verbo, Exoterici, profectam, vt & *in Ethic.* diximus.

Bona animi, corporis & fortunæ. τριῶν οὐσῶν.] Peruulgata eſt & nota bonorum diuiſio, qua bona ſunt vel animi, vel corporis, vel fortunæ. Huius auctor eſt *Plato*, eamque plærique Philoſophi tenuerunt, exceptis *Stoicorum ſententia.* Stoicis, qui ſola animi bona agnoſcunt: corporis & fortunæ commoda vocant. Quos refellit *Cicero libro 1 & 4. de Finibus.*

Omnia tria bonorũ genera ad beatitudinem neceſſaria ſunt. πάντα ταῦτα ὑπάρχειν.] Dictum eſt *ſupr.* duo hic exponi ab Ariſtotele; vnum, de quo inter omnes conſtet: alterũ, quod ſit controuerſum. De priore hic agitur, nimirũ ad beatam vitam omnia bonorum genera eſſe neceſſaria. Id quod latius explicatur *lib.1. Ethic.* vbi dictum eſt; neminem fore, niſi qui paradoxa tueri velit, & (vt eo loco ait Ariſtoteles) θέσιν διαφυλάττειν: qui auſit dicere, beatum eſſe, vel qui ſit improbus vel qui ſit Iro pauperior, aut Priamo calamitoſior, aut omni-

bus

bus membris ſiue corporis partibus debilitatus ſiue captus, ſiue perdita valetudine.

οὐδεὶς γδ.] Nunc diſtincte & enucleate de iis bonis, an & quemadmodum ſint neceſſaria ad vitam beatam, diſſerit: omiſſa tamen mentione bonorum corporis. Credo, quod eorum eadem fere ſit ratio, quæ bonorum animi. Nam neque de bonis corporis controuerſia fuiſſe videtur, vt hic docet de bonis animi: tantum de bonis fortunæ magnam eſſe controuerſiam: de modo (inquam) eorum, vt *infr.* explicabitur. De bonis igitur animi, id eſt, de virtutib. tam moralib. quam rationis, id eſt, prudentia, docet inter omnes id conſtare, non eſſe dicendum beatum, in quo nulla vel reliquarum virtutum moralium ſit particula, vel nulla mica ſalis, id eſt, prudentiæ. Verbi gratia; qui ita ſit timidus, inquit, vt vel muſcam prætervolantem metuat, vel crepitum ſoricis, vt ait *Cic.* extimeſcat: de quo dictum & *in l.7. Eth.c.5.* vel ita gulæ & ventri ſit deditus; vt, cum libuerit, ne à ſordidis quidem, vel à ſordidiſſimis quidem temperet: vel qui ita ſit auarus & iniuſtus, vt minimi lucelli cauſa, vel propter quadrantem aut teruncium coniunctiſſimum amicum violet, vel etiam morte afficiat, & Euclionem ſordibus ſuperet. Qui denique ita ſit ſtultus ſiue ſtolidus potius, vt nihilo plus ſapiat, quam vel puer vel furioſus: hunc, inquit Ariſt. nemo beatum dixerit. Quod idem & de reliquis bonorum generibus dici poteſt, vt iam dictum eſt. Sola controuerſia eſt de modo, de re non item. Quanquam ne de modo quidem bonorum animi, id eſt, virtutum, controuerſia eſſe videtur, cum virtus in mediocritate ſit poſita, quæ alioqui virtus non erit, niſi modum ſuum, id eſt, mediocritatem obtineat. Videamus igitur de bonis fortunæ, quæ ſola ſunt iuris controuerſi, & in quibus vulgo pernicioſe erratur.

Beatitudo nõ eſt abſq; bonis animi.

TEXTVS.

Nos autem iis reſpondebimus, de his quidem facile eſſe & ex ipſis rebus documenta capere, cum videre liceat parari & conſeruari non virtutes bonis externis, ſed hæc illis. Atque vitam beatam (ſiue eam in voluptate ſiue in virtute, ſiue in vtraq; re homines collocant:) magis eſſe in iis, qui moribus quidem & animo ſupra modum ſunt exornati: bo-

næ autem fortunæ modice poſſideant, quam in iis, qui hæc quidem (id eſt, bona fortunæ) plus quam ſit vtile, poſſideant, illorum vero pauciora.

COMMENTARII.

Vulgi opinio de bonis fortunæ. Ἡμεῖς δ᾽ αὐτοῖς ἐροῦμεν.] Nunc refellit Ariſt. vulgi opinionem de bonis ad beatam vitam neceſſariis, magis ſoliciti de bonis fortunæ, quã de bonis animi, ſiue de virtutibus: & plane contrariam ſententiã tuetur. Vulgus enim putat, ſatis eſſe, ſi virtutibus quis leuiter ſit tinctus: ſed neceſſe eſſe, vt opibus, diuitiis, gloria excellat, q beati nomẽ mereatur. Quam ſententiam vulgi docet Ariſt. refelli poſſe bifariam; tam rebus ipſis & vſu vitæ, quam rationibus & argumentis. Ex vſu vitæ, ſiue ex communi vita, duo affert omnibus nota & certa. *1. Arg. ἀνασκευαστικόν.* Primum namq; perſpicuum eſt & notum omnib. bona fortunæ virtutibus & bonis animi parari & conſeruari, non contra, bona animi diuitiis parari aut conſeruari. Nam prudentia fere eſt domeſtica, quæ diuitias & parit, & partas cõſeruat ac tuetur: cum ipſa, vt & reliquæ virtutes, bona educatione ſiue conſuetudine & bonis præceptis ac moribus comparetur, augeatur ac conſeruetur. Id quod cum multis multorum inſignibus ſententiis ac teſtimoniis: tum etiam exemplis (diuitias ſine virtutibus nihil prodeſſe, ſed nocere potius, & raro acquiri, niſi iniuſte, ac facile dilabi ac perire) doceri & confirmari poteſt. Quod ſi igitur verũ eſt, diuitias & parari & conſeruari virtutibus, non contra: efficitur, virtutũ maiorem eſſe quã diuitiarũ vſum, magiſq; illas, quã has, ad vitã eſſe neceſſarias, & illas his longe anteponendas; quod hæ ſine illis conſiſtere nequeant. *2. Arg. ἀνασκευαστικόν.* Deinde, illud fere inter omnes quoq; conſtat, eos potius beatos eſſe, qui animo & ingenio ſiue indole ac moribus antecellant cæteris, licet modicis facultatibus, quam eos, qui magnas quidem habeant diuitias, animo vero & moribus ſiue indole male ſint affecti. Vulgo quidem virtutibus præferunt diuitias, quam (vt dictum eſt) ſententiam hic refellit Ariſtoteles. Iidem tamen illi conſentiunt, beatiorem eſſe cenſendum eum, qui bonis animi excellat, modo & bona quoque fortunæ habeat modica, eo qui ditiſſimus ſit ille quidem, ſed iniuſtiſſimus, ſtultiſſimus, & moribus difficilimis. Talem namq; etiam vulgo omnes oderũt ac deteſtantur,

tur, minimeq; beatũ prædicant. Ex quo intelligitur id, quod vult Ariſtoteles, plus poſitum in virtutibus & bonis animi, quam in fortunæ bonis ac diuitiis eſſe.

εἴτ' ἐν τῷ χαίρειν.] Qua in re poſita ſit vita beata, in virtute ne, an in voluptate, an in vtroque, an denique in alia re aliqua, diuitiis ſcilicet, quia nihil ad rem, de qua agitur, pertinet, & accurate explicatum eſt *ſupra libro primo ac decimo Ethicorum*: Ariſtoteles hoc loco prætermittit, & quamcunque quis partem ſumat, oſtendit, ſemper in virtute plus eſſe momenti ac ponderis.

TEXTVS.

Cæterum facile id quoque erit ratione conſiderantibus. Nam externa, vt organon, habent extremum. Quicquid autem vtile eſt, eſt in iis rebus, quarum magnitudinem ſiue nimium neceſſe eſt aut nocere, aut nihil prodeſſe iis, qui habent. Bonorum autem animi quanto quæq; fuerint maiora, eo eſſe vtiliora. Siquidem & his attribuendum eſt non honeſtum duntaxat, ſed vtile.

COMMENTARII.

Οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ κατὰ λόγον.] Quod ex communi vita, id nunc rationibus confirmat; virtutũ potius, quam diuitiarum magnitudinem & excellentiam ad beatitudinem eſſe neceſſariam. Et primum quidem his verbis, quæ modo latine vertimus, dubium eſſe poteſt, vna ne, an duæ rationes cõtineantur. Nam vna hęc videtur eſſe ratio, cur (inquam) diuitiæ finitæ ſiue non nimiæ aut infinitæ eſſe debeant; vt vulgus putat. Quia ſint ὄργανον & inſtrumentum ad vſus vitæ neceſſarium. Sit hæc formula: Omne organon finitum eſſe debet: quod & perſpicuum eſt, & monuit *ſup. lib. 1. cap. 5. in fin.* At bona externa ſiue fortunæ ſunt velut inſtrumenta vitæ, vt explicatum *libro primo Ethicorum*. Quare efficitur, diuitiarum modum finitum ipſi naturæ eſſe conſentaneum. Et hac quoque ratione eo loco, id eſt, *lib. 1. c. 5.* eſt vſus eadem in re, vt *eo in loco* latius explicauimus. Idẽ quoq; *infr. h. l. c. 4.* de eo, organa non debere aut magnitudine aut numero eſſe in- 3. *Argum.*

4. Argumentum. finita. Altera ratio quædam his verbis; πᾶν δὲ τὸ χρήσιμον, &c. indicari videtur. Ea autem hæc eſt, quod bona fortunæ ſint ac dicantur vulgo, vtilia, bona animi, honeſta. Ad hæc enim tria genera ſiue fines rerum omnia reuocantur: vt ſint vel honeſta, vel vtilia, vel iucunda; de quo explicatur *in Eth.* Iam certum eſt, rerum vtilium, ſiue quæ eo nomine vſurpentur, eam eſſe naturam & conditionem, vt ſi ſint modicæ ſiue mediocres, nomen ac vim ſuam teneant ſiue tueantur, id eſt, vere ſint vtiles. Si ſint nimiæ, ſæpenumero multum noceant, aut certe nihil proſint. Earum vero rerum, quæ honeſtæ dicuntur, vt ſunt bona animi ſiue virtutes, plane contrariam eſſe vim & naturam, nempe vt earum non tantum mediocritas, ſed multo magis magnitudo & excellentia proſit: & quo ſint maiores, eo maiorem & ſplendidiorem vitæ humanæ afferant vtilitatem. Id quod pulcherrime docet Ariſtoteles *libro ſecundo Magnorum moralium, cap. 3. in fine.*

Animi bona quatenus vtilia quoque ſint. εἰ δεῖ καὶ τούτοις.] Hæc clauſula eo pertinet, vt velut excuſet Ariſtoteles id, quod dictum eſt, bona animi eſſe quoque vtilia. Nam contra dici poterat, honeſti appellationem eorum eſſe propriam, vt vtilis bonorum fortunæ. Et reſpondet Ariſtoteles, bona animi licet proprie honeſta dicantur: poſſe tamen & vtilia dici, propterea, quod in vita communi magnus eorum ſit vſus. Nam, vt *ſupr.* dictum, bonis animi reliqua & pariuntur & conſeruantur, & etiam bene collocantur.

TEXTVS.

Perſpicuum quoque eſt omnino, quod dicimus, optimam affectionem cuiuſque rei inter ſe ſequi pro magnitudine differentiæ, quam habent res, quarum ipſas affectiones eſſe dicimus. Quare ſi anima & poſſeſſionibus & corpore honeſtior eſt ac potior: & ſimpliciter nobis quoque vt affectio cuiuſque optima eandem inter ſe proportionem habeat, neceſſe eſt.

COMMENTARII.

5. Argum. Ὅλως δὲ δῆλον.] Aliud argumentum ſiue ratio, qua docet,

plus

plus momenti in bonis animi, quam in fortuitis, poſitum eſſe ad beatam vitam. Quia nimirum animus ipſe & corpore & poſſeſſionibus ſiue re familiari longe ſit potior. Quæ ratio ita ab ipſo concluditur: Qualis quæque res eſt; talis eſt & rei affectio. At animus res eſt corpore & poſſeſſionibus potior & melior. Ergo & animi affectiones reliquarum rerum affectionibus erunt meliores. Vocat autem affectiones optimas; animi quidem, virtutes & ſcientias: corporis, bonam valetudinem, ſenſus integros, celeritatem, &c. rei familiaris, copiam ſeu vbertatem, bonitatem, commoditatem ad vſum, vt in vino, frumento, &c. Aſſumptio huius concluſionis, qua dicitur animus corpore & poſſeſſionibus melior res, eſt perſpicua. Propoſitio, qua dictum eſt, rerum affectiones & velut qualitates ipſas res ſequi, hoc eſt, laudem & præſtantiam affectionum ex ipſarum præſtantia rerum ſubiectarum conſequi, pluſculum habet obſcuritatis & difficultatis: etſi & eam Ariſtoteles notam ac perſpicuam eſſe ait. Sed confirmari ea facile poteſt: q; optimarum rerum optimæ quoq; ſint affectiones, & vt optimarū naturarū ſiue ſubſtantiarum adiuncta ſiue aduētitia ſint præſtantiſſima, vt in Deo, in homine, in reliquis animantibus, ſi inter ſe comparentur cum ipſæ naturæ, tum earum proprietates & adiuncta. *Maioris cōfirmatio.*

Καὶ ἁπλῶς, καὶ ἡμῖν.] Ait animum corpore & rebus meliorem eſſe tam ſimpliciter quam nobis, id eſt, tam ſua ſponte & natura, quam comparatione noſtri, ſiue noſtræ vtilitatis ratione. Animus enim, ſi ipſius per ſe naturam ſpectes (quod faciunt Phyſici) res eſt longe potior & corpore & bonis fortunæ. Siue etiam vſum vitæ noſtræ ſpectes, longe plus affert commodi animus, quam vel corpus, quod ſine animo plane ſit inutile, vel bona fortunæ, quibus, niſi mente & animo bene affectus, nemo recte & vtiliter vti poteſt. Vtroque igitur modo per ſe (Ariſtot. ἁπλῶς vocat) & cōparate animus reliquis antecellit. Sæpe autem fit, vt vno quod modo antecellat, altero non item. Verbi gratia; Lupus, quam triticum, per ſe & ſua natura eſt melior: omne namque animal inanimo præſtat. Noſtri tamen ratione, id eſt, ſi vſum vitæ noſtræ ſpectes, lupo præſtat triticum. *Animus & ſimpliciter & cōparatè melior eſt corpore rebusq; externis.*

TEXTVS.

Præterea animi cauſa hæc ſunt expetenda: atq;

debent omnes, ſanæ mentis, expetere non eorum cauſa animum.

COMMENTARII.

6. Argum. ῎Ετι δὲ τῆς ψυχῆς.] Alia ratio. Quia bona fortunæ propter animum expetantur ſeu virtutes, non contra. Quæ & ipſa ita concludi poteſt: Cuius rei gratia quid expetitur, ea ipſo eſt melior. Qua ratione docet *lib 1. Eth.* in virtute & honore non eſſe poſitam vitam beatam. Quod virtus & honos non ſua cauſa, ſed alterius expetantur, & de eo principio latius in Rhetoricis & Topicis. At bona fortunæ propter virtutes expetuntur & bona animi. Ergo, &c. Aſſumptionem ait Ariſtoteles certam eſſe apud viros bonos & bene affectos, qui norunt, bona fortunæ velut organa & inſtrumenta eſſe, quibus animus hominis ad vitam recte degendam vtatur, & ad felicitatem conſequendam. Nam alijs, male (puta) affectis, auaris, Tyrannis aliter videri ſolet, vt virtus ſit poſt nummos, vt ait *Poeta*, & omnia pulchris diuitijs pareât. Sed in rebus dijudicandis non improborum ſiue male affectorum, ſed bonorum iudicium, tanquam canonem, ſequi decet, vt erudite monet Ariſtoteles *lib 3. Eth.*.

Minoris cō-firmatio. *Iuuenal. ſat. 6. verſ. Horat. li 2. ſat. 3. verſ.*

TEXTVS.

Tantum igitur felicitatis ad vnumquemq; redire, quantum virtutis & ſapientiæ & vitæ ex his actæ, certum ſit nobis, Deo teſte vtentibus. Qui felix quidem eſt & beatus, non tamen propter bona externa, ſed ipſe per ſe, & quia natura ſit cuiuſdam modi.

COMMENTARII.

῞Οτι μὲν.] Concluſio eſt prioris diſputationis de beata vita, plus momenti in virtutibus, quam in bonis fortunæ ad eam eſſe poſitum: id quod vt certum & incontrouerſum, tanquam fundamentum ſuæ diſputationis de optimo genere ac ſtatu Reipub. ponendum ac ſumendum eſſe ait. Nam de eo explicatum eſt vberius alijs in locis, vt *ſupra* dictum. Ex his

Beatitudinis gradus.

his autem verbis illud quoque intelligitur, quod idem explicatum eſt *lib 1. Eth. ad Nicom.* beatæ vitæ ac beatorum gradus eſſe quoſdam, hoc eſt, alium alio eſſe beatiorem: nempe quo quis & animo & reb⁹ ipſis ſit vir melior & ſapientior, quo pluribus & inſignioribus præditus fuerit virtutibus, earumq; officia exerceat. Hac igitur concluſione id quoq; velut tacite continetur. Adſpergitur & aliud nimirum argumentum priori ſententiæ confirmandæ, ab exemplo Dei ſumptū. Nam inter omnes conſtat, Deum eſſe quam beatiſſimum; eius beatitudinem non ex bonis aduentitijs & externis, ſed ex ipſa eius natura ac proprietate eſſe æſtimandam: beatum eſſe Deum, non propter opes ac diuitias, ſed propter excellentem; omnibusq́ue (vt dicitur) numeris abſolutam naturam: adeo quidem, vt *Ariſtoteles lib. 10. Eth.* eumq; ſecutus *Cicer lib. 4. de Fin,* concludant, ne quidem propter virtutes morales, quæ ipſa natura ſunt inferiores & humanæ, nec in Deo proprie reperiuntur, diuinam beatitudinem eſſe cenſendam. Quare vt Deus per ſe ipſe, eoq; quod ita ſit affectus, ꝙ ea eius ſit natura; tam infinita præſtantia beatus eſt, non propter bona aduentitia: ita & de hominum beata vita iudicandum videtur. Nam (vt Plato & Philoſophi veteres cenſuerunt) hominum beatitudo eſt Dei ſimilitudo ſiue ὁμοιώσις. 7. *Argum.*

TEXTVS.

Siquidem fortunatum eſſe propterea neceſſe eſt à beato differre, quod fortuna & caſus bonorum quidem extra animam ſit cauſa: iuſtus vero & prudens nemo vel à fortuna, vel propter fortunam eſt.

COMMENTARII.

Ἐπεὶ καὶ τὴν εὐτυχίαν.] His verbis aliud quoque argumentum priori ſententiæ confirmandæ contineri videtur, ſumtum à differentia verborū εὐδαιμονίας & εὐτυχίας. Quod vt intelligatur, repetendum eſt ex *Eth.* vitam beatā à Græcis dici εὐδαιμονίαν, εὐτυχίαν & εὐζωΐαν, & interdū μακαριότητα. Nam huius verbi εὐτυχίας argumento docet Ariſtot. *l. 1 Eth.* ad vitā beatā præter bona animi etiam bonā fortunam, i. e. 8. *Argum.*

bona

bona fortunæ & externa eſſe neceſſaria. Eo igitur in loco, etiam bona fortunæ beato eſſe neceſſaria, concludit. At hic contra, quia hæc verba non plane idem valeant, hoc eſt; quia vitæ beatæ magis proprie conueniat verbum εὐδαιμονίας, & bonis fortunæ verbum εὐτυχίας: concludit, vitam beatam non eſſe in fortuna & caſu ſiue in bonis fortuitis & extra animum poſitis, ſed potius in virtutibus, quæ non fortuna aut caſu, ſed partim natura, partim ſtudio & induſtria comparentur, collocandam. Poſſet hoc argumentum & ita concludi: Quo cuiuſque rei cauſa eſt leuior & incertior, eo & res ipſa vilior eſſe videatur. At bonorum fortunæ cauſa eſt ignobilior & inſtabilior (incertior, leuior, &c.) virtutum grauior ac ſtabilior, conſtantior. Qua re efficitur, virtutes bonis fortunæ longe eſſe anteponendas, & quidem in hac ipſa quæſtione, hoc eſt, in virtutibus plus eſſe momenti, quam in bonis fortunæ. Quia à bonis fortunæ εὐτυχία, ſiue εὐτυχεῖς græce, latine fortunati dicantur, à quibus certum eſt differre εὐδαιμονίαν.

εὐδαιμονία
εὐτυχία.

Formula alia.

TEXTVS.

His conſequens eſt, iiſdemque rationibus concluditur, ciuitatem quoque beatam eſſe, quæ ſit optima, & recte agat. Fieri autem non poteſt, vt recte agant, qui recta non agunt: nullumque opus aut viri aut ciuitatis abſque prudentia rectum eſſe poteſt. Fortitudo autem ciuitatis, & iuſtitia, & prudētia eandem vim & ſpeciem habet cum ijs, quarum ſinguli compotes dicuntur iuſti, & prudentes, & temperantes. Verum ſint hæc diſputationi procemij loco hactenus præfata. Nam ea neque non attingere fas fuit, neque omnes huius loci proprias rationes perſequi. Ad aliam namque ſcholam hæc pertinent. Tantum nunc ſit poſitum, vitam beatam, & ſingulorum ſeparatim, & publice ciuitatum, eam eſſe, quæ ſit cum virtute bo-

te bonis fortunæ hactenus inſtructa, vt actionum ex virtute particeps eſſe poſſit.

COMMENTARII.

Εχόμενον.] Explicata priore quæſtione, in qua Ariſt. cõcluſit, ad beatam vitã plus momenti poſitũ eſſe in bonis animi, q̃ in bonis fortunæ, ſiue eam eſſe vitam beatam, maximeq; expetendam, quæ eſt in vſu virtutis cum quadam bonorum fortunæ acceſſione: proximum eſſe ait, vt & de altera quæſtione conſideretur. De duabus namque, velut præmunitionis loco, ad principem quæſtionem de optimo genere ſiue ſtatu Reipub. neceſſarijs videndum eſſe, *ſupra* dictum *initio.* Altera igitur quæſtio hæc erat; An ſingulorum & vniuerſæ Reipubl. beatitudo in eadẽ re ſit poſita, an ſit eadem. Quam hoc loco attingit & latius perſequitur *capite proximo*: ſiue potius & hic & eo capite ſummatim tantum eam exponit. Nam hoc quidem loco concludit Ariſtoteles, & ſingulorum & ciuitatis vitam beatam plane eſſe eandem, Rerumpub. ſtatum beatiſſimum ijs quidem rebus, quibus ſingulorum hominum vitam beatam, eſſe metiendum, nimirum ex bonis animi, & vſu virtutum. Cui ſententiæ confirmandæ duo argumenta licet ſubobſcure hic afferre videtur. Prius de verbo græco εὐπραξίας ſumptum videtur, quo Græci ſolent pro εὐδαιμονίᾳ ſiue beatitudine, vt & εὐτυχίας, vti, & eum dicere εὐπράττειν, & καλῶς πράττειν, qui vere ſit beatus. Vt igitur hæc ratio planius intelligatur, ita breuiter concludi poteſt: Nemo dicendus eſt καλῶς πράττειν, ſiue εὐπράττειν qui non idem καλὰ πρ[illegible]ει: nemo beatus iure dicendus, qui non idem ſit vir bonus, qui non ex virtute viuat vel agat. At vere beatus dici recte ſolet ac debet καλῶς ſiue εὐπράττειν. Ergo beatus vt idem quoque καλὰ πράξεις ſiue bonus vir vt ſit, & bene ac virtuti conuenienter viuat agatque, neceſſe eſt. Quod concluſimus de ſingulis, idem concludit hic Ariſtoteles in ciuitate vniuerſa. Poteſt & ita concludi breuiſſime: Quod καλῶς πράττει, idem & καλὰ πράττει. Ergo & ciuitas, quæ dicitur καλῶς πράττειν, id eſt, beata eſſe, eadem & καλὰ πράττειν debet, ſiue virtutibus eſſe prædita. Nam vt pulchre Ariſtoteles; ἀδυνάτον καλῶς πράττειν, &c. Alterum argumentum his verbis; ἀνδρία τῆς πόλεως, &c, ſubindicari videtur:

2. Quæſtio, Vtrum eadem ſit beatitudo ſingulorũ hominum & integrarũ Rerump.

1. Argum.

Formula.

Aliter.

2. Argum.

Quod

Quod nimirum virtutum ciuitatis, id eſt, fortitudinis, iuſtitiæ,&c. publicæ eadem ſit vis & ſplendor ac ſpecies, quæ priuatæ ſiue ſingulorum. Quare ſi conſtat verumq; eſt, vt eſt, in ſingulis hanc eſſe vim & poteſtatem virtutis, vt efficiat beatos; perſpicuum eſſe debet, ciuitates quoq; virtutibus beatas effici. Ex quib. intelligitur, id de quo quæritur: tam Rerumpub. quam ſingulorum beatitudinem iiſdem rebus, nempe virtute eſſe metiendam. Sed de hac quæſtione vberius explicatum eſt *ſupra lib.3. cap.3.* Nam quæ eo in loco diſputantur (an eadem ſit virtus boni ciuis, quæ viri boni) ad hanc quæſtionem optime mihi videntur poſſe accommodari.

Ἀλλὰ γὰρ ταῦτα μὲν.] Clauſula eſt ordinis, ſiue (vt vocant) tranſitionis, qua monet Ariſtoteles, hæc duo, de quibus adhuc explicatum, præmunienda fuiſſe principi diſputationi de optimo ſtatu & genere ciuitatis. Nam, vt *ſupra* demonſtrauimus, ex harum explicatione quæſtionum, quid de ſumma quæſtione cenſendum ſit, optime perſpici ac dijudicari poteſt. Cur autem de his duobus breuius fortaſſe, quam par ſit, exponat; iam *ſupra* cauſam attulimus, quæ & hic iteratur: Quod ea conſideratio alterius ſit loci ac temporis, quæque propterea attingenda tantum fuerit, non plene explicanda. Ait tamen, ſe poſterius de iiſdem rebus explicaturum, ſi qui forte erunt, qui his ſuis concluſionibus & ſententijs breuiter hoc loco, vt fundamentis poſitis, non aſſentientur. Quod an præſtiterit, nec ne; incertum eſt. Illud perſpicuum eſt, in hoc reliquo opere nihil amplius extare præter id, quod *initio proximi capitis* perexiguum ſubſequitur.

Quatenus bona fortuna conducant ad felicitatem humanam.

Ὁ μεθ' ἀρετῆς.] Quod hic indicat vno verbo, id copioſius explicauit *in Ethicis*; ad vitam beatam nõ virtutes duntaxat, ſed bona fortunæ quoq; eſſe neceſſaria hactenus, vt virtutum officia edi poſſint. Hic eſt enim optimus mod⁹, de quo maxima eſt controuerſia diuitiarum ſiue bonorum fortunæ; diuitias eatenus eſſe neceſſarias, quatenus ſint vtiles & commodæ ad officia virtutum, id eſt, mediocres ſiue modicas, vt *ſupra* explicatum *lib.3.*

CAPVT II.

1. HOC capite Ariſtoteles initio diſputationem, eademne ſit & ſingulorum & vniuerſæ ciuitatis beatitudo, priore capite expoſitam repetit breuiter; eaque ſtatim dimiſſa,
2. aliam quæſtionem affert de comparatione vitæ in contemplando

plando poſitæ cum ea, quæ eſt in agendo, in qua explicanda tam *hoc reliquo cap.* quam *cap. prox. 3.* quorundam refellit opinionem & inſtituta, qui Rempubl. ita conſtitutam haberent aut probarent, in qua omnes leges & inſtituta ad rem militarem & dominatum pertinerent. 3.

TEXTVS.

Reliquum eſt, vt explicemus, vtrum beatitudo eadem ſit dicenda & ſingulorum & ciuitatis, an non eadem. Sed & hoc perſpicuum eſt. Omnes namq; aſſentiantur eſſe eandem. Qui enim vitam beatam vnis in diuitijs ponunt, hi ciuitatem quoque vniuerſam, ſi ſit diues, beatam prædicant. Et qui tyrannicam vitam maxime admirantur, hi ciuitatem quoq; plurimis dominantem cenſeant eſſe beatiſſimam. Siue virtute quis vnum probet, dicet & ciuitatē beatiſſimam eſſe, quæ ſit optima.

COMMENTARII.

Πότερον δὲ τὴν εὐδαιμονίαν.] Dictum eſt priore cap. hanc diſputationem, eadem ne & ſingulorum & ciuitatis ſit beatitudo an alia, bis hoc loco ab Ariſtotele attingi potius, quam explicari Duo tamen argumenta ei ſententiæ, beatam vitam & ſingulorum hominum & vniuerſæ ciuitatis eſſe eandem, comprobandæ priore cap. allata, ſiue potius indicata, iam explicauimus. Affertur hoc loco tertium à communi hominum ſenſu & iudicio. Nam tametſi magna hominum eſt diſſenſio in ipſa beatitudine definienda ſiue conſtituenda: alij namq; in diuitijs eam ponunt, alij in voluptate, alij in honoribus & imperijs ſiue dominatu, alij in virtute & vitæ integritate, vt dictum *lib. 1. 7. & 10. Eth.* in hoc tamen omnes conſentire, Reipub. felicitatem ac beatitudinem ea ipſa in re eſſe poſitam, in qua ſit ſingulorum. Verbi gratia, qui in ea ſunt opinione, vt beatam vitam diuitijs metiantur: hi certe exiſtimant, & ſingulos homines eos eſſe beatiſſimos, qui alios diuitijs ſuperent, & ciuitatem maxime beatam ac florentem, quæ præter cæteras copijs ac diuitijs abundet. Quod idem de reliquis finibus dicendum eſt. Res enim eſt perfacilis, nec opus habet longa explicatione. 3. *Argum.*

TEXTVS.

Verum hæc duo iam ſunt, quæ conſideratione opus habeant. Vnum quidem, vtra vita magis ſit expetenda: ea ne, quæ in ſocietate adminiſtrandæ ac regendæ ciuitatis, an potius ea, quæ hoſpitis propria & à ciuili ſocietate eſt ſoluta. Deinde, quæ Reſpublica, quæque ciuitatis deſcriptio optima ſit ponenda: ſiue omnibus ſit expetendum, verſari in Republ. ſiue quibuſdam quidem non, plæriſque etiam. Quia autem ciuilis conſiderationis ac diſputationis hoc munus eſt & opus, non quid cuique ſit expetendum: nos autem illam diſputationem iam ſuſcepimus; erit illud quidem huius ſcientiæ verum munus, hoc vero aduentitium & parergum.

COMMENTARII.

Ἀλλὰ ταῦτα ἤδη.] Duabus iam quæſtionibus explicatis, priore de vita optima, eam maxime in virtute eſſe poſitam: altera de beata vita ſingulorum & vniuerſæ ciuitatis, eam eſſe plane eandem ſiue eadem re metiendam: duas alias quæſtiones, de quibus tanquam procœmij loco conſiderandum ſit, reliquas eſſe ait, quarum vna eſt de comparatione vitæ contemplatricis & actricis: altera (quæ princeps eſt totius procœmij quæſtio) de optimo ſtatu & genere ciuitatis ſiue Reipub. quibus ille ſtatus in rebus ſit collocandus. Et de hac quidem quæſtione, quam principē eſſe diximus, totum negocium vno (vt ita dicam) verbo conficit. Alteram accurate & copioſe perſequitur hoc & prox. cap. vt *ſupra* dictum. Quod fortaſſe mirari quis poſſit, cur Ariſtoteles principem quæſtionem breuiſſime attingat, alteram latiſſime perſequatur: cum tamen illa huius ſcientiæ politicæ ſit propria, hæc non item. Nam diſputatio de comparatione vtriuſque vitæ ad Ethica potius, vt altera de optimo ſtatu Reipub. ad politica pertinet. Cauſa tamen huius ordinis & tractationis Ariſtoteli hæc eſſe videtur, quod princeps quæſtio de optimo ſtatu

ἀπορία.

Λύσις.

ſtatu Reipub. ex ea, quæ priore cap. expoſita fuit de optima vita maximeq́; expetenda, ſiue de beatitudiue, & ipſa ſatis intelligatur, præſertim accedente & altera, qua explicatum fuit eandem eſſe & ſingulorum & ciuitatis beatitudinem. Ex his enim intelligitur, vt ſingulorum, ita & ciuitatis, tum quæ vita maxime ſit expetenda ſiue beata, tum qui optimus ſit ſtatus & conditio; nimirum, vt de ſingulis hominibus iam omittamus, Rerumpub. aut ciuitatum eum ſtatum eſſe optimum ac beatiſſimum, in quo leges & inſtituta atq; mores ad virtutes, earumq; officia cum mediocri opum ac diuitiarum copia dirigantur: ſiue vbi & publice & priuatim parua bonorum fortunæ, magna virtutum habeatur ratio. Præterea eadem princeps quæſtio de optimo Reipub. ſtatu ex ea quoque de comparatione vitæ theoreticæ ac practicæ intelligetur. Nam in hac quæſtione de vtroq; vitæ genere explicanda Ariſtoteles admiſcet ac veluti interijcit diſputationem aduerſus eos, qui eam Rempub. optimam eſſe exiſtiment, cuius ſcopus ſit dominatus & imperij latitudo, ſiue ſit vna tantum virtus, puta fortitudo, non tota ſeu vniuerſa. Ea namq; diſputatione etiam hoc agitur & explicatur, qui ſit ſtatus Reipub. optimus, maximeq́; expetendus. *Rerumpub. ſtatus optimus.*

Ἐκεῖνο μὲν πάρεργον.] Non eſt prætermittenda grammatica hæc obſeruatio, primum de his duobus verbis, *πάρεργον* & *ἔργον*: in iure vocant *acceſſorium* & *principale*. Nam alioquin latine vix poſſunt breuiter & eleganter reddi. Vſus eſt ijs & alibi Ariſtoteles *lib. 1. Eth cap. 7. in fin.* Deinde de his duobus articulis, *ἐκεῖνο* & *τοῦτο*. quibus Græci ſæpe ita vtuntur, vt illud ad propinquiorem, hoc ad remotiorem ſententiam accommodetur. Quod contra fit in latinis, *Illud* & *Hoc*. Interdum tamen & Latini Græcos imitantur. Qua de re *Budæus in comment. ling. Græc.* *ἔργον, πάρεργον.* *ἐκεῖνο. τοῦτο.*

TÆXTVS.

Ergo perſpicuum eſt, eam neceſſario eſſe optimam Rempub. cuius deſcriptione optime quiſq; agere ac beate viuere poſſit. Ambigitur autem ab ijs ipſis, qui vitam, quæ cum virtute degitur, maxime expetendam eſſe conſentiunt, vtrum ciuilis & in agendo poſita vita ſit expetenda, an ea potius,

tius,

tius, quæ omnibus rebus externis eſt liberata: vt ea, quæ eſt in contemplando, quam ſolã quidam Philoſophorum eſſe dicunt. Nam has fere duas vitas homines virtutis ſtudioſiſſimi, tam priores, quam noſtræ ætatis, ſequi videntur: duas (inquã) tam ciuilem, quam philoſophicam. Neque vero parui refert, vtrum ſit verius. Debet enim ſapiens, tum quiſq; hominum, tum communiter Reſpub. ad meliorem ſcopum dirigi.

COMMENTARII.

Optimus Reip. ſtatus.

Ὅτι μὲν οὖν ἀναγκαῖον.] His perpaucis verbis continetur ſiue potius conficitur prior & princeps quæſtio de optimo Reipublic. ſtatu; eſſe, in quo ciues ſint maxime beati. Quod & *ſupra* pulcherrimis verbis *Cic. ex li. 5. de Repub.* confirmauimus. Vt enim (inquit) gubernatori nauis curſus ſecundus, &c. Cur autem hanc grauem quæſtionem ita breuiter concludat, ſatis indicat hoc verbo; φανερόν ἐστι. id eſt, quia id & ex prioribus iam ſit perſpicuum & minime controuerſum; ſed de quo inter omnes fere conſtet, eam ſcil. Rempubl. eſſe beatiſſimam, quæ ita eſt deſcripta vt ad beatam ciuium vitam ac ſalutem ea deſcriptio ſiue τάξις ſit accommodatiſſima, maximeq; propria.

Ἀμφισβητεῖται δέ.] Eſt hæc illuſtris & inſignis quæſtio de duobus vitæ generibus, practico & theoretico: quorum videlicet alterum in agendo, id eſt, in honoribus & Republ. gerenda, alterũ in contemplando & in Philoſophia, eiuſq; partibus tractandis & exponendis verſatur; vtrum alteri ſit præferendum. Nam tametſi vitæ genera ſumma tria fere commemorari ſolent: otioſum, id eſt, eorum, qui otio ac voluptatibus tantum ſunt dediti: negocioſum (Sic enim *Varro* vocat) practicum: & philoſophicum, vt explicatum eſt *li. 1. Eth.* recte tamen Ariſtoteles hoc loco duo duntaxat genera vitæ eſſe ait, eorum ſc. qui non voluptatibus, ſed virtuti ſtudent: quam virtutem etiam *ex Ethicis* notum eſt eſſe duplicem; moralem, & rationis: ſiue practicam, & theoreticam. Quare & recte hic Ariſtot. ait hæc duo vitæ genera (politicam ſiue ciuilem, & philoſophicam) optimos quoſque

Vita aut eſt ocioſa, aut negocioſa, aut Philoſophica.

tam

tam veterum quam ſuæ ætatis viros ſequi conſueuiſſe. Adiungit autem, quæſtionem hanc & controuerſiam magni eſſe momenti, cum ad ſingulorum tum ad Reipub. felicitatem: propterea quod hæc quæſtio ad ipſum vitæ ſcopum ac finem pertineat: quo non bene poſito, fieri vix poteſt, vt q̃ ad ſcopũ petendũ & attingendũ ſint inſtituenda, i. e. vitæ actiones recte collineentur ac dirigantur. Aliud namque τέλος ac vitæ finem propoſitum ſibi habet Politicus, ſiue is, qui honoribus & Republica gerenda vitam conſumere velit, alijsq; ad eum finem argumentis vti ſolet, vt legibus, vectigalibus, fœderibus, bellis, &c. Longe aliud ſpectat Philoſophus, rerũ ſcientiam & contemplationem, cui conſequendæ alijs quoq; longe diuerſis rationibus & adminiculis vti ſolet. Quare cum tantum in hac quæſtione momenti ad vitam beatam tam ſingulorum quam Rerumpub. ſit poſitum: recte & ordine facit Ariſtoteles, qui eam in his prolegomenis de optimo Reipub. ſtatu de integro explicauit. Nam de eadem iam ante diligenter & accurate diſputarat *lib.* 10. *Eth.* quo in loco & alios adduximus, qui idem argumentum tractarint, vt *Cicero. lib.* 1. *off. in fin. Philonem*, *Theophraſtum & Heraclidem*: etſi horum ſcripta interciderint. *Plato* quoque ipſe *in libris de Republ.* poſterioribus hac de re copioſe diſputat. Nam certe hæc quæſtio non tantum (vt *ſupra* dictum) magnum habet ad vitam vſum, ſed valde fuit controuerſa. Plærique enim principes Rerumpubl. vitam practicam cenſebant generi humano longe vtiliorem theoretica, quam etiam, vt hominum ocioſorum & inutilium, vel accuſabant, vel etiam exterminabant. Vt Romæ cenſor Craſſus ſcholam Rhetorum aperiri non eſt paſſus, vt ipſe ait *libro* 2. *apud Ciceronem de Oratore*. Et horum ſententiam acceptam etiam philoſophi quidam ſunt ſecuti & approbarunt, vt Heraclides ille Ponticus & Cicero, Plato, Ariſtoteles, & Theophraſtus, & plæriq; Philoſophi contemplatricem alteri longe præferendam iudicarunt atque cenſuerunt. Quanquam hoc in loco Ariſtoteles ita diſputationẽ ac ſententiam ſuam temperat ac moderatur, vt vtroſque (tam eos, qui practicam, quam alios qui philoſophicam tantum probabant) doceat in magno errore verſari. Qua de re non hoc capite, ſed proximo demum explicatur. Nam prius hic alium quendam errorem refellit eorum, qui practicam quidem vitã

Vſus & magnitudo cõtrouerſiæ de præcellẽtia vitæ practicæ & contemplatiuæ. Seneca ep. 95. ſeu vt alij 94. vita ſine propoſito vaga eſt, &c.

Practica vitæ patroni.

Contemplatricis vitæ patroni.

Correctio & Ariſtotelis ſententia.

ſequerentur, ſed militarem potius, quam politicam ac ciuilem; quiq; totam ſuam vitam, omnia tam publ. quam priuata inſtituta, ad bellum, ad imperium, ad dominatum dirigerent; vt erant Spartani, quos magnam partem hac ipſa in re Romani ſunt ſecuti, vt *infra* explicabitur.

TEXTVS.

Et hi quidem exiſtimant, imperare proximus, ſi quidem heriliter; maxima cum ignominia eſſe coniunctum: ſi vero ciuiliter, non eſſe illud quidem iniuſtum, ad beatitatem tamen ipſis afferre impedimentum. Sunt autem, qui plane contrariam ſententiam tuentur; exiſtimantes, vitam ciuilem, & in agendo poſitam, ſolam eſſe viri propriam. Nam cuiuſque virtutis officia & actiones non magis ad ſingulos & priuatos, quam ad eos, qui Rempubl. adminiſtrant, & in ea verſantur, pertinere.

COMMENTARII.

Νομίζουσι δ᾽ οἱ μ.] Dictum eſt *ſupra* de graui controuerſia, vtra vita alteri ſit præferenda; ea ne, quæ in agendo; an ea, quæ in contemplando eſt poſita. Hoc autem loco eam perſequitur Ariſtot. & ſuos cuiq; autores ac ſectatores eſſe, qui & ijdem ſuis quique rationibus nitantur, oſtendit. Affert autem 3. fere ſectas. Nam eſſe quoſdam, qui toti ocio ac contemplationi dediti omnem Reipubl. adminiſtrationem repudiant: eſſe alios, qui honores & Rempubl. gerere malint, alijſq; præeſſe & imperare, quorum tamen duo ſint genera. Nam ex his (inquam) qui vitam practicam ament, alios quidem moderate ac ciuiliter alijs imperare, alios vero tyrannice ac ſeruiliter. De rationibus, quibus quiq; horum trium adducti ita exiſtiment, hic breuiter, *infra* copioſe explicatur *proxim. cap.* quanquam de tertio genere, eorum puta qui omnia ad dominatū ac Tyrannidem potius referunt, hoc ipſo capite late agitur, eorumque opinio ac ſecta refellitur. Priores igitur duæ ſectæ iuſtioribus rationibus niti videntur: quarum prior eſt Philoſophorum, altera Politicorum. Et Philo-

Sectæ tres: 1. Prorſus repudiantium Reipub. adminiſtr. 2. Moderatā admittentium. 3. Tyrannicam.

Philoſophi quidem ita ſuam ſectam & opinionem tuentur: Quod dominari & imperare ciuibus ſuis & proximis vel ſit iniuſtum, puta ſi fiat tyrannice & ſeruiliter: vel certe ad beatam vitam magno ſit impedimento, etiamſi fiat moderate ac ciuiliter, vt fit in Regno, in Politia, & in optimatum Repub. De priore huius concluſionis parte, qua dicitur, & tyrannice & heriliter alijs imperare, coniunctum eſſe cum magna iniuria; inde perſpicuum fit, quod in liberos homines & pares non herili aut ſeruili atque impari, ſed ciuili, moderato, æquabili imperio ſit vtendum: id quod late explicatum *ſupra lib. 3.* Pars altera concluſionis, qua dictum eſt, occupationes politicas magnum afferre impedimentum ad bene beateque viuendum, ſatis per ſe intelligitur. Certe *Plato multis in locis*, his quoque occupationibus tribuit, cur eorum, qui in Republ. ſunt occupati, familia & liberi plærumque male educentur; quod ipſi, publicis rebus diſtracti, non ſatis habeant otij quod domeſticis impertiantur. Qui contrariam ſectam ſequuntur, & vitam actuoſam ac negocioſam otioſæ anteponunt, hac ratione ſe tuentur, quod vita in agendo poſita ſiue ciuilis & politica illa demum ſola ſit viri præſtantis propria: cum altera otioſa & priuata mulierum ſit potius, aut ſeruorum ac pecudum, ſuis tantum commodis otio ac voluptatibus deſeruientium, ſuumque (vt dicitur) negocium agentium. Quod autem Philoſophi identidem in ore habent & iactare ſolent, virtutes, earumque officia & actiones in beata potiſſimum vita exerceri, & eas eſſe priuatorum ac ſingulorum proprias: falſum eſt. Nam tametſi virtutes morales, liberalitas, temperantia, magnitudo animi, prudentia, iuſtitia, &c. in priuata hominum vita, negocijs & commercijs magnum vſum habent: non minorem tamen habent & in publicis rebus & actionibus, vt fortitudo in re militari, & in ſententia fortiter dicenda & exequenda; vt liberalitas & magnificentia in palatijs, in conuiuijs publicis, in tenuiores, ciues, hoſpites, ſcholas, Eccleſias, &c. iuſtitia in ſenatu, in iudicijs, in honoribus, præmijs & pœnis, &c. Sed de his duabus ſectis ſiue potius de ſuis cuiuſque rationibus & argumentis pleniſſime *infra* explicabitur *cap. prox.*

Ratio, qua prima ſecta homines nituntur.

Ratio, qua nituntur vita actuoſa laudatores.

Ἀπάντησις.

TEXTVS.

Alij vero formam & modum Reſpub. herilem & tyrannicum ſolum aiunt eſſe beatum.

COMMENTARII.

De 3. ſecta. Οἱ δὲ τὴν δεσποτικὴν.] Hæc tertia eſt ſecta, quam ſolam reprehenſione digniſſimam & iniuſtiſſimam eſſe docet Ariſtoteles. Quam tamen amplexi & ſecuti olim fuerant Spartani, eorumque initio perſimiles Romani. Quantumuis & Spartana, ætate Ariſtotelis, & poſtea Romana Reſpubl. à plæriſq; fuerit laudata.

TEXTVS.

Quin etiam apud quoſdam & hic in Repub. legum eſt finis, vt vicinis dominentur. Quare cum apud multos multa ſparſim, vt ita dicam, ſint inſtituta & leges: ſi tamen ad vnum aliquod referantur, ad dominandum omnes collineant: vt Lacedæmone & in Creta cum inſtitutio, tum legũ pars maxima ad bella accommodata eſt. Præterea in omnibus ijs gentibus, quæ alijs ſuperiores eſſe poſſunt, eiuſmodi facultas in honore eſt, vt apud Scythas & Perſas & Thraces & Celtas. Nam apud quoſdam quædam etiam ſunt leges ſiue inſtituta ad hanc virtutẽ incitantia, vt Carthagine ferunt, quot ſtipendia quis fecerit, annulorum ornatum caperet. Fuit olim & Macedonum inſtitutum, vt capiſtro cingeretur, qui nullum hoſtem interfeciſſet. In Scythis (apud Scythas) ei, qui nullum interfeciſſet hoſtem, ex poculo, quod quodã ſolenni feſto in orbẽ propinabatur, non licebat bibere. Apud Hiſpanos, bellicoſam gentem, obeliſcos (ſunt columnæ in cacumen faſtigiatæ: poni ſolent in ſepulchris) tot numero circa tumulũ defigunt (excitant) quot quis hoſtes interfecerit. Atq; alia

id

id genus apud alios multa ſunt inſtituta, partim quidem legibus comprehenſa partim vero morib.

COMMENTARII.

Παρ' ἐνίοις δὲ] Quod de tertio hominum genere ſiue ſecta dictum eſt; quoſdã eſſe, quib. forma Reip. herilis ſiue aſperior ac tyrãnica placeat: id exemplis aliquot Rerump. ac nationũ confirmat. Nam q̃ hic afferuntur de eo Reip. ſtatu in quo ll. & inſtituta ſpectent omnia ad dominatũ & rem militarẽ: videntur non incõmode ad 3. illud genus, vt exempli loco, accõmodari poſſe, præſertim cum Ariſt. hunc ſtatũ paulo *infra* ipſe vocet herilem his verbis; ἀλλὰ ἐοίκασιν οἱ πολλοί, &c. Affert .a. exẽpla partim à Græcis, partim à barbaris: vt veteres Græci homines bifariam diuidere ſolent. Et ex Græcis q̃dẽ Spar- **Exempla**
tanos, Cretes & Macedones cõmemorat; ex barbaris Scy- **huius 3.**
thas, Perſas, Thraces (Threces, vtrumq; .n. dicitur) & Celtas, **ſectæ.**
quo nomine Germanos & Gallos contineri certum eſt, Carthaginenſes & Hiſpanos. Adiungit .a. eundem ſtatum Reip. quo omnia ad dominatum & rem militarem referuntur, omnes fere nationes amplecti, quarum eæ ſunt opes, vt confidant, ſe alijs facile ſuperiores eſſe poſſe. Ea ſc. tenet omnes & ambitio, & latius dominandi cupiditas, finiumq; propagandorum. Exemplo ſit & Imperium Rom. ꝙ poſt Ariſtotelem **Ratio.**
exortum eſt. Eodem ingenio Bœotos (quem Græciæ populũ **Bœoti.**
hic prætermiſit Ariſtoteles) fuiſſe cõmemorat *Ephorus* (diſcipul⁹ hic fuit Iſocratis, *hiſtoricus inſignis*: perierunt omnia eius ſcripta) eoſq; grauiter reprehẽdit eo nomine ap. *Strab. l.* 9. vbi hæc Ephori verba exſtant de Bœotia; τὴν μὲν οὖν χώραν ἐπαινεῖ, &c. Quib⁹ verbis Ephorus cauſam exponit, cur Bœoti, quorum regio ad principatum & imperium ſua ſponte eſſet accommodatiſſima, nunq̃ tamen imperium tenuerit Græciæ, niſi vno ſuperſtite Epaminonda, ipſorum ciue ac duce: nimirũ ꝙ conſuerint λόγων καὶ ὁμιλίας τῆς πρὸς ἀνθρώπους ὀλιγωρῆσαι, μόνοι δ' ἐπιμεληθῆναι τῆς κατὰ πόλεμον ἀρετῆς, &c. ſapientiæ & humanitatis omni abiecta cura, tantum res militares ſtuderent. (Cur gẽtes multæ fortiſſimæ multa poſſunt acquirere, ſed non retinere? olim Gothi omnes prouincias Romanorũ occupabant, ſed retinere non poterant. Quia tantum dediti rei militari, cõſilio & ſapientia deſtituti; & idcirco ad acquirendũ aptiſſimi, ad retinendũ inepti.) Verũ de vitijs huius ſtat⁹ *infr.*

explicabitur, quo in loco eum ſtatum Ariſtoteles præclaris argumentis refellit.

ὅρος. Ὅρος.] Verbum hoc apud Platonem & Ariſtotelem in rebus politicis idem ſæpe valet, quod ſcopus ſiue τέλος, vt & hoc loco. Nam quod hic ὅρον vocat Ariſtoteles, de eadem re *infra* agens *cap.* 14. nominatim vocat σκοπὸν.

Χύδην.] Verti *ſparſim*, ad verbum. Poſſet non incommode reddi antiquo legum vocabulo, *per Saturam*, de quo *Feſtus*. (Aliquid per ſaturam ferre, id eſt, confuſe. *Saluſtius* vtitur. Peſſime eſt deprauatum *in vulgatis lib.* hoc verbum)

Spartanæ Reip. vitiū. Ὥσπερ ἐν Λακεδαίμονι.] Sæpe id reprehendit Ariſtoteles in Repub. Spartana: Eius plæraq; inſtituta & leges ad bellum ſiue rem militarem & ad dominatum eſſe comparata. Sic enim ait *ſupra lib.* 2. *cap.* 7. *extremo*, καὶ ὡδὶ δὲ τῇ ὑποθέσει τοῦ νομοθέτου, &c: & late *infra h. lib. cap.* 14. Quod idem in Lacedæmonijs ante Ariſtotelem & *Plato* aliquoties reprehendit, vt in Lachete, vt *li.* 3. *&* 4. *de ll.* vt *ipſe Iſocr. in Panathen. Cic:* *quoq; li.* 1. *off.* Sed illud (inquit) odioſum eſt, quod in hac elatione & magnitudine animi facilime & pertinacia & nimia cupiditas principatus innaſcitur. Vt .n. apud Plat. eſt, omnē morē Lacedæmoniorū inflammatū eſſe cupiditate vincendi.

Cretenſ. Καὶ Κρήτῃ.] De Repub. Cretenſi ꝙ hic indicat Ariſt. eam quoq; omnem rei familitari & dominationi accōmodatam fuiſſe, quia alibi non facile reperiatur, propter eius obſcuritatem. dignum obſeruatu videtur. Confirmari tamen vt veriſſimum id poſſe arbitror cum ex ijs, quæ *ſupra* explicauit Ariſtoteles *lib* 2. *cap.* 8. vbi docuit, harum inſtituta Rerumpub. Spartanæ & Cretenſis velut Coloniam fuiſſe: tamen ex ijs quæ multa commemorat de hac Repub. Cretenſi *Strabo lib.* 10. *ex Ephori Politia Europa*. quæ perijt.

Hominum ingenijs & potentia ac commodantur Reip. forma. Ἔτι δ᾽ ἐν τοῖς ἔθνεσιν.] Inſignis eſt & ingenioſa Ariſt. obſeruatio de cōparatione hominū ſiue nationum cum ſtatu & forma Reip. Nā talem fere homines aut nationes Reip. formā ac ſtatum amplecti, quali ipſæ ſint vel ingenio vel opibus atq; potentia præditi. Id ꝙ de hoc tantū Reip. genere, de quo hic agitur, in quo nimirū omnia ad bellū ſpectant, aliquot exemplis confirmat: omnes videlicet nationes, quæ & natura ſint bellicoſæ, & ita comparatæ, facile vt alios ſuperare, ſuumq; ſub imperium ſubigere poſſint, ad hanc (vt ita dicā) militarē Reip. formam eſſe propenſiores; eoq; inſtituta præ-

mia,

mia, commoda, pœnas etiam comparare ac dirigere, vt victoriæ & fortitudini præmia fere ſint propoſita, ignauiæ dedecus aut pœnæ.

Οἷον ἐν Σκύθαις.] De his nationibus, Scythis, Thracibus & Celtis, ætate Ariſtotelis, vel ex aliis hiſtoriis, perſpicuum eſſe poteſt, quod hic ait Ariſtoteles, eas vt bellicoſas fuiſſe, ita omnia inſtituta ac ſtudia tam publica quam priuata ad rem militarem & latrocinia (quæ rei militaris ac venationis eſt ſpecies quædam, vt *ſupra* dictum eſt *lib. 1.* hodie genus eſt, non ſpecies) retuliſſe, nullaſque pacis artes nouiſſe. Certe de Celtis, quorum nomine Gallos & Germanos contineri diximus, etiam ex recentioribus monumentis, & hiſtoriis Cæſaris & Taciti (recentioribus, quoad Ariſtotelem, dico) perſpici poteſt, eos à pueris ad rem militarem educari & aſſuefieri conſueuiſſe. De Scythis quoque & Thracibus, qui, vt & Germani, *teſte Tacito*, ſe à Marte procreatos dicerent, vulgare & notum eſt negotium. Erant enim perpetua fere ea ætate bella, Græciæ cum Thracibus, & antiquitus cum Scythis (hodie Tartari vocantur.) De Perſis longe alia eſt ratio, quam de reliquis nationibus, de quibus iam dictum eſt. Nam etſi verum eſt, quod hic ait Ariſtoteles, Perſarum quoq; imperium, quod eo tempore maximum erat, eorumq; formam Reipublicæ ad dominatum fuiſſe comparatam: erat tamen id imperium aliis quoque pacis artibus, & pulcherrimis legibus temperatum, vt videre eſt *in Xenophonte & Strabone.* Quamuis & *Plato in Politia*, æmulus ſcilicet Xenophontis (vt ait Athenæus) Perſicum imperium multis vitiis inquinatum ac deprauatum & plane vitioſum eſſe contendat.

Celtæ.

Hinc apud quoſdã adhuc hodie tympanis & bellicis inſtrumentis in nuptiis vtuntur.

ἐν ἐνίοις γδ.] Ait, apud has nationes bellicoſas ſæpe fieri, vt præmia quoq; viris fortibus proponantur, & contra ignauis ac timidis pœnæ. Quatuor huiuſmodi exempla hic commemorat; de aliis *infr.* dicetur.

καθάπερ ἐν Καρχηδόνι.] De hac quoque gente Pœnorum ſiue Carthaginenſium, quæ iam Ariſtotelis ætate potens erat & illuſtris, ſtatuque Reipublicæ vtebatur præclaro, vt ipſe explicat *lib. 2. cap. 9.* & poſtea longe potentior facta eſt & illuſtrior, facile quoque eſt ex veterum monumentis docere, eam plane fuiſſe militarem, & ad dominandum plus æquo propenſam. Quod autem hic ait Ariſtoteles de præmio, tot ornamenta ſiue corollas ex annulis contextas militantibus

Carthag.

Præmium militare.

dari ſolitas, quot ſtipendia quis feciſſet aut meruiſſet, non facile alibi reperias. Ea item, quæ proxime afferuntur, variarum gentium inſtituta in re militari, quo ad præmia & pœnas, vt rariora & inſignia, tamen digniſſima ſunt obſeruatu ex hoc loco.

καὶ ἔτερα δὴ παρ' ἑτέροις.] Nam & Romani, & Perſæ, & Indi, & Germani & Græci veteres ſua id genus & præmia & pœnas habuerunt militares, de quibus *Agell. libro 5. capite 6. Xenophon in Pædia, Strabo in poſterioribus libris Geographicis, Ælianus, & omnium antiquiſſimus Herodot.* ex quo quædam ſumpſit *Alexand. ab Alexand. lib. 4. genial. dier. cap. 8. & Tacitus in lib. de morib. German.*

TEXTVS.

Quanquam conſiderare volentibus valde abſurdũ fortaſſe videatur, eſſe hoc Politici officium, poſſe reperire, vt imperet ac dominetur proximis & volentibus & inuitis. Quî enim id ſit Politici aut legumlatoris proprium, quod ne quidem ſit legitimum. Non eſt autem legitimum, imperare non ſolum iuſte, ſed etiam iniuſte: ſuperiorem autem eſſe ſiue vincere licet, etiam iniuſte.

COMMENTARII.

Refutatio huius ſectæ. Καί τοι δόξειεν ἄν.] Hoc loco iam Ariſt. eorum ſectam refellit, quorum aliquot iam exempla attulerat, quibus nimirum ea Reip. forma probetur, in qua ad imperandum ac dominatum omnes leges ac inſtituta ſpectent. Affert autem 5. fere argumenta, quibus eam Politiam doceat non eſſe optimam. Nam alia in alium locum reiicit extremo hoc cap. vt eo loco indicabimus. Primum autem argumentum ſiue ratio

1. Argum. Ariſtotelis his verbis continetur, hæc nimirum; quod boni legum ſcriptoris, virique politici officium ſit, vt ea, quæ iuri & legibus ſunt conſentanea ſiue iuſta, propoſita ſibi habere debeat. Quo poſito, ſtatim efficitur, hoc genus Reip. in quo ad dominatum omnia ſpectant, ab officio boni legum ſcriptoris remotiſſimum eſſe. Iniuſtum eſt enim, quibuslibet velle dominari, tam inuitis quam volentibus & conſentientib. Illud enim Tyrannorum eſt proprium: hoc Regum & bonorum magiſtratuum, vt explicatum eſt *ſupra* aliquoties. Eſt enim cele-

celebris hæc Tyranni & Regis differentiæ nota, quod alter volentibus, alter imperet inuitis. Sic igitur hæc ratio concludatur: quæ ſunt iniuſta, ab officio viri politici, ac proinde ab optimo Reip. genere ſunt aliena. At omnibus velle dominari, etiam inuitis, iniuſtum eſt. Ergo, &c. *Form.*

TEXTVS.

Atque ne in aliis quidem ſcientiis id videmus. Neq; enim medici nec gubernatoris eſt officium, vel perſuadere, vel cogere; huius quidem ægrotos, illius vero nautas.

COMMENTARII.

Ἀλλὰ μὴν οὐδ' ἐν ταῖς.] Altera ratio à ſimili ſiue ab exemplo medici & gubernatoris, quibus ſæpe à *Platone, Ariſtotele, Cicerone & aliis*, vir politicus, legumque ſcriptor comparari ſolet, ſumitur. Vt enim horum munus & officium non in vi aut neceſſitate, ſiue in cogendo, ſed in rationibus ac perſuaſione cernitur: ita & Politici officium, eiuſque, qui aliis præeſſe velit, non violentum eſſe debet, ſed cum ratione coniunctum, & beneuolentia temperatum. *2. Argum.*

TEXTVS.

Sed enim plæriq; exiſtimare videntur, herilem dominatum eundẽ eſſe cum politico principatu: quodq; ſibi quiſq; nec vtile nec iuſtum eſſe ait, id ipſum non pudet in alios exercere. Nam ipſi quidem, vt iuſte in ſe imperetur, quærunt: in alios vero nulla iuris iis eſt cura.

COMMENTARII.

Ἀλλὰ ἐοίκασιν οἱ πολλοί.] Tertia ratio à peruerſa hominum opinione, eaque ipſi iuri naturæ repugnante, ſumitur. Nam tametſi ius hoc eſt naturæ, vt aliis quis faciat, quod ſibi velit fieri; quodque in alios iuris ſtatuat, eo & ipſe iure vtatur, vt notum eſt *ex titul. Pandectarum & dicto Chriſti, veterumq; Chriſtianorum* (quod ipſum Alexandrũ Imperatorem, licet non Chriſtianum, ſemper in ore habuiſſe à Chriſtianis ſumtũ, teſtat*ur* *Lampri.*) ea tamẽ multorũ eſt & ambitio & do- *3. Argum.*

minandi

minandi cupiditas, vt, hoc iure naturæ violato, ipſi, aliis iure an iniuria imperent, nihil penſi habeant, & ciuile imperium, quod maxime ciuium beneuolentia ac ſtudio continetur, in herilem & tyrannicam dominationem conuertant: cum tamen, ſi aliis ipſi parere debeant, eos potius Principes ſibi expetant, qui iuſte ac moderate & volentibus imperent, quam qui tyrannice, impotenter, ac pro libidine.

TEXTVS.

Abſurdum eſt autem, niſi natura hoc quidem ſit tale, quod heriliter imperet, illud vero non heriliter. Quare ſi ita ſe res habet; non id agendum eſt, vt omnibus quis dominetur: ſed iis, qui ad dominatum ſunt apti. Quemadmodum neque venando homines ſunt capiendi ad epulas, vel ad ſacrificium: ſed id, quod huc aptum eſt, vt venando capiatur. Id autem aptum eſt ad venandum, quod ferum ſit, & menſæ aptum animal.

COMMENTARII.

4. *Argum.* Ἄτοπον δ.] Aliud argumentum, item à iure ſiue lege naturæ ſumptum exponitur. Nam iure naturæ alii ad parendum (& quidem ſeruiliter) ſunt facti, alii non. Alii quoque natura ita ſunt facti, vt heriliter dominentur: alii ita, vt non dominentur in alterum. Vt enim *ſupr. lib. 1.* explicatum eſt: quidam natura ſunt ſerui, quique alio imperio, niſi herili, ſalui & incolumes eſſe non poſſunt. Alii natura ſunt liberi, quique ciuile quidem imperium ferre poſſint, ſeruile non poſſint nec debeant. Quare qui omnes eodem iure complecti, atque tam natura liberos, quam ſeruos eodem imperio herili ſiue tyrannico continere & cohercere velit: contra ius naturæ vt faciat, neceſſe eſt. Contra vero is naturæ conuenienter imperabit, qui pro differentia eorum, qui erunt in imperio, imperare velit: in eos quidem dominari, qui natura ſunt ſerui; in alios non item. Id quod ſimilitudine quadam à venatu ſumpta illuſtrat. *Simile.* Vt enim (inquit) non quælibet animalia talia ſunt, quæ venando capiantur, ſed ea tantum, quæ fera ſint & edulia, ſiue ad veſcendum idonea, quorumque vſus

vel

vel in epulis, vel ad victimas eſſe poſſit: homines vero, ſiue alia manſueta animalia non capiuntur venando: ita quoque ex hominibus ad imperium herile non omnes natura ſunt facti; ſed illi tantum, qui ſeruili ſint ingenio, id eſt, natura ſerui.

δεσπόζον ἐστί.] Etſi hæc duo, *δεσπόζον* & *δεσποτὸν*, id eſt, id quod dominatur, & id in quod illud dominatur, ſiue in quod eſt dominatus, ita inter ſe ſunt relata, vt quod ex vno elicitur, idem quoque ex altero elici poſſit: & proinde idem argumentum & ſententia huius loci ex vtroq; non ita in commode ſumi poſſit, vt & nos vtramque ſententiam expoſuimus, tam de dominante, quam de parente: locus tamen hic longe ſit planior, ſi pro *δεσπόζον*, quod hic bis iteratur, ſcribatur *δεσποτὸν*, vt *infra τῶν δεσποτῶν*, vt & in ſimilitudine eſt *θηρευτὸν*. Sic enim clara eſſet ac breuis concluſio. Cum non omnes mortales, ſed partim ex iis ita natura ſint facti, vt herile imperium ſiue dominatum ferre poſſint ac debeant, partim non: abſurdum ſit, & contra naturam, velle tamen in omnes herile imperium exercere: cum in eos tantum id ſit iuſtum, qui natura ſunt *δεσποτοὶ*, id eſt, ad tale imperium facti.

TEXTVS.

Quin etiam eſſe poſſit ciuitas vna per ſe beata, quæ nimirum bene adminiſtretur. Siquidem fieri poteſt, vt ciuitas ſeiuncta ſit alicubi, quæ bonis legibus vtatur. Cuius Reipublicæ ratio non ad bellum, neq; ad hoſtes ſuperandos ſit comparata. Sit enim nihil tale.

COMMENTARII.

ἀλλὰ μὴν εἴη γ'.] Alia eſt ratio ſiue argumentum aduerſus rationem Reipublicæ militarem, de qua agitur, quæ ratio ita concludi poteſt: ſi forma militaris optima eſſet ac veriſſima Reipublicæ deſcriptio ſiue forma: non poſſet vlla reperiri ciuitas optima ac beatiſſima, quæ nō ea forma & ratione Reipublicæ militari vteretur. At poteſt ciuitas reperiri beata & bene conſtituta, quæ tamen ad bellum & dominatum non ſit accommodata. Quare efficitur, militarem eam Reipublicæ formam non eſſe veriſſimam & optimam. Aſſumptionem

5. Argum.

Minoris et firmatio.

nem confirmat Ariſtoteles in hunc modum: Nihil (inquit) prohibet quin ciuitas aliqua eſſe poſſit florentiſſima ac beata, vtpote ea, quæ optimis legibus & inſtitutis ſit temperata, quæ tamen nec bella gerat, nec in re militari ſe exerceat; nimirum ſi nulla ſit occaſio belli gerendi, vt quia nulli ſint hoſtes, nulli etiam vicini, quibus inferri bellum poſſit: puta, ſi ſit ciuitas ab aliis remotior, quæque per ſe ſuis legibus vtatur, & cum aliis, licet remotioribus, tantum habeat commercii, quantum ad vitæ quotidianæ vſum ſit neceſſarium: quod cum aliis in locis interdum, tum maxime in Inſulis vſuuenire poteſt.

Μηδὲν γὰ.] Id eſt, fingamus ſiue faciamus, nullam eſſe vel occaſionem vel neceſſitatem belli gerendi, vt quia ciuitas ſit ab aliis longe diuiſa & ſeparata. Vicinitas enim, vt & communio, lites & diſſidia parere ſolet.

Vicinitas & cõmunio litium occaſio.

TEXTVS.

Quare intelligitur, omnes quidem curas & ſtudia bellica eſſe ea quidem honeſta & pulchra habenda; non tamen, vt finem omniũ ſupremum, ſed huius potius illa gratia. Eſt autem boni legum ſcriptoris, videre, quomodo ciuitas & genus hominum, omniſque alia ſocietas vitæ beatæ quodammodo fiat particeps, eiuſq; beatitudinis, quæ in eos cadere poſſit. Different certe leges & inſtituta quædam inter ſe; idq; munus eſt huius ſcientiæ legum ſcribẽdarum, videre, ſi qui ſint finitimi, qualia ſtudia aduerſus quales ſint excolenda, quibuſq; officiis in ſingulos vtendum. Verum de hoc quidem, ad quem finem optima Reſp. collineare debeat, infra quoq; ſuo loco explicabitur.

COMMENTARII.

Δῆλον ἄρα.] Concluſio eſt diſputationis aduerſus eos inſtitutæ, qui Remp. militarem (vt ita dicam) id eſt, eam, in qua ad bellũ & dominatũ omnia ſpectant, vt ad vltimum finẽ & beatiſſimũ, optimã eſſe arbitrantur. Qua cõcluſione declarat

Ariſt.

Ariſt. iam perſpicuũ eſſe ex priore diſputatione & argumentis allatis, ſummũ & optimũ finẽ, quem vt ſinguli homines, ita & vniuerſæ ciuitates ſibi proponunt (vt *ſupr.* dictum *initio l.1. Eth.*) non eſſe poſitũ in vnis actionibus belli aut militaribus, ſed potius in actionibus ex omni virtute manantibus, non ex fortitudine ſola, vel virtute militari; quin potius has actiones eius ſummi finis conſequendi cauſa, quem beatitudinem ſiue beatam vitam vocamus, vt & aliarũ virtutum actiones, ſuſcipi ac fieri. Nam ex prioribus iam conſtat, poſſe interdum fieri, vt ciuitas floreat ac beata ſit, quæ tamen actionum militarium plane ſit expers. Dictum quoque eſt, eos, qui in hac ſola virtute & actionibus militaribus ſunt occupati, ſuaque omnia conſilia & facta ad imperiũ propagandũ, vtq; aliis dominentur, conferunt, nõ tantũ non virtute omni præditos eſſe, ſed ſæpe ipſis virtutibus, maxime iuri & iuſtitiæ, adeoq; ipſi naturæ aduerſari. Hanc autem diſputationem, vulgi & communi eius ætatis opinioni contrariã, qua ætate ab omnib. fere Spartana Reſp. laudabatur, vt omniũ optima, quæ tamen ad rem militarem erat accommodata (vt dictum eſt) & res in bello geſtæ, ac facinora militaria vulgo ſemper magis glorioſa & illuſtria, quam pacis artes & munera, celebrari ac prædicari ſolent. Hanc igitur diſputationem ne quis, vt paradoxam, calumnietur, & Ariſtotelem ipſum non tantum propter Rempublicam & Athenienſem & Spartanam, quæ vtraque magnam laudem & gloriam ex re militari ea ætate quærebat, ſed etiam propter Philippum & Alexandrum, quorum magnæ iam eſſent opes ac gloria ex re militari, in inuidiam vocaret: caute & ſapienter etiamque vere adiunxit Ariſtoteles hic, laudes, & facta militaria honeſta eſſe, & præclara ſiue glorioſa, non tamen vt in iis ſint omnia, non vt in iis regni aut Reipublicæ beatitudo ſit ponenda: quod ipſum *infra* latius explicatur *capite decimoquinto*. Ex his autem id quoque intelligitur; quid ſpectare debeat bonus rector Reipublicæ, ſiue legum ſcriptor ſapiens, quem finem in optime deſcribenda Rep. ſibi propoſitũ habere debeat, non victoriam vel dominatum & imperium in quoslibet. Qua in re Lycurgus & Minos, aliique, magni licet alioqui legum ſcriptores & Rerumpublicarum auctores, aberrarint, vt & *ſupra* dictum *lib.2.* ſed cum potius finem & ſcopum, qui eſt & ſingulorum hominum, nempe vitã beatam. Hoc enim eſſe officium

Quid de re militari ſtatuẽdum ſit Politico.

Vita beata finis eſt, quẽ ſibi bonus Politicus in deſcribẽda & gubernãda Rep. propoſitũ habere debet.

officium & munus veri Politici, boniqne legum ſcriptoris, videre & curare, vt ciuitas, quam legibus & inſtitutis deſcribendam & temperandam ſuſceperit, bene beateque viuat, & ſinguli ordines ciuium ſuo quique in genere, id eſt, dare operam, vt ciuitas ſit beata, idque pro populorum ſiue nationum & pro ordinum diſcrimine. Quod diſcrimen ſapienti Politico diligenter tenendum & obſeruandum eſt. Neque enim optima Reſpublica in omnibus populis inſtitui debet aut poteſt. Alii namque moderatiore magiſque ciuili, vt de Græcis ait Ariſtoteles, alii, vt barbaræ quædam nationes, & immanes ac feroces, herili imperio ac tyrannico melius reguntur & continentur. Qua in re plæroſque, qui de Republica vel diſputarint olim vel ſcripſerint, grauiter hallucinatos eſſe docuit *ſup. lib. 3.* qui tantum de optima Republica vel agerent, vel ſcriberent, cum tamen vel propter ipſa loca, vt aſperiora, vel propter hominum ingenia ſemper obtineri nequeat. Et hoc eſt, quod hic ſubobſcure indicat his verbis; πῶς μεθέξουσι ἐκ τῆς ἐνδεχομένης, &c. Ex hac autem varietate perſpicuum eſt, illud quoque conſequi neceſſario, non eſſe eaſdem leges vel inſtituta omnibus populis aut Rebuſpublicis tradenda & accommodanda; ſed vt ipſæ nationes & hominum genera diſcrepant: ita & ipſas Rerumpublicarum formas diſcrepare: & proinde diſſimilia quoque & diſcrepantia inſtituta & leges eſſe debere.

Reſp. accõmodãda rei præſenti.

Leges diuerſa diuerſis Rebuſp. conueniunt.

CAPVT III.

EXPLICAT hoc capite queſtionem Ariſtotelis alteram, priore capite propoſitam, de comparatione vitæ duplicis, tam eius, quæ in contemplando quam quæ in agendo verſatur; quarum ſtudioſos, ſuam quemque alteri anteferendo, & alteram reprehendendo, vtroſq; à vero aberrare docet.

TEXTVS.

In eos autem, qui vitam cum virtute maxime expetendam eſſe conſentiunt illi quidem, ſed de vſu eius diſſentiunt, in vtroſque eos nobis eſt diſſerendum (nam hi quidem omnia ciuilia imperia improbant; exiſtimantes, vitam liberi & aliam quan-

quandam eſſe à ciuili, & omnium maxime expetendam: illi vero, eam eſſe optimam. Neque enim fieri poſſe, vt qui nihil agit, bene agat: bene autem agere & beatam vitam idem eſſe) quod vtriq; partim quidem ſentiant recte, partim vero non recte. Illi quidem, quia liberi vita herili melior: id enim verum. Nihil namque præclari, ſeruo, quia ſeruus, vti. Iuſſus enim de rebus neceſſariis nullam cum rebus præclaris affinitatem habet. Illud vero non rectum, putare, imperium omne eſſe dominatum. Non enim minus diſtat liberorum imperium à ſeruili, quam ipſum natura liberum eſſe à natura ſeruo. Sed de iis ſatis eſt in prioribus libris (in primis diſputationibus) explicatum (hoc eſt, in 1. libro.) Ceſſationem autem ſiue otium magis laudare, quam actionem ſiue negotium, non verum (rectum) eſt. Vita namque beata eſt actio. Præterea multarum & honeſtarum rerum finem habent iuſtorum & moderatorum actiones.

COMMENTARII.

Πρὸς δὲ τοὺς ὁμολογοῦντας.] Explicata priore quæſtione, & eorum reprehenſa opinione, qui optimam eam eſſe Rempublicam æſtimarent, quæ ad dominandum ſit comparata, & ad rem militarem maxime ſit accommodata, vt Spartanam & Romanam fuiſſe docuimus: hoc cap. aliorum quoq; contentionem quandam dirimit de duobus vitæ generibus; politico ſiue practico, & philoſophico ſiue theoretico. Nam etſi plura vitæ ſunt genera, vt otioſorum voluptati tantum ſeruientium; & quæſtuoſum, vt eſt opificum & mercatorum, de quibus omnibus *ſup. lib. 1. cap. 5. Ethic.* de his tamen duobus duntaxat explicandum fuit: propterea, quod hæc duo ſola cum virtute cognationem habeant. Nam vtraque hæc vita virtutem & ex ea ſiue ex eius officiis, ſiue actionibus manantem vitam beatam, tanquam ſcopum & finem, ſibi propoſi-

Controuerſia de præſtantia vitæ practicæ & theoreticæ.

Cur de his duob. tantũ vitæ generibus tractet.

tam habet. Nam & illud notum eſt ex *Ethicis*, vt duo hæ vitæ maxime illuſtria ſunt genera: ita & virtutem quoq; & ipſam beatitudinem aliam eſſe practicam, aliam theoreticam. Ait autem initio Ariſtoteles, ſua ætate magnam hac in re fuiſſe controuerſiam; vtra alteri vita ſit præferenda, & vtro genere optima Reſp. ſit metienda & æſtimanda. In eo quidem eos conſenſiſſe, quod vita beata non in voluptate aut quæſtu, ſed in virtute ſit collocanda. Verum cum virtutis duo ſint genera, & duplex vſus, partim videlicet in agendo, vitaque communi, partim in contemplando poſitus: in hoc ipſo diſſenſiſſe, quod alii contemplationem, alii actionem anteponendam iudicarent: alii (inquam) eam vitam, quæ in honoribus & Republica adminiſtranda cernatur, vt optimam & laudatiſſimam, ampiectantur, qui Politici nominantur: alii eam, quæ in rerum contemplatione & veritate inueſtiganda verſetur, vt beatiſſimam, ſequerentur, qui Philoſophi dicuntur. De hac autem controuerſia latius diſſeruit Ariſt. *lib. vlt. Eth. & multis in locis Plato, maxime in libb. de Rep.* Quæ controuerſia etiam ad poſteros Platonis & Ariſt. manauit. Nam, vt videre eſt *ap. Cic. in Ep. ad Att.* ſcriptis, eam exagitarunt Ariſtotelis duo inſignes diſcipuli, *Theophraſtus & Dicæarchus*: quorum ille otioſorum Philoſophorum, hic Politicorum negotioſam optimam eſſe contenderint. *Cic. in l. 1. Off. extrem.* Dicæarchi ſententiam, altera rationibus quibuſdam reprehenſa, ſequitur: vt & alias adductis aliorum locis copioſius expoſuimus. Videatur tamen & *Alcinous* hac de re *in libello de decretis Philoſophiæ Plat. cap 2.*

Ratio, qua contemplatricis vitæ patroni vtebantur. 1. Approbatio.

Οἱ μὲν γὰρ ἀποδοκιμάζοντες.] Exponit breuiter rationes, quibus in ſuo quiſque vitæ genere approbando niteretur. Nam Philoſophi quidem, quiq; imperia & honores ciuiles improbare conſuerint, hanc rationem afferebant, quod vita ciuilis à vita libero digna ſit remota & aliena, quod ſit (inquam) ſeruili, quam vitæ liberorum ſimilior. Cur ita quæſo? Quod ii, qui præſunt aliis, dominari; qui parent magiſtratibus, iiſque, qui præſunt, ſeruire videantur. Ex quo id intelligitur, vitam hanc ciuilem herili & ſeruili comparari poſſe Vnde & hoc efficitur, hanc vitam non eſſe optimam: eo quod perſpicuum & notiſſimum ſit, ſeruilem vitam vita homine libero digna longe eſſe deteriorem. Contra alii hac vtuntur ratione, qui vitam ciuilem otioſæ & philoſophicæ anteponendã cenſent: quod,

Ratio eorũ, q vitã practicam defendunt.

cum

cùm vita beata & ipſa ſit quædam actio, & ex actionib. virtutum exiſtat, fieri non poſſit, vt otioſus, quiq; ab omni actione ſit remotus, beatus vel eſſe vel dici poſſit. Et hoc eſt, quod ait: *ἀδύνατον γὰρ τὸν μηδὲν πράττοντα*, &c. Quibus in verbis vis argumenti ſiue rationis, qua Politici vtuntur, venuſta & elegãs eſt poſita in origine & etymologia verbi *πράττειν* & *εὖ πράττειν* & *εὐπραγίας*. Græci namq; *πράττειν*, quod latine, agere, & *εὖ πράττειν*, quod hi beatum eſſe (*Horat. audax Græcorum imitator*, bene rem gerere, reddidit latine, *in Epiſt. ad Celſum*) dicunt. Vnde & *εὐπραγία* apud Græcos idem eſt, quod *εὐδαιμονία*, latine, vita beata ſiue beatitudo. Quod autem dictum eſt, vitam beatam & actionem quandam eſſe, & ex actionibus oriri, explicatur copioſe *lib. 1. & 10. Ethic.* & his libris ſæpe iteratur *& infr. c. 13. & 14.*

ὅτι τὰ μὲν.] Obſeruanda eſt Ariſtotelis modeſtia in aliorum reprehenſione, & etiam prudentia. Nam ita & alias ſolitus eſt aliorum ſententias non totas abiicere, ſed quæ ex iis ad rem ſuam faciunt, retinere & probare, aliis tantum repudiatis; vt videre eſt *ſup. lib. 2. 5.* &c. Ergo in hac quoq; quæſtione docet h. l. illos in ſuo quemq; genere quædã bene, quædam non recte protuliſſe. Et de Philoſophis quidem primo, id eos recte dicere, vitam herilem ſiue ſeruilẽ ea, quæ eſt liberi, eſſe longe deteriorem, vitam liberi ſeruili, ſiue herili, ſine controuerſia eſſe meliorem. Id quod & confirmat adiuncta ratione, quia ſeruo vti, quia ſeruus, nihil in ſe præclari habeat, id eſt, quia cum poteſtas & imperiũ herile in eo ſit poſitum, vt ſeruo vtatur in rebus ſeruilibus, eiq; imperet ac præſcribat ea, quæ ad vſum vitæ ſunt neceſſaria, ad rem (inquam) familiarem ac domeſticam: Ea autem iuſſa & imperia ſint rerum leuiorum & viliorum: merito hoc ipſum imperium ſiue poteſtas herilis nullam in ſe dignitatem & ſplendorẽ habere dicatur. Breuiter, imperium herile rerum eſt leuiorum, vt neceſſariarum, ſiue ad rem familiarẽ pertinentium. Nulla igitur eius vel exigua dignitas, ſplendor ac ſpecies. Aliarum autem rerum, quibus liberi vtuntur, & in quibus ii verſantur, vt diſputationum philoſophicarum, adminiſtrationis Reipub. & militaris, &c. egregius eſt ſplendor ac dignitas.

τὸ ἦθος ὁ modeſtia Ariſtotelis.

ἡ ἐπιχείρησις Ariſtot. de hac controuerſia.

1. Hypotheſis Philoſophorum, ea quæ vera.

οὐθὲν γὰρ τό γε.] Dominus ſeruo vti poteſt bifariam vel vt ſeruo, vel vt libero: vt ſeruo quidem, in rebus ſeruilibus, & ad rem familiarem pertinentibus. Vt libero vero, ſiue non vt

ſeruo, ſi eo vtatur vel vt præceptore, vel vt conſiliario, ſiue adhibendo eo in conſilium, vel legendo in militiam, vt interdum Romæ & Lacedæmone factum conſtat. His enim in rebus ſeruo vtitur dominus, non vt ſeruo, ſed vt viro docto, ſapiente, forti, &c. quæ ſunt virtutes non ſeruorum, ſed libero dignæ, quæque in ſeruos, vt ſeruos, non cadunt, vt neq; ipſa beata vita. Quod explicatum eſt *lib. 1. & 10. Eth. & ſup. lib. 1. Polit.* de quo & *infr. cap. 14.*

ἡ γὰρ ἐπίταξις.] Imperium de rebus neceſſariis, id eſt, ad rem familiarem pertinentibus verus eſt vſus ſeruorum ſiue poteſtatis herilis. Quod ſane imperium nihil in ſe habet glorioſi aut præclari, vt *ſupra* dictum. Nam & alias conſtanter Ariſtoteles hæc duo [ἀναγκαῖα & καλὰ] vt contraria inter ſe opponere ſolet. Nos latine res leues, viles & humiles præclaris, & dignitatem in ſe habentibus, vt contrarias, opponere conſueuimus, quod *ſupr.* iam monuimus *lib. 1. cap. 7. & alibi.* Honeſta, liberalia Ariſtoteli ſunt καλὰ: ſeruilia, illiberalia, & opificum opera ſunt ἀναγκαῖα & βάναυσα, vt *lib 1. Metaphyſ. cap. 2. in fin. & infr. hoc lib. cap. 14. in verbis:* καὶ τῶν τεχνιτῶν τὰ μὲν, &c. vbi & hoc dicetur, ſeu latius explicabitur.

1. Hypotheſis Philoſophorum, ea que falſa. Callicrat. tria facit imp. Stob. ecloga œcon. τὸ μέντοι νομίζειν.] Nunc peccata duo Philoſophorum exponit: prius eſt in eo, quod putarent imperium omne eſſe dominatum, eſſe herile ſiue ſeruile. In quo profecto eos fugit ratio. Duo namque ſunt imperii genera, non ſecus atque hominum. Vt enim etiam natura duce alii ſunt liberi, alii ſerui, iique longe inter ſe diſtincti: ita vt imperandi ratio ſiue imperium aliud eſt liberis, quod ciuile; aliud ſeruis, quod herile dicitur, accommodatum. Qua de re diligenter, erudite & copioſe explicatum *ſupra libro 3. capite 4.* Nam de duplici hominum genere alios natura liberos, alios eſſe ſeruos, explicatum eſt *lib. 1.*

2. Hypotheſis Philoſophorum, & ipſa quoq; erronea. 1. Arg. ἀνα-[illegible]. τὸ δὲ μᾶλλον.] Alter eſt Philoſophorum error ſiue peccatum, vitam otioſam & contemplationi deditam ciuili, & adminiſtrationi Reipublicæ præferētium, in eo poſitus: quod otium & ceſſationem actioni præferant, maioreque laude dignum putent. Nam contra Ariſtoteles actionem otio præferendam & meliorem eſſe duabus his rationibus oſtendit. Prior hæc eſt: quia ipſum ſummum bonum, ſiue beatitudo ipſa, quædam ſit actio. Nam (vt explicatum *lib. 1. Ethic.*) vita beata

actio eſt animi ex virtute in vita perfecta. Altera ratio ſubobſcurior affertur in his verbis; ἔτι δὲ πολλῶν, &c. quia iuſtorum & temperantium, inquit, virorum actiones finem habent multarum rerum inſignium & præclararum, id eſt, quia actiones iuſtæ ſiue iuſtorum, vt in iure dicundo, & iuſtitia adminiſtrāda, & actiones temperantium ſiue in abſtinentia pecuniæ, ſiue in continentia magnos habent vſus in vita humana, & ſæpe ad res maximas ſunt vtiles; vt propter iuſtitiam interdum fit, vt regni aut Reipublicæ imperium alicui attribuatur, quod olim in primis regnis accidere ſolitum ex *Herod.* commemorat *Cic. lib. 3. Offic.* De continentia quoque, quantam ſæpe vim habeat, exemplo ſit Scipio & ipſe Alexander Magnus. Eadem eſt ratio ſiue vis & efficacia reliquarum quoque virtutum moralium, nimirum liberalitatis, humanitatis, fortitudinis, &c. quæ ſæpenumero maximæ ſint occaſiones ad ſummas res gerēdas. Id quod cum perſpicuum ſit ex otio non effici; non eſt difficile intelligere, actiones ipſas otio eſſe præferendas, vtque ſæpe ſint cauſæ grauium & magnarum rerum gerendarum. *2. Argum.*

TEXTVS.

Atque his ita definitis, exiſtimet quis fortaſſe, optimū eſſe omnium, habere dominatum. Nam ſic actionum multarum & clariſſimarum dominus & auctor eſſe poſſit; ideoque non debere eum, qui imperare poſſit, alteri concedere, ſed potius ſumere, atque nec patrem filiorum aut liberorum, nec liberos patris, nec omnino amicum amici rationem habere, nihilque de eo laborare. Id enim, quod optimum, maxime eſſe expetendum. Bene autem agere eſſe optimum.

COMMENTARII.

Καὶ τοι τάχ' ἂν ὑπολάβοι.] Affert hic Ariſtoteles calumniam ſiue captionem, quam ex iis, quæ modo ſunt explicata, quis contexere poſſit. Nam ex priore diſputatione id effici videtur, optimum eſſe dominari omnibus: & proinde debere quemq; quouis modo (iure an iniuria, nihil intereſt) & impe- *Obiectio.*

rium ſibi arripere, & probare, & alios, etiam eos, qui iuſtius imperare debeāt, imperio detrudere ac ſpoliare. Sic.n. concludere is poſſet: Si agere tam eſt laudabile, vt iam dictum: Ergo omnis agendi occaſio erit arripienda. At in imperando optima eſt agendi occaſio. Nam, vt vetus eſt prouerbium; Imperium ſiue magiſtratus oſtendit virū, id eſt, in imperiis demum cernuntur facta & officia virtutum: & longe ſunt illuſtriora principum & magiſtratuum ſiue publica facta, aut res geſtæ, quam ciuium priuatæ actiones, & officia virtutum. Deinde virtutum officia & actiones in imperiis non tantum ſunt illuſtriores & clariores, vt iam dictum eſt; ſed etiam frequentiores. Semper enim qui cum imperio verſantur, occaſionem aliquam habent excolendæ virtutis. Ex quibus intelligitur, imperium & dominatum ad edendas actiones & claras & crebras eſſe accommodatiſſima. Quare cum tantopere actiones ſint laudabiles, videtur (vt iam dictum eſt) id quoq; inde effici, imperium quolibet modo eſſe arripiendum; nulla vel parentum vel liberorum, vel amicorum, vel iuris & honeſtatis habita ratione. Id quod eo magis confirmatur, quod ipſum ſummum bonum ſit actio quædam, ſiue beatum eſſe nihil ſit aliud, quam bene agere, vt Græci loquuntur, *εὐπράττειν*. Notum eſt autem, ſummum bonum maxime eſſe expetendū; vnde conſequitur, ipſum quoq; bene agere, & proinde ipſum quoq; agere (nā ex multis bonis actionib. ipſa *εὐπραγία*, ſiue optima actio, i. beatitudo naſcitur) maxime eſſe expetendum. Duplex eſt igitur ratio huius calumniæ; cur (inquam) imperia quolibet modo ſint inuadenda & arripienda: tum quia actionum præbeant materiam plurimarum & maximarum: tum quia actiones, vt ad ſummum bonum ſpectantes, per ſe maxime ſint expetendæ.

Plutarch.

TEXTVS.

Hoc igitur vere fortaſſe dicunt, ſiquidem aderit ſpoliantibus, & vim afferentibus ex omnibus reb. ea, quæ maxime eſt expetenda. Verum fortaſſe fieri non poteſt vt adſit, ſed falſo id ponunt. Neque enim etiam id accidere poteſt, vt eius præclaræ ſint actiones, qui tantū non excedat, quantū maritus vxori, aut pater liberis, aut dominus ſeruis. Quare

qui

qui violat rectũ, nihil recti tantũ poſterius fecerit, quantũ à virtute diſceſſit. Parib. namq; honeſtum & iuſtum in eo quod viciſſim. Id enim par eſt & æquum. Quod aũt non eſt æquum æqualib. quodq; non eſt par paribus, contra naturam. Nihil autem eorum, quę contra naturam, honeſtũ. Quare ſi vel alius quis virtute & facultate ad res optimas gerendas præſtans; hunc ſequi honeſtum, & huic parere iuſtum eſt. Debet autem non virtus tantum, ſed etiam facultas adeſſe, ſiue poteſtas, qua ad agendum ſit inſtructus.

COMMENTARII.

Τοῦτο μὲν οὖν ἀληθῶς.] Priorẽ calumniã ſiue captionem, qua quis ad imperandi ſiue dominandi libidinem excitari poſſit, hoc loco iam refellit Ariſtoteles: & primum ſuo more iis, qui hanc calumniam afferunt, aliquid concedit, largitur, verumque eſſe iis conſentit, quod in approbationem calumniæ velut argumentum protulerunt; Summum bonum & in agendo eſſe poſitum, & ab omnibus eſſe expetẽdum, ſiue ſummo id ſtudio quenq; quærere. Verum quod inde effici cupiunt, vt propterea principatus & imperia iure an iniuria quærantur & arripiantur, & iniuſtis his inuaſoribus optimum & ſummum bonum obtingere poſſe: id vero falſiſſimum eſſe, & plane ἐκ τῶν ἀδυνάτων, id eſt, fieri omnino non poſſe, præclare demonſtrat. Quæ res vt intelligatur, paulo altius eſt repetenda. Dictum eſt & explicatum late *ſupra libro 3. & 4.* imperium omne vel eſſe in pares vel in impares. Id, quod eſt in pares, ciuile dicitur ſiue politicũ: cuius propria eſt viciſſitudo, id eſt, vt omnes aut plæriq; viciſſim & præſint & pareãt: quod fit in Rebuſpub. Id autem, quod eſt in impares, Regnum fere aut Tyrannis vſurpatur, vbi vnus aliquis reliquis longe præſtantior & impar in eos, vt impares & inferiores, dominatum habet. Iam vero in vtroq; imperii genere id & iuri ac iuſtitiæ, & ipſi naturæ ac honeſtati conſentaneũ eſt, vt in altero quidẽ, ꝙ eſt inter pares, non vnus aliquis ſemper dominetur: ſed (vt dictum eſt) in orbem ſiue viciſſim imperent ac pareant. Quid enim iniquius ſiue à iure & iuſtitia magis alie-

Hypotheſis ſeu problema ſynergon aduerſariorum.

λύσις τῆς ἀνθυποφορᾶς.

num excogitari poteſt, quam vt is, qui virtute & rerum vſu non excellit, ſed par eſt reliquis, tamen vnus ſemper imperare, nunquam parere, velit? Quæ dominandi cupiditas iniuſta Iulium Cæſarem eo impulit, vt omnia diuina & humana iura Romæ confuderit, *inquit Cic. lib. 1. Offic.* Idemque accidere aliis ſolet, qui cum ſint pares, pari tamen iure cum reliquis ciuibus viuere non velint. In altero vero ſi vnus aliquis virtute & rerum vſu ita reliquis antecellat, vt tanquam Deus aliquis inter ciues eſſe videatur, optimo huic iure vni imperium debetur, qui & ſolus ſemper imperet, & nunquam pareat. Eſt enim id iuri ac iuſtitiæ contrarium, vt qui longe reliquis eſt ſuperior, pari iure cum iis viuere debeat. Cuius generis heroas, quia ſunt rari, recte monuit Ariſtoteles *ſup. li. 3.* difficile factu eſſe, vt veri & iuſti principatus ſiue regna inter homines exiſtere poſſint. His ita poſitis (quæ ſatis *ſupra* ſunt explicata, & hic breuiter iterantur) conſequitur, falſum eſſe: quod illi calumnia ſua efficere cupiebant, nimirum quolibet modo inuadenda & rapienda eſſe imperia, quia materiam & cauſam præbeant honeſtarum actionum. Nam tum demum cauſam bonarum actionum præbēt imperia, ſi iuſte ſint parta, ſiue ſi ii imperent, quos ius eſt imperare, quique ea virtute & facultate ſint præditi, quę ad imperandum requiritur. Qua ſi quis careat, quo maiore erit in imperio, vt fit in magna tyrannide, eo actiones ſiue facta perpetrabit & edet ſceleratiora ac deteriora ſiue turpiora. Nam cum aliis corporis & fortunæ bonis, tum imperiis & magiſtratibus in vtramque partem vti licet, vt docet *Ariſt. lib. 1. Rhetor. & lib. 2. Mag. Moral. & 4. Ethic. ad Nicom.* Quare vir bonus, opes & imperia nactus, multa præclara facinora & actiones edere poteſt; vir improbus contraria. Nam, vt *ſupr.* dictum *lib. 1. cap. 2. in fin.* iniuſtitia ſiue improbitas, arma & inſtrumenta nacta, vt magiſtratum, opes & imperium, longe eſt deterrima. Quare & *lib. 2. cap. 9.* monet, improbis non eſſe mandandos magiſtratus. Quod magnarum rerum domini facti magna quoque facinora & ſcelera perpetrare poſſint: eaque eſt cauſa, cur & *Plato lib. 1. de Rep.* ea tantum de cauſa Philoſophis Rempubl. gerendam permittat, ne improbis ſit locus. Ex his iam efficitur, eos, qui per vim regna & imperia inuadunt, non tantum inde conſequi occaſionem optimæ actionis, id eſt, ſummi boni ſiue beatæ vitæ comparandæ: ſed ne vllas quidem

Cur probis tātum ſint cōmittendi magiſtratus.

præclaras actiones edere poſſe: propterea quod eos plane improbos & impios eſſe neceſſe ſit, qui nō virtute, ſiue quod alijs antecellant, ſed vi & iniuria occupent imperia, & alios ſpolient. Quæ quidem tam magna eſt iniuria & tam graue facinus, nullum vt poſterius tam præclarum edere poſſint, quo illud velut eluatur & emendetur: neque vnquam is tam præclare ſe gerere poteſt, quam turpiter & longe à iure & virtute diſceſſit ea inuaſione. Itaque etſi verum eſt, imperia & magiſtratus velut anſam & occaſionem ſuppeditare honeſtiſſimarum & præclariſſimarum actionum: id tamen verum non eſt, eum, qui magna ſit potentia præditus, ſiue eam quomodolibet nactus, continuo talem eſſe, qui præclaras & honeſtas actiones ſit editurus. Nam id ante omnia neceſſarium eſt, vt imperio quoque ſit dignus, id eſt, virtute cæteris antecellat: quæ niſi adſit, tantum abeſt, vt honeſtiſſimarum actionum, quin potius deterrimorum facinorum materiem & occaſionem imperia ſint præbitura, vt iam dictum. Vanum eſt igitur & futile ſophiſma, quo vti quis poſſet ex priore diſputatione de laudibus actionum ad cupiditatem imperiorum & rapiendos principatus. Et hæc quidem huius loci ſatis obſcuri vera, licet paulo prolixior, explicatio eſſe videtur.

Τὸ τῶν ὄντων αἱρετώτατον.] Id eſt: vel virtus vel ipſa beatitudo, quæ eſt rerum omnium optima & maxime expetenda. Neutra certe in eos cadere poteſt qui per vim imperia & principatus inuadunt alienos. Quod tamen captione ea vtentes ſumere ſibi & velut ponere videntur: poſſe virtutem & honeſtas ſiue ex virtute actiones in eos imperiorum inuaſores cadere. Id quod falſiſſimum eſſe fundamentum ait, vt *ſupra* eſt explicatum.

Τοῖς γὰρ ὁμοίοις.] Breuiter hic attingit duorum imperiorum genera; vnum in pares, alterum in impares: de quibus iam dictum.

Τοῦτο γὰρ ἴσον καὶ ὅμοιον.] Hæc duo eleganter à Græcis coniuncte vſurpari ſolent, vt *ſupra lib. 2. cap. 5.* Sic *Plato Iſoc. alij* loquuntur & *ipſe Cicer. in Epiſt. ad Attic.* tanquam πρὸς ἴσον καὶ ὅμοιον. ἴσον καὶ ὅμοιον.

Τὸ δὲ μὴ ἴσον.] Plærumque hoc fieri aſſolet, vt, qui ſunt inter ſe pares, nolint tamen pari iure viuere; ſed aliquid amplius præter cæteros ſibi arrogent, vindicent. Græcè elegan-

πλεονεξία. ter πλεονεξίαν vocant. Eſt enim id iniuſtum, vt inter pares & ſimiles non ſit par & ſimile ſiue æquum. Qua de re ſæpe *ſupra* dictum, vt *lib. 5. cap. 1. lib. 3. cap 6. & 8.* Quod recte Ariſtoteles ait repugnare naturæ. Nam vt præclare diſputat *Cicer. lib. 3. off.* detrahere alteri ſui commodi cauſa, id eſt, iniuſtitia ſiue iniuria, magis (inquit) naturæ repugnat, quam morbus.

δύναμις πρακτική. *Καὶ κατὰ δύναμιν.*] Non ſatis planum videtur, quid hoc loco Ariſtoteles vocet δύναμιν πρακτικὴν. videtur tamen intelligere aut prudentiam ſiue vſum ac peritiam in rebus politicis ac ciuilibus, aut naturæ bonitatem ſiue facilitatem & procliuitatem ad res gerendas. Nam vt quidam natura ad res politicas & Rempubl. plane ſunt inepti: ita alij ſunt aptiſſimi, & eo velut natura facti, quos vulgo practicos dicimus. Hoc enim vult Ariſtoteles; eum qui alijs ſit præfuturus, non tantum virum bonum ſiue virtute præditum eſſe debere: ſed etiam eum, qui ſciat imperare, quiq; ad hoc natura ſit comparatus, & vim ad imperandum ſiue poteſtatem à natura habeat.

TEXTVS.

Quod ſi hæc recte dicuntur, vitaq; beata in beneagendo ponenda: certe & communiter omnis ciuitatis & ſingulorum vita optima ſit ea, quæ eſt in agendo.

COMMENTARII.

Concluſio huius diſputationis. Ἀλλ' εἰ ταῦτα λέγεται καλῶς.] Concluſio eſt prioris diſputationis de comparatione vitæ vtriuſq;, tam practicæ quam theoricæ: vtra ſit melior & breuior. Ait autem: Ex ijs, quæ modo ſunt explicata, vbi dictum eſt de actionibus iuſtis & bonis, eas ad bene beateq; viuēdum eſſe neceſſarias, & ipſam vitam beatam nihil eſſe aliud, quam quandam εὐπραγίαν ſiue bonam actionem: ex ijs (inquam) alijs ſi vera ſint, vt ſunt, illud profecto effici & concludi poſſe, vitam in agendo poſitā eſſe optimam ac laudatiſſimam, & otioſæ longe anteponendam. Et hoc illud eſt, quod erat in quæſtione, ſiue (vt ICti loquuntur) qua de re agebatur. Ait autem, vitā hanc actuoſam non tantum, quo ad ſingulos homines, ſed etiam, quo ad vniuerſas ciuitates, id eſt, breuiter, tam publice quam priuatim

uatim ſiue ſingulatim eſſe optimam. Nam id quoq; *ſupra* explicatum fuit: ſit ne vna eademq; tam ciuitatum quam ſingulorum beatitudo: de quo explicatum *ſupra initio cap.2.*

TEXTVS.

Verum, vt quidam putant, non eſt neceſſe, vitam actuoſam ad alios referri: non etiam has tantum cogitationes actuoſas eſſe, quæ euentorum cauſa fiunt ex agendo; ſed multo magis eas, quæ ſeipſis contentæ, quæq; per ſeſe fiunt contemplationes & conſiderationes. Nam bona actio finis eſt: ergo & actio quædam. Sed & maxime agere dicimus, dominosq; eſſe externarum actionum eos, qui animo ſiue mente duces ſunt.

COMMENTARII.

Ἀλλὰ τῶν πρακτικῶν.] Dictum eſt *ſupra initio huius cap.* in hac controuerſia de vtroq; vitæ genere vtrinq; peccari. Et eorum quidem, qui otioſam vitam probant, duo errata *ſupra* iam explicata ſunt. Eorum autem, qui actuoſam & negotioſam ſiue vitam ciuilem amplectuntur, duo item peccata ab Ariſtotele reprehenduntur, eaq; grauiſſima. De priore, quod pertinebat ad iniuſtam principatus & imperij cupiditatem, *ſupra* iam dictum. De altero hic agitur, quo putant Politici ſe ſolos in rebus agendis verſari, & Philoſophorum ſtudia mentisq; agitationes & contemplationes non eſſe actiones. Huius eorum opinionis fundamentum eo niti videtur, vt & hic indicat Ariſtoteles. Quod vita in agendo poſita ſiue vita politica & ciuilis non intra ſe vertatur, ſed foras ſpectet, & ad commercia vtilitatemq; hominum in vita communi referatur. Et ſane ſi verbi, ſiue Græci, quod eſt πράξεως, ſiue Latini, quod eſt actionis, vim & vſum ſpectes; Veriſſimum eſſe videtur id, quod Politici aſſerunt, ſua tantum ſtudia, munera & opera, quæ vel ad Reipublicæ vel ad priuatorum vtilitatem pertinent, proprie eſſe actiones, vitamque in ijs poſitam dici actuoſam ſiue practicam. Ariſtoteles tamen eos in errore verſari, & vitam non eam tantum, quæ vulgo & plærumq; ita dicatur,

Error Politicorum.

Philoſophorũ vita non minus actuoſa eſt quã aliorum.

quæq;

quæq; politicorum eſt propria; ſed etiam eam, quæ Philoſophorum, quæq; in contemplationib. verſatur, actuoſam ſiue practicā eſſe dicendā. Imo Philoſophorū conſiderationes & cōtemplationes digniores eſſe, quæ actionum nomine gaudeant, quam vel acta Politicorum, vel facta militum. Ideoque vitam quoque Philoſophorum magis eſſe dicendam actuoſam, quam eorum, qui omnes ſuas actiones, ſtudia & conſilia ad alios referunt. Confirmat id quatuor fere rationibus, quarum prima, licet ſubobſcurior, his verbis contineri mihi videtur; ἡ γὰρ εὐπραξία, &c. Quorum hæc fortaſſe eſt ſententia: Cum contemplatio ſit ipſa vita beata, vt explicatum eſt *libr. 10. Ethic. cap penult.* iam autem conſtet etiam ex prioribus, vitam beatam ſiue finem optimum eſſe εὐπραξίαν ſiue optimam actionem: efficitur, vt contemplatio non tantum ſit actio quædam, ſed etiam optima. Altera ratio exponitur in his verbis; μάλιστα δὲ καὶ πράττειν, &c. quæ ſumitur etiam ex vulgi iudicio & ſermone. Vulgo enim non tantum hi agere aut rem adminiſtrare dicuntur, qui opera & manu quid gerunt aut efficiunt; ſed etiam illi, & quidem multo magis, qui conſilio aſſunt, quique ingenio & ſapientia, quid quomodo ſit agendum, præſcribunt: quos elegantiſſime Ariſtoteles vocat mentis architectos ſiue duces. Qua de re locus inſignis eſt apud *Ciceronem in Catone maiore.*

1. Argum.

2. Argum.

οἱ ταῖς διανοίαις ἀρχιτέκτονες.

TEXTVS.

Iam vero ne eas quidem ciuitates, quæ ab alijs ſunt ſeparatæ, quæque ita viuendi conſilium ceperint, actionum expertes eſſe neceſſe eſt. Fieri namque poteſt, vt id quoque per partes eueniat. Multæ enim inter ſe communicationes ſunt partibus ciuitatis. Quod item in quouis vno homine ineſt: alioqui neque Deus ſe recte habeat, neque vniuerſus mundus, quorum præter ſuas ipſorum non ſunt externæ actiones. Perſpicuum eſt igitur, neceſſe eſſe, eandem vitam optimam eſſe & ſingulis hominibus, & communiter omnibus ciuitatibus & hominibus.

COMMENTARII.

Ἀλλὰ μὴν οὐδὲ.] Tertia eſt ratio ſiue argumentum ſumptum ab exemplo quarundam ciuitatum aut Rerumpubl. quarum is eſt ſitus & inſtitutio, vt, velut in ſolitudine aut inſula ab alijs omnibus remotæ, ipſæ per ſe tantum ſine aliarum commercijs aut conſuetudine agant. De quo ciuitatis genere attigit Ariſtoteles *cap. 2. his verbis: ἀλλὰ μὴν ἀνάγκη*, &c. *in fin. fere cap.* Quibus ciuitatibus Philoſophos quodammodo comparare videtur. Vt igitur talis Reſpub. quantumuis per ſe tantum & ſola agat, nullaſque habet externas actiones ſiue commercia cum exteris: habet tamen intra ſe actiones quaſdam, vt ſunt actiones partium Reipubl. inter ſe, puta opificum inter ſe, vel cum mercatoribus, vel patriciorum cum plebeis, vel nautarum aut ruſticorum cum ciuibus, &c. quæ ſunt partes & ordines ciuium. Sic etiam Philoſophi etſi, quo ad Philoſophiam, nullas fere habent actiones externas: habent tamen interiores & domeſticas, puta contemplationem & ſtudiorum inter ſe communicationem ac συζήτησιν, vt Græci vocant. Itaque quod in vniuerſa ciuitate, idem quoque in ſingulis euenire poteſt, vt externis licet ſolutus actionibus tamen otio non torpeat, ſed habeat domeſticas. Et hoc eſt, quod ait, ὁμοίως δὲ τοῦτο, &c. — 3. *Argum.*

Σχολῇ γὰρ ἂν ὁ θεός.] Vltimum eſt argumentum ab exemplo Dei ac mundi ſiue cœli ſumtum. Sic enim concludi poteſt: ſi quia Philoſophi nullæ ſunt externæ actiones, propterea nullæ omnino eſſent; & proinde non eſſet beatus (nam beatitudo eſt quædam εὐπραξία) ſequeretur, Deum quoque ipſum & cœlum ſiue mundum, quorum nullæ externæ ſunt actiones ex Ariſtotelis ſententia, neq; agere quicquam, neq; eſſe beatos. At hoc falſum & impium. Ergo & illud. Quod argumentum vt intelligatur, primum de Deo meminiſſe oportet aut repetendum eſt; quod copioſe ab Ariſtotele explicatur *lib. 10. Ethic. cap. penult.* Deo non eſſe attribuendas actiones humanas ſiue hominibus vſitatas, vt ſunt virtutum officia moralium, iuſtitiæ, liberalitatis, temperantiæ, fortitudinis, &c. vtputa, emere, vendere, bellum gerere, ius dicere, &c. ſed aliam quandam actionem plane diuinam, nimirum contemplationem. Deinde de cœlo id quoque repetendum, quod *lib. 8. Phyſ. & alijs in locis* docet — 4. *Argum.* — 1. *Hypotheſis: Dei actio quæ.* — 2. *Hypoth.*

Ariſtoteles, id eſſe animatum, & quaſi Deum quendam aut certe naturam humana longe præſtantiorem, vt ait *li. 6. Eth.* eiuſque actiones & motiones plane eſſe ſuas ſiue interiores, adeo vt omnibus quoq; externis actionibus cœlum ſit liberum. Quare cum impium ſit exiſtimare, has duas ſummas naturas vel otio torpere, vel minus eſſe beatas, eo quod externarum actionum ſint expertes: efficitur, & de Philoſophis falſum id eſſe, quod *ſupra* allatum eſt à Politicis, eos nihil agere, vel otio tantum eſſe deditos; eo ꝙ externas actiones minus attingant aut Rempub. non adminiſtrent. Quanquam inter Deum & Philoſophos differentia quædam hac in re *eo ipſo in loco Ethicorum* ab Ariſtotele affertur, quod Dei nullæ ſint externæ actiones (de quo tamen quemadmodum Chriſtiane & vere ſit exiſtimandum, *ibidem* explicauimus) Philoſophorum vero non quidem ſint nullæ, ſed perpaucæ tamen & perexiguæ, nimirum quæ ad vſus vitæ pertineant, vt ad victum, cultum, tectum, veſtem, familiam.

Diſcrimen inter actiones diuinas & philoſophicas.

CAPVT IV.

HOC demum cap. accedit Ariſtoteles ad explicationem ſuæ Reipubl. eius (inquam) Reipubl. quam ipſe optimam iudicarit. Ad eam autem conſtituendam quæ principia & velut fundamenta ſint neceſſaria, ordine ac diligenter explicantur. Et hoc quidem cap. de magnitudine vrbis ac multitudine ciuium; qui eius rei optimus & veriſſimus ſit modus in optimo Reipub. genere, erudite diſſeritur. Ariſtoteles hac quoq; in re (vt dicitur) medium feriendum putat, eoſq; maxime refellit, qui ciuitatis magnitudinem nimia hominum multitudine, numero & frequentia metiantur.

TEXTVS.

Et quia ea, quæ ſunt de ipſis explicata, præfati ſumus, deque alijs Rebuſpubl. iam ante diſſeruimus: reliquorum initium erit explicare primum, quæ fundamenta eſſe oporteat ciuitatis ex voto ſiue animi ſententia conſtituendæ. Neq; enim o-

ptima

ptima fieri poteſt Reſpub. ſine cõueniente rerum copia. Nam multa velut voto (ſiue optando) ante ſunt iacienda fundamenta: ipſorum tamen vt nullum ſit, quod fieri non poſſit, vt (inquam) de multitudine ciuium & agri modo. Vt enim & alijs opificib. (verbi gratia, textori & nauium ædificatori) materia ſuppeditare debet, quæ ad opus ſit neceſſaria (quo enim hæc melius fuerit præparata: hoc & artis opus neceſſe eſt eſſe pulchrius) ſic & Politico & legumſcriptori ſua debet ſuppeditare materia, eaq; conueniens. Politicæ autem materiæ ſiue inſtrumenti primum eſt & multitudo hominum, quot & quales natura adeſſe debeant; & item de agro, quantus & hic & qualis eſſe.

COMMENTARII.

Ἐπεὶ δὲ πεφροιμίασται.] Ait Ariſtoteles hic initio, ea quæ prioribus tribus capitibus hactenus ab ipſo ſunt explicata de vita beata, puta quibus in rebus ea verſetur, non tam in bonis fortunæ quam animi; & an eadem ſit ciuitatum ſiue Rerumpublicarum vita beata, quæ ſingulorum hominum: præterea quæ Reſpublica ſit omnium beatiſſima & optima, vbi eos reprehendit & refellit, qui Rempubl. militarem, id eſt, ad late dominandum comparatam, vt erat Romana & Spartana, optimam iudicarant: & tandem de comparatione vitæ theoreticæ & practicæ, vtra ad beatam vitam & ad optimum Reipublicæ ſtatum ſit accommodatior: hæc (inquam) & id genus alia, tanquam proœmij ſiue præfationis loco, à ſe eſſe explicata, vt neceſſaria ſuſceptæ diſputationi & operi de optimo & beatiſſimo Reipubl. genere. His igitur, quantum ſatis erat huic loco (nam de ijs partim longe copioſius alijs in libris, vt *ſupra* dictum, diſſeruerat) proximum iam eſſe ait, vt de ipſo *Partitio*
Reipublicæ optimæ genere explicetur. Dictum eſt autem *huius tra-*
ſupra, omnem hanc diſputationem de optimæ Reipublicæ *ctationis.*

Ariſtoteleæ ſtatu in duo ſumma capita ſiue membra tribui poſſe, quantum ex hoc opere mutilo colligi poteſt: quorum

1. Pars.

in priore capite ſiue parte quædam velut principia & fundamenta huic Reipubl. ſint velut ante iacienda & præmunienda; Græci ea vocant hypotheſes, vt de numero ciuium, de magnitudine vrbis & totius agri ſiue territorij, de moribus & ingenio ciuium, an ſint bellicoſi, an imbelles, &c. de ſitu vrbis, ad flumen vel ad mare, vel an à mari diſſitæ, & id genus alia: de quibus explicatur ab *hoc capite 4. vſque ad cap. 16.*

2. Pars.

Nam ab eo cap. altera vniuerſæ tractationis pars, quæ eſt de inſtitutione & legibus atque inſtitutis Reipub. ad finem vſq; operis (cuius tamen partis grauiſſima capita deſiderantur) præclare & erudite diſſeritur.

Καὶ περὶ τὰς ἄλλας πολιτείας.] Ait breuiter; Quia quæ huic operi eſſent præfanda, de optimo (inquam) Reipubl. ſtatu, & quia de alijs Rebuſpub. tam bonis, quam vitioſis, quam etiam optimis ex aliorum ſententia accurate prioribus iam libris diſputarit: reliquum nunc eſſe vt ſuam quoque ſententiam de optimo Reipub. ſtatu exponat, ducto initio ab eius velut fundamentis & principijs.

κατ' εὐχήν.

Περὶ τῆς μελλούσης.] Hæc phraſis, κατ' εὐχὴν, pro eo, quod eſt optimum & exoptatiſſimum, ſiue quo ne optari quidem melius quid poſſit (vt latine dicimus) valde vſitata eſt Ariſtoteli maxime in his libris, vt *ſupra libr. 2. cap. 1. initio & lib 4. initio, & cap 11. & infra cap. 13.* qui locus maxime huc pertinet. Sic enim ait, διὸ κατ' εὐχὴν, &c.

Fortuna bona quatenus ad felicitatē Rerump. ſint neceſſaria.

Οὐ γὰρ οἷόν τε.] Ait, ad optimum Reipub. ſtatum quandam quoque rerum copiam fortuitarum eſſe neceſſariam, mediocrem ſc. ſiue modicam. eleganter græce vocat σύμμετρον χορηγίαν. Quo nomine intelliguntur vbertas ſoli, bonitas cœli, multitudo ciuium & inquilinorum, ſitus vrbis, commoditas importandi & exportandi, &c. Quæ res, perſpicuum eſt, quam ſint ad bene viuendum neceſſariæ, & ad optimum Reipub. ſtatum. Neque enim vel in cœlo infeliciſſimo & frigidiſſimo aut calidiſſimo, neque in ſolo ſteriliſſimo aut incommodiſſimo optima Reſpubl. facile conſtitui poteſt. Hæc autem quia non è conſilio rectoris Reipubl. ſiue Politici, ſed à fortuna potius pendent, recte ab Ariſtotele ad εὐχὴν ſiue ad votum & ad optatum referuntur, à qua fortuna ea ſunt velut optanda & ante quaſi ponenda, vt quæ

Vnde proueniant & obueniant Rebuſpubl. bona.

ſapien-

ſapientia & conſilio legumſcriptoris ſiue Politici præſtari nō poſſunt. Duo ſunt namq; ad optimum Reipubl. ſtatum inſtituendum neceſſaria; eà, quæ diximus, fortunæ munera ſiue Dei: altera, quæ arte, ſtudio & ſapientia autoris Reipubl. ſiue Politici præſtari poſſunt, vt eſt diſciplina & inſtitutio ciuium, & bona totius Reipub. deſcriptio. Nam vt ait *infra in cap. 17. initio*; vt Reſpubl. quo ad res externas ſit beata, fortunæ opus: vt ſit proba & virtute prædita; id iam non fortunæ opus, ſed artis & conſilij eſt opus. Et hoc eſt, quod ait: διὸ δεῖ πολλὰ προϋποτεθεῖσθαι καθάπερ εὐχομένους.

Duo ad rēpubl. felicē reddēdam neceſſaria.

Διὸ δεῖ πολλά.] Ait Ariſtoteles, ad optimæ Reipubl. conſtitutionem velut ſumenda & ponenda quædam eſſe bona externa, & quaſi optanda: ſed ita tamen, vt ea ponantur, quæ non ſunt plane ἀδύνατα; quæque etiam in hac vita præſtari & locum habere poſſint. Nam ſtultum ſit ea ponere, velut principia & fundamenta, quæ ne optari quidem aut ſperari poſſint in vita humana; puta, vt ciues omnes virtute excellant, aut egregio ſint præditi ingenio. Atque ita hic tacite *Platonem* perſtringit, qui vt *Cicero* loquitur, de Republica optauit potius quam diſputauit, multaque poſuit *in libris de Republica* plane ἀδύνατα: cum tamen ipſe quoque *libro quinto de legibus*, idipſum curæ debere eſſe ait legumſcriptori, vt neue quid velit, neu quid ſuſcipiat, niſi quod ſit δυνατόν. Sic enim ait; τὰ μὲν ἂν δυνατὰ βούλοιτο δ' ἂν διὰ λόγων. Sed de peccato hoc *Platonis* dictum eſt *ſupra latius libro ſecundo, capite quarto*, vbi iiſdem prope verbis, quibus hoc in loco, vtitur Ariſtoteles. Sic enim ait; δεῖ μὲν ἂν ὑποτίθεσθαι κατ' εὐχὴν μηδὲν μέντοι ἀδύνατον; &c.

Modus bonorum fortunæ ad felicem Reip. ſtatū commodus.

Platonis hac in re error.

Λέγω δέ.] Duo tantum affert principia fortunæ de multitudine ciuium & magnitudine agri, quæ certe duo, maxime ſi ita notentur, de regione ſiue agro & de ipſis perſonis, ſunt ſumma, quæque maxime ob oculos habere debeat Politicus, quæq; ſit velut materia eius, in qua recte diſponenda elaborare debeat; quod ipſum & *ſupra eo capite 4. libr. 2.* eſt explicatum, ad hæc verba; λέγεται δὲ ὡς δεῖ τὸν νομοθέτην, &c. Et hanc Politici velut bimembrem materiam eſſe monuit Ariſtoteles & *libr. 1. Rhetor.* & ante eum *Plato libro quinto de legibus*, & poſt etiam *Plutarchus libro quinto συμποσ. cap. 5.*

De hominū & loci quant. & qual.

ὁμοίως.

Ὥσπερ γὰρ καὶ τοῖς ἄλλοις.] Exemplo aliarum artium, maxime opificum, confirmat Ariſtoteles, Politico ſuam quoque materiam adeſſe debere, ita affectam, vt ad ſuum ea opus vti poſſit, id eſt, ad optimum Reipublicæ ſtatum inſtituendum, quam materiam non ipſe vel afferat vel reperiat Politicus, vel ita præparet, vt ad opus ipſi ſuum ſit accommodata & habilis; ſed potius quam aliunde ſumtam & præparatam ad opus ipſe ſuum perficiundum exhibeat. Quemadmodum (inquit) in textore, in fabro nauium, &c. cernere licet. Textoris exemplo in rebus Politicis ſæpe vtitur *Socrates apud Platonem.* Et hoc eſt, quod ait *infra cap. 13.* in opere politico quædam eſſe, quæ aliunde viro politico ſiue autori Reipub. ſuppeditent: alia quæ ipſe ſua arte & conſilio efficiat, puta vt Reſpubl. optimis & legibus & moribus ſit temperata.

Ἔστι δὲ τῆς πολιτικῆς.] Ex principijs & velut fundamentis ad optimum Reipublicæ ſtatum neceſſarijs initio iaciendis & ponendis, de quibus modo dictum, prima ait eſſe quæque primo ſint conſideranda, hæc duo; de ciuibus ſiue de perſonis, & de agro: atque de vtroque hæc duo, quantitatem & qualitatem, id eſt, de numero & multitudine ciuium ſiue de magnitudine ciuitatis, & de ingenio, natura & indole, item de magnitudine agri, & de eiuſdem ingenio ſiue natura & ſitu. Sic enim quantitas & qualitas hic intelliguntur, vt & *ſupra lib. 4. cap. 12.* Quantitas ciuium eſt in numero, qualitas in diuitijs, genere, inſtitutione, libertate. De his autem duobus, ea viro politico inprimis eſſe conſideranda, & tanquam eius materiam, in qua diſponenda verſetur, dictum eſt paulo ante tam ex *libr. 2. cap 4.* quam ex *Plutarch. in ſympoſiacis.*

Hominum quantitas & qualitas.

TEXTVS.

Ergo putant plærique beatam ciuitatem magnam eſſe debere. Hoc autem ſi verum eſt; quæ magna & quæ parua ſit ciuitas, ignorant. Numero namque & multitudine habitatorum magnam æſtimant. Oportet autem non in multitudine.

dine, ſed in potentia intueri. Eſt enim & ciuitatis opus aliquod & munus. Quare ea, quæ hoc maxime efficere poteſt, maxima eſt exiſtimanda, vt Hippocratem non hominem, ſed medicum maiorem quis eſſe dixerit eo, qui magnitudine corporis præſtet. Verum vt oporteat iudicium facere ex multitudine, non ex quauis tamen multitudine id putandum. Nam & ſeruorum numerum multorum & inquilinorum & hoſpitum neceſſe eſt fortaſſe in ciuitatibus eſſe; ſed qui ſint pars ciuitatis, & ex quibus ciuitas conſtitit proprijs partibus. Horum enim magna multitudo magnæ ciuitatis eſt argumentum. Ex qua vero opifices quidem multi, numero pauci vero milites prodeunt, hæc magna eſſe non poteſt. Non enim idem & magna ciuitas & frequens.

COMMENTARII.

Οἴονται μὲν οὖν] De multitudine ciuium & habitatorum ſiue potius de magnitudine ciuitatis hoc loco diſputationem aggreditur Ariſtoteles, docetque hæc duo potiſſimum; quæ magna ciuitas dici debeat, ſiue qua ex re magnitudo ciuitatis ſit metienda; & de multitudine ciuium & habitatorum, quæ & quanta in optimo Reipublicæ ſtatu eſſe debeat. Quod ad prius caput attinet, de magnitudine ciuitatis; docet, eam æſtimandam eſſe ex facultate. ſiue potentia, non vero ex numero habitatorum. Ait enim, plæroſque magnam vocare eam ciuitatem, quæ ſit hominibus frequentiſſima & celeberrima. Quem vulgi errorem grauibus quibuſdam argumentis refellit, docetque, eam magnam eſſe ciuitatem, non quæ numero hominum excellat, ſed eam, quæ officium ſiue munus & opus ſuum optime & facilime perficere poſſit, ſiue eam, cui hæc adſit facultas

Quanã ciuitas ſatis magna ſit.
Vulgi error.
Refutatio.
1. Argum.

 ſui

ſui muneris bene efficiendi. Munus autem & opus ciuitatis in eo poſitum eſſe videtur, vt curet, ſe quam eſſe beatiſſimam. Ad hanc igitur beatitudinem aſſequendam & fruendam quæ ciuitas optima adiumenta habebit, ea ex ſententia Ariſtotelis vere magna dici debet.

ὁμοίωσις. *Οἷον Ἱπποκράτην.*] Confirmat à ſimili id, quod dictum de magnitudine ciuitatis, eam non ciuium aut habitatorum multitudine, ſed facultate perficiendi operis ac muneris ipſi propoſiti eſſe metiendam. Nam & Hippocrates Titio ſiue Dione (quod Iuriſconſulti dicunt Titium; Philoſophi Dionem) licet corpore ſit minor, maior tamen dici poteſt, non quia homo, ſed quia medicus. Quod ipſum, id eſt, vt in Hippocrate medici potius habeatur ratio quam hominis, perſpicuum eſt. Eo namque nomine Hippocrates cenſetur & celebratur, & in eo ſcientiæ genere omne eius opus ac munus verſatur. Vt igitur Hippocrates licet mole ſiue quantitate Titio minor, recte tamen maior dicitur, puta in eo, ex quo cenſetur: ita ciuitas minus licet celebris aut frequens hominibus: magna tamen dici poteſt non mole aut numero ſiue quantitate, ſed eius habita ratione, quod in ciuitate maximum eſt, quoque nomine maxime laudatur, quæ eſt *εὐνομία*, & ipſa beatitndo. Quare quo beatior erit ciuitas, eo & maior dici poterit, eaque maxima, quæ beatiſſima.

Οὐ μὴν ἀλλὰ κἂν εἰ δεῖ.] Ariſtoteles hoc loco intermiſſa paululum diſputatione, qua diximus explicari de magnitudine vrbis, & reprehendi errorem aliorum eam numero æſtimantium ſiue mole potius, non vi & poteſtate; interijcit & aperit alterum eorum errorem, eumque breuiter refellit *κατ' ἀντιπαράστασιν*, vt vocant Rhetores, quadam velut occupatione & conceſſione. Nam vt (inquit) illis hoc demus & largiamur (quod tamen falſum eſt) magnitudinem ciuitatis ex numero eſſe ſpectandam & multitudine: non tamen ex ea multitudine ſpectabitur, de qua illi ſentiunt. Putant namque illi, ſatis eſſe, ſi maxima ſit multitudo habitatorum, ſiue illi ſint ſerui ſiue liberi: ſiue illi ſint ciues, ſiue inquilini & hoſpites: ſiue illi ſint opifices & tabernarij, ſiue bonarum artium ſtudioſi, aut nobiles & milites. Notum eſt autem, ſæpe accidere, vt opificum, inquilinorum & ſeruorum magna ſæpenumero ſit multitudo in mul-

tis ciuitatibus: vt olim ætate Ariſtotelis Athenis maxima erat & ſeruorum & inquilinorum multitudo, & poſterius Romæ. Nam de Lucullo ſcribit *Plutarchus* eum habuiſſe amplius ſex millia ſeruorum. Olyſippone (primaria ciuitas Luſitaniæ, vulgo vocatur Lyſibona) accepi intra vrbem eſſe plus quam triginta ſeruorum millia. Hunc autem errorem eorum alterum refellit Ariſtoteles duabus rationibus, & docet, non quamlibet multitudinem ſine vllo aut conditionis aut ordinis diſcrimine eſſe ſpectandam. Prior ratio eſt iſta, quia illorum multitudo ſpectari debeat, qui ſunt membra & partes Reipublicæ ſiue ciuitatis: vt ſunt ciues, ijque melioris notæ, viri boni, docti, diuites, nobiles, milites. Vt enim magnitudo exercitus non ex lixis & calonibus, quorum ſæpe ingens numerus exercitum comitatur, ſed ex ipſis militibus, centurionibus, tribunis & præfectis & equitibus, qui ſunt velut membra exercitus: ita & Reipublicæ aut ciuitatis magnitudo non ex infinita quorumlibet hominum aut corporum colluuie, ſed ex veris ſuis partibus & membris eſt æſtimanda, quarum partium ſiue membrorum vbi erit præclara multitudo: ibi vero magna ciuitas eſſe ac dici poterit. Altera ratio, quæ his verbis; ἐξ ἧς δὲ βάναυσοι, &c. contineri videtur, hæc eſt, quod ea ciuitas, quæ magnam capit & gerit opificum ſiue tabernariorum & ſeruorum (nam in optimis Rebuſpublicis, vt Lacedæmone, vt Romæ, opifices & tabernarij ac mercatores plærique aut ſerui erant, aut inquilini) turbam, & numerum militum & nobilium paruam prorſus, nequeat eſſe magna. Eſt enim Reſpublica aut ciuitas non ſeruorum, ſed liberorum & ingenuorum hominum ſocietas, vt eleganter & *ſupra* monuit *libro tertio, capite ſexto*, vbi negat, vllam vel ſeruorum vel beluarum poſſe eſſe ciuitatem. Quod ſi qua eſt vel ſeruorum vel beluarum inter ſe ſocietas, ea eſt ſocietas non bene beateque viuendi, vt eſt ciuitas, ſed viuendi tantum cauſa.

Non qualibet multitudo facit ad ciuitatis magnitudinem.

1. Argum.

2. Argum.

Hæc de rep. d.e. li. 2. c. 3. & li. 3. c. 3. & l. 4. c. 12. & l. 6. c. 4.

COMMENTARII.

Verum ex rebus ipſis id quoque intelligitur,

difficile eſſe, & fortaſſe ne fieri quidem poſſe, vt ciuitas frequens bene ſit legibus temperata. Quare ex ijs, quæ bene deſcriptæ eſſe videntur, nullam eſſe videmus proiectam ad multitudinem, cuius rei ipſa quoque ratio fidem facit. Nam cum lex ordo quidam ſit: legum quoque rectam inſtitutionem, rectum ordinem eſſe eſt. At numerus nimius ordinis particeps eſſe nequit. Id enim vis diuinæ, quæ & hoc omne continet, munus eſt & opus.

COMMENTARII.

Ἀλλὰ μὴν.] Diſputationem de magnitudine ciuitatis perſequens Ariſtoteles aliud hoc loco argumentum affert, quo docet, magnitudinem ciuitatum non ex numero & multitudine hominum æſtimandam eſſe, nimiamq; multitudinem bono Reipublicæ ſtatui nocere potius quam prodeſſe. (*2. Argum.*) Eſt argumentum hoc ex vſu ſiue vita communi, id eſt, ab exemplo optimarum Rerumpublicarum ea ætate florentium ſumptum. Quod nulla ea ætate eſſet ciuitas earum, quarum ſtatus præter cæteras celebraretur vt optimus, in qua eſſet ingens hominum multitudo ac turba. (*Sparta.*) Nam de Sparta ſiue de Lacedæmone, cuius Politia ſiue ſtatus & deſcriptio vt optima ijs temporibus habebatur, & ciues habebat pauciſſimos & reliquam multitudinem. Quod cum alij, vt *Plato*, *Xenophon*, *Ariſtoteles*, tum *Dionyſ. Halicarn. libro ſecundo, antiq. Roman.* teſtatur de ea & de Athenis, ac de Thebanis, alijſque Græcorum ciuitatibus. (*Dionyſ. Halicarn. hac de re ſententia.*) Quod ipſum & grauiter in ijs reprehendit, & peſtem ſiue exitium ijs attuliſſe oſtendit: vt contra Romani Imperij tam magni ac potentis non paruam cauſam fuiſſe putat *idem ille Hiſtoricus* magnam Romanorum ciuium multitudinem. Ex quibus intelligitur, hac in re multum inter ſe diſcrepare Ariſtotelem & Dionyſium. (*Nimia ciuium paucitas.*) Quanquam, vt alias dictum eſt, & ipſe Ariſtoteles nimiam ciuium paucitatem apud Græcos & Lacedæmonios improbat,

bat, & hoc ipſo capite docet, qui modus in ea re ſit tenendus.

Ἐκ τῶν ἔργων φανερόν.] In rebus & diſputationibus politicis hoc argumento, ἐκ τῶν ἔργων, id eſt, ex re ipſa ſiue vſu & vita communi ſæpenumero vtitur Ariſtoteles. Sunt enim hæ diſputationes humanæ & humanis rationibus ac vitæ accommodandæ. Qua in re *Platonem* ſæpe reprehendit tam *in Ethicis* quam *in Politicis*. Sic & *ſupra lib. 2. cap. 3.* εἴ τις τοῖς ἔργοις, &c.

Ἴσως δ' ἀδύνατον.] Id eſt: eſſe non tantum difficile, ſed etiam ἀδύνατον, *infra* etiam rationibus explicabit.

Τοῦτο δὲ δῆλον.] Tertium eſt argumentum, idque non ab exemplo, vt prius ſiue alterum, ſed ex ratione petitum, hoc ſcilicet; Quod nimia multitudo aut numerus nullum patiatur ordinem, niſi forte Deo autore. Quæ ratio vt melius intelligatur, ita breuiter concludi poteſt: Omnia Reipublicæ inſtituta ordinem aliquem & rectam deſcriptionem poſtulant. At infinitæ multitudinis aut numeri nullus eſt ordo, ſed confuſio potius propter infinitatem. Quare efficitur, nimiam ſeu infinitam hominum multitudinem à bono Reipublicæ ſtatu, in quo omnia ordine & rite deſcripta eſſe debent, neceſſario abhorrere & alienam eſſe. Propoſitionem à notatione ſiue etymologia confirmat Ariſtoteles, qua dictum eſt, in bono Reipublicæ ſtatu omnia ordine & recte deſcripta eſſe debere: Quia, inquit, νόμος τάξις quædam eſt: Ergo & εὐνομία erit εὐταξία, id eſt, εὐνομίαν ſiue bonum Reipublicæ ſtatum (ad verbum bonam iuris & legum deſcriptionem) eſſe εὐταξίαν, id eſt, rectam deſcriptionem ſiue (vt ita dicam) ordinationem. Inde perſpicuum eſt, quod νόμος ſit τάξις (ſi νόμος eſt τάξις: Ergo εὐνομία eſt εὐταξία) ſiue quod lex ſit ordo aut inſtitutio quædam. Id autem, νόμον eſſe τάξιν, & contra τάξιν eſſe νόμον, atq; adeo hæc duo apud Græcos idem fere ſonare, & ſæpe ἐκ παραλλήλου promiſcue coniungi certiſſimum eſt. Videantur hi loci, vt *libro 2. capite 3. ſupra* καὶ ἐπεὶ κοσμηθὲν ἡ θέσει καὶ τάξει νόμων, &c. *& lib. tertio, cap. duodecimo,* ἡ γὰρ τάξις νόμος. *& apud Platonem in Gorgia* ταῖς δὲ τῆς ψυχῆς τάξεσι καὶ κοσμήσεσι νόμιμόν τε καὶ νόμος. *& li. 6. de ll.* πᾶν μὲν γὰρ ὅ, τι περ τάξεως καὶ νόμου μετέχον ἐν πόλει γίνεται.

Θείας γὰρ τοι τοῦτο.] Ait, à nullo mortalium, quantumuis ſa-

 pien-

3. Argum.

Formula.

Maioris confirmatio.

νόμος. τάξις.

Nimiũ magna multitudo nõ, niſi à Deo, gubernari poteſt.

Correctio,

pientiſſimo Politico, ſed à ſolo Deo præſtari id poſſe, vt infinita & innumerabilis multitudo ordine quodam ac diſciplina ſiue Politia contineatur, à quo & vniuerſus hic mundus optime deſcriptus in ſuo ordine admirabili ratione gubernatur. Quo ex loco ſumi fortaſſe non incommode poteſt, Ariſtotelem, quamuis de eo plærique veteres aliter exiſtimant, diuinam prouidentiam & curam rerum humanarum non ſuſtuliſſe. Etſi ſæpenumero Ariſtoteles verbo hoc θείας δυνάμεως (*vim diuinam* latine dicimus) non ipſum Deum, ſed naturam potius, quæ ſit vis & poteſtas quædam diuina, id eſt, admirabilis & pluſquam humana, accipere conſueuit.

TEXTVS.

Cum igitur pulchritudo in multitudine & magnitudine ſoleat conſiſtere; certe & ciuitatem, cui is, quem dixi, terminus eſt cum magnitudine coniunctus, eam neceſſe eſt eſſe pulcherrimam. Porro eſt & ciuitatibus aliquis magnitudinis modus, quemadmodum & aliarum omnium rerum, animantium, plantarum & inſtrumentorum. Etenim vnum quidque horum neque nimis paruum, neque magnitudine nimium vim ſuam & poteſtatem habebit; ſed nunc quidem plane natura orbatum erit, nunc vero male affectum. Verbi gratia, nauis palmi quidem vnius, prorſus nauis non erit, vt neque duorum ſtadiorum; ad quandam vero magnitudinem progreſſa nunc quid eſt propter paruitatem, nunc vero propter magnitudinem curſum ſiue nauigium reddet incommodum. Similiter vero & ciuitas ea quidem, quæ ex nimis paucis, non erit ſe contenta (eſt autem ciuitas quiddam ſeipſo contentum:) ea vero, quæ ex nimis multis,

erit

erit illa quidẽ inſtructa rebus neceſſariis, vt gens, ſed non ciuitas: Politiam vero ſiue deſcriptionem eſſe, non facile. Nam quis Imperator erit multitudinis ingentis, aut quis præco, niſi Stentorius? Quare primam quidem ciuitatem eam eſſe neceſſe eſt, quæ ex tanta multitudine, quæ prima multitudo bene ſit inſtructa ad bene viuendum in ſocietate ciuili. Fieri autem poteſt, vt ea quoque, quæ hanc multitudine ſuperet, maior ſit ciuitas. Verum id non eſt, vt diximus, infinitum. Quis autem magnitudinis ſit finis, ex operibus ipſis facile eſt videre Sunt enim opera ſiue actiones ciuitatis, eorum quidem, qui præſunt, & eorum, qui parent. Imperantis autem ſcopus ac munus eſt iuſſus & militia. Ad iudicandum autem de rebus iuſtis, & ad imperia pro dignitate diſtribuenda neceſſe eſt, vt inter ſe norint ciues, quales ſint; adeo vt ſi id fieri non poteſt, neceſſe ſit, ea, quæ ad magiſtratus & iudicia pertinent, male adminiſtrentur. In vtriſque enim iniuſtum eſt, ſubito ſiue inconſiderate quid agere: quod perſpicue eſt in nimia hominum multitudine. Præterea facile eſt peregrinis & inquilinis, participes fieri Reipublicæ. Neque enim diffi ile factu latere propter magnam multitudinem. Perſpicuum eſt igitur, hunc eſſe ciuitatis finem ſiue modum optimum, maximam eam multitudinem, quæ cum rerum ad vitam copia ſit ad cognoſcendum facilis. De magnitudine igitur ciuitatis ad hunc modum ſit explicatum.

COMMENTARII.

Ἐπεὶ τό γε πολλὸν.] Non tam eſt difficile, horum ſententiam verborũ videre, quam priorib. quemadmodum apten- *Paulo infra corrigit hæc*

dubitationem, locũq; hunc explicat. tur commode & huc pertineant. Id namq; videtur velle Ariſtot. cum pulchritudo omnium rerum & hominũ ex multitudine & magnitudine potiſſimũ æſtimetur, ciuitatẽ eã quoque pulcherrimã, quæ & magnitudinẽ habeat & multitudinem modicam ac temperatam. Quod autem ait, pulchritudinem ex multitudine & magnitudine ſpectari; de multitudine quidem non ita perſpicuum eſt. de magnitudine eſt notiſſimum, pulchra ea demum dici, quæ ſint magna, & pulchros ac formoſos eos, qui maiore ſint corporis ſtatura; vt bellos & elegantes eos, qui ſint parua, vt diſtinguit Ariſtoteles *libro 4. Ethic. cap. 3.* quo in loco id copioſe explicauimus. Sed hæc quemadmodum huc pertineãt, ſatis eſt difficile ad explicandum: niſi forte id recte dici poterit, Ariſtotelem id de pulchritudine ciuitatis hic afferre eam ob cauſam, quod pulchritudo in magnitudine potiſſimum cernatur, de qua magnitudine toto hoc cap. agitur. Alioqui ad ipſam diſputationem de modo magnitudinis, quæ propria eſt huius loci & capitis, hæc clauſula de pulchritudine non ſatis eſt accommodata. Et ſane non multum facere mihi videtur. Quare non parum dubito, an non hic aliquid deſit, aut potius ſuperſit.

Pulcritudo qua ex re ſpectetur.

Locus hic de mendo ſuſpectus. Sed emẽdat paulo infr.

4. Argum.

ἀλλ᾽ ἔστι τι.] Aliud argumentum de modo magnitudinis hic affertur, quo docet Ariſt. magnitudinẽ ciuitatis optimæ, neque nimis magnam, neque nimis paruam eſſe debere, ſed modicam ſiue mediocrem & temperatam: ſumptum à ſimili ſiue à ſimilitudine aliarum omnium rerum, vt earum, quæ è terra oriuntur, naſcũtur, vt herbarum, arborum (Latini *plantas* vocant, Barbari *ſtirpes*. Stirps enim proprie truncus eſt apud veteres) vt animantium, vt etiam ferramẽtorum ſiue inſtrumentorũ. Nam horũ omniũ magnitudo modica eſſe debet, ad ſuũ cuiuſq; opus ac munus recte fungendũ & adminiſtrandum. Quod planius exẽplo nauis explicat. Ita & de Rep. ſiue optima ciuitate faciendum eſſe cenſet, eius vt magnitudo quoq; ſit moderata, & ex numero ciuium conſtet neque nimio, nec nimis paruo, vt & ipſa ſuum munus & opus recte fungi & exequi poſſit, id eſt, ea habere & frui, facereque, quæ ad beatam vitam pertineant. Id enim *ſupra* diximus eſſe opus ac munus, ſiue τὸ ἔργον optimæ Reipublicæ. Quod ad antecedens, id eſt, priorem huius cõcluſionis ſiue argumentationis partẽ attinet (qua dicitur, aliis omnib. in rebus ſuum eſſe magnitudinis modum ad opus cuiuſq; recte faciundum: adeo,

Minoris cõfirmatio.

adeo, vt iuſto aut minores aut maiores in eo recte fungendo impediantur:) cum ipſe Ariſtoteles nominatim per nauem, vt dictum eſt, confirmat; tum & ex animalibus, & ex inſtrumentis cuique eſt perſpicuum. Nam (verbi gratia) omnia humani corporis munia ſiue munera facilius & melius præſtantur & obeuntur ab eo. qui modico ſit corpore, quam qui vel ſit immani vel puſillo & perbreui. De organis ſiue ferramentis & inſtrumentis, id ipſum & *ſupra* eſt explicatum *libro primo, capite quinto, in fine, & hic capite primo, & libro quinto, capite nono.* Quibus in locis hoc argumento ab organis, ſiue ab eorum modica magnitudine ſumpto vtitur Ariſtoteles ad docendum, modum diuitiarum eum eſſe optimum in Republica, qui ſit finitus & modicus, non infinitus, vt vulgus exiſtimat. Sunt enim diuitiæ velut organa vitæ, vt ait initio *libri primi Ethicorum, & eo capite quinto libri primi Politicorum.*

ἐπεὶ τό γε καλὸν.] Quæ prius explicauimus, in quibus hæc verba dubitationē afferebant, quo eſſent referenda, & quemadmodum priorib. aptanda: ea nunc ita corrigenda putamus *κατὰ δεύτερον πλοῦν*, vt dici ſolet, & velut repetita prælectione. Videtur enim hoc loco iam Ariſtoteles, reprehenſis ante aliis, ſuam de magnitudine ciuitatis ſententiam explicare. Huic autem explicandæ ſententiæ ſuæ, velut præmunitione loco, initio hic monet, hanc diſputationem de magnitudine ciuitatis ad optimum Reip. ſtatum eſſe neceſſariam, eo quod, cum optima Reſp. eadem quoq; pulcherrima eſſe debeat, pulchritudo & dignitas in magnitudine, non in paruitate conſiſtat; id quod iam *ſupra* eſt explicatum. Ex quo efficitur, quia de pulcherrima ſiue optima Republica inſtituta eſt diſputatio: etiam de magnitudine eſſe diſſerendum. De modo igitur magnitudinis, qui ille ſit optimus in optimo Reipublicæ ſtatu, iam docet. Nam vt aliis rebus omnibus, ita & ciuitati aut Reipubl. ſuus eſt magnitudinis modus, quem neque attingere, aut ſuperare ſit vitioſum. Vt autem *ſupra* hoc capite iis verbis; *δεῖ δὲ μᾶλλον μὴ εἰς τὸ πλῆθος*, &c. monuit, opus ac munus Reip. potius, quam multitudinē eſſe ſpectandā: ita & hic eius rei memor Ariſt. verū & iuſtum magnitudinis modum ex ipſo opere ac munere ciuitatis exquirit, idque optima ratione, vt & *ſupra* monuimus ad ea verba, *δεῖ δὲ*, &c. quia res omnes opere ſuo ac munere, cuiuſque

Magnitudinem exquirere ciuitatis ad optimum ipſius ſtatum pertinet.

Ratio.

Modus multitudinis hominum in optimo reipubl. ſtatu.

recte

recte efficiendi facultate definiantur & explicentur, vt dictum eſt & explicatum *lib.1. cap.2.* vbi prætermiſimus (πάντα δ' ὥρισται τῷ ἔργῳ) genuinum eique ſimilimum locum Ariſtotelis *lib.4. Meteoror.* Sic enim ait; ἅπαντα δ' ἐστὶν ὡρισμένα τῷ ἔργῳ. τὰ μὲν δυνάμενα ποιεῖν αὐτῶν ἔργον, &c. Opus autem ac munus Reipublicæ quod ſit, *ſupra* dictum eſt, & pulcherrimis verbis à *Cicerone* explicatum fuit *libr. 5. de Republ.* quæ verba hodieque exſtant *apud ipſum lib. 8. Epiſtol. 11. ad Attic.* Vt enim (inquit) gubernatori curſus ſecundus, &c. Vt autem hoc amplius totam hanc diſputationem paucis verbis complectamur, docet Ariſtoteles, modum iuſtæ magnitudinis ciuitatum duabus in rebus eſſe poſitum, in αὐταρκείᾳ, & vt magnitudo ſit εὐσύνοπτος. Quæ duo perſequitur ad finem vſque capitis.

Opus ac munus Reip.

Ea ciuitas ſat magna eſt, quæ eſt αὐτάρκης *&* εὐσύνοπτος.

ἀλλ' ἔστι τι καὶ πόλεσι.] Hæc iam ſunt explicata. Dictum eſt enim priori verſu velut cauſam diſputationis de iuſta magnitudine ciuitatis cõtineri, & velut præmuniri. His autem verbis iam agi de ipſo iuſtæ magnitudinis modo. Nam eſſe aliquem aut certe eſſe debere docet à ſimili, vt *ſupra* dictum. Quis autem ille ſit, ſiue quantus eſſe debeat, & qua ex re petendus ac ſumendus, puta ex opere ac munere Reipublicæ, item iam à nobis eſt dictum. Nam & id aliis quoque in rebus, id eſt, quæ earum iuſta ſit magnitudo, ex opere earum ac munere recte fungendo, adducto nominatim exemplo nauis, oſtendit, vt & *ſupra* dictum.

ὁμοίως δὲ καὶ πόλις.] Eſt ἀνταπόδοσις, id eſt, accommodatio prioris ſimilitudinis ad rem propoſitam de magnitudine ciuitatis. Quæ res vt intelligatur, id paulo latius eſt explicandum, quod hic velut fundamenti loco, & vt certum, ſumit Ariſtoteles, ciuitatem eſſe αὐτάρκες, ſiue communitatem ciuilem ita rebus omnibus inſtructam eſſe debere, vt ſatis ei ſit ad bene beateque viuendum. Nam αὐτάρκεια, ſiue rerum copia, ciuitatum eſt vera nota & proprietas, qua ſine nulla dici ciuitas poteſt: ſed hoc alibi latius eſt explicatum *lib.1. cap.2. initio, & lib.2. cap.1. in fin. & libr 5. Eth. cap.5.* de quo fundamento & *Plato lib.2. de Rep.* Hoc poſito, ſtatim inde conſequitur, ciuitatem eſſe non poſſe ex nimis paucis. Verbi gratia, vt aſſint agricolæ, aſſint ſartores, fabri, ſutores, alii opifices, qui certe ad αὐτάρκειαν rerum ad vitam neceſſariarum ſunt plane neceſſarii, vt pulchre *eo loco Plato.* Non tamen

Ciuitas αὐτάρκες.

Ciuitas nõ poteſt eſſe ex nimis paucis.

aderit adhuc αὐτάρκεια. Nam & viri virtute præſtantes requiruntur ad ſacerdotia, magiſtratus & rem militarem neceſſarii. Ex quibus omnibus vt non mediocris conſtetur multitudo, neceſſe eſt, vel ex opificibus omnibus & mercenariis, ac tabernariis (inſtitor Græcis κάπηλος, ein Gremp) Et hæc quidem de paucitate. Nunc de nimia multitudine. Nam & ex eodem fundamento ſiue principio αὐταρκείας, de illa quoque quid ſit ſtatuendum, facile cognoſci. Quod vt melius intelligatur, id quoque repetendum eſt paulo altius, αὐτάρκειαν non in rebus tantum ad vitam nececeſſariis, ſed etiam in iis, quæ ad bene beateque viuendum, ſiue ad ipſam honeſtatem ac beatitudinem pertineant, ſpectari. Nam alioqui ciuitas, quæ tantum rerum ad vitam neceſſariarum rationem habet, nec oculos ad ipſum vitæ beatæ ſcopum vlterius intendat, vix ciuitatis nomine digna eſſe videtur. Quare ad αὐτάρκειαν ciuitatis, præter rerum copiam neceſſariarũ, etiã legum bonarum deſcriptione, morumque inſtitutione bonorum eſt opus: quam deſcriptionem Græci πολιτείαν, ordinem vocãt. Quæ Politia bonaque deſcriptio, & rectus ordo, quia non facile in πολυανθρωπίᾳ, magnaque hominum multitudine & frequentia teneri poteſt: perſpicuum eſt, ibi quoque αὐτάρκειαν deſiderari; quantumuis aſſit αὐτάρκεια, quo ad res neceſſarias, ſiue rerum copiam neceſſariarum ad vitæ cultum & vſum: & proinde non magis ciuitas erit, vbi deeſt αὐτάρκεια, quo ad Politiam, quam vbi deeſt, quo ad vſus vitæ, & res neceſſarias. Et hoc eſt, quod ait Ariſtoteles his verbis; οἱ δ' ἐκ πολλῶν ἄγαν, &c. πολιτείαν γὰρ, &c. Quibus in verbis nimia multitudo & frequentia maxime quidem ex eo reprehenditur, quod ea frequentia πολιτείαν non recipiat, ſed pariat quandam confuſionem: verum etiam eo, quod nimia ea multitudo ſpeciem gerat gentis ſiue nationis potius quam ciuitatis. Quomodo loquitur & *ſupr. lib. 3. cap. 2.* vbi de Babylone, cuius (inquit) ambitus ſiue περιγραφὴ ſit μᾶλλον ἔθνους, ἢ πόλεως. Et *lib. 2. cap. 4.* Rempublicam *Platonis* reprehendens eo nomine, quod nimis magnam in ea multitudinem militum inſtitueret, ait ei opus fore Babylonio agro, aut alio aliquo latiſſime patente.

Ciuitas nõ põt eſſe ex nimiũ multis.

1. Incommodum.

2. Incommodum.

πολιτείαν γὰρ.] Particula γὰρ hoc loco idem valet, quod δὲ, autem, verum. Quomodo & alias ſuo Græci γὰρ, & Latini τὸ *enim* & *nam* vtuntur, vt alibi dictum (hæc particula facit, vt à

γὰρ αὐτὶ τοῦ δὲ.

Enim & nam *pro* autem.

nullo

nullo interpretum hic locus intelligatur) ciuitas frequens eſt quidem αὐτάρκης, quo ad vſum; ſed ibi non eſt bonus ordo.

τίς γὰρ στρατηγὸς.] Populariter demonſtrat, vt ſit in rebus politicis, magna hominum turba & multitudine rectum ordinem & politiam teneri non poſſe, exemplo Imperatoris & Præconis. Neque enim ingenti exercitui recte imperari, aut concioni immenſæ præco ſatis vocalis (id moris eſt Græcorum, qui ſolent habere præcones) reperiri poteſt: niſi forte Stentor aliquis, cuius ferream vocem vocat *Homerus*. (*Virgilius* eum imitatus ferream vocem vocat *lib. 6 Æneid*) quæ clarius ſonaret eius vnius, quam aliorum quinquaginta. Sic enim ait *Homer. lib. v. Iliad.*

Stentorea vox.

--------- στέντορι εἰσαμένη μεγαλήτορι, &c.

διὸ πρώτην μὲν.] Dictum eſt *ſupra*, iuſtæ magnitudinis modum Ariſtotelem his duabus rebus definite; αὐταρκεία, καὶ τῷ εὐσυνόπτον εἶναι. De priore iam eſt explicatum, hic ad alterum accedit, quod in maiore & adulta ciuitate fere locum habet; aut certe in quæſtionem venit: cum prius ad minores & modo inſtitutas ciuitates pertineat. Nam minor & nondum adulta ciuitas, tenera (iuuenis, vt ita dicam) nihil eſt aliud, quam multitudo, cui ſatis ſit ad bene viuendum in ſocietate ciuili, vt ea verbo, *cui ſatis ſit*, id eſt, αὐταρκείας potiſſimum definiatur; ea (inquam) multitudo ſit tanta, & non maior, quam quæ ſit inſtructa rebus ad vitam neceſſariis. Id enim, id eſt, paruam & nondum adultam ciuitatem hunc multitudinis modum poſtulare, quæ (inquam) ſit αὐτάρκης, perſpicuum eſt ex iis, quæ modo ſunt explicata. Verum quia ſæpenumero vſuuenire videmus, vt ciuitates initio paruæ paulatim augeantur & maiores fiant; adeo vt quædam etiam in immenſum creſcant, tam magnitudine loci, quam hominum multitudine: hic iam quæri debet de modo magnitudinis & multitudinis, an infinitus & immenſus is permitti debeat in optimo Reipublicæ ſtatu, de quo agitur. Et ſane eum non infinitum eſſe debere, iam *ſupr.* eſt explicatum. Quis autem finis & modus eſſe debeat, hic explicatur: nimirum vt tanta ſit multitudo, & non maior, quam quæ ſit εὐσυνόπτος, ſiue ad cognoſcendum facilis. Vt autem priorem modum, quem definiuimus αὐταρκεία ex opere & munere ciuitatis: ita & hunc de notitia ex eodem fonte petendum, facilemque ad reperiendum eſſe ait his verbis; τίς δέ ἐστι τῆς ὑπερ-

In ciuitate recenti curandum eſt vt ſit αὐτάρκης.

In adulta ciuitate curandũ eſt, vt etiã ſit εὐσυνόπτος.

ὑπερβολῆς ὅρος ἐκ τῶν ἔργων, id eſt, πράξεων, ſiue operibus & muneribus, officiis ciuitatis, atque adeo magiſtratuum, & eorum, qui parent, ſiue ciuium. Itaque duabus rationibus & argumentis hunc modum magnitudinis optimum eſſe concludit, quæ multitudo maior non ſit, quam in qua ciues inter ſe bene noti eſſe poſſint.

εἰσὶ γὰρ αἱ πράξεις τῆς πόλεως.] Prior eaque princeps ratio conclusionis ab opere & munere ciuitatis, ſiue potius principum eius partium, id eſt, eorum, qui præſunt, & qui parent, ſumpta; maxime vero eorum, qui præſunt, ſiue magiſtratuum hic exponitur. Quæ vt commode intelligatur, monet Ariſtoteles, eorum, qui præſunt, ſiue magiſtratus duo ſumma eſſe munera & officia: quorum alterum Græce ἐπίταξις, alterum κρίσις, Latine à Iuriſconſultis imperium & iuriſdictio vſurpatur. Quæ quidem duo magiſtratuum officia, partim in iubendo & imperando, partim in iudicando poſita, vt nota, longiore probatione non habent opus. Nam quod ad prius attinet, id quoque *ſupra lib. 4.* allatum eſt *cap. 15.* vbi ex tribus magiſtratuum muneribus (deliberare, iudicare, & imperare) τὸ ἐπιτάττειν ait eſſe ἀρχικώτερον. Iudicia quoque tam apud Græcos quam Romæ in poteſtate erant magiſtratuum. Quæ cum ita ſint (ea autem, niſi ciues inter ſe ſint noti, recte adminiſtrari nequeunt:) perſpicuum eſt, ad rectam tam magiſtratuum, quam iudiciorum conſtitutionem & adminiſtrationem (quæ duæ ſunt inſignes Reipublicæ partes, vt *ſup.* dictum *lib. 4. cap. extrem.*) neceſſariam eſſe ciuium inter ſe notitiam. Ea autem notitia quia in infinitam multitudinem non cadit: perſpicuum quoq; eſt, ad optimum Reipub. ſtatum eam ciuium multitudinem vtilem, quæ inter ſe nota eſſe poſſit, huncque eſſe modum iuſtæ multitudinis optimum, ciuium notitiam inter ſe, id eſt, vt tot ſint, qui inter ſe noſſe poſſint. Cur autem ad illa duo munera & partes Reipublicæ magiſtratus & iudicia vtilis ſit & neceſſaria inter ſe ciuium notitia, ratio, licet obſcurior, his verbis, περὶ ἀμφότερα γάρ, &c. indicatur. Quod in neutro fas ſit & æquum, αὐτοσχεδιάζειν, negligenter & temere agere; ſed potius conſiderate, ſtudioq; & iudicio adhibito, ſit agendum. Nam & in mandandis magiſtratibus valde ſit temerarium & ſtultum, homini ignoto curam Reipubl. committere: & in ipſis illis magiſtratuum officiis vtiliſſimum eſt, notos eſſe

1. Ratio.

Magiſtratuum munera ſunt ἐπίταξις & κρίσις.

Approbat.

ciues

ciues magiſtratibus Aliter enim imperatur ſummi loci hominibus, aliter iis, qui ſunt de plebe. In iudiciis quoque etſi προσωποληψία reprehenditur: tamen tam in pœnis, quam in præmiis decernendis aut irrogandis perſonarum ratio ac dignitatis haberi ſolet, aut etiam probitatis ac morum in ipſis cauſis ciuilib. *l. aut facta ff. de pœnis.* Et hæc quidem ex *Platone* imitatus & ſumpſiſſe mihi videtur, cuius hæc ſunt verba *lib. 5. de legib.* οὐ μεῖζον οὐδὲν πόλει ἀγαθὸν, ἢ γνωρίμους αὐτοὺς εἶναι. Et *lib 6. de legib.* vbi de probatione magiſtratuum: ζῶντα δὲ οἱ νεωστὶ ξυνεληλυθότες, &c. De hac autem notitia ciuium inter ſe, eam Rebuſpublicis perutilem, & tyrannis eſſe pernicioſam, dictum eſt *ſup. lib. 5. cap. 11. &c.*

2. *Ratio.* ἔτι δὲ ξένοις καὶ μετοίκοις.] Altera ratio & vtilitas huius modi notitia definiti hic affertur: Quod inde conſequatur, vt quod in infinita multitudine eſt facile, in hoc iuſto magnitudinis modo ſit difficilimum: peregrinos & inquilinos ad honores & ius ciuitatis obrepere; puta quia ſint noti. Nam in magna ciuium & habitatorum multitudine facile fit (vt diximus) vt etiam peregrini ſe pro ciuibus gerant. Qua de cauſa Athenis, quæ ciuitas Græciæ erat præter cæteras hominibus frequentiſſima & celeberrima, ſiue πολυανθρωποτάτη (vt eam vocat *Xenoph. libr. 2.* τῶν ἑλληνικῶν) frequentia fuerunt iudicia de peregrinis ſiue τῆς ξενίας (vt eſt apud *Polluc. libr. 8.*) Romæ quoque propter ingentem hominum multitudinem, & magnam confuſionem etiam ſerui ad præturam obrepſerunt, vt ſcribit *Vlpian. in l. 3. ff. de off. prat.* Quæ confuſio cauſam quoque dedit legibus aliquot Romæ ferendis, vt Mutiæ, Liciniæ, vt Iuniæ ſiue Penni, vt Papiæ aduerſus peregrinos: de quibus & *Cicero lib. 3. Off. & Manutius ac Hotoman. in libris de legib. Rom. & Ant. Auguſtin.*

δῆλον τοίνυν, ὡς οὗτός ἐστι.] Concluſio eſt prioris diſputationis, eum eſſe in optimo Reipublicæ ſtatu optimum magnitudinis & multitudinis modum, qui duabus iis rebus, rerum copia neceſſariarum, & notitia ciuium inter ſe, definiatur: ſiue vt tanta ſit & non maior ciuium multitudo, quæ & rebus ad vitam neceſſariis commode & liberaliter ſit inſtructa, & in qua ciues inter ſe ſint noti.

(∴)

CAPVT

CAPVT V.

EXPLICATVR hoc capite de ipſo agro & regione; qualis ille & quantus eſſe debeat. Nam ex duobus illis capitibus, quæ Politico maxime ſint conſideranda, priore, quod eſt de perſonis, ſiue de multitudine ciuium, iam explicato; reliquum erat, vt de altero, quod eſt de ipſo agro, explicetur. Nam de his duobus dictum *ſupra initio cap. 4.* Extremo autem hoc capite etiam de ſitu vrbis ipſius agit. Nam duo huius parui capitis ſumma membra ſiue partes eſſe poſſunt, *Partitio.* quarum priore de ipſo agro, eiuſque conditionibus ac dotibus (puta de qualitate, de ſitu & de quantitate, ſiue multitudine:) in altera de ſitu ipſius vrbis explicetur. *1. Pars.* *2. Pars.*

TEXTVS.

Similiter autem de agro quoque ſe res habet. Nam de eo quidem qualis eſſe debeat, nimirum omnes eum laudauerint, qui ab omnibus rebus maxime ſit inſtructus. Talem autem neceſſe eſt eſſe omnium rerum feracem. Omnia namque adeſſe, & nulla re egere, id eſt eſſe inſtructum. Multitudine autem & magnitudine tantum, vt incolentes eum viuere poſſint in otio liberaliter ſimul & temperanter. Hunc autem modum & finem recte ne an non recte afferamus, poſterius erit conſiderandum accuratius, cum vniuerſe de bonis, & copiis rei familiaris, mentionis faciendæ erit locus: qui & quemadmodum affectum eſſe oporteat, quod ad vſum ipſum. Multæ enim in hac quæſtione ſunt controuerſię propter eos, qui eam trahunt ad vtrunque vitæ nimium, hi quidem ad parſimoniam, illi vero ad luxuriam.

COMMENTARII.

Παραπλησίως.] De agro ſiue de regione eo breuius explicat Ariſtoteles, quod eadem fere ſit ratio de eo, quæ de ipſis

perſonis explicandi. Nam vt in perſonis optimum illum eſſe modum docuit, qui & αὐταρκείᾳ & notitia definiatur: ita & de agro conſtituendum eſſe ait, eum debere eſſe & αὐτάρκη, ſiue bene inſtructum, & εὐσυνόπτον, id eſt, cuius fines non pateant latiſſime. Quanquam de perſonis adhuc id tantum eſt explicatum, quæ ſiue quanta ciuium multitudo eſſe debeat. De qualitate, id eſt, de indole, natura, ingenio, & moribus ciuium paulo demum *inferius* explicatur *libro ſeptimo*. De agro autem, ſiue de regione, & de ipſa vrbe, vno eodemque hoc in loco, id eſt, hoc capite, & capite proximo, tam de eius qualitate, id eſt, ingenio & bonitate, quam de magnitudine & ſitu diſſeritur. Quod ad qualitatem attinet, eam ait æſtimandam αὐταρκείᾳ, nimirum vt ille optimus ſit ager, & beatiſſimus, ſiue ad optimum Reipublicæ ſtatum accommodatiſſimus, cuius dotes & conditiones ſint optatiſſimæ. Earum autem prima hæc eſt, vt ager ſit αὐταρκέστατος, id eſt, in quo omnia abunde proueniant ad vſus vitæ neceſſarios: vinum, oleum, frumentum, &c. Sunt & aliæ dotes: vt montoſum eſſe, vel campeſtrem & planum: vt ſalubrem eſſe & inſalubrem: vt fluminibus irriguum vel non. Quæ quidem dotes non opus habent longa diſputatione; & cuiuis facile eſt videre, ex his agrorum generibus quæ meliora, & ad optimum Reipublicæ ſtatum magis ſint accommodata. Quare & Ariſtoteles de iis nihil amplius diſſerendum putauit. Sic enim ait paulo *infr.* τὸ δὲ εἶδος τῆς χώρας, &c. Sic enim ea verba paulo obſcuriora puto de aliis agri dotibus & conditionibus non incommode poſſe accipi. Prima igitur dos ab Ariſtotele expoſita eſt fertilitas: altera (omiſſis iis facilioribus, de quibus iam dictum) affertur *infra*, quæ eſt de ſitu: eum talem eſſe debere, qui ſuis ſiue ciuibus ſit commodus & facilis, hoſtibus & inimicis ſit incommodus ac difficilis; de qua dote *infra* in verbis, δεῖ δ᾽ ἵνα πείθεσθαι, &c. Sunt & aliæ, de quibus *infra*. Nam id certe notandum, hæc de quantitate & qualitate agri ſatis confuſe & permixtim ab Ariſtotele explicari; vix vt internoſci poſſit, quæ dotes ad qualitatem, quæ ad quantitatem pertineant.

Agri qualitas.

Vitruu. architect. l.1. c.4. & prooem. lib.2.

2. Qualitas.

Ordinis hoc in loco confuſio.

πλήθει δὲ καὶ μεγέθει.] Hic de quantitate ſiue magnitudine agri agit, quam magnitudinē hoc loco liberali victu & temperato definit, cui *infra* adiungit τὸ εὐσυνόπτον εἶναι. Ergo primum Ariſtoteles agrum tam magnum eſſe vult in optima

Quantitas agri Reip. opt.

Rep.

Rep. vt ex eo ipſo omnia efferri & ſumi poſſint, quæ ad vitam homine libero dignã pertineant, hoc eſt, qui ciues alere poſſit liberaliter & temperate, eaq; vita, quæ liberum hominem deceat, id eſt, in otio, vt loquitur Ariſt. Quo nomine intelligit, ciues in optima Republ. nec opificum artibus, nec mercaturis faciundis, aut agro colendo, aliiſque ſordidis artibus diſtringi & occupari debere, ſed ſoli virtuti, eiuſque officiis tam in Republica, ſiue in pace, quam in bello exequendis deditos eſſe & vacare debere. Sic enim & alias σχολὴν, ſiue otium, id eſt, vitam libero dignam ciuibus in optima Republica, vt ἀσχολίαν aliis, attribuit. Qua de re videatur *caput 14. infra hoc libro.* Id autem inprimis notandum eſt, quod ait, tantum eſſe agrũ debere, qui ſuppeditet omnia ciuibus, quæ ſint ad viuendũ & liberaliter & temperate neceſſaria Nam, vt dictum eſt, his duobus, liberaliter, inquam, & temperanter viuendo, modus magnitudinis agri hic definitur: ſiue bonorum ac diuitiarum in optima Repu. hunc modum veriſſimum & iuſtiſſimum hic eſſe ponit, vt ciues non tenuiter aut ſordide, neque etiam profuſe aut luxurioſe, ſed temperanter, & tamen liberaliter ac honeſte viuere poſſint. Ad eundem modum & *ſupra libro 2. capite quarto*, modum diuitiarum, quem ipſe ὅρον vocat & hic & eo in loco his duabus virtutibus, liberalitate & temperantia, definit, reprehenſo *Platone*, qui *libro quinto de legibus*, vbi ὄγκον & molem ſiue magnitudinem diuitiarum, & ipſius agri (γῆς) non maiorem debere eſſe ait, quam quæ ſit ἱκανὴ σώφρονας ὄντας τρέφειν, id eſt, vbi modum agri & diuitiarum, omiſſa liberalitate, ſola temperantia definit. Verum de modo diuitiarum, ſitne hic veriſſimus & optimus duabus iis virtutibus terminatus ac finitus, nec ne; quia res ea longiorem & accuratiorem diſputationem poſtulat, & alioqui opus erit de vniuerſo ac toto genere bonorum ſiue rei familiaris ſeparatim ſuo in loco explicare. (Eſt enim hic locus ſiue tractatio de bonis, de rebus, de re familiari, de diuitiis multiplex & conſideratione digniſſimus, cuius multa ſunt capita, & ex iis quædam valde controuerſa, vt de modo, ſiue fine & magnitudine bonorum, de rationibus & modis acquirendi, Græci τρόπους vocant, de vſu, quod caput ſcribit *Cicero libro ſecundo Officiorum*, præclare ab Ariſtotele fuiſſe explicatum (ſed neſcio vbi) de quo nonnihil *libro 4. Ethicorum.*) His igitur de

Platonis error.

Itemq; li. 2. de Rep.

De vero diuitiarum modo.

cauſis hanc diſputationem de modo bonorum reiicit Ariſt. in eum locum, vbi de toto genere bonorum ſiue diuitiarum accurate erit diſſerendũ. Sed hic quoq; inſignis locus & vniuerſa tractatio de bonis cum aliis aliquot miſere periit. Verum, quo ad modũ diuitiarũ, & ẽt quo ad vſum, ex aliis locis hinc inde peti poteſt, quæ ſit ſententia Ariſt. Nam vt in aliis diſputionibus ciuilibus, ita in hac quoque quæſtione medium fere (quod dicitur) ſecat, id eſt, mediocritatẽ probat diuitiarum, vt hic & *ſupr. lib. 2. cap. 4* & *lib. 4. cap. 11.* De vſu explicatur, vt dictum eſt, *lib. 4. Eth* & *hic* & *eo cap. 4. lib* 2. Quibus ex locis intelligi poteſt, quis diuitiarum & bonorum vſus ipſi probetur, is nimirum, qui neque in luxu, neque contra in nimia parſimonia & ſordibus, ſed in liberali & honeſto cultu ac victu cernatur. De alio vſu, qui non ſit in vita quotidiana & priuata, ſed ad Rempublicam pertineat, videatur & *lib. 4. Ethic.* & *lib. 2. Offic. Cic.*

& lib. 1. c. 5. non procul à fin.

Diuitiarũ modus Ariſtoteli probatus.

De diuitiis multa ſunt controuerſia.

Πολλαὶ γὰρ περὶ τὴν σκέψιν.] Hæc verba videntur proprie ad proxime priora pertinere; quæ ſunt de vſu, vt hoc dicat Ariſt. in ea quæſtione de vſu multa eſſe controuerſa. Quod & perſpicuum fit ex *Cicerone in eo lib* 2. *Off. in fin.* & *lib. 4. Ethic.* Id ipſum tamen, & de toto genere diuitiarum, ſiue de vniuerſo hoc loco dici poteſt, multa eſſe eius controuerſa capita, vt de modo, de rationibus acquirendi, de generibus diuitiarum.

De vſu diuitiarum.

Διὰ τοὺς ἕλκοντας.] Affert diſſenſionem ſiue controuerſiam vnam de vſu. Eſſe namque multos, qui diuitiis non vtantur moderate & temperanter; ſed eas (inquit) trahant ad vtrunque extremum, id eſt, qui iis vel nimis reſtricte & parce vtantur, ſuum (vt inquit *Comicus*) defraudantes genium (legendum apud *Terentium*, defrudantes, more veterum) & contra qui ad luxum & profuſionem eas conuertant. Hæc autem duo in vſu diuitiarum vitia eſſe, ſordes ſiue nimiam parſimoniam, & luxuriam, multoſque iis vitiis eſſe obnoxios in vtraque parte, quæ inter velut extrema liberalis, liberoque homine digna (quæ nimiæ parſimoniæ aut ſordibus reſpondet) & moderata ſiue temperata (ea luxui eſt contraria) vita medio in loco ſit poſita & interiecta, cum per ſe perſpicuum eſt, tum accurate explicatur *libro quarto Ethicorum.*

ὑπερβολή.

τὴν ὑπερβολήν.] Notandum, verbo hoc Græco ὑπερβολῆς, quod alias de altero tantum extremo, quod *Cicero* nimium

mium vocat, & quidem plærumque ſumitur, vtrumque extremum hic contineri, tam id quod parum, quam quod nimium, quomodo & verbo ὑπεροχῆς interdum vtuntur Græci, vt monuimus in obſcuriſſimo loco explanando *lib. 5. Eth. c. 5.* Sic autem hoc verbo ὑπερβολῆς vſus eſt & *ſup. lib. 4. c. 11.* vt eo loco indicauimus. ὑπεροχή.

TEXTVS.

Non difficile eſt autem agri ſpeciem videre. Sed ſunt quædam, in quibus etiam rei militaris peritis habenda ſit fides; hoſtibus quidē eum ad adeundū eſſe difficilē, ipſis vero ad exeundum facilem. Præterea vt hominum multitudinem eam debere eſſe diximus, quæ ad noſcendum ſit facilis: ita & de agro. Ad noſcendum autem facilem eſt, agrum eſſe ad ſuccurrendum facilem.

COMMENTARII.

Τὸ δ᾽ εἶδος τῆς χώρας.] Expoſita breuiter agri qualitate, & velut dote præcipua, quam αὐτάρκεια, rerumque copia ad vitam bene beateque degendam neceſſariarum definiit; hoc loco de aliis quibuſdam agri conditionibus adiungit. Monet autem, reliquas agrorum conditiones ad cognoſcendum eſſe faciles, ſiue (vt ipſe loquitur) genus agri quale & cuiuſmodi eſſe debeat, ſitque optimum ſiue huic Reipubl. de qua agitur, accommodatiſſimum non eſſe difficile videre; puta montoſumne, an planum aut mixtum, quibus ventis obnoxium aut ſubiectum, & ſub quo climate poſitum, quos vel aditus & velut portas, quos etiam exitus ſiue portus & ſtationes habeat; de quibus rebus, etſi per ſe notis & facilibus, quid optimum ſit & ſaluberrimum, tum & earum peritos adhibendos & conſulendos eſſe ait, maxime in re militari, qui illud vel inprimis optimum eſſe cenſent, totam regionem ſiue agrum talem quoque eſſe debere, vt hoſtibus ad inuadendū & incurſandū ad eum aditus ſit difficilimus & magnopere impeditus, vt contra ciuibus ipſis ad exercitus educendos cōmodiſſimus & facilimus. Qualis fere eſt ſitus veræ Græciæ, ad quā niſi per mare, & per anguſtias Thermopylarum, quæ parua manu

De reliquis agri dotibus.

Conſilium peritorum.

Exemplū.

aduerſus innumerabilem hoſtium multitudinem teneri poſſunt, hoſtibus vix pateat aditus. Et de hac quidem agri conditione *Platonem* imitatus videtur, qui id ipſum quoque in ea Republica, quam fingit *in libris de legibus*, procurandum eſſe monuit, vt plæraque regionis loca hoſtibus ad adeundum ſint difficilia, amicis facilia & expedita. Sic enim ait *libro ſexto*; δύσβατα δὲ δεῖ ποιεῖν πάντα τοῖς ἐχθροῖς, &c. Verum de his agri dotibus & conditionibus, vt de regione cœli, vt de vſu rei militaris (ad quem pertinet non tantum hæc diſputatio de aditu & exitu, ſed an colles habeat ager ad arces & propugnacula munitos, aut de fontibus & aqua) eadem, eaque paulo explicatius iterantur *infr. cap. 11.*

Quantitatis alia conditio.

ἔτι δ' ὥσπερ τὸ πλῆθος.] Alia hic exponitur agri conditio, quæ ad quantitatem ſiue magnitudinem potius, quam ad qualitatem pertineat. Nam vt paulo *ſupr.* de perſonis & ciuibus ipſis, eorum multitudinem maiorem non eſſe debere docuit, quam vt ipſi inter ſe noſſe poſſint, eamque iuſtiſſimam eſſe ciuium multitudinem, quæ ſit εὐσύνοπτος: ita & hoc loco de agro eiuſque magnitudine, eam demonſtrat eſſe optimam ac veriſſimam; quæ item ſit εὐσύνοπτος. Illud autem εὐσύνοπτον eſſe aliter in ciuium multitudine, aliter in agri magnitudine accipiendum. Nam multitudo ciuium ea eſt εὐσύνοπτος, vt *ſupra* explicatum, vbi ciues inter ſe facile noſſe poſſint; ager vero ille dicitur εὐσύνοπτος, qui ita ſit magnus, vt ad omnes eius partes ſuppetias & ſubſidio veniri facile poſſit. Quare neque diſiunctos agros, vt hodie quorundam ſunt Regum (vt Hiſpaniæ Regis) neque ita late patentes, vt magnam partem orbis complectantur, ad optimum Reipublicæ ſtatum accommodatos eſſe monet. Quo pertinet conſilium Romani Ducis datum olim Achæis de inſula Corcyra (quam hodie tenent Veneti) *apud Liuium libro trigeſimoſecundo.*

Multitudo ciuium, & ager εὐσύνοπτος.

1. Vitium huic præcepto contrarium.

2. Vitium. Exemplũ.

TEXTVS.

Vrbis autem ſitum, ſi ex voto agendum ſit, eum eſſe conuenit, vt commode & à mari & à terra ſit ſita. Et hic quidem vnus eſt modus ſiue finis. Oportet namque omnium locorum eum eſſe communem ad ſubſidia, reliquis vero ad fru-

ctuum,

ctuum, qui naſcuntur, exportationem. Præterea ad lignorum,&ſi quid aliud tale ager ferat, facilem communicationem.

COMMENTARII.

Τῆς δὲ πόλεως.] De ſitu vrbis breuiter hoc loco exponit Ariſtoteles, qui omnium ſit optimus, ſiue qui ſit ad optimum Reip. ſtatum accommodatiſſimus Docet autẽ eum eſſe optimum, qui communis ſit & particeps maris & continentis, ſiue eam vrbem eſſe optimo in loco & ſitu, quæ habeat opportunitates terreſtres & maritimas: quæ ab vna parte vergat ad mare vel flumen, ab altera ad agros ſpectet. Et hunc quidem vrbis ſitum, quæ & continentis & maris ſit particeps ac communis, vt optimum, à ſe probari indicat & *infra cap. vndecimo, in principio.* Quanquam de mari ſiue de communicatione & commercio maritimo, quod hic breuiter ponitur, quia magnas in ſe difficultates & controuerſias habet, mox latius & accuratius explicatur *capite proximo.* Nam illud facile eſt & extra controuerſiam, vrbem eam, quæ ſit beatiſſima futura, ita ſitam eſſe debere, vt aliqua ex parte continentem ac terram ſiue agros ſpectet, rerumque terreſtrium vſum & commercium habeat, id eſt, non ita ſitam eſſe debere, puta in Inſula aliqua ſola, omnia vt ad vſus vitæ neceſſaria magno molimento & opere aliunde ſint petenda, & eo conuehenda. Quanquam hic vere eſt ſitus vrbis Venetorum noſtra ætate, quamque ab omni continenti ac terra diuidunt mare ac paludes, cuius tamen εὐνομία & optima adminiſtratio à plæriſque prædicatur. Ratio autem ſiue cauſa, cur hunc vrbis ſitum, maris & terræ, ſiue continentis communem, probat Ariſtoteles; de mari quidem exponitur *infra capite proximo.* De terra vero videtur mihi intelligenda ea, quæ hic affertur his verbis; δεῖ γὰρ πρὸς ἅπας, &c. Quod ad ſuppetias ferendas omnium locorum communis eſſe debeat, id eſt, quod aduerſus hoſtes facile ſuccurri omnibus partibus & oris totius regionis ac prouinciæ poſſit. Nam ſi vrbs in Inſulam ſit reiecta, agrumq; habeat in continente: non tam facile iis, qui in continente oppida & vicos incolunt, ſuccurri poterit. Quod cum alias ſæpe, tum non ita pridem accidit bello Gallico, quo Anglis oppidum Calitum, cui tardius ſuccurrerent, vt in continente ſito, præreptum

De optimo vrbium ſitu.

Controuerſia.

Vrbes aliqua ex parte continentem terram contingant oportet.

2. Ratio.

Exempl.

& ademptum fuit. Quod igitur ad ſitum vrbis attinet, duo in eo ſpectanda eſſe monet, ſiue duabus illum rebus definit, & (vt ipſe loquitur) duobus velut finibus & ὅροις circumſcribit. Quorum prior iam eſt explicatus de ſitu terræ & maris
2. communi. Alter pertinet non ad ſuccurrendum ſiue ad ſuppetias, ſed ad rerum commercia. Quare alter hic velut finis eſt, vt vrbs ad res vſibus vitæ neceſſarias in agro ſubnaſcentes commode conuehendas, & non ſolum in vrbem, aliaque oppida & vicos in agro & regione ſitos diuidendas ac diſtribuendas, ſed etiam ad exteros deportandas ſit opportuna, vt ſi ager aut frumenti, aut vini, aut lignorum, aut olei, aut potius harum omnium rerum, aliarumque ſit ferax: aut etiam metalla & fodinas ſiue carbonum, calcis, plumbi, argenti, &c. habeat, quam ad rem, id eſt, ad harum diuiſionem ac deportationem rerum facilitatem & opportunitatem notum eſt maxime ſeruire flumina. Hic igitur alter eſt modus ſiue finis optimi ſitus, quo contineatur cum fructuum in agro naſcentium, tum aliarum rerum (vt lignorum, lanæ, metallorum, lapidum, calcis, &c.) facilis communicatio ac deuectio. Et hoc eſt, quod ait; ὁ δὲ λοιπὸς, &c.

CAPVT VI.

MONVI & alias, in hoc opere capita librorum ſæpe incommode & imperite ſatis eſſe ſecta: quod & hoc loco accidit. Nam quæ hoc capite explicantur, non niſi incommode à priore diſputatione de ſitu vrbis diuiduntur. Vt enim modo dictum eſt, quod de mari breuiter allatum fuerat, id quia valde ſit controuerſum, & ad explicandum difficile, vberius & proprio loco hic explicari. Nam id fere toto hoc capite agit de communione maris & rerum maritimarum, vtiliſne ea ſit, an pernitioſa optimæ Reipublicæ. Etſi autem in vtramque partem diſputat, eiuſque rei commoda & incommoda affert: tamen concludit, concionem & commercia
1. Pars. maris optimæ quoque Reipublicæ eſſe vtilia: quibus rebus
2. Pars. explicandis viam quoque & rationem exponit, qua incommoda ex eo commercio orientia euitari poſſint, emporio ex-
3. Pars. tra vrbem inſtituendo. Tandem & de turba nautica, quæ Athenis erat innumerabilis, quia & ea ad rem maritimam pertinet; an & quatenus in optima Republica ſit ferenda, extremo

mo hoc cap. breuiter diſſerit. De hac .a. ſumma & principe quæſtione, id eſt, de communicatione & commercio maritimo, an Reipub. ſit vtile nec ne, ab alijs quoque grauiſſimis ſcriptoribus diſſeritur. Videatur *Plato libr. 4 de legibus. &* *Strabo libr. 7.* vbi de Scythis. *Xenophon in lib. de Republica Athenienſium.*

TEXTVS.

De maris autem commercio, vtrum ciuitatibus ſit vtile Rempublicam adminiſtrantibus, an inutile; ſunt, qui multum ambigant. Nam in vrbe verſari quoſdam, alijs in legibus educatos, inutile eſſe aiunt ad bonam adminiſtrationem & hominum multitudinem. Nam ex vſu quidem maris emittendo & recipiendo naſci mercatorum multitudinem. Id autem bonæ adminiſtrationi eſſe contrarium.

COMMENTARII.

Περὶ δὲ τῆς.] Explicatur hoc capite inſignis locus, isq; magnopere controuerſus, de commercio & vſu maris. Qui locus pertinet ad tractationem de ſitu vrbis & regionis, qua de re hic agitur. De qua re ſua ætate inter Politicos & viros doctos magnam ac multiplicem controuerſiam fuiſſe ait: hanc maxime, vtrum vſus maris ciuitatibus bene inſtitutis ſiue bene Rempublicam ſuam adminiſtrantibus (*Cæſar* ſic loquitur) vtrum, inquam, maris propinquitas & commercium ijs proſit, an noceat. De qua quidem quæſtione præter ea, quæ *ſupra* adduximus, videantur & illa, quæ de peregrinationibus diuine ſcribit *Plato libr. 12. de ll.* & quæ idem *lib. 8. de legib.* & quæ nos alias de peregrinationibus breuiter vndique collecta coniecimus *in præfat. Odyſſ. Homericæ præfixam.* In hac autem quæſtione vt & alias *à Platone* diſſentit *Ariſtoteles.* Nam *Plato initio lib. 4. de legibus*, ciuitatem ſuam 80. ſtadijs à mari reuocat, eique Reipublicæ quam *in ijs libris* deſcribit, vt optimam, maris vicinitatem & commercium pernicioſum fore exiſtimat. Quare & *lib. 12. de ll.* peregrinationes ita conſtringit ac minuit, vt eas fere tollere videa-

De maris ppinquitate, vtrum proſit vrbibus an vero obſit.

Platonis hac de re ſententia.

Seneca ep. 70.

videatur. Et in hac ſententia *Platonem* eſſe monet *ipſe Strabo eo loco lib. 7.* à quo ait eleganter θάλατταν dici πονηροδιδάσκαλον, & proinde optimæ Reipub. vitandam; in eo tamen, ni fallor, memoria lapſus *Strabo*, qui Platonis Politiam, id eſt, libros de Republica adducat, cum ea extent *in libris de legibus*, (hoc non mirum, magnos viros memoria labi: accidit hoc *Ciceroni* ſæpiſſime.) Huius ſententiæ de vitando maris vſu & commercio multa ſunt firmamenta. Nam ex multis incommodis, quæ vſus maris & propinquitas affert, duo

1. Incommodum. ſumma hic ab Ariſtotele ipſo commemorantur. Prius eſt, ꝙ ea re peregrini mores & inſtituta in ciuitatē importentur. Al-

2. Incomm. terū eſt, ꝙ magna mercatorū multitudo inde oriatur, & ex ea innumerabilis hominū turba & colluuies. Quod vtrumq; incommodum quam ſit graue & optimæ Reipubl. contrarium, iam *ſupra* partim eſt explicatum, quo in loco demonſtrauimus, nimiam hominum multitudinem ad optimum Reipub. ſtatum plane eſſe inutilem ac perinicioſam. De altero incommodo, quod diximus, peregrinos mores & vitia hoſpitum aut peregrinorum infundi in ciuitatem, multi grauiſſimi viri commemorant & conqueruntur, & res ipſa per ſe loquitur. De quo ita *Plato libro 12. de legibus*, πέφυκε δὲ ἡ πόλεων ἐπιμιξία, &c. vbi per peregrinos ciuitates miſere inter ſe permiſceri oſtendit, eaque ex re & patria inſtituta paulatim contemnuntur, & leges mutantur, & ſæpe vniuerſæ Reipublicæ interitus conſequitur. Huc pertinet, quod monet *Cicero libro 2. de legibus*, in religione id quoque cauendum, ne eius fiat confuſio, vt peregrini ritus non temere recipiantur. Quod ſane in ciuitate Romana plane admirabile fuiſſe ait *Dionyſ. Halicarn. libro ſecundo* ἀρχαιολογίας, in qua tot vndique profecti verſarentur peregrini ex toto orbe terrarum, & tamen nulla ſacra peregrina præter

3. Incomm. Cereris eſſent recepta. De hoc incommodo & *idem Pla-*

4. Incomm. *to initio libri quarti de legibus. Strabo* autem alia quoque

5. Incomm. incommoda magis affert, puta luxum, ſtudium piraticæ

6. Incomm. (hoc ſtudium etiam maiores noſtri exercuerunt, vt veteres Romani ſcribunt) auaritiam ſiue πλεονεξίαν. Addit *Cæſar*,

1. Exempl. & mollitiem: ſic enim ait *libro ſecundo belli Gallici* de Neruijs; nullum aditum eſſe ad eos mercatoribus, nihil pati vini, reliquarumque rerum ad luxuriam pertinentium inferri: quod his rebus relangueſcere animos eorumque remitti vir-

tutem exiſtimarint. Idemque de Germanis, à quibus Neruij ſe ortos prædicabant, idem ſcribit *libro 6*. Gallis autem, inquit, propinquitas, & tranſmarinarum rerum notitia multa ad copiam atque vſus largitur: paulatim aſſuefacti, multisque victi prælijs, ne ſe quidem ipſi cum illis virtute comparant. Et hæc quoque cauſa ξενηλασίας, expulſionis peregrinorum Spartanæ, ſiue cur Lacedæmonij nec peregrinos in vrbem reciperent, nec ſuos peregrinari permitterent, exponitur à *Xenophonte in libello de Republica Lacedæmoniorum*, his verbis; ὅπως μὴ ῥᾳδιουργίας, &c. id eſt, vt ne ignauia & languore ciues à peregrinis corrumpantur. 2. *Exempl.* 3. *Exempl.*

TEXTVS.

Verum hæc ſi non accidant, melius eſſe & ad incolumitatem & ad rerum copiam neceſſariarum, vrbem & agrum maris eſſe participem, non eſt obſcurum. Etenim ad hoſtes facilius ſuſtinendos oportet eos, qui ſalui ſint futuri, ad ſuccurrendum vtraque eſſe opportunos, & terra & mari, & ad nocendum inuadentibus. Si vtraque non poteſt, ſaltem ex altera parte magis erit facultas ijs, qui vtriuſque ſunt participes. Ea quoque, quæ apud ipſos non ſint, accipere, & quæ ſuperant ex ijs, quæ nata erunt, exportare, ex rerum modo eſt neceſſariarum. Debet enim ciuitas ſibi non alijs mercaturam facere. Qui autem omnibus apud ſeſe mercaturam præbent, quæſtus cauſa hæc agunt. Eius autem cupiditatis ciuitas ſi particeps eſſe non debet, neque emporium tale habere debet.

COMMENTARII.

Ὅτι μὲν οὖν.] Expoſitis breuiter incommodis, nunc commoda & huius & commercij maritimi ac propinquitatis maris

maris breuiter quoque exponit. Sunt autem & ea duo quoque maxima, vt & de incommodis *ſupra* dictum: quorum prius ad bellum, alterum ad pacem fere pertinet; nimirum facilior defenſio, & rerum ad vitam neceſſariarum communicatio. Nam quod ad prius attinet, ſi vrbis & regionis is ſit ſitus, vt terra ac mari ad eam ſit aditus: facilius & ipſi ſuccurri poterit, & hoſti noceri. Sæpe enim id accidere ſolet, vt vrbs terra vndique obſeſſa, ſubſidio & auxilijs per mare intromiſſis, periculo liberetur: & contra quæ claſſe oppugnatur, vt terreſtri exercitu conſeruetur. Sic & in hoſte propulſando, aut potius in detrimento ei inferendo vtile quoque eſt, vtramque hanc habere opportunitatem, tam claſſis quam exercitus terreſtris: vt ſi altera vti non poſſis, vel quia per hoſtem impediaris, vel quia forte non ſuppetat; ſaltem altera vti poſſis. Quemadmodum olim Athenienſes cum terreſtri bello Lacedæmonijs pares eſſe non poſſent, claſſe comparata eorum fines infeſtare ſunt ſoliti, vt hac ratione terreſtrem exercitum hoſtium pellerent. Quare & olim Themiſthocles cum Athenarum patriæ ſuæ ſitum videret non tantum ad terreſttem, ſed etiam ad naualem exercitum & bellum maritimum eſſe opportunum; autor fuit Athenienſibus, vt claſſi quoque ædificandæ operam darent. Qua ratione à ſuis & totius Græciæ ceruicibus æternam Perſarum ſeruitutem, pulſis ijs terra ac mari duobus grauiſſimis prælijs, Marathonio & Salaminio (*Cic. lib. 1. off. & Herod.*) depulerunt, & tandem maris imperium & dominia tamen ſunt conſecuti. (Nuper in Gallia ante annos 5. cum Roſchellæ Hugonoti eſſent concluſi terra, mare eis præbuit ſubſidium. Perrupta enim catena, qua mari etiam claudebatur aditus, commeatus & milites ſunt allati in ciuitatem.)

1. Commodum propinquitatis maris.

Exemplũ.

2. Commodum.

De altero commodo, id eſt, de rerum ad vſus vitæ neceſſariarum cõmunicatione ſeu permutatione perſpicuum quoque eſt, eam vt plane eſſe neceſſariam, ita & faciliorem, ſi ciuitas maris quoque vſum & commercium habeat, tam ad exportandum quam ad importandum. Nam hic quidem vſus ſiue hoc maris commodum, quod in rerum permutatione & communicatione ponitur, cum per ſe notiſſimum eſt, tum ab omnibus celebratur. Verum ex hoc vſu & commodo quia ſæpe magna mala & incommoda ſuboriuntur, maxime ea duo, quæ ab ipſo Ariſtotele *ſupra* ſunt allata, legum confu-

Modus in hac cõmunicat. rerũ adhibẽdus.

confuſio & hominum: præclare hic monet Ariſtoteles, hunc vſum ita definiendum eſſe, vt quæ in agro aut regione non naſcuntur aut extant, ea aliunde aut petantur aut recipiantur: quæ domi nata fuerint, ex ijs ea, quæ ſuperabunt aut ſuperfuerunt, vt ad alios exportentur, vtrumque eo modo & fine, quatenus vel vtile vel neceſſarium vel ſatis ſit ſuis & ipſi Reipublicæ non alijs. Ex quibus id intelligitur & conſequitur, quod & ipſe expreſſit, optimam & beatiſſimam Rempublicam mercaturam illam quidem exercere poſſe; ſed ſibi tantum, non alijs. Eaque propter in eadem ciuitate, quæ optime Rempublicam ſuam adminiſtrare velit, non debere communem, perpetuum ac celebrem mercatum inſtitui. Nam id genus emporia & mercatuum celebritates non tam rerum ad vſus vitæ neceſſariarum permutationis ſeu communicationis, quam quæſtus & auaritiæ cauſa (à quibus hoc optimæ genus Reipublicæ longiſſime abhorrere debet,) inſtitui conſuerunt. Vt olim Delphis & Puteolis & Alexandriæ, & hodie multis in locis (in Germania duo inſignia Antuerpiam & Dantiſcum. In Hiſpania Hiſpalim. In Italia Venetias & Genuam. In Turcia Calecutam, quæ non maior eſt hac noſtra vrbe.)

Mercatura quaten⁹ exercenda ſit in optima Repub.

Emporiorũ perpetuorũ improbatio.

Exempla.

Οὐδ' ἐμπόριον.] Vocant veteres tam Græci quam Latini locum mercibus & mercatoribus in vrbe vel extra vrbem attributum, Emporium, non ipſam vrbem, vt vulgo perperam eo verbo abutuntur. Sic Emporium Athenis erat in Piræeo.

Εμπόριον. Vitruu. architect. li. 1. c. vlt. & li. 2. in præfa. & l. 5. c. vl.

TEXTVS.

Quia autem & nunc videmus multis in regionibus & vrbibus eſſe naualia & portus, optime ſita & accommodata ad vrbem, vt neque ipſam vrbem turba naualis habitet, neque valde longe abſit; ſed mœnibus, alijsque id genus propugnaculis muniatur: perſpicuum eſt, bonum quidem ſi quod ex ipſorum ſocietate eueniat, id bonum ciuitati afferri: ſi vero quid mali, facile eſſe legibus cauendum diſcludendis & dirimendis, quos non

oporteat,

oporteat, & quos oporteat inter ſe miſcere commercia.

COMMENTARII.

Ratio, qua incõmoda propinquitatis maris effugere liceat.

Ἐπειδὴ δὲ νῦν.] Dictum eſt *ſupra* de malis & incommodis, quæ afferat commercium maritimum. Ea autem ne Reipub. noceant, & vt optime ab ipſa ciuitate ſecludantur vitia peregrinorum & mercatorum; rationem & viam hic demõſtrat Ariſtoteles. Ea autem ratio hæc eſt, vt emporium ab ipſa vrbe diuidatur, ita vt emporium cum vrbe neque plane ſit idem aut coniunctum, neque nimis diſiunctum: cuiuſmodi multarum vrbium ſitus natura factus ad hoc diſcrimen reperitur, quæ portus habeant, aut naualia non vrbi coniuncta, ſed prope tamen ab vrbe. Nam hac diſcluſione efficietur, inquit, vt quæ bona affert vſus & commercium maris, vrbi communicari poſſint: & tamen mores ciuium & inſtituta Reipub. per peregrinos aut mercatores, quibus in emporio extra vrbem locus erit attributus, non corrumpantur aut inquinentur. Hic olim fuit ſitus Athenarum, Spartæ, Byzantij, & Romæ. Nam Piræeus ab ipſa vrbe ſeu Aſtu & Gythæum à Sparta quod peruulgatum eſt. De Byzantio quod dixi, reperi apud *Athenæum*, qui hæc verba Theopompi *libro octauo rerum Philippicarum* adducit; ἤξωνται οἱ Βυζάντιοι, &c. Quanquam portus Byzantinus vrbi æquo eſſet coniunctior & plane continens. Quæ cauſa quoque fuit, vt ibidem ait Theopomp. cur populus Byzantius luxu & omnibus vitijs diffluerent; διὰ τὸ τὴν πόλιν ἐμπορεῖον κειμένην ἔχειν, καὶ τὸν δῆμον περὶ τὴν ἀγορὰν, &c. Hanc autem rationem ſumpſiſſe mihi videtur Ariſtoteles ex *Platone*. Nam quo in loco is diſſerit de peregrinationibus & de peregrinis *libro duodecimo de legibus*, vult, peregrinos non aliter recipi, quam extra vrbem in portubus & emporijs, & publicis ibidem domibus extructis. Sic enim ait; τέτταρες δ᾽ εἰσὶ ξένοι, &c.

ἀπολογία.

Exemplũ.

TEXTVS.

Cæterum de opibus naualibus, optimum quidem

dem adeſſe quadam tenus, non eſt obſcurum. Neque enim ipſis tantum, ſed etiam finitimis quibuſdam & terrori eſſe oportet, & poſſe ſuccurrere, vt terra, ita etiam mari. De modo autem & magnitudine harum opum pro vita ciuitatis videndum eſt. Nam ſiquidem principem ac politicam vitam viuet; neceſſe erit, has quoque opes rebus gerendis reſpondere. Magnam autem multitudinem, vt fit, turbæ naualis non eſt neceſſe eſſe in ciuitatibus. Ipſos namque nullam ciuitatis partem eſſe oportet. Nam Epibatæ (milites claſſici) ex liberorum & peditum ſunt numero, quod genus dominatur & imperat, & priores tenet partes in re nauali. Vbi autem agricolarum & eorum, quos Græci Periœcos vocant, multitudo fuerit: neceſſe eſt & nautarum (ſociorum naualium) copiam eſſe. Videmus autem, hodieque in quibuſdam eſſe, vt in vrbe Heracleotarum (Heracleenſium, Heracleæ.) Multas enim complent triremes vrbem colentes magnitudine alijs minorem. De regione igitur & portubus & vrbibus & mari & de naualibus opibus ad hunc modum ſint definita. De vrbana autem ſiue ciuili multitudine, quis optimus modus eſſe debeat, ante diximus.

COMMENTARII.

Περὶ δὲ τῆς ναυτικῆς.] Inſtitutæ diſputationi de commercio maris & vicinitate conuenienter adiungit Ariſtoteles locum de opibus ſiue potentia nauali, ipſe *δύναμιν ναυτικὴν*, vt & *Xenophon initio libr. 7.* ἑλληνικῶν, *rerum Græcarum*; vbi Procles Phliaſius (Phliaſiorum orator) de imperio maritimo

De opibus ſeu potentia nauali. δύναμις ναυτική.

ritimo

ritimo diſſerens ait, ſine portubus οὐχ' οἷόν τε ναυτικῇ δυνάμει χρῆσθαι. Quo nomine non copiæ tantum ſiue ſocij nauales, id eſt, nautæ, vt *interpretes* hic vulgo reddunt, ſed (vt dixi) opes, omniaque ad rem naualem pertinentia contineri mihi videntur; vt claſſes ſiue naues, armamentarium, ſocij nauales, milites ſiue ἐπιβάται (apud *Caſ. in comment.* Epiphatæ) De re igitur nauali ſiue de nauali potentia diſſerens hoc loco Ariſtoteles primum docet, eam in optima Republ. aliquam eſſe debere: deinde, quanta ea eſſe debeat. Cur autem aliqua eſſe debeat, ſiue cur ciuitas bene inſtituta non tantum terra, ſed mari quoq; poſſe aliquid debeat, cauſam ipſe Philoſophus affert. Quod nimirum vtile ſit Reipublicæ, eam & ſuccurrere poſſe cum ſibi ipſi & ſuis, tum finitimis, non terreſtri tantum ſed etiam nauali exercitu & apparatu; & formidabilem eſſe alijs vtrinque, tam terra quam mari. Quod ipſum & olim Romani, qui primis temporibus terreſtri tantum exercitu & prælijs valebant, tandem in bellis Punicis ſuo malo edocti ſecuti ſunt & ante Athenienſes. Quanq̃ ex duab. principib. (ſummis) Græcæ ciuitatib. Athenienſes rei nauali, Lacedæmonij terreſtrib. bellis potius ſtuderent. De modo autẽ maritimæ ſiue naualis potentiæ, quæ ſiue quanta ea eſſe debeat, definiendum id eſſe ait ex vita ciuitatis, id eſt, ex inſtituto ſiue ſcopo & conſilio Reipubl. Videndum namque eſſe, quid Reipub. ſit propoſitum; principatus ne, an æquabilitas ſiue æquabilis vitæ ratio, & ius cum cæteris cõmune. Nam quæ pari iure cum alijs viuere ſiue agere velit, ſuiſque ſe finibus continere, ei Reipubl. non magnas opes nauales eſſe neceſſarias. Illam vero, quæ principatum affectat, maioribus & ad res gerendas idoneis ac conuenientibus opibus ac copijs maritimis opus habere. Quod Ariſtotelis ætate cernere erat in Republica Athenienſi. Quæ poſtquam de principatu Græciæ cum Spartanis certare cœpit: id inprimis operam dedit, vt præter cæteras opibus naualibus excelleret. Quod idem & de Carthaginenſibus & de Romanis item de principatu & imperio inter ſe contendẽtibus aliquot poſt Ariſtotelem annis erudite explicat *Polyb. lib. 1.* Idem quoque noſtra & parentum ætate videre licuit in Turcis, qui non ita multis ab hinc annis mari facile opprimi poterant, ꝙ claſſe non valerent. Nunc imperio ſuo tuendo opes habent accommodatas & idoneas non terra tantum, ſed & mari.

Ratio, cur opes nautica requirãtur ad felicitatẽ Reip.

1. Exempl.

2. Exempl.

Modus potentia nautica.

1. Exempl.

2. Exempl.

3. Exempl.

4. Exempl.

5. Exempl.

Et h. tẽpore in Anglis & Hiſpanis.

Τὴν

τὴν δὲ πολυανθρωπίαν.] De turba nautica ſiue de multitudine nauticorum, de qua multi præclari viri ea ætate conquerebantur, quid faciendum ſit, quia & ea res ad diſputationem priorem pertinet, breuiter adiungit & exponit Ariſt. Docet autem Rebuspubl. opus non eſſe magna nauticorum multitudine, nec debere eos eſſe in ciuium numero in optima Republ. Etſi autem vtriuſque huius rei nullam hic ipſe cauſam expreſſerit; optimis tamẽ ea ſententia rationibus & cauſis nititur. Nam quod ad nimiam nautarum multitudinem ſiue turbam attinet, qualis olim erat Athenis, vt ſcribit *Xenophon in libello de Republ. Athenienſium valde late.* & monuit iam *ſupra Ariſtoteles lib. 4. cap. 4. & lib. 5. cap. 4. & ipſe Iſocr. in Panathenaico*: quam ea ad optimum Reipubl. ſtatũ ſit inutilis & pernicioſa, præclare & copioſe ab *Iſoc. eo loco* explicatur his verbis; ἀλλὰ ἀκριβῶς, &c. & à *Platone lib. 4. de ll.* De altero, nauticos ſiue ſocios nauales in optima Rep. non debere eſſe in numero ciuium, ex eo intelligitur, quod inter opifices numerentur, quos omnes à Rep. & numero ciuium remouendos eſſe in optimo Reip. ſtatu explicabitur *infra cap. 9.* Quia tamẽ belli tempore naualis magna ſæpe nauticorum & ſociorum naualium multitudine eſt opus; rationem quoque exponit Philoſophus; qua temporibus neceſſariis ſatis magna horum multitudo parari & haberi poſſit. Nam ex ruſticis & agricolis ſumi eos poſſe docet his verbis; πλήθους δὲ ὑπάρχοντος, &c. adeo vt quibus in locis agricolarum fuerit multitudo, nunquam ibi nautæ quoque ſint defuturi. Et hac quidem ratione parandorum nautarum quaſdam ciuitates ſua quoque ætate vti oſtendit exemplo Heracleæ, quæ vetus eſt & nobilis ciuitas ad Pontum (vocabatur Heraclea Ponti. Huius ſæpiſſime fit mentio apud *Cic. Demoſt. Xenoph. & alios*:) Nam hanc ciuitatem, quamuis magnitudine multis aliis cedat, multas tamẽ triremes ornare & inſtruere; vt abundantem cum alio omni apparatu nauali, tum turba nautica ex agris tempore neceſſario ſumpta. Quod idem noſtra quoque ætate Veneti factitant: qui ad inſtruendas claſſes in agris delectum habere & valentiores agricolas triremibus adſcribere conſuerunt.

Turba nautica non ſit nimiũ multa, nec in ciuium numero.

1. Ratio.

2. Ratio.

Modus cõparandorũ nautarum.

1. Exemplum.

2. Exemplum.

τὸ μὲν ἐπιβατικόν.] His verbis quidem velut occupatio continetur. Ex eo enim, quod modo dictum erat, nautas non debere eſſe in numero ciuium, occurri poterat de epibatis, id eſt de

De militibus claſſiariis.

eſt, de militibus naualibus ſiue claſſiariis. Sed de his iam non agi indicat Ariſtoteles. Nam miles claſſiarius, inquit, eſt homo liber, & ex numero peditum, quique non ſeruiat, vt nauta aut remex, ſed dominetur potius ac præſit in claſſe. Quare quod dictum eſt, turbam naualem non eſſe partem ciuitatis, id eſt, non debere eſſe in numero ciuium, accipiendum eſſe de nautis & ſociis naualibus, remigibus non de milite claſſiario. Qui cum ſit homo liber & ex peditum numero, merito non ſecus, atque miles terreſtris, non minima Reipubl. pars cenſeatur: qua de re *infra cap* 4.

οιον τῇ πόλει.] Idem de hac vrbe confirmat & *Xenoph. lib. 5. ἀναβάσ. expedit. Cyri.* Sic enim ait; *ἐξ ἡρακλείας δὲ οὐδὲ πεζῇ οὐδὲ κατὰ θάλατταν ἀπορία. πολλὰ γὰρ ἐστὶ πλοῖα ἐν ἡρακλείᾳ.*

περὶ δὲ τοῦ πολιτικοῦ.] De ipſa regione & agro, de eius (inquam) magnitudine ſiue modo, & de commoditatibus ſiue opportunitatibus hoc cap. explicatum eſt. De ciuium autem modo ſiue multitudine iam *ſupra* (inquit) diximus, puta *cap.* 4. Reliquum eſt, vt de eorum quoque qualitate, id eſt, natura ſiue ingenio explicetur. Qua de re mox *proximo capite.*

CAPVT VII.

HVIVS capitis argumentum iam fere explicauimus. Agitur enim hoc loco de indole & ingenio ciuium; quo
1. Pars. illi eſſe debeant, qui ad optimum Reip. ſtatum ſint apti. Id
2. Pars. quod priore capitis parte breuiter docet. Altera eius parte *Platonis* ſententiam eadem de re refellit.

TEXTVS.

Nunc videamus, quales natura eſſe oporteat (ſcilicet ciues) Id autem intelligat quis fere, ſi intueatur cum in Græcorū ciuitates celebres, tum in omnem orbem terrarum, vt gentibus varie incolitur. Gentes enim illæ quidem, quæ frigida loca & in Europa incolunt, animi quidē illæ ſunt plenæ, ingenio vero & arte minus inſtructæ. Quare liberæ quidem permanent magis, ſed ſine recta Reip. adminiſtratione, quæque finitimis imperare nequeat. Qui vero Aſiam incolunt, animo quidē ingenioſi ſunt & artificioſi, ſed parum animoſi,

Quare

Quare parere & ſeruire non deſinunt. Græcorum autem natio (gens) vt quo ad loca media eſt, ita vtriuſque eſt particeps. Eſt enim & animoſa & ingenioſa. Quare & libera permanet. & Rempub. optime adminiſtrat, & omnibus imperare poſſet, ſi vna vteretur Repub. Eadem autem differentia eſt & in ipſis Græcorrm nationibus inter ſe. Quædam enim vniuſmodi ſunt natura, quædam vero ad vtramque hanc facultatem bene ſunt temperatæ. Perſpicuum eſt igitur, eos, qui legum ſcriptori ad virtutem ſint faciles & flexibiles futuri, & ingenioſos natura & animoſos eſſe oportere.

COMMENTARII.

ποίους δέ τινας τὴν φύσιν] Diximus modo, hoc cap. de indole & ingenio ciuium optimæ Reip. explicari, qui ſane inſignis eſt locus politicus & à *Platone* copioſe tractatur *lib. 2. de Rep. fere in fi & toto lib. 3.* Quanquã *Plato* de magiſtratuum, & eorum, qui præſunt, maxime ingenio & moribus diſſerat: Ad hunc autem pertinẽt & ea, quæ explicata ſunt *ſupra multis in locis lib. 4. cap. 1. & 12. lib. 6. cap. 7.* &c. de Rerumpubl. varietate ac differentiis ſiue generibus. Quibus in locis explicatum fuit non poſſe in omni natione aut loco optimum Reipub. ſtatum inſtitui, ſed alium alii hominum generi & nationi eſſe aptiorem. *Vitruu. quoque lib. 6. cap. 1. in fi.* in vrbe architectanda & ædificanda hãc differentiam notat, & conſiderandam eſſe monet. *De indole & ingenio ciuium optimæ Reip.* *Non omni in loco poteſt optimus Reip. ſtatus inſtitui.* *Vide & ſupra lib. 5. cap. 3.*

σχεδὸν δὴ κατανοήσειεν ἄν τις.] Docet, hanc quæſtionem ſiue locum non tam argumentis & rationibus multis, quàm vſu & exemplis explicari poſſe Rerumpub. & gentium non Græcarum tantum ſed etiam barbarorum. In his enim triplicem differentiam reperiri. Quæ quidẽ differentia ex ipſo locorum ſitu & natura oriatur. Nam ſiue totum orbem terrarum quis ſpectet (quem multi veterum in duas tantum partes, vt & hic Ariſtoteles, Europam & Aſiam, tribuebant) varios eius populos & gentes trifariam inter ſe diſcrepare, vt qui Aſiæ loca incolant, ingenioſi ſint illi quidem & ſolerti natura præditi, ſed molles, ignaui & effœminati; non ad imperan- *Triplex hominum, quoad climatum diuerſitatẽ, diſcrimen.* *1. Aſiaticorum ingenia & corp. qual.*

2. Europæorum intimorum. perandum, ſed ad parendum & ſeruiendum nati. Contra qui Europæ extrema incolunt, vt frigida & aſpera: eos quidem eſſe bellicoſos, ſed imprudentes, & in quibus parum ſit ingenii. Medios autem & his velut interiectos Græcos vtraque re ſiue facultate valere & inſtructos eſſe, id eſt, & ſapientia ſiue ingenio, & animo & fortitudine antecellere. *3. Europ. Aſiæ propinquorum.* Hanc autem gentium ex cœli & ſoli ac regionis diſſimilitudine differentiam & diſtinctionem cum exemplis omnis fere ætatis, tum ipſa ratione confirmare licet. *Ingenium habitantiū ſub cœlo frigido.* Nam qui ſub frigido cœlo ſunt nati & commorantur: abundant illi quidem ſanguine, & proinde animoſi ſunt & iracundi. Quia tamen aer & cœlū iiſdem in locis eſt craſſius, & nubibus plærumque infeſtum, cibis quoque & potu homines vtuntur craſſiore: fit, vt & ingenio minus ſint acuto. Eſt enim magna animi & corporis συμπάθεια & cognatio. Qua de re exſtat *lib. Galeni de conuenientia affectionum animi & corporis.* *Ingenium habitantiū ſub cœlo calido.* Contra gentes eæ, quæ in calidiore Zona & regionibus naſcuntur, quia propter calorem & exſucci ſunt, & tenui vtuntur cœlo: fit, vt & parum habeant ſanguinis & proinde ſint timidi, & tamen ingenioſi. Et hanc differentiam notauit & *ipſe Hippocrates in libello de aere & locis cap. 9.* *Aſianorum timiditas & ſeruile ingenium.* Quod ad exempla attinet de Aſianis ſeu Aſiaticis, eos eſſe natura timidos & ad ſeruitutem natos, quod hic ait Ariſtoteles, eleganter confirmat *Cic. pro Flac. Liuius* quoq; id *aliquot in locis* de iis ſcribit, vbi & cōtra *Gallorum aliorumq; pop. ſeptentrionalium ingen.* de Gallis & ſeptentrionalibus nationibus, quod item hic ait Ariſtoteles, eos eſſe audaces & manu promptos, oſtendit *lib 37 & ſeqq 38* ſic & *Lucanus lib. 8.*

> *Omnis*, inquit, *in Arctois populus quicunque pruinis*
> *Naſcitur, indomitus bellis, & mortis amator.*
> *Quicquid ad Eoos tractus, mundique teporem*
> *Labitur, emollit gentes clementia cœli.*

Videatur & *Seneca* de Germanorum veterum audacia & promptitudine in præliis *lib. 2. de ira cap. 15. in fi. & cap. ſeq.* Videatur & *Vegetius lib. 1. cap. 1. de re militari* (vbi oſtendit, quæ gentes ſint ad bellum aptiſſimæ) *& Vitruu. lib. 6. cap. 1. in fi.* *Græcorum ingen.* Quod autem Ariſtoteles hoc loco Græcis ſuis attribuit, eos & animis & ingenio excellere; id negat *Cicero*, & Romanis tantum ſuis attribuit. Sic enim ait. *1. Tuſcul. in fi.* Itaque barbari quidam & immanes ferro decertare acerrime poſſunt, ægrotare viriliter non queunt. Græci autem homines non

nes non ſatis animoſi, ſed prudentes, vt eſt captus hominum, ſatis hoſtem aſpicere non poſſunt, & iidem morbos tolleranter atq; humane ferunt. At Cimbri & Celtiberi in præliis exultant, lamentãtur in morbo, &c. ſic & alias idem Romam virtutibus & rebus geſtis Græciam diſciplinis & artibus vinci non poſſe teſtatur. Extat hodie *Methodus hiſtorica I Bodini Galli*, quo in libro author Gallis maxime attribuit, quod hic Græcis Ariſtoteles, & Germanos, ſub eodem fere cœlo & climate licet, ad extremos Scythas relegat, quibus non multum animi, parum aut nihil ſit ingenii. Rectius *Anton. Contius item Gallus in præfat. ad Inſtit. iuris*, de Francis (quæ certe gens eſt Germanica: ſed Bodinus hoc negat. poſſum probare ante annos 600. tempore Caroli Magni totam aulam Gallicam locutam fuiſſe Germanice. *Turnebus* putat Gallos veniſſe ex Dania: quod perinde eſt. Nam tum Dani quoque erant Germani) exiſtimat, vtraque re & animo & ingenio ac ſapientia valuiſſe, quod regnum optime & diutiſſime conſtitutum habeant. Quæ ſane tota epiſtola (etſi ille diſſimulat) ex hoc cap. & præceptis Ariſtotelicis expreſſa eſt, pulchriſque exemplis & rationibus explicata. Docet enim, gentes, quæ animo & audacia valeant, facile quidem aliena regna inuadere & occupare: ſed vti & retinere neſcire, ad quod (ad retinendum) legibus & iure ſit opus, quæ non niſi à ſumma prudentia & ſapientia proficiſcantur. Tales olim Scythæ, Hunni, Vandali, Sarraceni, &c. (Non minor eſt virtus, quam quærere, parta tueri:) Eas vero gentes, quæ & ſapientia & fortitudine excellant, vt Romanos & (vt ille ait) Francos, & imperia ſibi parare & ea retinere potuiſſe. Etſi autem hæc gentium differentia ex varietate cœli vera eſt: videtur tamen exceptione quadam temperanda eſſe, vt natura (inquam) corrigatur inſtitutione & diſciplina; aut contra, ea neglecta, ipſa natura corrumpatur & eneruetur. Id quod & ratione & auctoritate & exemplis confirmari poteſt; plurimum (inquam) in diſciplina & eruditione eſſe ſitum, eaque vim ipſam naturæ infringi, & vel meliorem vel deteriorem effici poſſe. Et ratio quidem ex Ethicis præceptis peti poteſt. Quod nulla ſit tam effera, barbara, immanis aut indocta gens aut natio, quæ non bonis legibus & inſtitutis paulatim miteſcat: & contra, quæ non efferetur, licet natura mitiſſima, barbaricis inſtitutis & moribus. Eſt enim (vt vulgo dici ſolet)

Gallorum ingenium. Germanorum.

Gentes feræ facile occupant imperia, ſed non diu retinẽt.

Gentes fortes ac prudentes.

Diſciplina & inſtitutio quid hac in re poſſit.

Ratio.

Approbatio.

Occupatio. conſuetudo altera natura. Etſi autem quædam ſunt ingenia, quæ nullis præceptis aut diſciplina, ſed vi tãtum & imperio corrigantur: plærumque tamen & in plærilque nationibus reperiuntur, qui bonis præceptis aures præbeant, vt dictum *ſupra lib. 10. Eth. cap. vlt.* Hæc autem melior viuendi ratio, boniſque & moribus & artibus conſtans, ſemel recepta, ſi ſtudio excolatur & ad poſteros propagetur, non eſt dubium, quin liberi & nepotes ex parentibus & maioribus mitiore & cultiore iam ingenio præditis & politioribus ſiue humanioribus nati, indole quoque natura & ingenio ipſi iam ſint meliore, mitiore & acutiore. Nam vt & *poeta Horat.* ait; Fortes creantur à fortibus, &c. Quare fit, vt in poſteris & nepotibus non tantum diſciplina & ſtudium (quæ duo in maioribus aſperiore ingenio & cœlo natis tantum erant) ſed ipſa iam natura & indoles melior reperiatur. Quin etiam, miteſcentibus hominibus & inquilinis, ipſum quoq; ſolum & cœlum miteſcere ſolet, & contra efferari inquilinis efferatis & indomitis. Ad hanc rem etſi multorum proferri poteſt, vnius tamen *Platonis* autoritas erit ſatis; vt ille ait, inſtar multorum millium (*Cic. in Bruto.*) *Ille* enim *in libris de Rep* omnia fere diſciplinæ & educationi, quæ ad optimum Reipubl. ſtatum conſtituendum pertinent, attribuit, vt videre licet *lib 2. de Repub. & libris ſeq.* Sed hac de re, id eſt, de vi & vtilitate educationis & inſtitutionis ac diſciplinæ explicabitur *li 8 cap. 1* Exempla omnium gentium & ætatum huic noſtræ (vt ita dicam) exceptioni teſtimonium quoq; perhibent. Nam Romani, quos veteres Græci barbaros (vt *Plautus de Epicharmo*) vocabant, principio vi tantum, manu & ferocia, poſterius culti & eruditi, etiam ingenio & ſapientia præſtiterunt: vt cómemorat *Cic. initio prima Tuſc. & Dionyſ. Halicar. li 1. antiq. Ro.* Contra Græci noſtra ætate & ſtultiſſimi ſunt & ignauiſſimi, olim licet & animoſi & ingenioſi: quia cultura & ſtudium deſit. Quin & ex hoc ipſo Ariſtotelis loco id confirmari poteſt, vbi monet, eam gentium diſſimilitudinem; qua aliæ ingenio tantum, aliæ animis & manu, aliæ vtraque re valeant ac præſtent, in ipſis Græcis reperiri, ſub eodem cœlo & climate natis & verſantibus. Hinc enim intelligi poteſt perſpicue, non tam cœlo, quam ſtudio ac diſciplinæ, hanc diſſimilitudinem eſſe attribuendam. Sic & ætate noſtra Germani, Hiſpani, Galli, Britanni, Angli, aliæq; vicinæ nationes, ipſi adeo

Conſuetudinis & inſtitutionis bona fructus.

Cœlum & ſolum ſequitur incolarum ingenium.

Platonis hac de re ſententia.

1. Exemplũ Romanorũ.

2. Exemplum.

Argumentum.

Exempla reliqua.

adeo Turcæ, qui antea viribus tantum & animis ac manu certabant, ipſis nunc Græcis & Aſianis ingenio etiam & ſapientia antecellunt. Et hæc quidem, quia in iis principium & fundamentum totius Reipub. eſt poſitum (ex ciuium enim & priuatorum ingenio & moribus ſtatus pendet Reipub.) latius ſumus perſecuti.

διόπερ ἀρχόμενα.] Ait, Aſianos, quia timido ſint ingenio, & ignaui ſiue imbelles, in perpetua viuere ſeruitute, id eſt, ſub regibus ſiue regum imperio. Nam libertas Rerumpub. eſt propria. His, quæ diximus, conſentanea etiã ſunt, quæ *Strabo lib. 2 Geograp.* eo in loco, vbi contra Poſidonium diſputat. *Aſianorũ ingenia ſeruilia.*

διόπερ ἀρχόμενα.] Gentes enim Aſianæ ad ætatem vſque Ariſtotelis ſub imperio regum Babyloniorum & Perſarum fuerunt, & inde ſub Macedonũ ac Romanorum imperium reciderunt. Nunc itẽ parent & ſeruiunt Turcæ. Quanquã Aſſyrii quoq; & Perſæ, Medi & Parthi Aſiani ſunt, quorũ imperia primis temporibus nõ minus late patuerunt, quã imperiũ Græcorum. Quare iis quoq; gentibus non tam natura animus deeſſe quam indulgentia quadam & corruptela videtur, vt ſupra dictum *De gentib. Aſianis.*

τὸ δὲ τῶν Ἑλλήνων γένος.] Hæc iam ſupra ſunt explicata, vt & alia plæraq;. Eo pertinet *diſputatio Plutarchi in libello de Athenienſibus*; vtrum ii fortitudine & re militari, an ſapientia præſtantiores fuerint. Etſi autẽ *Cic.* Græcis ſapientiam & artes tribuit, non animi fortitudinem: fatendũ tamen eſt, eos olim & fortitudine præſtitiſſe, & re militari floruiſſe. Id quod perſpicuũ fit cum ex bellis & præliis cum barbaris & Perſis, tum ex iis, quæ inter ſe plurima geſſerunt. Verum quod aliis gentibus, idem & Græcis accidit, vt fere ſoleant omnia fato, vt ait *Poeta*, ſiue corruptela, vt ſuperius dictũ, in peius ruere, & retro ſublapſa referri. Quare noſtra ætate Græci cũ nullo ſunt & ingenio & animo ac fortitudine præditi: tũ miſerrime ſeruiunt, & opera ſeruilia tantum, vt eſt agricultura, faciunt: ſiue id fato aut prouidentiæ diuinæ, ſiue corruptæ diſciplinæ ac diſſenſionibus eorum, ſiue vtrique id rei attribuatur. *Græcorum ingenium.*

διόπερ ἐλεύθερον.] Vt iſtud quod hoc loco de Græcis: ita & illud quod *ſupra lib. 1. cap. 1.* de iiſdem affert Ariſtoteles, eos barbaris, vt natura ſeruis, imperare ac dominari debere, res ipſa refellit. Sed de ſua & maiorum Ariſtoteles ætate loquitur. Statius enim poſt Ariſtotelem, aut etiam, ſuperſtite *Græci ad id nati, vt aliis imperent.*

adhuc eo, ſub Macedonum imperium reliqui Græci, & tamen omnes ſub Romanum, & hodie ſub Turcicum reciderunt?

Ratio, ob quã Reſp. Græcorum bene adminiſtrabantur tẽpore Ariſtotelis.

καὶ βέλτιστα πολιτευόμενον.] Id ingenio & ſapientiæ ac legibus & inſtitutis, quibus Reſpub. Græcorum optime erant temperatæ ac deſcriptæ, tribuendum eſt. Collegerat autem Ariſtoteles, & deſcripſerat Reſpub. tam Græcorum quam Barbarorum plus quam 250. vnde intelligi poteſt, non fuiſſe ei difficile, videre, quæ ciuitates optime legibus eſſent temperatæ. Sed hoc opus Rerumpub. Ariſtotelicum periit. (huius *Cic.* mentionem facit *in lib. de Finib.*)

Liber Ariſtotelis, Rerumpub aliquot deſcriptiones continens.

Vnius Reip. ex multis ciuitatibus conſtantis commodũ.

καὶ δυνάμενον ἄρχειν.] Præclara eſt hæc ſententia, de vno imperio ſiue Repub. Ait enim Ariſtoteles, Græcos, ſi non ita in multas ciuitates ſiue Reſpub. diuiſi & diſcerpti eſſent (nam & Athenienſes, & Lacedæmonii, & Thebani, & Theſſali, & Rhodii, &c. (ſunt plus quam 100.) ſuam quique Rempublic. habebant, nullo alteri parente) ſed in vna Republica & ſub vno omnes imperio continerentur: poſſe totius orbis terrarum imperium adipiſci. Id quod Romani poſtea, vt in Rep. ciues, & ſub vno imperio comprehenſi præſtiterunt. Quin etiam ipſi Græci, ea ipſa ætate Ariſtotelis, vnius ductu principis & Regis Alexandri id conſecuti ſunt, euerſo Perſarum imperio. Nos hodie idem de noſtris, ſiue de Germania, quia vno imperio contineatur, ita dicere & gloriari poſſemus, καὶ δυνάμενον ἄρχειν πάντων μιᾶς τυγχάνον ὁμονοίας.

1. Exemplum. 2. Exemplum. 3. Exemplum.

Diſcrimen ſingularum partium cuiusq; gentis. Qua de re Dicearch.

τὴν αὐτὴν δ' ἔχει διαφοράν.] Id quoque iam ſupra explicauimus, eam naturarum triplicem varietatem, non tantum in maioribus totius orbis partibus, ſed in vna etiam gente ſæpenumero reperiri. Quod hic de Græcis ait Ariſtoteles, eorum alios ſapientia & ingenio, alios animo & fortitudine, alios vtraque re floruiſſe, vt de Athenienſibus ſcribunt veteres, eos & ſapientia & fortitudine reliquis Græcis præſtitiſſe. Bœotos, Thebanos & Lacedæmonios ingenio fuiſſe craſſiore, ſed ad arma paratiſſimo, vt *Strabo eo lib. 5 & Corn. Nepos in Alcibiade extremo.*

FINIS.

INDEX

BIBLIOTECA NAZIONALE TORINO
783446

INDEX RERVM, VERBORVM AC SENTENTIARVM IN HVBERTI GIPHANII COMMENTARIOS ad Ariſtotelis Politicorum libros copioſus.

A.

ABſtinentia magiſtratuum optima virtus. 543.

Academicorum & Peripateticorum laus qualis. 8

Acta ciuitatis etiam poſt Rempubl. mutatam dici poſſunt. 302

Acta publica quæ dicuntur. 501

Adiumenta politicæ facultatis conſequendæ quæ & an neceſſaria. 6

Adulterii pœna quæ. 589

Æquitas alia fit ex dignitate alia ex numero. 148

Æquitatis diuiſio quæ. 531. *huius vſus.* 531. & ſeq.

Æs & aurum ſunt belli organa, non fani teſte Platone de legibus. 51

Ætas grauior magiſtratibus grauioribus quoq; conuenit. 339

Ætate ſuperans & perfectum aptius eſt imperfecto & eo, quod ætate ſuperatur. 127

Affinitas inter imperium ciuile & optimatum quæ. 130

Ager eſt res communis. 366

Agri quantitas & qualitas Reipubl. optimæ quæ. 930. *Platonis error hoc in loco qui.*

Agrorum diſtributio trimembris. 226

Agri modus verus quinam. 198. *Eius ratio quæ. ibid.*

Agri dotes reliquæ quænam ſunt. 933 *peritorum conſiliũ & exemplum quod.* 933. *Ager & ciuium multitudo ſint εὐσύνοπτος.* 934. *agri quantitatis conditio quæ.* 934

Agrariæ leges olim motuum cauſæ fuerunt. 544

Agricolæ ex terra, paſtores ex pecoribus fructum & victum capiunt. 87

Agricolis magis placet vxores eſſe communes, quam cuſtodibus. 163

Agricolæ qua in re ciuitati ſunt vtiles. 128

Agricolæ inſtrumenta quæ ſunt. 51

Agricultura eſt ars laudatiſſima. 116 *quæſtus honeſtiſſimus.* 116. *ratio quæ. ibid.*

Agricultura eſt vel pura ſeu nuda, alia frumentaria conſita ſeu veſtita arboribus, vitibus. 119

Alexander Græcis tanquam princeps, barbaris vt dominus imperauit teſte Plutarcho. 20

Amantium & ciuium diſcrimen quod. 165

Amaſis Ægyptiorum regis conſilium callidum de obſeruantia & honore apud ciues pariendo quodnam. 130

Ambitio & auaritia omnium Rerumpubl. peſtes ſunt. 537. & ſeq. *multos homines falſos fieri ſubegit.* 538

Ambitioſus magiſtratum ambire nõ debet. 254

Amici & familiares ſunt monarcharum interfectores. 675. *& ſeq. horum exempla quæ.* 676

Amicos iuuare eſt honeſtum. 176

Amicitia eſt æqualitas quædam. 407

Amicitia minor eſt liberis & vxoribus communibus & cur. 163. *huius officium, quodnam.* 165

Amicitiæ officium quale. 346. *Amicitia quæ eſt.* 347. *huius opera & officia quæ.* 347

Amicitia ciuitatibus eſt maximum bonum. 164. *huius munus quodnam. ibid.*

Amor ſui duplex & quinam. 175

An de re parua litigandum ſit. 520

Anima berili imperio corpori imperat. 56

Animal homine eſt prius, non econtra. 33

Animal conſtat ex animo & corpore. 33. 310

Animalium partes quæ. 54

Animalium alia congregabilia, alia ſolitaria. 30. *Cõgregabilium quædam ciuilia, quædam errantia. ibid.*

Animalia aut ſunt naſcentia & inchoata, alia edita & perfecta. 92. *Ex perfectis alia ſunt edita, alia non* 92. *Ex editis quædam tenera ſunt, quædam adultiora.* 92

Anima in homine imperat, corpus paret natura duce. 55

Animæ partes quænam ſunt. 56. *hæc eſt immortalis.* 56

Anima conſtat ex ratione & cupiditate. 310

Animantium perfectarum victus eſt in rebus, quæ ex terra oriantur. 93. *harum cauſa ſunt ſtirpes.* 93

Animantes aliæ ſunt cicures, aliæ feræ. 93. *harum vtilitates quæ.* 93

Animantes & omnia hominũ cauſa à natura fiunt. 93. *Ratio huius quæ ibid.*

Animantium omnium commune eſt procreationis appetitus. 18

Animi partes ſequitur virtutum diſſimilitudo, & hanc imperiorum. 136. *Illæ quidem omnibus inſunt, diſſimiliter vero.* 137

Animi bona quatenus vtilia ſunt. 872. *animus & ſimpliciter & comparate corpore rebuſque externis cur melior eſt.* 873

Animus hominis diues teſte Cicerone, non area vocari ſolet. 214

Animus corpori natura imperat. 55

Ante deliberata ad populum quod hoc loco referuntur, quomodo intelligendum. 501. *Ratio & vtilitas quæ.* 501

Antiſophiſmata Democratica quæ. 485

An vni imperium in ciues ſit tribuendum. 375. *Ratio quæ. ibid.*

Argumentum quo ſeruitus ea, quæ iuris gentium eſt, impugnatur. 67

Argumentum quo docetur tria eſſe rerumpublicarum genera, quodnam. 335

Ariſtocratia eſt genus reipubl. diuturnum, & quæ ratio. 739

Ariſtocratiæ origo quæ. 396

Ariſtocratia & regni an idem ſcopus. 9
Ariſtocratia euertendæ modi qui. 593. *Cur motus ob honores in Ariſtocratia mouentur.* 594. *& ſeq.* Exemplum quale. 595. *Ariſtocratiarum & Politiarum, quas ætate Ariſtotelis ita nominabant, ratio quæ.* 601. *Hæc cur aliquando in Democratiam conuertatur.* 602. *hæ inſolentia magiſtratuum & interdum euerti ſolent.* 603. *Pleonexia quibus rebus hoc loco metienda.* 004. *Hæc cur non accidant in Democratiis & Ariſtocratiis bene temperatis.* 604
Ariſtocraticum aut mixtum inſtitutum quod. 477. *magiſtratus in ea creabantur ſortito vel ſimpliciter, vel ex prælatis.* 497
Ariſtocratica inſtituta quædam. 274. *ratio horum quæ.* 274
Ariſtocratia mala quæ. 3,0
Ariſtocratia & regnum ſunt reſpubl. optimæ. 420. *quomodo hæ inſtituendæ.* 411
Ariſtoteles dicit rempubl. Platonis eſſe mancam. 201
Ariſtotelis iudicium de omnib. Platonis libris. 195
Ariſtoteles cur ſolummodo agit de Democratica & Oligarchica permixtione. 766. *Cauſa quænam, cur plura ſint genera Democratiarũ* 767 *fundamentũ omnium inſtitutorum Democraticorum quodnam.* 769. *ſcopus Democratiæ qui.* 770. *rationes quibus vulgo vtuntur ad cõfirmandam hãc ſententiam quales.* 770. *Democratia arithmeticam æquitatem ſeruat.* 770. *Eius vitiũ quod.* 771
Ariſtoteles cur mediocrem ſtatũ recte normam reliquorum eſſe ſtatuat, ratio quæ. 478. *& ſeq.*
Ariſtoteles dicit magiſtratuum perpetuitatem eſſe pernicioſam & cur. 889
Ariſtotelis ſententia de modo honorũ & horum æquatione. 211
Ariſtotelis libri de Repub. continent Rerumpub. aliquot deſcriptiones. 952.
Ariſtoteles cur lib. 1. politic. de ſeruitute agat. 40
Ariſtotelis comparatio trium vitioſarum rerumpub. quæ. 421. *Ratio huius quæ. ibid.*
Ariſtoteles cur optimæ temperaturæ mentionem facit. 461
Ariſtotel. cur hæc 2 genera iniuriarum caueri velit, ratio quæ. 730. *harum exempla quæ ibid.*
Ariſt. in deſcriptione Reipub. Platonis quid reprehendit. 205. *ratio huius quæ.* 205. *& ſeq.*
Ariſtoteles homines in duo genera tribuit: in ſapientes aut ſtultos, quorum alii mediocriter, alli ſumme. 74. *& ſeq.*
Ariſtotel. præceptum de Senatu Democraticum quod. 498. *& ſeq. hoc in qua Democratia maxime eſt neceſſarium.* 499. *Ratio & vtilitas quæ.* 498. *& ſeqq.*
Ariſt. cur de omnib. rerumpub. generibus diſſerat, ratio quæ. 414
Ariſtotel. ſeruos cum beluis cõparat: Iuriſconſulti vero eos inter pecudes numerant & cur. 61

Ariſtoteles & Plato politicam facultatem omnium ſcientiarum principem & dominam vocant. 4
Ariſtotelis reprehenſio de modo Helotarum. 242
Ariſtotelis modeſtia in reprehenſione aliorum. 899
Ariſtotelica partitio de Reipublic. optima genere ſeu ſtatu eius quæ. 911
Ariſtotelica refutatio inſtitutorum Hippodami. 229
Ariſtotelica refutatio conſilii Lycurgi de Repub. 245. *Alii eum excuſant.* ibid.
Ars eſt cum ratione, fortuna non item. 122
Ars rei familiaris eſt pars artis domeſticæ. 44
Ars regendi ſeruos ſuum debet habere nomen. 441
Ars rei quærendæ an ſit eadem, quæ domeſtica, an pars aliqua, vel adminiſtra. 84. *De hac quæſtiones tres, & quænam* ibid.
Ars rei quærendæ non eſt eadem quæ & œconomica 85. *Huius eſt uti, illius vero quærere.* ibid. *diſcrimen inter vtranque quodnam.* 86. *ſpecies & partes artis rei quærendæ ſunt duæ, naturalis & artificioſa.* 86
Ars texendi non eſt lanas conficere, ſed iis, &c. 113
Ars venandi eſt pars rei quærendæ, & bimembris in beluas, & in homines. 94
Ars vſu certior eſt. 6. *hæc quoque latius patet quam vſus.* 7
Artis domeſticæ organa quænā ſunt 45
Artes aliæ ſunt architectonicæ ſeu principes, aliæ adminiſtræ. 85. *Hæ præbēt vel organa vel materiam.* ibid.
Artes definitæ quænam dicuntur. 45. *hæ neceſſario ſua organa habent* 45
Artes humanæ ex fine ſpectari conſueuerunt. 3
Artes principum & nobilium hodie quæ ſunt. 4 *& quotuplices.* 4
Aſianorum timiditas & ſeruile ingenium quale. 948
Aſianorum ingenia ſeruilia & curgentes Aſianæ quæ. 951
Aſiaticorū ingenia & corpora qualia. 947
Athenienſes Democratiam laudabant: Lacedæmonii vero oligarchiam. 339
Athenis claſſes ciuium erant quatuor. 282. *quæ ratio Norimbergæ vſitata, & quæ conſuetudo Venetiis.* 283
Auctor ciuitatum qui primus fuit. 36
Auctor commentariorum horum in Ariſtotelis politic. Platonem & Cic. imitans, procœmio vtitur f 1.
Autor horum commentariorum ad Ariſt. polit. cur vocabulo organi, & non inſtrumenti vtatur, & Ratio eius quæ. 50
Auctorum explicationes de verbo φιλαρχεῖν *diuerſæ.* 467. *Ariſtotelis ſententia, & quæ eius ratio.* 467
Auctor quis proprie dicitur. 293
Autor Politicorum cur in cap 3. lib. 2. de arte rei quærendæ tractet. 40

Axio-

Axioma politicum de mutatione rerumpubl quodnam. 592 *Exceptio huius quæ.* 592

B.

Babylonis ambitus quot paſſuũ fuit. 305

Barbarus & ſeruus idem valent. 20

Barbarorum reprehenſio de fœminis & ſeruis. 20. *Hi vtrunque eodem loco habebant.* ibid.

Beatitudo eſt omnium rerum optima virtus & maxime expetenda. 905

Beatitudo ciuitatis & ſingulorum an eadem ſit. 867. *in quibus verſatur felicitas ſeu vita beata.* 867. *& ſeq. in quo genere bonorum cõſiſtit hæc.* 868. *hæc ſine bonis animi eſſe nequit.* 869. *Beatitudinis gradus quinam* 874. *beatitudo ſingulorum hominũ & integrarum Rerumpubl. an eadem ſit.* 877

Bellum quodnam eſt natura iuſtum. 94

Belli neruus pecunia 219

Beluæ guſtum voluptatum & moleſtiarum habent. 31. *Hæ rerum vtilium & inutilium diſcrimen neſciũt.* 31. *in his nulla iniuria nec ius.* 32

Beluarum & hominum ratio eſt diuerſa. 188

Beluarum diſtinctio ſecundum varia vitæ genera quæ. 88. *quæ animalibus veſcuntur, & quæ fructibus* 88. *quanã dicũtur ſoliuaga, quæ gregales.* ib. *Ex gregalib. alia ciuiles & quæ, alia non item, & quæ.* 88 *& quænam ex politicis dicuntur.* 88

Bene deligere non eſt cuiusvis, ſed docti. 357

Bene educatis & bonis nullæ leges ſunt neceſſariæ. 185

Boeotorum ingenia quæ. 887

Bona corporis & externa cur vulgo maioris fiunt, quam animi. 65

Bona quatenus debent eſſe communia. 122. *incommoda ex bonorum cõmunitate quæ.* 172. *Ratio quæ.* 173. *bona proprietate quidem ſunt priuata, vſu vero communia.* 172. *connumeratio quæ.* 175

Bonorum communitas quæ & an licita vel iniuſta. 168 *& an communia, vel non.* ibid.

Bonorum multitudo eſt vtilis. 219

Bonorum modus optimus eſt mediocritas. 214

In bonis modus nõ ſufficit, ſed diſciplina opus eſt. 214

Bonum ex bonis naſcitur. 72

Boni politici eſt curare ne plebs ſit egena. 827. *modi collocupletandæ plebis qui.* 827 *Ratio quæ ibid. in magna nimis ciuitate quid faciẽdum.* 827

Bos eſt ruſticis loco ſerui. 20

C.

Calculi qui dicuntur & quæ ſententia calculis ferenda. 227. *Ratio eius quæ ibid.*

Capita ſumma in Republ ſpectanda quænam. 193

Capta & victa bello ſunt victorum ſeu capientium. 66

Capti in bello iuſto olim non vocabãtur ſerui ſed barbari & cur. 72.

Captis olim erat aut ſeruitus, aut mors, hodie vero omnes ſine diſcretione pecunia vulgo ranzion, dimittuntur. 77

Captio omnis in conſecutione per diſſimilitudinem poſita eſt. 402

Captura genera tria & quænam. 89

Caritas & concordia quæ poteſt eſſe, vbi nihil eſt, quod amatur, auctore Platone. 168

Carthaginenſis Reipubl. præſtantia quæ. 271. *huius cum Cretenſi & Spartana repub. militia quæ.* 271. *Et quæ huius cum Spartana ſola.* 271.

Carthaginenſes rei militaris peritiſſimi. 889

Carthaginenſis Reipubl initia peculiaria quæ. 273 *& ſeqq. Carthagine duo ſummi magiſtratus erãt & quinam.* 279

Carthaginis ſtatus popularis qui. 755. *& ſeq.*

Cauſa, ob quam bellicoſi in venerem ſunt procliues, quæ. 247

Cauſæ rerumpubl. euertendarum ſeu mutandarum externæ quæ. 606. *Ratio quæ.* 607

Cauſæ quænam, cur magna pars bonorum mulieribus ceſſit. 249

Cauſa, ob quam tyranni ciuium conuentus omnes oderunt, quæ. 703

Cauſæ quænam ſunt, cur mas fœmina imperet. 128. *& quæ cauſa, ſi contrarium extat.* 128

Cauſæ interitus rerumpubl. aliæ inteſtinæ, aliæ externæ: Inteſtinæ quænam. 681. *& ſeq. Exempla quæ.* 683. *& ſeq.*

Cauſa inæqualitatis bonorum ſecuta quæ fuit. 248

Cauſæ apud Græcos & Romanos à iudicibus iuratis diſceptari ſolent. 387

Cauſa mutandæ Reipub. propria quæ eſt. 540

Cautio, ne quid publici à magiſtratibus compiletur. 626. *ratio quæ, ibid.*

Conſeruandæ Reip. cautio in priuatorum vita & moribus poſita eſt regendis. 619. *Ratio ab exemplis quæ.* 620

Cautio de hereditatibus deferendis vtroque modo. & quomodo. 620. *Ratio ibid.*

Cautio Reipubl. conſeruandæ conſiſtit in parte aliqua Reipubl. 620. *& ſeq Ratio, modi & exemplum.* 621. *& ſeq.*

Cautio, ne in Democratia & Oligarchia qui parent, iniurioſe & contumelioſe ab ijs, qui Reipubl. præſunt, tractentur, quæ 627. *Exempla contraria quæ.* 627. *Athenienſium quod.* 627

Celtæ ſunt populi bellicoſi, quorum nomine hodie Galli & Germani continentur. 889. *Et hodie quoque aliqui populi in nuptiis vtuntur tympanis & inſtrumentis bellicis.* 889. 247

Cenſuum deſcriptione bonorum æquationem Solon exemplis confirmat. 213

Cenſus deſcriptio æquabilis & recta eſt cautio Reipubl. conſeruandæ. 616.

dæ.616. Ratio quæ 610. Exemplum quale. ibid. cenſus agendi tempora quæ. 617
Charondæ lex fuit de falſis teſtimoniis.
Chartophylacij quinam dicuntur. 501.
Chrematiſticæ artis vſus qui. 121
Chriſtiani omnes ſunt tanquam fratres & inter ſe ſimiles. 761
Ciceronis ſententia de imperio animæ & corporis contraria eſt Ariſtotelis. 57. ſententia Ariſtotelis confirmatur. ibid. hæc Ciceronis ſententia Stoicis conſentit. 58
Cicero vocabulum organi reddidit inſtrumentum. 51
Cicero & I.C. quænam verbo inſtrumenti complectuntur. 50
Cicero Platonem ſequens, proœmio legum ſcriptorem vti debere dicit. 2
Cicero Iudæos & Syros omnes ſeruituti natos eſſe dicebat. 61
Cicero legem naturæ nominat omnium gentium conſenſum. 66
Cicurum animantium vtilitas quæ. 93. & quæ ferarum. ibid.
Cicures natura feris meliores ſunt. 59
Ciuile imperium domeſtico præſtantius. 53
Ciues quibus rationibus ſtatus præſentis cupidi redduntur. 733
Ciuis bonus cur imperare & parere noſſe debet. 318
Ciuium ingenia duo Plato facit, & quæ. 167
Ciuium numerus in republ. Platon. iuſtus quinam. 201
Ciuis & viri boni virtus an ſit eadem nec ne. 288 ciuis definitio quæ. 291. & quinam dicitur. 325. 372
Ciuium paucitas Reipub. valde exitioſa eſt. 249
Ciuium genera quænam ſunt. 325
Ciuibus morientibus & naſcentibus an ijdem maneant. 305
Ciuis alius dicitur abſolute, alius quodammodo. 291. & ſeq. horum tria genera ſunt & quænam. 292. Veri ciues qui ſunt. 294. Ciuis domicilio non cernitur. ibid. nec de iure connubij vel commercij ciuis cernitur. 294
Ciuium optimæ Reipubl. indoles & ingenia quæ 947. non in quolibet loco optimus Reipubl. ſtatus inſtitui poteſt, & cur. 947
Ciuium vniuerſorum virtus quæ. 307. & quæ ſingulorum. 308. Ratio à ſimili quæ. 308. Ciuis boni virtus ſtatui Reipubl. accommodatur 306. Ratio quæ. 309
Ciuis optimus dicitur, qui bene parere norit, velit ac poſſit. 468. quæ in bono ciue requiruntur. 468. Ratio quæ. 469
Ciues qui fiunt mutata Reipubl. forma, an reuera ciues ſint. 300. Ariſtotelis iudicium. 302
Ciuium genus quodnam ad optimã Democratiam & accõmodatiſſimum. 795. in hoc genere reipubl. quæ ratio magiſtratuum & iudiciorum ſeruari debet. 795

Ciuis alicuius aut plurium præſtantia ſeu excellentia eſt cauſa motuum 545
Ciues quibus modis agriculturæ ſtudioſi fiunt. 799. modi eius quinam 799 & ſeq. Inſtitutum contrarium quodnam 800. exemplum quale. 801 & ſeqq.
Ciuibus an omnia inter ſe communia eſſe debent 148. & ſeq. non debet nihil eſſe commune, & quæ ratio. 148. Platonis paralogiſmus hic qui. 150
Ciuis & viri boni virtus an ſit eadem vel alia. 307
Ciuitatis ſalus an in regum diſcordia ſita ſit. 258
De ciuibus medijs præceptum politicum quod 480 ratio quæ. 480 de mediocriter diuitib præceptum quod. 481. & ſeq. occupatio & ſimile hoc loco quod. 481
Ciuis definitio cui ciui competat. 296. ciues variant pro rerumpub. varietate. 296. Definitio ciuis quæ conuenit tantum ciuibus Democraticis 297. Ratio huius quæ. 297. Nulla communis omnium ciuium definitio inueniri poteſt & cur. 297
Ciuium genera tria facit Plato & quænam. 191
Ciuium æqualitas quæ. 376. Ratio quæ. 377. abuſus qui. 377
Ciuium partes ſeu conditiones ſunt tres & quænam. 460. Mediocriū ciuium optima eſt conditio. 466. Ratio quæ ibid.
Ciuitas non pacto aut inſtituto ſed natura coaleſcit. 24. hæc prior eſt ſingulis hominibus ac domo. 24. Ea eſt iuncta ſocietas. 25. Definitio eius quæ ibid. Eius ortus primus eſt indigentia finis vero beatitudo. 25. Cauſa & eius origo. 26. Quæ huius ratio. 27. hæc eſt velut Colonia familiarum & viciniatum. 27
Ciuitates olim in regum imperio erant: nunc etiam gentes. 23
Ciuitas optima opificem non facit ciuem. 305
Ciuitates pecunia indigentes Thaletis modo ac via parandi eam vtūtur. 125. Rerum venalium monopolia facientes. ibid.
Ciuitati grauius & maius malum eſſe nequit, quam ſeditio & diſcordia. 165
Ciuitas quando & quandiu ſit eadem 288
Ciuitas natura eſt multitudo quædam 150. Eius definitio quæ. 151. hæc aliud eſt quam belli ſocietas quæ eſt auxilij gratia. 251. ratio differentia quæ. 152
Ciuitas eſt quædam communitas. 148
Ciuitas quæ in re eſt efficienda vna. 180
Ciuitas eſt multitudo ciuium. 89
Ciuitatum inſtitutio & ordo iudicijs continetur. 38
Ciuitatis origo, eiuſq; partes quæ. 11
Ciuitatū ſcopus eſt præſtātiſſimus. 13
Ciuitati an vtile leges patrias mutare. 233
Ciuitas non dicitur eadem loco, vel alia ſed vrbs tantum. 305. Ratio ab abſurdo quæ. ibid.

Ciuita-

Ciuitatis copula eſt vtilitas. 32

Ciuitas qua nota æſtimatur eadem. 302 vel alia. 303. hæc non cernitur mœnibus. 304

Ciuitas ea dicitur ſatis magna, quæ eſt αὐτάρκης & εὐσύνοπτος. 924. quæ non poteſt eſſe ex nimis paucis. 924. & quæ ex nimium multis eſſe nequit. 925. huius incommodum quod. 925

Ciuitas & vrbs inter ſe quid differunt. 304

Ciuitatis finis qui. 363

In ciuitate recenti cura eſſe debet, vt ſit αὐτάρκης. 926. & in adulta, vt ſit εὐσύνοπτος. 926

Ciuitas natura eſt prior domo & hominibus. 33

Ciuitas qualibet opificibus indiget. 220

Ciuitas domo præſtantior. 53

Ciuitas eſt finis & perfectio domus & vicinitatis. 27

Ciuitates ex quibus extiterunt. 1

Ciuitas quæ dicitur. 22. 347

Ciuitas ſine rebus ad bene viuendum neceſſariis conſtare non poteſt. 95

Ciuitas quando aliquid feciſſe dicitur ſeu cenſetur. 301

Ciuitatis definitio quæ. 298

Ciuitatum dignitas vera quæ. 342. Ratio quæ. ibid. ciuitas cur non eſt viuendi tantum cauſa, nec mutui auxilij aut commerciorum. 343. harũ finis & ſcopus qui. 344. hæc non dicitur ciuitas, vbi cura virtutis non eſt. 344

Ciuitates magnæ cur vix alio, quam Democratico, ſtatu contineantur. 396. & ſeq.

Cœlum & ſolũ ſequitur incolarum ingenium. 850. Platonis ſententia quæ: & quæ exempla Romanorum & aliorum hoc æuo. 950

Cœli organa quæ ſunt. 51

Cognatio regni & optimatum Reipub. quæ. 656

Cognationis confuſio, quæ ex hac Platonis cõmunitate oritur, quaram. 160

Cognitio rectarum & prauarũ Rerumpub. quæ, & vnde. 335

Collecta facile cognoſcuntur, diſperſa non item. 104

Comitas, grauitas & dignitas cur difficulter retineri poſſunt. 721. Ratio, teſtimonium & exempla quænam. 721

Communia ab hominibus fere negliguntur, propria & ſua diligentius curantur. 172

Communitas eſt diſſidiorum & inimicitiarum &c. parens. 164

Communitas Platonis ne inter priuatos ciues valet. 184

Comparandarum inter ſe Democratiarum & Oligarchiarum ratio quæ. 818

Comparatio diuerſorum rei parandæ generum quæ. 116

Comparatio regni & tyrannidis quæ. 648

Concordia ciuium eſt cautio Reipub. conſeruandæ. 614. difficultas huius rationis quæ. 615. Solonis inſtituti refutatio quæ. ibid.

Concordia & vnio eſt parens concordiæ. 165. hæc ciuitatibus eſt ſummum bonum. ibid.

Concordia in Platonis republica cur lenior ſit futura, idque duabus de cauſis. 166
Confuſio ordinum eſt modus Democraticus. 814. exemplum huius quale. 815
Coniunctio virtutis & practicis magnas vtilitates affert. 222
Conſeruatrices vitæ diuitias infinitæ expetunt. 110
Conſiliũ de cõuictu eſt amicitia. 346
Conſilia Platonis quibus mala ea auertere conatur, quæ ex eius inſtituto ſequuntur. 200. horum refutatio. ibid.
Cõſiliũ aduerſus magiſtratum perpetuũ iã ante inſtitutũ quale. 282
Conſociationis hominum cauſa quæ 1. earum diuiſio. ibid.
Contemptus tã in Democratijs quã oligarchijs, euertendis, cauſa eſt motuũ, & quomodo. 586 & ſeq.
Contemptus odio potior eſt, exemplis omnium fere tyrannidum. 686. huius exempla, ratio & cauſa quæ 686 & ſeq.
Contentiones Romæ de judicijs exercẽdis inter quos ortæ, & quales. 582
Continentiæ vis in Scipione & Alexandro magno quæ. 901
Contrariorum eadem eſt vis & natura. 608
Controuerſia quæ de præſtantia vitæ practicæ & theoreticæ. 897. Ariſtoteles cur de his 2. tantum vitæ generib. agat. 897. Ratio, qua vſi ſunt patroni vitæ contemplatricis qualis & quæ huius approbatio. 898. quæ ratio eorum qui vitam practicam defendunt. 898
Contumelia eſt cauſa tollendorum tyrannorum & regum. 666. Eius genera varia & quæ. 666 & ſeq.
Corpora humana cõſtant ex partibus coniunctis, & disiunctis. 54
Corporis partes quæ dicuntur. 56. eſtque hoc non male & caducum. 56
Corpus quandoque animæ imperat, & quomodo. 55
Corporis voluptatum in hominibus nullus modus & finis. 111
Cõſmi in bello habent imperium. 265
Coſmorum collatio cum Ephoris quæ. 265.
Cretenſium Reſpub. quæ deque eorum ingenio. 888
Cretenſis Reſpublica cur tam diu manſit incolumis. 269
Cretenſis & Spartanæ Reipubl diſcrimen quod. 263. Ratio eius quæ. ibid. huius ſimilitudinis cauſa quæ. 263
Cretẽſiũ reip. vitia quæ. 267. & ſeq.
Cretenſiũ vectigalia quæ & horũ cura. 261. horũ vſus quotuplex. ibid.
Cui non patet aditus ad honores, is vel inquilinus eſt. 323
Culpa Lycurgi quæ ſunt in lege promulganda ſua. 249
Cupiditates ſunt inſanabiles 224
Cupiditatum minuendarum modus qui. 222
Cupiditatum genera ſunt tria & quæ 217. & ſeq.
Curia inter magiſtratus numeratur ab Ariſtotele, maxime populares. 778. Laconica quæ. 779. & quæ olim erat Romana. 779
Curia & forum viri cuiuslibet eſt ſchola. 6

Cur

Cur ſatis ſit ſingula vincla his virtutibus explicare, & quæ ratio. 140.
Cypſeli tyrannis quæ, & cur moderata. 742

D.

Darius iunior primo vſus eſt Corytæis. 705
Definitio artis herilis ſecundum Ariſtotelē quæ. 81. & quæ œconomicæ. ibid.
Definitio ciuis quæ. 298. opinio quorundam quæ. 299. Exemplum quoddam. ibid. Ariſtotelis iudicium & refutatio de hac definitione quæ. 299. Ratio eius quæ. 299.
Dei actio quænam eſt. 909
Deos quoque in regio imperio eſſe veteres aiebant. 23
Delicta quo frequentiora, eò grauius punienda. 287
Domus pars eſt vir & mulier. 243.
Domus eſt ciuitatis pars & prima & vltima. 12
Domus inſtrumenta quæ ſunt. 50
Domus ciuitate prior eſt, ſicut pars toto quoad originem & ortum: ſecus de natura. 34
Domus ex viro & muliere conſtat. 310.
Domus eſt ſocietas iuncta 20. eius definitio quæ. 21
Domus ſine rebus ad bene viuendum neceſſariis conſtare nequit. 95
Domus & artis domeſticæ partes ſunt cognatæ & coniunctæ: organa & miniſteria ſunt externa. 132.
Domus partes principales quænam ſunt. 40
Domini & ſerui coiunctio quæ & eius ratio. 18
Dominus non poſſidendo ſeruos, ſed ijs vtendo æſtimatur. 80
Domini cur non ſcientia ſed qualitate ſeu natura conditione æſtimantur. 80.
Dominus & ſeruus ſua natura dona ad vtriusq; ſalutem conferunt. 18
Dominandi vel ſeruiendi eſſe artem Ariſtoteles dicit. 80
Dominatus an ſit iuſtus & naturæ conſentaneus. 52
Domeſtici qui dicuntur. 21. & ſeq.
Domeſticæ iniuriæ quæ & vnde oriuntur. 1. Externæ iniuriæ quæ, & à quibus inferuntur. 1. & ſeq.
Domeſticæ artis partes ſunt, herilis, patria & coniugalis. 127
Domeſticæ rei partes ſunt 3. & quæ. 12.
Domeſticæ ſocietates & regio imimperio tenentur. 32
Diuitiarum verus modus qui. 931. Ariſtoteli approbatur. 932. de quibus varia controuerſia, & cur. 932. earum vſus. 4. 932
Diuitum prætextus de magiſtratu qui. 567
Diuitiarum genera duo & quænam. 96.
Diuitiæ veræ in naturali arte rei quærendæ ſunt ſitæ 95. hæ ſunt finitæ & terminatæ. 93
Diuitæ naturales ſunt terminatæ. 108. harum aliæ finitæ, aliæ infinitæ. 108. Earum cupiditas vulgo eſt inexplebilis, & cur. 109

Diuitiarum nulla ſatietas. 107. harum alia terminata, alia interminata, hæ mercaturæ interminata eiusq; finis. 107
Diuitiæ veræ in numis non ſunt. 105
Diuitiarum amplificandarum modi qui. 591
Diuitiæ ſunt cauſa luxuriæ, deſidiæ & ſtudij rerum nouarum. 214
Diuitiæ & quænam expetuntur, & quæ harum vtilitates. 217
Diuiſio mercaturæ quæ. 120
Diſtinctio trium generum, artis quærendi rem in vita à fine & medio quænam eſt. 111
Diſtinctio ciuium verorum & nothorum quæ Athenis. 324. & quæ Romæ. ibid. Hodie mutatio. ibid.
Demagogi & Romæ tribuni plebis quinam. 643
Demagogi qui dicuntur. 569. modi Demagogi qui ſunt. 570. Iniuriæ Demagogicæ ſunt priuatæ vel publicæ. 570. Exempla Ariſtotelis quæ. 570. & quæ Romanæ Reipub. 570 & ſeq.
Demagogi cur in magnis ciuitatibus originem ſumant. 652. & ſeq.
Demagogorum vitium, quo pecunias hiſce ſportulis compararunt. 822. Eorũ aliud vitium, quo hi pecunias publicas dilargiuntur & prodigunt. 823. Remediũ huius quale. 823. horum intempeſtiua & peruerſa liberalitas quæ. 826
Democratia omnium rerumpubl. minime mala eſt. 421
Democratiæ diuturnitas quæ, & cur. 739
Democratiæ præſtantia & effectus qui. 796. & quæ effectus præſtantia. 796. & ſeq.
Democratiæ plura genera ſunt. 434. Opinio Platonis, Iſocratis, Ciceronis & Ariſtotelis quæ. 436. & ſeqq. Quartum Democratiæ genus eſt omnium peſſimum. 438. hæc tyrannidi propinqua eſt, ratio eius quæ. 438. & ſeq. locus Homeri lib. 2. Iliados huic conuenit. 439. Qui huius Auctores. 439 Ariſtotelis admonitio de hac quæ. 442. Ratio huius & cauſa quæ. 442. In primis Democratiæ generibus cur leges valent, in vltimo non item. 444. Ratio quæ. ibid.
Democratiæ & Oligarchiæ vulgo creditæ notæ quæ. 338. veræ notæ quæ ſunt. ibid. Refutatio notæ vulgaris quæ. ibid. harum definitio falſa quæ. 338. qui dominantur in oligarchia & qui in Democratia. 339. Ratio quæ. 342. Solutio & cauſa erroris quæ. 342.
Democratia eſt ad bonum pauperum. 334
Democratia & Ariſtocratia in maritali imperio in vxorem ſunt contraria. 229
Democratia dicitur, vbi domina eſt multitudo. 336
Democratia & oligarchia cur reliquis Reipubl. generibus ſunt frequentiores. 533. Democratia & Oligarchia Reſpubl. ſunt vitioſæ & cur. 533. Democratia cur minus laborat ſeditionibus quam oligar-

oligarchia.533. Ratio quæ.533.& ſeq.
Democratia in tyrannidem ſemper degenerare ſolet.569. Opinio Platonis quæ.569. Sententia Ariſtotelis quæ.ibid. Cauſa harum mutationum quæ.ibid. Modi mutandarum Democrat. qui. 569. & ſeqq Cauſa quæ, cur mutatio Democratiæ olim crebrius acciderit. 573. & ſeqq. Exemplum quale 573. diſputatio de oſtraciſmo quæ. ibid.
Democratia & oligarchia inter ſe cognatio quæ 612. Ratio quæ. 612
Democratia mala quæ: & quæ oligarchia 349.& ſeq.
Democratiæ veteres & recẽtes quænam ſunt. 825
Democratiæ genus optimum ex paſtoribus etiam conſtat. 803. huius genera quæ. 803
Democratia cur dicitur prima & optima, huiusq; ratio quæ 790. & ſeq. huius genus extremum dicitur deterrimum 791.& ſeq.
Democratia ex Ariſtocratia oritur. 251.
Democratiæ origo quæ. 396
Democratiæ genus nequiſsimum & cur. 809. reliquarum democratiarum inſtituẽdarum ratio quæ. 808. Ariſtoteles duo tantum huius genera in politicis perſequitur. 808. huius inſtabilitas quæ, & eius ratio. 809. huius interitus cauſa quænam. 809
Democraticum inſtitutũ quodnam. 273
Deſcriptio legum ad virtutis pœnam bellicam confertur. 260
Deſignatio magiſtratuum, & rationum exactio quibus permittenda ſunt. 359
Dialectica eſt adminiſtra organica ceteris artibus. 85
Dictio, pecuniæ, variè accipitur. 83
Dictio, prædij, latè ſumitur. 83
Differentia inter gentes & ciuitates quæ. 305
Differentia regni & tyrannidis quæ. 659.& ſeq Ratio huius quæ. 660. & ſeqq.
Differentia inter ſimpliciter & more vulgi bonum quæ eſt. 352
Differentia inter imperium legum & hominum quæ.401. Ratio eius. 401. & 402
Differentia inter magnam domum, & paruam ciuitatem quæ. 15
Differentia opificum & ſeruorum quæ. 143
Differentia inter magiſtratum & priuatum quæ. 130
Differentia inter imperium ciuile & regium quæ. 58
Diocletianus aiebat nil eſſe difficilius, quam bene imperare. 6
Dionyſij exemplum contra mercatorem Syracuſis commorantem, propter mercatum datum. 126
Diſciplina, quibus in rebus conſiſtit. 180
Diſciplina legum & morum neceſſaria eſt. 204
Diſcordia & ſeditionis parens eſt ciuium diſtractio. 165. hæc ciuitatum magna peſtis. 16
Diſcrimen inter actiones diuinas & philoſophicas quod. 91

Diſcrimen inter ſeruorum & opificum operas quod. 322
Diſcrimen quodnam inter Ariſtocratiam & eam Rempubl. quæ ad oligarchiam inclinat. 454. & ſeq.
Diſcrimen ſcientiarum & artium quodnam. 356
Diſcrimen, quod Plato inter vtrumque genus Rerumpublicarum ſtatuit, quale. 293. Reprehenſio Ariſtotelis ſeu collatio vtriuſq; Platonicæ Reipubl. 194. differẽtia inter hæc genera quæ. ibid.
Diſputatio de cauſis ſalutis rerumpublic. cur breuior, quam altera de cauſis interitus earũm. 607.
Diſputatio de Republ. cur à ciuitate initium ſumit. 289. Ratio huius quæ. 290. cur de ciue prius ſit explicandum. 290
Diſſenſiones eorum qui Rempubl tenent, ſunt cauſa mutandæ oligarchiæ. 578 mutatio huius cauſa ratione extremi, quæ. 578. Eius exempla. 579.
Diſſimilitudo cauſa eſt rerumpubl. mutandarum. 557. Ratio huius quæ. 553. hæc eſt vel nationis ſeu gentis. 553. & ſeq. vel loci. 554. reliquæ diſſimilitudines quænam. 555. Ratio earum quæ. ibid. origo harum quæ. 556. Summa diſſimilitudo quæ. 556. Religionis diſſimilitudo quæ. 556
Dotes animi cur non ita ſint vulgo perſpicuæ, vt corporis & externæ. 65.
Draconis leges quæ. 286. 287.
Duo ad rempublicam felicem reddendam ſunt neceſſaria, & quænam. 913
Duo rem melius, quam vnus administrare ſolet. 405
Duo mala æs alienum comitantur, & quænam ea ſunt. 583. Exempla quæ. ibid.
Dux mutationis Oligarchicæ ſi fuerit vnus ex paucis, maxime commodus erit. 577. Exemplum Romæ quale 578. Ariſtotelis exemplum quale. ibid. hi duces plerunque tyrannidem inuadunt. 578.
Ducis vſus eſt effectio victoriæ. 112

E.

Eadem in ciuitate ſæpe idem eſt ciuis & alias non. 323
Ea tantum amamus, quæ cauſam amandi in ſe habent. 166
Ea, quorum vnum abſque altero eſſe nequit, coniungi debent. 16
Eccleſiaſtes quis dicitur. 294
Educatio Reipubl qualis eſſe debet. 845 Eius ciuilitas quæ. ibid. Ratio eius. 646. eius vſus cõtrarius qui ibid. quæ educatio eſt Democratica ibid. mala quæ contra 2 præceptum oriuntur. ibid. Et quæ peccata inde oriuntur. 647
Egeſtas homines ad ſeditiones impellit. 212
Egeſtas omnium motuum eſt nutricula. 538
Emporiorum perpetuorum improbatio quæ, & cur. 941. Exempla huius quæ. ibid.
Ephori ſunt de populo. 203
Ephororum vita inſtituto ciuitatis non

non conuenit. 251. penes hos erant iudicia ſumma & quæ. 262. Eorum poteſtas & tyrannis quæ 252. Eorum comparatio cum tribunorum plebe Romæ. ibid. huius vtilitas quæ ibid. horum improbitas, corruptela & origo quæ. 253
Ephori & Coſmi qui dicuntur & quid inter ſe differunt. 265
Epicleri quænam dicantur 249
Epicurus ſuos rempublicam gerere vetuit. 8
Epulæ magiſtratuum Athenis & Romæ ſolennes omnes quæ. 781
Eritheia proprie officium eſt textoru 548.
Erratum Platonis in communitate rerum quodnam. 155. Refutatio huius quæ ibid.
Error cur grauis tandem mali cauſa eſt. 543
Euerſionum rerumpubl. diuiſio quæ. 680.
Europæorum intimorum ingenia & corpora qualia. 947. Europæorum Aſiæ propinquorum ingenia & corpora quæ 948
Excellentiæ partes alicuius Reipubl. cauſa motuum. 562. Ratio quæ 562. exemplum in oligarchia ibid. alia quoque exempla reliquarum Rerumpubl. 563
Excellentia & incrementum cauſa præcipua rerumpubl. 664.
Exæquatio partiũ Reipubl. cauſa eſt motuum. 564. quibus in rebuspubl. maxime ſeditiones hanc ob cauſam mouentur 564. Ratio quæ 564. Exemplum eius quale. 564. & ſeq.
Exigua rei mutatio eſt cauſa euertendæ Ariſtocratiæ, & omnium quidem periculoſiſſima. 905. Exemplum & ratio huius quæ. ibid.
Exiguitas eſt cauſa motuum. 552.
Ex malo initio malus tandem finis. 4 ſeq.
Expers iuris, legum & iudiciorum eſt animal pernitioſiſſimum. 57
Expiationes ſcelerum olim iuſtæ erant & quæ. 16
Exules an ſint in ciuium numero. 294

F.

Fabri inſtrumenta quæ dicuntur. 51
Facultas politica apud Hebræos quæ. 3. quænam apud græcos ibid.
Facultatis politicæ dignitas ſeu præſtantia quæ & ex quibus ſpectatur. 3
Fœminarum & virorum officia & ſtudia debent eſſe diuerſa. 788
Fœmina abſq; autore publice nihil agere poteſt. 293
Familiæ partes minimæ quæ ſunt & quot. 40.
Fides popularis ſingulare adiumentum potiundæ tyrannidis. 574. Exemplum quale. 574. Dionyſij quale, ibid.
Fines tollendarum monarchiarum ijdem ſunt, qui & reliquarum rerumpublicarum. 665
Finis facultatis politicæ eſt beatitudo.
Finis nulla homini defixa eſt diuitiarum. 93
Finis omnibus eſt terminus. 107.

Fœnerãdi ars meritiſſimo odio habetur. 116. dicitur artificioſa in permutatione, & non neceſſaria. 116

Fœnus eſt cauſa ſeditionis. 544

Fœnus eſt ars odioſiſſima. 116. & cur. 117. numum auget. 117

Fœnus dicitur partus numi, & fœtus pecuniæ parientis. 117. hoc eſt numorum locatio. 118. fœnus in chriſtiana republ. an tolerandum ſit. 118

Fœnus fit numus numi. 116

Formæ rerumpublicarum accommodantur hominum ingeniis & formæ. 888

Fortes creantur fortibus, ſic boni ex bonis naſcuntur. f. 73 improbi ex improbis. 74

Fortitudo in viro maior eſſe debet: in fœmina maior temper[illegible]ia requiritur.

Fortitudo opes nacta eſt audacia. 677. Ratio huius quæ. 878. Eius exemplum quale. 677. & ſeq.

Fortuna bona quatenus ad felicitatem rerumpubl. neceſſaria ſint. 912. Hæc vnde rebuspubl. proueniant & obueniant. 912. horum modus ad felicem reipubl. ſtatum commodus qui. 913. Error Platonis hac in re qui. ibid. fortunæ principia quæ. 913

Fortuna arti repugnat & cur. 122

Fortunæ bona quatenus ad felicitatem hominum vtilia ſunt. 878

Fortuna quo mihi, teſte Horatio, ſi non conceditur vti. 106 *de Fortunæ bonis opinio vulgi quæ.* 870

G.

Galli in vxores ius vitæ & necis tanquam in ſeruos habuerũt. 247

Gallorum aliorumq; populorum ſeptentrionalium ingenia quæ 948. quæ Græcorum, Gallorum 849. quæ Germanorum. 949

Gentes feræ facile occupant imperia ſed non diu retinent, & cur. 949. Gentes fortes ac prudentes quæ, ibid. Diſciplina & inſtitutio hac in re multum poteſt, & quæ ratio. 949. Inſtitutionis & conſuetudinis bonæ fructus quinam: 950. Diſcrimen ſingularium partium cuiusque gentis quale. 952.

Gentes bellicoſæ cur vxoribus pareant, quænam ſunt cauſæ. 246.

Genera ciuium ad belli vſus pertinentia, quæ. 881

Genera regnorum ſunt quatuor & quænam 388. & ſeq.

Genera artium miniſtrarum ſunt duo, & quænam. 84

Genera Ariſtocratiæ quænam ſunt. 448. huius nomen & vocabulum quod. 449. de huius generib. expoſitio quæ. 449. & ſeq. diſcrimen horum generum quodnam. 460.

Genita gignentibus ſunt ſimilia. 116

Genus natura formis ſuis eſt prius, nec contra. 33

Genere ſublato, continuo eius ſpecies tolluntur. 34

Genus permutationis quodnam proxime ad naturalẽ rei quærendæ artem accedit. 200

Gerentes bellum ſunt incolumes, imperio vero potiti pereunt. 260

Germani & Galli ſuis militibus tantum

tantum non ſeruierunt. 247
Graij Barbaris imperauerunt & non econtra teſte Euripide. 20
Græcorum conciones quales, 822. Sportula iudicum & concionis quæ, 821. quæ iudiciorum corruptio. 823. vtilitas concionum variarum quæ. 824. commodum iudiciorum breuiorum. 824. temerariorum. 825. Ratio quæ. 824. Sportulæ minores ſi dentur tenuioribus tantum. 825. græcis magiſtratibus munera iniuncta. 546.
Græcorum veterum tria ſtudia ſolemnia erant, duo honeſtiora, vt reipubl. adminiſtratio & philoſophia: tertium mercatura erat ignobiliorum. 82
Græcorum & Romanorum inſtitutum in comœdijs cur vitioſum de cenſus ratione. 559
Gregis partes quæ dicuntur. 54
Gladius delphicus: Eraſmi prouerbium. 19
Gloria & nominis claritas cauſa eſt interitus rerumpub. 678. Ratio cur pauci ſint qui eas ideo tollunt. 679

H.

Harmonia eſt in cantu, concordia vero in ciuitate 120. hæc in repub. eſt optimum vinculum incolumitatis, quæ ſine iuſtitia eſſe nequit. 180.
Hebræi habuerunt duces, reges, ſeu iudices. 2. qui erant iuſti ac veri communique conſenſu à populo delecti. ibid.
Herile imperium eſt in ciuili ſocietate. 336
Herile imperium naturæ aduerſatur & cur. 43. in republ. non tolerandum. 43
Heroum filij noxæ. 74
Hippodami morum & ſtudiorum deſcriptio. 225. Eius deſcriptio reipubl. 226
Hiſtoriæ regum Macedoniæ obſcuritas quæ. 670
Homines natura ſunt liberi, ſed inuentis Hominum & inſtitutis alij ſunt liberi, alij ſerui facti. 42. & ſeq.
Hominum improbitas eſt inexplebilis. 221
Hominum quantitas & qualitas quæ. 914. hominum & loci quantitas ac qualitas ſunt duo principia fortunæ 913
Homines debent iudicare non ſuo arbitratu, ſed legibus & ſcripto. 251
Homini ne vni probo, an legibus bonis imperium committi debet. 392. ratio pro homine quæ 392. Eius approbatio qualis. 393. ratio pro legibus quæ. 393. ſolutio rationis pro homine. 394
Hominum opulentorum & improborum potentia reipubl. quam noxia. 602
Hominis partes quæ ſunt. 54
Homo eſt animal natura ciuile. 28. eſtque natura quoque propenſus ad ciuilem ſocietatem. 28. Ratio eius quæ. 29. hic ſermonis & orationis eſt particeps. 30. Eius natura non tam anguſtis finibus, quã belluarum continetur. 31. huius copula eſt vtilitas. 32. homo ita-

probus omnium animaliũ deterrimus. 36

Hominum pars maxima ex terra & mitibus fructibus viuit. 66. *horũ victus & vita genera ſumma ſunt tria, & quænam.* 79

Homines primi æui Rectorem elegerunt, qui erat Rex, Dominus, iudex & Paſtor. 2

Homine triplici & quibusnam in pellendis iniurijs & rixis inter mortales opus eſt & cur. 2.

Hominũ cõuēticula vnde ducũtur. 1

Hominibus nullus modus eſt diuitiarum. 96. *hæ ſunt res infinitæ ibid.*

Homo cum armis, prudentia & virtute naſcitur. 35

Homo natura liber. 75

Hominis voluntas & arbitrium eſt forma non ſatis tuta. 269

Homo liber dicitur is, qui ſit αὐτῦ: ſeruus vero ἄλλȣ. 51

Hominis organa quæ ſunt. 51

Homo prudens quis dicitur. 2

Homo conſtat anima & corpore. 56

Hominum quoad climatum diuerſitatem diſcrimen quale. 947

Honores & opes ſunt cautio Reipubl. conſeruandæ. 618. *Qualis cautio in honoribus mandandis adhibenda.* 618. *Exemplum quale. ibid. Cautio quo ad opes cæteras quæ ſeruanda.* 619

Honorum diſtributio ad ciuitatis finem cur dirigenda 363

Honores & imperia ſunt ſunt cauſa ſeditionis. 544

Honores ſunt cauſa ſeditionum in omnibus rebuspúblicis, oligarchijs & Ariſtocratijs. 593. *Ratio quæ* 593. *Similitudo & diſſimilitudo harum quæ ſit & quorundã Ariſtocratiæ communium, quæ non ſunt oligarchiæ.* 593

in Honoribus deferendis maiorum etiã virtutis ratio eſt habēda, & cur. 657. *Limitatio eius quæ.* 657. *Exempla hic quæ* 657. *& ſeq*

Honores an pluribus propinquis vno & eodem tempore mutandi ſint. 579.

Horatij pater dictus fuit coactor. 117. *vocauit fœnus numos conductos.* 118.

I.

Id natura dicitur prius, cuius interitu alterum protinus interit. 33

Ignominia notati an in numero ciuium ſunt. 294

Imperantium & parentium an ſint eædem virtutes. 134

Imperantis virtus dicitur eſſe perfecta, & quæ ratio. 138

Imperantium & parentium genera varia in hominum vita. 53

Imperantis virtus propria eſt prudētia. 329. *comparatio quæ ibid.*

Imperium primũ eſt τὸ κύριον πολίτευμα. 761

Imperium in animatis triplex. 55.

Imperia alia ſunt præſtantiora alia deteriora. 53

Imperium, teſte Plutarcho, virum oſtendit. 902

Imperium hominum antiquiſſimum fuit regium. 24

Imperia muliebria ſiue domeſtica, ſiue politica natura ſunt contraria. 60

Iudicium eſt ciuilis ſocietatis deſcriptio, ac iuris dijudicatio. 36.

Imperium maritale eſt imago ciuilis imperij. 130. *imo optimatum & Ariſtocratici imperii.ibid. Patriũ regio ſimile.* 130

Imperium aliud populare, regium ciuile & domeſticum. 53.

Imperium mariti in vxorem eſt ciuile, patrium in liberos regium. 228.

Imperium domeſticum regno comparatum. 23

Imperia omnia an ſint eadem vel non. 78. *ſpecie non ſunt eadem. ibid. domeſticum imperium eſt vnius, veluti regnum, ciuile vero multorum.* 29

Imperium corporis & animæ ſecundum naturam eſt, & vtris vtile. 58.

Imperij genus primum fuit regnum, & quæ ratio huius. 23. *& ſeq. imperia ex domeſticis orta.* 23.

Imperium in hominem præſtantius eſt imperio in beluas. 53.

Imperia non potentia ſed virtute præſtantibus debentur. 67

Imperia trium domus partium diuiduntur, vt mariti in vxorem ciuile, patris in liberos regium, & Domini in ſeruos tyrannicum. 131.

Imperij ſimilitudo & diſſimilitudo ſcilicet maritalis & politici quæ. 129.

Imperiorum magnorum compotes facti magna peccata perpetrant. 272

Imperium aliud herile, aliud ciuile. 316. *herile in quibus cernatur, & in quibus ciuile.ibid. &* 317.

*Imperiorum diſtinctio quæ.*329. *herile imperium habet imperantis tantum vtilitatem.* 330. *imperio patrio, vxorio & ciuili communis vtilitas ſpectanda eſt.*339. *Ratio quæ ibid parecphaſis cõtra ambitionem hodiernam quæ.* 331.

Imperia dicuntur honores. 348

Imperare & parere ſunt ex numero rerum neceſſariarum & vtilium 52.

Imperare & parere differunt ſpecie & cur. 135

Imperandi & parendi ſcientia & amicitia ciuitatibus neceſſaria. 468.

Improbitas & imprudentia ſunt omnium calamitatum ciuilium cauſa & fontes. 354

Incommoda ex bonorum inæqualitate genera manantia quæ 249. *Exempla & ratio horum quæ.* 249.

Incommodum communitatis omnium rerum quodnam. 162

Incommodum politiæ Platonis quodnam. 183

Incrementum ordinis Reipublicæ immoderatum, cauſa eſt motuum. 548. *huius rei ſimilitudo quæ.* 41. 548. *augmentum hoc quomodo fieri ſolet.* 548. *& ſeq.*

Indigentia vbi nulla eſt, ibi nec permutatio eſt. 98
Indoles mala calamitates maximas reipubl. affert. 222
Ingenii boni vel praui cauſa non eſt numerus. 749. *Quorundam ingeniorũ prauitas deſperata quæ.* 749
Ingeniorum translatio in Platonis Republ. quæ. 167. *quæ trifariam ab Ariſtotele reprehenditur. ibid.*
Ingenium habitantium ſub cælo frigido quale, & quod ſub calido cælo. 948
Ingenia græcorum quæ. 951. *& ad id nata, vt alijs imperent.* 952. *Ratio qualis, ob quam græcorum Reſp. bene adminiſtrabatur tempore Ariſtotelis.* 952
In honoribus diſtribuendis quid obſeruandum eſt. 364. *Ratio quæ.* 364. *& ſeq.*
Initijs malis quomodo occurrendum. 559.
Iniuria eſt cauſa mutandæ oligarchiæ. 577
Iniuria in lucro & dãno cõſiſtit 31
Iniuriæ quædam domeſticæ, quædam externæ. 1
Iniuriæ judiciales quæ. 588. *pœna harum nimis acerba.* 588. *Exempla harum quæ. ibid.*
Iniuriæ non tolluntur æquatione bonorum 217. *exiſtunt ob neceſſaria vel ob non neceſſaria. ibid.*
Iniuſti homines, dicti tyranni vnde ortum ſumſerunt. 2
Iniuſtitia armis inſtructa eſt res pernicioſiſſima. 37
In oligarchia tribus primis generibus cur leges tantum dominantur, & in vltimo non. 446. *& ſeq.*
Inquilini non ſunt ciues. 293
In re herili & ſeruili non ſcientia, ſed affectio naturæ quærenda eſt. 80
Inſtituens migrationum perpetuitatem, ſeditionum ſeminarium inſtituit, teſte Socrate. 189
Inſtituta popularia in quibusnam capitibus ſummis conſiſtunt. 773. *& ſeq. ratio quæ.* 774. *Limitatio.* 775. *inſtituta contraria quæ.* 777. *Exempla eorum quæ. ibid. origo & ratio horum quæ.* 783
Inſtitutum periculoſum, quo pars aliqua ciuium eſt honorum expers. 793.
Inſtitutio ciuium recta eſt Reipubl. conſeruatio. 645. *Ratio & approbatio eius quæ.* 645
Inſtitutum tyrannidis cum oligarchia commune quodnam. 662
Inſtitoria dicuntur ab inſiſtendo ſeu ſtando, & non ab inſtando. 120. *hinc inſtitores, alias propolæ dicuntur. ibid.*
Inſtrumenta alia animata, alia inanimata. 46
Interitus & ſalus monarchiarum quæ, & quando fit. 663. *Ratio huius quæ.* 664
Interpretes politicor. librorũ Ariſtotelis qui. 11.
Inuaſio bonorum cauſa eſt tumultuum. 544
In vita ineſt donũ & naturalis ſuauitas. 328
Is eſt optimus rerum iudex qui eas ipſe gerit. 356
Ira & odij ſimilitudo quæ. 687. *verum diſcrimẽ quodnã.* 687. *& ſeq.*

Indi-

Iudicum conſtituendorum modi qui & quotuplices. 521. & *ſeq.*

Iudicum ſportulæ quæ 252

Iudicibus cur pauca committi debēt. 394. *hi corruptelis & perturbationibus ſunt obnoxij. ibid.*

Iudiciorum partitio. 227

Iudiciorum differētia & diſſimilitudo quæ. 518. *horum genera varia.* 518. & *ſeq. Ratio diuiſionis generum quæ.* 520

Iudiciorum ciuilium genera quæ & horū explicatio Ariſtotelica quænam 521. *ratio. ibid.*

Iudicium quorundā de Solone quodnam. 281

Ariſtotelis dictum quodnam. 382.

Iudicia ſunt iuris & iniuriæ norma & arbitrium. 38

Iunctum naturam ſimplicium imitatur. 22

Iupiter ab Homero dicitur pater hominum Deorumque & rex horum omnium. 129

Iouis olympij templum à Piſiſtrato fuit extructum. 708

Iuriſconſultorū diſtinctio inter corpora animalia quæ acquo tuplex. 54.

Iuriſconſulti quanam voce inſtrumenti comprehendunt. 50

Iuriſconſulti volunt vſu conſumptorum nullum fructum conſtitui poſſe. 118

Iuriſconſulti fœminam vocant imbecillitatem ſexus. 137

Iuriſconſulti vſus eſt effectio æquitatis, inter ciues. 112

Iuriſcōſulti quomdo ius ciuile & gentium diſtinguunt. 23

Iuriſconſulti aduocatos alios numerant ſtatutos ãlios ſupernumerarios. 281

Iuriſiurandi ſolemnitas apud græcos & Romanos quæ fuit. 386

Iuſiurandum Democraticum quodnam. 643.

Iuriſprudētia eſt pars politicæ. 4. & *hæc olim pene erat politica facultas.* 4

Ius nullum eſt ſine beneuolentia. 68. *ius eſt vel ſcriptum, vel non ſcriptum.* 70. *ius aliud dicitur abſolute, aliud ex parte.* 71

Ius apud Platonem & Ciceronem definitur eſſe id quod ei qui plus poteſt, eſt vtile. 69. *Et hoc ius eſt, vt potior inferiori imperet.* 69. *Ratio quæ ibid.*

Ius in lucro & damno verſatur. 31

Ius & iuſtitia eſt finis politicæ. 369

Ius quod quæque Reſpubl. prætexit, quale fuit. 600

Ius eſt iuſtitiæ actio & factum. 38

Ius ciuile ſenatores mercaturam exercere vetuit, quod olim ſemper ita ſeruatum fuit. 117. *hodie nobilitas hoc quæſtu contaminatur. ibid.*

Ius aliud publicum, aliud priuatum. 33.

Iuris & iuſtitiæ duo ſunt genera & quænam. 341

Ius ciuitatem non corrumpit. 348

Ius Romanum triplex. 226

Ius commercij inter Megarenſes & Corinthios olim quodnam erat. 345.

Iuris & iudiciorum communicatio an ſit vera ciuis nota. 298

*Ius eſt ciuile bonum.*361.*& hoc videtur omnibus eſſe quadã iniquitas.* 361.
Iuris popularis inſtituendi ratio qua. 784.*multitudinis ratio æquitatis.* 785.*reprehenſio vtrorumque.*785. *confirmatio maioris.* 785. *argumentum contra tenuiores & multitudinem* 785. *modus iunctus qui.*785.*& ſeq quinam Ariſtoteli probetur.* 786
Iuſtitia eſt mater omnium virtutũ. 176
Iuſtitia maxime foras ſpectat & à veteribus dicitur bonum alienum. 38. *Eius eſt iuſte & iuſta facere.* ibid.
Iuſtitia eſt virtus ciuilis & politica. 37.*huius ratio qua.* 38
Iuſtitia eſt virtus politica 24
Iuſtitia eſt aut arithmetica, aut geometrica. 838. *in democratijs cur ratio primi generis haberi debeat* 883.
Iuſtitia eſt virtus ad ſocietatem apta. 367
Iuſtus homo quis dicitur. 2

L.

Lacedæmone lex erat, ne quis honorum eſſet particeps, qui non & ſodalitatum. 259
Laconicum regnum quale fuit. 384. *quibus in rebus hoc genus regni cum pretura militari conueniat, aut ab ea diſcrepet.* ibid.
Laconicæ in oligarchiam degenerantis cauſa falſa, quæ & cur 757. *vera eius cauſa qua.* 755. *Platonis argumentum falſæ cauſæ qua.*755
Laertio de Ariſtotelis politicis libr quanta fides eſt adhibenda. 9
Latrocinium eſt ſpecies quadam belli. 89
Laus virtutum eſt propria, & huius nomine virtutes iudicantur. 316. *obiectio & ſolutio qua.* ibid.
Legum origo qua & vnde. 1. *&* 2
Legum ſcriptarum & non ſcriptarum collatio qua. 403. *argumenti huius refutatio qua.* 403. *& ſeq.*
Leges fœnebres ſunt cauſa motus. 544.
Legum auctoritas & imperium quod nam. 439
Leges de re familiari non augenda ſunt & cur. 756
Legum ſcriptores optimi ſunt ex numero mediorum ciuium. 472
Leges de repetundis ſunt cauſa motus. 544
*Leges bonæ in Republ ſunt retinendæ potius quam hominũ arbitria.*360 *& quanam bonæ ſunt.* ibid.
Leges ſunt Reipubl. conſeruatio, & quæ harum vtilitas. 638
Leges oriuntur ex malis morib. 376
Legum incommoda qua. 350
Legibus obedire non eſt ſeruitus.
Legum ſcriptores vti debent prooemijs, in ſuis libris. 1
Leges quando ſunt mutandæ. 235.*locus de legum firmamento qui.*289.
Leges cuius vtilitatem ſpectare debent 371. *Ratio qua.* ibid.
Lex Spartæ fuit, ſi quis ciuium habuit tres liberos, à cuſtodijs immunis erat: ſi quatuor, ab omnibus oneribus. 248
Lex eſt ius quoddam ſcriptum. 70
Lex dicitur magiſtratus mutus. 2

Lex Licinia Romæ vetabat ne quis vltra quingenta agri iugera poſſideret. 214
Lex à Philolao data eſt, vt ſociorum numerus ſeruetur. 384
Lex Mutia, Licinia, Iulia, Pennis, & Papia quam ob cauſam Romæ la ta ſunt. 928
Liber & ſeruus ex virtute & vitio definiuntur. 72
Liberi à ſeruis animo & corpore differunt. 63. *horum corpora quoque natura differunt.* ibid.
Liberi, vxores & bona in Republ. Platonis ciuibus inter ſe communia erant. 148
Liberorum educatio tyrannis pernicioſa eſt & cur. 703. *Exempla huius rei qua.* 704
Liberalitatis munus in vſu bonorum eſt. 176
Libertas & ſeruitus virtute & vitio ſunt metienda, non fortuna aut bello. 79
Libertas alia infinita, alia legibus definita. 648
Libertatis popularis nota quæ. 770. *propria nota maxime eſt viciſſitudo imperandi & parendi.* 770. *Ratio eius quæ ibid. & ſeq.*
Librorum Ariſtotelis politicωv inſcriptio qua. 9. *eorum numerus qui.* ibid.
Licentia fœminarum optimo Reipub. ſtatui repugnat & quomodo. 244
Litium cauſa inter homines non eſt rerum proprietas, ſed eorum improbitas. 178
Locrenſes bona ſua vendere vetabant. 2 3
Ludouici 11. regis Francorum apophthegma fuit, quod filio ſuo Carolo 8 loco præcepti dedit, inquiẽs: Qui neſcit ſimulare, neſcit regnare. 715
Luxuria & licentia mulierum eſt parens & cauſa auaritiæ. 244
Luxuria mater auaritiæ. 173
Lycurgus ciuibus ſuis legem dedit ſua quidem donare ſed non vendere. 248
Lycurgus & Solon deſcripſerunt & leges & Reſpublicas. 259
Lycurgi conſilium de optima Republ. 245.
Lycurgus cur in Cretam profectus ſit 263. *& ſeq.*
Lycurgus non omnes ſenatores iudicat viros optimos 255. *Ariſtotelis argumenta de hac re qua.* 255. *& ſeq. obiectio & ſolutio quæ.* 256

M.

Magiſtratuum perpetuitas eſt cauſa ſeditionum ſecundum Ariſtotelem. 159
Magiſtratuũ perpetuitas an ſit optima, & quæ de horum viciſſitudine. 154
Magiſtratuum munera ſunt ἐπίταξις & κρίσις. 927
Magiſtratus abſtinentia eſt reipubl. conſeruandæ cautio. 623. *Ratio quæ ibid. Magiſtratus non quæſtuoſi ſunt inſtituendi, ratio quæ.* 624.
Magiſtratus virum oſtendit, teſte Plutarcho. 902
Magiſtratus oratio ad priuatum eſt

eſt grauior & ſeuerior, priuati vero blandior & ſummiſſior ad magiſtratum. 130
Magiſtratuum & priuatorum ſubditorum diſtincta officia in republica neceſſaria. 52
Magiſtratus dicitur lex loquens. 2
Magiſtratus eſt temporaneus vel perpetuus. 294
Ariſtotelis obiectio, refutatio & ſolutio. 294. & ſeq.
Magiſtratus an vulgo ſeu multitudini ſint mandandi. 354. Ratio qua 354. Exemplum & ſimilitudo qua. 354
Magiſtratus cui, & quinam ſunt mandandi. 372
de Magiſtratuum numero quaeſtiones quaedam aliae. 509. & ſeq. horum diſcrimina vnde ſumuntur. 513. & ſeq. horum creatio quomodo fiebat. 515. quinã horum modus & ſpecies. 516. & ſeq.
Magiſtratus vocabulum varie accipitur. 505. & ſeq quaeſtiones quaedam de magiſtratibus & quaenam. 503. Magiſtratus definitio Bodini, Goueani & Perionij quae. 504. Ariſtotelis definitio & ſententia de hoc quae. 304. & ſeq.
Magiſtratus diuiſio quae. 507. in magnis rebuspublicis non ſunt vni plures magiſtratus committendi & cur. 507. ſecus in paruis ciuitatibus & cur. 508. & quinam vni eidemque mandari poſſint magiſtratus. 508. exemplum eius quodnam. 508
Magiſtratuum collegia. 495
Magiſtratus Romae maiores qui dicebantur & qui minores. 632. cur maiores cum minoribus non communicandi ſunt, & quae ratio 632
In magiſtratibus quae conſideranda veniunt. 848. horum alij neceſſarij, alij non neceſſarij. 848. & ſeq. inter hos quodnam diſcrimen. 849 ſine magiſtratu reſpub. eſſe nequit. 856. magiſtratus neceſſarii ſunt maiores & minores. 849. Romae magiſtratus alij plebei, Patritij, ciuiles, ſacri & rariores. 849. neceſſitas huius magiſtratus quae. 852. aediles qui 852. horum munera quae. 858. quatuorviri viarum qui. 854
Magiſtratus ex quo ordine hominũ creari debet. 796
Magiſtratum cur gnarum & vſu peritum eſſe oportet 635. ratio. ibid vulgi error qui ibid. Platonis ratio quae. ibid. inductio, cur hi tantum bonis viris ſint mandandi. 635. boni magiſtratus virtus pro diuerſitate reipub. variat, & quae ratio. 636. ſi quis vnica tantũ, non omnibus virtutibus ſit praeditus, quinam delectus adhibeatur. 635 Exemplũ huius quod. 637. Ciceronis hac in re apophth. quale. 637.
Magiſtratus quidam in ipſa quoque Democratia ſuffragijs creari debent. 775. quoſdam conuenit eſſe diuturnos & cur. 776
Magiſtratus bonus debet quoque eſſe vir bonus. 312. Ratio quae. ibid.
Magiſtratuum venditio parit varia mala ciuib. 27. poteſt nõ tantum bonis, ſed & diuitibus mandari. ibid. excuſatio quorundam

dam.276. Ratio & refutatio qua ibid

Magiſtratus apud græcos dicti ſunt concionatores. Romæ iudices. 294

Magiſtratus duplices ſunt, & quinam. 291

Magiſtratui aliquid eſt relinquendum 361. Ratio quæ ibid.

Maiores magiſtratus ijs, qui Reipub. præſunt, committi debent, & ratio quæ. 633. quib reb. qui ſummis præſunt, inſtructi eſſe debent. 634. magiſtratus cur debent eſſe reipubl. amantes. 634. Exemplum quodnam. ibid.

Magiſtri viarum qui dicuntur. 854. vocabantur & viocuri poſteriores. 855

Malienſium reſpublica quæ fuit. 489

Malum communitatis vxorum quo ad agricolas quodnam. 187

Malum commutationis platonicæ graue quodnam de vocabulis cognationum. 161

Maris propinquitas an vrbibus proſit vel obſit. 927. Platonis ſententia quæ. 932 & ſeq. huius incommoda & exempla 938 & huius commodum quale. 940 Exemplum eius quod. ibid. qui modus in hac communicatione rerum adhibendus. 944

Maritus Romæ adulteram occidere poterat: vxor adulterum ne digito quidem attingere debebat, teſte Catone. 139

Mas natura ad imperandum aptior eſt quam fœmina. 327. hodie tamen contrarium fit. 328

Mas natura imperans eſt præſtantior fœmina parente. 59

Matrimonij fines varij ac multi. 15

Medicorum inſtrumenta quæ ſunt. 51

Medius eſſe volo, medijs ſunt commoda multa. 470. Ratio quæ 471

Mens cupiditatibus imperat ciuili & regali imperio. 56

Mercatura eſt in numero. 108. eius ratio eſt permutatio. 106

Mercaturæ partes ſunt nauigatio, vectura & inſtitoria. 120. Ratio quæ ibidem. comparatio trium generum quæ. 120

Mercatura non eſt à natura. 99. quare ſit infinita. 99. Eius vſus qui. 99. definitio quæ. 103

Mercatura eſt inter agriculturam & fœnus media. 116. periculoſa. ibid. Mercatura & fœnus agricultura quæſtuoſiora ſunt. 716. vituperabilis. ibid. huius duo ſunt genera 116. eius quæſtus minus laudabilis 116. Ratio quæ. ibid.

Mercatura, quatenus in optima Republ. ſit exercenda. 941

Mercaturæ officium quod. 104. Ratio huius quæ. 104

Mercatura ſi eſt tenuis, æſtimatur ſordida. 102

Mercatoris eſt diuitias parare & augere: patrisfamilias vero uti. 109.

Mercatores & propolæ quid differunt. 101 & ſeq.

Mercatores Spartæ nudi fuerunt & cur. 241.

Mercatores & opifices an in ciuium numero eſſe debent. 320

Mercenarij à peregrinante tyranno domi relecti, cur ſunt metuendi. 718. huius ratio quæ. ibid.

Meſſenicum bellum quale fuit. 597
Methodus alia eſt practica, alia theoretica. 337
Methodus explicãdæ politicæ quæ. 16
Metus eſt cauſa motuum, qui vel oppreſſionis eſt, vel pœnæ. 546
Metus eſt cauſa interitus monarchiæ. 672. Eius genera quæ. 673. & ſeq.
Midæ votum quodnam inexplebile de auro. 105
Militare premium quodnam. 889.
Militum genera quæ. 841. legionarij milites qui. 844. vſus quatuor generum militum ad conſtituendas oligarchias qui. 841 Ratio quæ. 841. milites grauioris armaturæ ad quam oligarchiam ſunt commodi. 842. Velites & Claſſiarij Democratijs accommodi. 843 Cautio quæ ne horum vtrorumque multitudo oligarchijs noceat. 843. hæc multitudo oligarchijs cur tam noxia eſt. 843. Cautio quæ. 843. Velites vnde petantur. 843
Minos puerorum concubitum ſtatuit & cur. 266
Miniſtri in artibus ſunt organa. 46
Moderatio legum eſt Reipublicæ conſeruatio. 640. Erratum politicorum ætate Ariſtotelis viuentium hic quodnã. 640. Eius peccati cauſa quæ, & exemplum. 640 & ſeq. huius ſimilitudo quæ. 641. Ratio quæ. 642
Modeſtia mulierum & frugalitas ſunt ſummæ in repu. virtutes. 244
Modi politicæ facultatis conſequendæ qui, & an neceſſarij. 6
Modi Democratiæ & Oligarchiæ qui. 522. & quinam Ariſtocratiæ & politiæ. 523.
Modus inteſtinus communis oligarchiæ & politiæ euertendæ qui. 590. Ratio eius quæ. 590. huius remedii quodnam. 591. Oligarchia & Democratia in quas Reſpubl. mutantur. 592
Modi commixtionis Democratiæ & oligarchiæ, ex quibus hoc genus Reipub. ſpeciale oritur. 457. & ſeq. Reip. ſpecialis genus quodnã. 456
Modi ſtabiliendæ huius vltimæ Democratiæ qui 810. & ſeq. cur in ea ratio diſcriminis non habetur. 810 Ratio cur multitudo ciuium huic vtilis ſit. 811. qui modus in hoc inſtituto ſeruandus. 811. Incommodum nimium auctæ multitudinis quale 812. Exemplum huius quod 812. modus generalis huius vltimæ democratiæ qui 815. ratio & incommodum huiuſmodi quodnam 816. Cur eadem ſint præcepta tyrannidis & huius Democratiæ & quæ ratio. 816
Modi imminuendi poteſtatem regnorum Lacedæmoniorum qui. 696
Modus honorum qui. 219 Similitudo horum quæ. 229
Modus dinumerationis ſententiarum qui. 233
Modus legendi in Senatũ Spartanum qui. 256. huius reprehẽſio quæ. 256
Monarchiæ ſalutis & interitus cauſæ fere ſunt eadem, quæ & reliquarum rerumpublicarum. 649. Ratio quæ ibid.

Monar-

Monarchiarum conſeruandarũ cauſa generalis quæ. 694. Ratio quæ. 708.
Monarchiæ interitus cauſa eſt contemptus 675. huius exempla quæ. 675. hac etiam alijs eſt cauſa 716. euerti ſolent. 676. harum exempla quæ. 677
Monarchiæ omnes æuo Ariſtotelis erant tyrannicæ, & quæ huius ratio & approbatio. 691
Monarchiæ interitus cauſa quænam ſunt 664. Partitio coniurationum in monarchijs quæ. 665. & ſeq.
Monopolia alia publica & iuſta, alia priuata & vetita. 125. horum genera alia olei, ferri & fermenti. ibid.
Moralium virtutum virtutes rationis ſeu mentis principia & fundamenta ſunt. 137
Mortales veteres ſe Dijs ſimiles eſſe putarunt. 24
Motus & ſeditiones in Republ. oligarchica facie vitari poſſunt & quomodo 278. Refutatio huius quæ. ibid.
Motuum & mutationum cauſa quæ 53. huius inueſtigationis vſus & vtilitas quæ 536. in motib. rerumpubl. quæ conſiderantur. 539. & ſeq. mouentes ſeditiones quomodo affecti. 536. Seditiones cur moueantur. 537. Cauſæ motuum rerum publicarum ſunt ſeptem principes, quæ cum motu fieri ſolent: & quatuor minus principes, quæ ſine eo fere fiunt. 539
Moyſis politia antiquiſſima. 8
Mulier viro vt capiti & regi ſuo, ſecundum ſacros libros, parere iubetur. 60
Mulieris virtus eſt taciturnitas, viri eſt prudens oratio. 140
Mulieris & pueri an eædem ſunt virtutes, quæ mariti & parentis. 234
Mulierum præfecti cur ad Ariſtocratiam pertinent. 512. Mulierum græcarum conſuetudo fuit conſpectum & conſortium virorum alienorum vitare. 512
Mulierum licentia ad Reipubl. conſilium & ad ciuitatis beatitudinem inutilis eſt. 248
Mulieres omne imperium Spartæ in viros habuerunt. 244
Multitudo vniuerſe bona an inuenitur ex ſingulis non bonis. 353
Multitudinis Democraticæ genera quæ. 840
Multitudinis prætextus de magiſtratu qui 368
Multis potius quam vni imperium earum rerum quæ legibus definiri nequeunt dandum eſt. 394. Ratio huius quæ. 394. & ſeq.
Multa præclara ponere, ſed impoſſibilia, eſt potius optare quã diſputare teſte Cicerone. 196
Munus naturæ eſt genito victum præbere. 115
Munerum publicorum diuiſio quæ. 505.
Munera Reipubl. ſumma ſunt, magiſtratus, ſenatus & iudicis. 354. Exemplum quodnam ibi. Similitudo quæ. 354
Munus fœminæ à ſerui munere differt, & quomodo. 20
Munera alia ſunt honeſtiora, alia

magis neceſſaria. 79
Muniti opibus tyrannicis, difficilime euerti ſolent. 693
Mutationum genera ſunt varia & quænam 529. & ſeq
Mutatio Reipublicæ duplex & quæ. 551.
Mutationes rerumpub. fiunt à cauſa interna vel externa. 567

N.

Natura bellicoſi ad venerem ſunt procliues. 246
Natura nil niſi certo fine propoſito molitur. 30
Natura ſæpius bonum facere vult, ſed non poteſt. 72
Natura nihil facit fruſtra. 29
Natura animalibus alimenta ſuppeditat diſſimili modo, ratione & tempore. 91
Natura rerum optima affectio eſt. 34.
Natura rerum parens eſt & altrix. 115.
Natura tantum neceſſaria quærit. 99.
Natura cupiditatis eſt infinita. 221
Natura hominum cauſa omnia facit. 92 hæc nihil imperfectum facit, neque aliquid fruſtra. 92
Nauigationis ſalus eſt munus nautarum.
Nauis inſtrumenta quænam ſunt. 50
Nemo eſt ſeruus natura, ſed hominum inſtituto. 43
Nexi ſunt cauſa tumultus. 544
Nihil fit natura aduerſa & repugnãte. 161.
Nimium magna multitudo non niſi à Deo gubernari poteſt. 920. magnitudinem ciuitatis exquirere pertinet ad optimum ipſius ſtatum 923. multitudinis hominum modus in optimo Reipublicæ ſtatu qui. 923
Nobiles & locupletiores quomodo ad magiſtratus capeſſendos inuitentur. 626
Nobiles & diuites vendicant honores & cur. 366
Nobilium & ingenuorum prætextus de imperio qui. 368
Nobilis alius dicitur ſimpliciter, alius domi. 73
Nobilium genera quænam ſunt. 435
Nobiles & ignobiles ex virtute & vitio definiuntur. 72. nobiles ſunt 2. generum & quinam. 72
Nobiles vbiq; eſſe veteres putabant, barbaros vero domi tantum. 72
Nobilitas apud ſingulos domi eſt honorata. 367 & eſt generis virtus. ibid.
Nobilitatis & ingenuitatis diſcrimen & ſimilitudo quæ. 363
Nobilitas alia eſt ſimpliciter & vere, alia ex parte & opinione. 73
Nobilitatis definitio quæ. 528
Nobilitas & ignobilitas virtute & vitio ſunt metienda, non fortuna. 73.
Nobilitas teſte Cicerone dicitur cognita virtus & cur. 123
Nomen, vterq;, bifariam accipitur. 157.
Nomophylaces qui dicuntur. 209
Non qualibet multitudo ad ciuitatis magnitudinem facit, & cur. 916. Dionyſij Halicarnaſſei ſententia hoc loco quæ. 918. nec nimia

ciuium paucitas facit quid. 918
Nota de magiſtratuum humanitate & ſuperbia. 719. Exemplum eius quod. 709. & ſeq. Teſtimonium quale. 720
Nota optima mixtionis Democratia & oligarchia qua 460. & ſeq.
Nota libertatis popularis falſa qua. 771. vera libertas à Cicerone deſcripta qua 171. Exépla eius 772. Effectus falſa libertatis qui. 772
Numerus par dicitur. 190
Numerus non eſt cauſa ingenij boni vel praui. 749
Numo reperto exiſtit mercatura. 101 huius genera tria ſunt & quanã. 1
Numus eſt mercatura parens & auctor. 102. numorum vſus & origo qua 103. horum alij graues, alij ſignati. 103. horũ materia qua 103. numus eſt initium & finis permutationũ. 104. ars rei quarenda in numis verſatur. 104. Ratio huius qua. 104. Quidã in numis diuitias eſſe poſitas putãt, & cur. 105
Numus arbitrio vtentium mutatur. 105. hic eſt permutationis terminus. 106
Numus permutationis gratia inuentus eſt. 116 fœnus auget. 116

O.

Oboli olim ſummus erat vſus & primus, in numis deducti pecunia. 117
Occaſio oligarchia mutanda ab ipſis oligarchis orta ſeu inteſtina qua. 580. Ratio eius qua. 580 Exempla Athenienſium & Romanorum qua. 580 & ſeq. Cauſa Demagogorum popularium in oligarchijs qua. 581
Occupatio ad excuſationem methodi qua de vita beata. 867. Stoicorum erratum contra leges methodi quod. 867
Oeconomica ars & rei quarenda non ſunt eadem. 133 œconomia eſt neceſſaria. 116
Officium & numerus mulierũ apud barbaros qui, & de mariti in vxorem imperio, quale fuerit. 10
Officiorum imperandi & parendi diſtinctio neceſſaria ad humanam & politicam ſocietatem. 52
Officium patrisfamilias in tribus imperijs qua habet in familiam 1.2.
Officium viri eſt quarere, mulieris munus conſeruare. 315
Officia & opera virtutibus peraguntur. 137
Officium boni legum ſcriptoris quodnam. 277
Oligarchia plura ſunt genera 434. & ſeq 440. & ſeq. Admonitio Ariſtotelis qua 442. ratio & cauſa qua. ibid.
Oligarchia dicitur, vbi domina eſt multitudo exigua. 336
Oligarchicum inſtitutum quod, & qui eius modi. 496
Oligarchia quomodo inſtitui debet. 831. Ariſtoteles in explicanda oligarchia cur tam breuis ac ſuccinctus. 831
Oligarchia eſt omnium rerumpublicarum intermedia. 421
Oligarchia origo qua. 396
Oligarchia eſt ad bonum diuitum. 334
Oligarchia genera qua. 833. & ſeqq.

hac quomodo quam optime deſcribatur & inſtituatur. 833. Ratio, vtilitas & Ratio eius quæ. 834. Quæ in re tyrannis, Democratia & oligarchia vltima conueniunt. 836. in hoc vltimo & nequiſſimo oligarchiæ genere plurimum operæ cur poni dicitur 836. & ſeq. Similitudo quæ. 837. oligarchicum inſtitutũ eiuſq; modi qui. 844. quæ huius exempla 845. inſtitutum eius qualenam, quo plebs tenuior à magiſtratibus arcetur, & quomodo. 845. Liturgia quæ dicitur. 845. Ratio huius placationis plebis quæ 846. Cicer. hac de re ſentẽtia quæ. ibid. oligarchiarum mos temporis Ariſtotelis hoc loco quæ. 847.

Oligarchiarum mutandarum cauſæ quæ 577. & ſeq.

Oligarchiæ infirmitas quæ & cur. 739.

Oligoria vocabulũ varie accipitur. 540

Oligarchiæ ſunt ſtabiles nec facile euertuntur, ſi concordia inter oligarchas ſeu paucos ſit. 584. Ratio à repugnantibus quæ. 584. Exempla eius quæ. 584

Oligarchia eſt cauſa rerump. mutandarum & quomodo. 552. huius rei exemplum quod. 552

Oligarchica inſtituta quæ. 273

Oligarchicum præceptum quod. 500. Cautio oligarchica quæ. 501. ratio & vtilitas quæ. 501 & ſeq.

Omnes eius, quod ſpeciem boni habet, gratia cuncta agunt. 13

Omnis, dictio ſumitur vel vniuerſe vel ſigillatim. 157. & ſeq.

Omnia opere & facultate definiuntur. 34

Omnia ex partibus conſtantia habent, quod imperat. & quod paret. 54

Omnia inter ciues eſſe cõmunia, aut nihil, aut aliqua vel non. 148

Opera, quæ ab opificibus melioribus, præſtantiora ſunt. 53

Opera eſt velut merx, & hac pars operaria eſt duplex, & quænã. 120

Opera alia ſunt neceſſaria & pulchra: alia ſeruilia, & quænam. 900.

Opera alia dicuntur artificioſiſſima, alia ſordidiſſima alia maxime ſeruiles & alia viliſſima & quænam hæ ſunt. 122. & ſeq.

Opera ſeruiles & miniſteria quænam ſunt. 80 Harum aliæ honeſtiores, aliæ viliores & magis neceſſariæ 80

Opera hominum ſunt variæ & plures. 314

Opes latine idem quod potentia. 83

Opes nauticæ cur ad Reipubli. felicitatem requiruntur, & eius exempla quæ. 944 modus potentiæ nauticæ qui, eiuſq; Exempla. 944

Opifices aliqua virtute etiam præditi eſſe debent. 143. horum opera quodammodo ſeruiles ſunt. 143

Opifices ex arte ſuſtẽtari poſſunt. 228

Opifices interdum ſunt ciues, interdum non. 323

Opifices & operarij inter ciues non referuntur, & cur. 244

Opifices an in numero ciuiũ ſint. 306

Opinio quorundam duo tantum Reipub. genera ſtatuentium quæ. 425. & ſeq. Ratio. quæ. 426

Opus & munus ſimpliciter eſt architecti: ratio vero architectus. 138

Opus & munus Reipub. quod. 924

Organa animata ſunt neceſſaria, ſe-

cus de inanimatis. 47
Ordinum Reipub. contemperatio qua 838. Exẽplum huius quodnã. 835
Organi diuiſio quænam re domeſtica. 46.
Organorum alia animata, alia inanimata. 45
Organa efficientia ab agentibus ſeparari debent. 48. Ratio qua. ibid.
Organi vocabulum latius patet quam inſtrumenti. 50. nec idem prorſus valet. ibid.
Organa alia ſunt efficientia, alia agentia. 48. quæ proprie dicuntur organa. 48. Agentia quænam 48. Ratio qua ibid.
Organorum vniuerſitas eſt res ipſa familiaris. 46
Origo erroris de communitate rerum qua. 179. Refutatio eius. ibid. ratio qua. 179
Ortus Imperiorum & legum qui. 1. & 2.
Oſtraciſmus qui dicitur. 377
Otij & concordiæ viæ ac rationes non à fortuna ſed à legum ſcriptorum prudẽtia & ſtudio petẽdæ ſunt. 229
Ouorum formatio qua. 91
P.
Pacta an ſeruanda vel non, ciuitate in aliam Reipubl. formam mutata. 304
Parœci qui dicuntur. 226
Parricidiorum cauſa eſt quædam communitas. 162 & cur ea fiunt. ibid.
Partes melius cognoſcuntur explicato toto. 84
Partes domus ſunt homo & res. 44
Partes totum conſtituunt. 49. Ratio qua ibid.
Partes abſque toto eſſe non poſſunt, ſed totius naturam conſtituunt. 50
Pars ſecundum Platonem in Parmen. eſt totius pars. 50
Partiens & ſeparans ciuitatem non efficiunt. 781
Particulæ γὰρ, græcis idem valet quod δὲ, ſicut Latinis enim & nam quod Aſt, verũ, autem. 925
Paſtores agriculturã viuã colunt. 89
Paſtoricia res ciues bello habiles facit 804. hæc alia que laudes cum pecuaria communes ſunt agriculturæ. 804. harum laudes per collationem cum alijs vitæ generibus factæ qua 805. in quibus regionibus hoc genus democratiæ conſtitui poteſt. 806. Sophiſma aduerſus tabernarios, opifices & reliquam turbam forenſem quodnam. 806
Paterfamilias familiæ ſuæ eſt velut rex. 23
Pater liberis amore quodam præeſt, horumque curam gerit. 131
Parentia & imperium conſtant ex rebus vtilibus & neceſſarijs. 59
Paucitas ciuium cur oligarchiis conuenit, 838 Exemplum quale. 838.
Paulus ait nullum eſſe apud Chriſtum neque græcum, barbarũ vel iudæum aut ſeruum. 76
Paupertatis cauſa nonnunquam eſt bellum. 597
Paupertas nimia ſeu diuitiæ ſunt cauſa motus in Ariſtocratia. 596. Exemplum quale. 596. & ſeq.
Paupertas ciuium cur ciuitatibus tam noxia ſit. 824
Paupertas eſt cauſa vitæ ſordidæ & malitioſæ. 214

Paupertas ſeditionem & iniuriam facit. 199
Peccatum Socratis in libris de legibus quodnam. 196
Peccatum Platonis in communitate Reipubl. quodnam. 187
Pecuaria res eſt agricultura viua, & alia pecuaria propriè, alia villatica, & quæ. 90
Pecuaria eſt multarum & magnarum voluptatum effectrix. 111
Pellex eſt medium inter vxorem & ancillam. 21
Periandri tyrannis quæ & cur firma. 742. *Exemplum tyrannidis diuturnæ quale.* 743
Periclis lex de ciue lata quæ eſt. 299
Peripatetici & Academici ob eximiam rerum magnarum ſcientiam dicti ſunt politici. 8. *Stoici abſurda attulerunt.* 8
Permixtionis vera vis & natura quæ. 165
in Permixtione perit permixtorum vel vtrunque vel alterum. 165
Permutationis genus antiquiſſimum quodnam, & quod ſimpliciſſimum. 100
Permutationis natura, proprietas, cauſa & origo quæ eſt. 98. *huius genera ſunt duo & quæ* 99. *& ſeq.*
Perſonarum artis domeſticæ genera ſunt tria & quænam. 82
Peſtis nulla humano generi capitalior eſt anarchia. 52
Phaleæ peccatum quodnam. 218. *& ſeqq.*
Phaleæ opinio de bonorum æquatione & modo. 211
Philolaus Corinthius fuit Thebanorum legiſlator. 284. *natus genere Bacchiadarum ibid. amator fuit Dioclis, qui olympia vicit.* 284. *Thalis obijt. ibid.*
Philolai propria eſt bonorum inæqualitas 284. *Platonis vero ſecus.* 285 *adeptionis autor.* 286
Philoſophorum vita non minus actuoſa eſt, quam aliorum & cur. 907. *politicorum error qui.* 597.
Philo Ioſephum hominem politicum deſcribit. 3
Phraſis αὐτοῦ eſſe, & eſſe ἄλλου.
Pittaci lex quænam fuit. 285. 283
Platonis mala de conſeruatione & mutatione rerumpublicarũ. 746 *& ſeq. ſumma facta eius ſentẽtia* 747. *aliorum de ea iudiciũ.* 477. *teſtimonia Polybii, Ciceronis, Taciti Phi. Melancht. Peu. eri & Bodini quæ.* 747. *Cauſa mutationis Reipubl. ab eo allata quæ.* 748. *obſcuritas ſententiæ Platonicæ quæ.* 748
Plato omnes amoris venerei vſus præter coitum permiſit cum ſtoicis: Ariſtotele in totum vetuit. 163
Plato dicit diuitias & paupertatem è Republ. eſſe tollendas. 214
Platonis peccatum de agri modo quodnam. 198. *Huius rei refutatio Ariſtotelica & ratio eius quæ.* 198.
Plato monet legum ſcriptorem procemio vti debere. 1
Platonis cautio in communitate rerum quæ. 182
Platonis vitium de magiſtratuum perpetuitate. 189. *& an vtile ſit.* 106. *eſſe perpetuos vel annuos ibid*

Plato dicit bona omnia eſſe agricolarum & nulla principum.187. Ratio reprehenſionis quæ. ibid.
Plato tria hominum genera facit, & quænam. 189
Plato vult Rectores rerumpublicarum beatitudinem efficere debere. 190. Refutatio & diſſimilitudo eius quæ. 190
Platonis opinio de modo & æquatione bonorum.210. & ſeq.
Plato politicam facultatem regiam vocat. 4
Plato quæ de ſua republ. prædicat. 204. huius forma quæ. 204. Ratio eius quæ. 205
Platonis comparatio vitioſarum rerumpublicarum quæ. 421. & ſeq. harum genera cur plura.424 Ratio quæ.424. & ſeq.
Platonis ſphalma in ſua Republica quale. 185. Ratio eius quæ. ibid. Ariſtotelis reſponſio quæ. 185
Plebi cur magni magiſtratus ſint committendi. 272
Plebei magiſtratus lucrum maxime curant. 624. & ſeq. exceptio quæ. 625.
Plebis partes quænam ſunt. 435
Plebi quæ ſunt permittenda.356. Ratio 397.
Plerique diuitias tanquam vitæ viatica neceſſaria quærunt. 110
Plutarchi ſententia de Lycurgi conſilio approbatur, eiusque excuſatione. 245
Politia cur nonnunquam in oligarchiam mutatur. 602. Exemplum eius quale. 603
Politia Ariſtocratiis tunc vſitatis ſtabiliores ſunt. 601. huius diuturnitas quæ. ibid.
Politia aut ciuilis, aut militaris. 4. *eius dignitas quæ* 3 *quæ vtilitas.* 4
Politiarũ finis eſt præſtantiſſimus. 13
Politia ſumma quæ. 408. vnde conſtat. 409
Politiæ ciues qui. 488. Eorum cenſus qui ibid. Ratio quæ. 468 & ſeq.
Politia eſt Reipubl. tertia ſpecies 335
Politiæ definitio quæ. 452
Politiæ origo quæ. 396
Politia quænam dicitur. 290
Politia eſt genus reipubl maxime firmum, & cur. 739
Politicæ facultatis vtilitas quid prodeſt Theologo & iuriſperito. 4. quid rhetori, hiſtorico, poetis & grammaticis. 5
Politicæ ſcientiæ finis eſt non tam cognitio & ſcientia quam vſus. 119
Politicæ eſt ciuibus vti, horum ordines deſcribere, alios magiſtratus, alios opifices, alios milites. 114
Politicæ res quæ dicuntur. 365
Politicæ ſcientiæ finis bonus qui. 369
Politica ſua eſt ars & ſcientia, herilis minime. 779
Politici officium quod. 817. error politicorum de Rebuspublicis tempore Ariſtotelis qui.819. ratio & exempla quæ. 818. exempla contraria quæ. 818
Politici munus quodnam 809. Error quorundam politicorum qui. 890
Politicus ponens votis digna ſed impoſſibilia. 196. *huic ratio exterorum habenda eſt 196.*
Politico cur de vtraque Republica eſt

eſt diſſerendum. 147
Politici officium quodnam. 204
Politico vtilis eſt hiſtoriarũ cognitio peregrinatio, variarum legum collatio & conſuetudo. 7
Politicorum peccata quæ 482. Ratio reprehenſionis eorum quæ. 482
Politico quæ cognitu ſunt neceſſaria. 414. ratio quæ. ibid. & 415. 416. Aliorum politica ſcriptorum peccata quæ. 417. Ciceronis & Platonis hac de re errata quæ. 417. & ſeq. Ratio, cur politici munus eſt noſſe rerumpubl genera. 418
Politicorum peccatum ævo Ariſtotelis viuentium quodnam. 643. huius mali medela quæ. ibid.
Politicorum genera quæ & qui horum principes 281
Politicus quid de re militari ſtatuere debet. 895
Populare inſtitutum quodnam, & qui eius modi. 494. & ſeq. Exemplum Teletis & aliarum multarũ ciuitatum quodnam. 495. populus quæ ſibi hic reſeruat. 495. & quos magiſtratus ſuffragijs creat. 495. diſcrimen horum modorum quodnam. 496
Populorum quorundam inſtitutum quodnam in creandis magiſtratib. 794. Exemplum quale. 794. horum ſophiſmata. 759
Potens quis dicitur. 2
Potẽtia naualis & eius opes quæ. 943
Potentia nimia & magnitudo in ciuitate eſt cauſa Ariſtocratiæ euertendæ. 597. Exemplum quale. 598.
Potentiorum imperia pleraq; ſunt herilia & tyrannica. 468
Poteſtas vxoria & herilis eſt diuerſa 19. Huius ratio quæ. ibid.
Practica δύναμις ſecundum Ariſtotelem quæ dicitur. 906
Præceptum generale ad omnium Rerũpublicarũ inſtituta examinanda, quodnam. 240
Præceptũ Ariſtotelis præclarũ de imperio quodnam. 329
Præceptum ſimulationis tyrannicæ de pœnis & ſupplicijs quodnam. 751. huius exempla quæ. 751
Præclara omnia ſunt rara & difficilia. 6
Prædia ſunt ſeparata & propria, fructus eorum communes. 168. & ſeq.
Prædiuites ad Rempublicam cur inepti, quoad officiũ optimi ciuis. 468 cur hi cum pauperibus amici eſſe nequeunt ibid.
Præmium conſtituitur noua inſtituta inuenientibus. 234
Præpauperes cur ad Rempublicam ſunt inepti. 468 cur hi cum prædiuitibus amici eſſe non poſſint. ibid.
Præſtantia & vtilitas librorum Ariſtotelis politicorum quæ. 10
Præſtantia virtutis aut ciuilis potententia quæ 332
Principales cauſæ monarchiæ euertendæ quæ. 685
Principum diſſidia præcipue ſunt Reipublicæ noxia, & quando. 559 Exempla quæ. 560. horum diſſidiorum varietas inter principes quæ. 360. initia diſſenſionum harum plerunque exigua

quæ. 560
Principes olim ſcholas politicæ habuerunt Sophiſtas. 8
Principis, ſubditi, viri boni & ciuis quatenus virtus eſt eadem aut diuerſa. 318 Exemplū quodnā ibid.
Princeps cur imperare & parere poſſe debet. 317. Ratio quæ ibid.
Probatio qualis magiſtratus fore iuſtos aliqua de cauſa. 792
Probus cur magiſtratus tantum committi debeatur. 904
Probuli quinam dicuntur. 501. olim erant magiſtratus oligarchicus. 501.
Profani olim Deorum ſimulacra ingenti magnitudine fingere & facere ſolebant. 64
Propalæ dicuntur noſtri Crameri ſeu Fürkauffers. 102
Proprietas & vſus fere in bonis ac rebus ſpectantur. 160
Prouerbium: Heroque herus, ſeruoq; ſeruus eſt prior. 79
Prouerbium: Dædali opera. 47
Prouerbium, ὡς ἔπος εἰπεῖν id eſt, vt vno verbo dicam, quale. 25
Prouerbium: amicorum omnia communia. 172
Prouerbium: ſeruus ſeruo præſtat. 81
Prudentia cur in ſeruis eſſe non debeat. 137. reſponſio. ibid.
Prudentiæ & virtutis nomen propriè & impropriè accipitur. 37. prudentia alia vera, alia imitatrix. ibid.
Publicatio bonorum Demagogis frequens. 819. huius remedia quæ. 820. quo pacto valeant. 820
Pueri ſunt Reipubl. ſeminaria, vnde tandem ciues. 145
Pueri virtus qualis 141. huius virtutis modus & norma eſt pater. 141. horum & ſeruorum virtutes quænam ſunt. 142
Pulchritudo ex magnitudine & multitudine ſpectari debet. 922
Pulſatio eſt contumeliæ genus, quæ erat cauſa inuadendi in reges. 671. Eius exempla plura quæ. ibid.

Q.

Quæ cauſa cōſeruat Venetos, Anglos, & Heluetios incolumes. 270
Quæ in ciuitatis partib. maxime ſpectari debent. 477. ratio quæ. ibid. cuilibet ciuitati quæ Reſp. optime conuenit. 478. Ratio quæ. 479. ſpecies ſingulæ quorumlibet generum quæ. 479
Quænam ciuitas dicitur ſatis magna ſecundum vulgi errorem. 915
Quæ non ſunt eiuſdem generis, illa comparari nequeunt. 365
Quæ poteſtas eſt premiū virtutis. 251
Quænam dicuntur regnum ac principum oculi & aures. 404
Quæ res natura differunt, hæ inter ſe comparari non poſſunt. 365
Quæ quiſq; vt ſua propria vocat ea iam non ſunt communia. 157
Quæſtor populi. 857. huius magiſtratus præſtantia quæ. 857. quæſtura cur inter magiſtratus neceſſarios referatur. 858. Germani vocant Legſtätt. 858
Quæſtio de bonis eſt triplex. ſicut modus & ratio communicandi ea triplex & quomodo. 169
Quæſtus fœnoris cōtr[illegible] ſt. 116
Quæſtus omnis ſen[illegible] Cicerone, turpis eſt. 117

Quæſtus

Quæſtus ſeu lucrum cauſa eſt ſeditionis rerumpublicarum. 543

Quando & vbi Ariſtoteles de virtutibus vxoris & liberorum explicat. 145. *Ratio ibi.*

Quidam Democratiam & oligarchiam tantum ſtatuunt. 425. *Ratio quæ.* 426

Quid in optima Republ quoad imperium ſit faciendum. 379. & *ſeq.*

Quis dicitur excedere ex ephebis. 844

Quinam hi ſunt, qui monarchas contemnunt, & aduerſus eos coniurant. 677. *Exemplum eſt in Hērico Duce Guiſio & eius fratre Carolo. ibid.*

Quid in vnaquaque Republ. dicendum de magiſtratu. 370. *Argumentum aduerſus diuites, nobiles & virtute præditos.* 370. & *quod aduerſus multitudinem.* 371

Qui ſi coire volunt & numero pauci, ex eorum voluntate ſemper hi creari ſolent. 208

Quilibet coniugibus & natis leges dat. 23

Qui iure de honoribus contendere poteſt. 367. *quando peccat.* ibid.

R.

Radiorum confectrix eſt ars adminiſtra artis texendi. 85

Ratio, qua incommoda propinquitatis maris effugere licet. 942. *Exemplum huius quod.* 942. & *ſeq.*

Ratio cur Ariſtoteles primo agit de regno. 384

Ratio aduerſus gentes & vrbes de imperio quæ. 378

Ratio alia principum, alia priuatorum. 213. *Iaſonis dictum quod* 313

Ratio, cur virtutes ciuium ſint diſſimiles. 311. *Similitudo huius quæ. ibid.*

Ratio reprehenſionis quæ quod Senatus Spartanus ſit perpetuus. 855

Ratio quæ, cur illa Reſpublica plerisque ſit optima, in qua mediocritas diuitiarum pollet. 465. *probatio huius quæ. huius quæſtionis dijudicatio vnde petenda.* 465

Ratio generis & formarum quæ eſt, ea quoque totius & partium erit. 34

Ratio augendi numeri ciuium Romanis vſitata quæ, & quæ Lacedæmonijs. 811

Rationes de bonorum communitate tractanda quæ. 169. *Refutatio cõmunitatis Platonis* 170. *Confirmatio triplex quod cõmunitas ſit parens litium & diſcordiarũ.* 17

Ratio rerumpublicarum conſeruandarum quæ. 608. & *ſeq. Exemplum quale* 611

Ratio tripartita quæſtionis de bonis quænam. 169

Ratio, qua traditur ciuitati non eſſe optimum, vt quam maxime vna ſit, qualis 155

Ratione præditi, ſcriptis alios docere poſſunt: vſu præditi non item. 7

Ratio diſcendi politicam ac iuriſprudentiam vetus quæ 7

Ratio eſt fundamentum virtutum. 134.

Rationes politicæ à communi vita abhorrere non debent. 52

Recta

Recta prauorum ſunt velut norma & regula. 383. in rectis tria ſunt notanda, & quænam. 383
Recte optare videtur eſſe minus ſcientium. 355
Reges primi quarum rerum poteſtatem habuerunt. 386. Eorum creatio à quo fiebat. 386
Reges primi paucitatem ciuium cur cauerunt, ratio quæ. 250
Regum & principum pactis an eorum hæredes aſtringantur. 301
Rex & magiſtratus in imperio & regno ſunt tanquam duces. 57
Regum & legum latarum eadem origo & cauſa eſt. 2
Regis nutus & arbitrium pro legibus olim habebatur, teſte Dionyſio. 2
Reges amicos imperij ſocios faciunt. 407.
Rex à patre differt natura, genere vero idem. 129
Regia manu cuncta in primo æuo adminiſtrabantur. 2
Regnum barbaricum quod dicitur. 385. cur regnum vocetur. ibid. cũ tyrannicum dicitur. 385. regnum veterum Græcorum quod. 385. & quale heroicum. 386. eius notæ quæ ibid. mutatio horum regnorum quæ. 387
Regnum an hereditarium eſſe debet. 392. Argumentum huius quod. ibid. huic quodnam præſidium conuenit. 398. Opinio Platonis de hac re quæ. 398 an hoc ſit iuſtum & Reipubl. proficuum. 400
Regnorum & tyrannidum interitus cauſa quæ ſunt. 664
Regna an ciuitatibus & humano generi ſint vtilia nec ne. 381. regni genus eſt belli prætura perpetua, & cuius alia hæreditaria, alia optima. 382
Regnum eſt optima forma Reip. 257
Regnorum genera varia. 354. diuiſio horum quæ ibid.
Regnum Spartanorum fuit hereditarium. 257
Regnum omnium antiquiſſimũ. 395
Regni incommoda quæ. 350
Regnum eſt genus Reipubl. ſtabile ac diuturnum. 739
Regnum à Republica quomodo differt. 131
Regnorum interitus cauſa quænam. 689. hæc cauſis externis raro euertuntur 690. Cauſa interna interitus, eſt diſcordia regni hæredum. 690. Exempla quæ ibid. Error quorundam interpretum, dicentium Ariſtotelem negare regna ætate ſua fuiſſe vlla qui. 691 & ſeq. non tantum regna aſtu & vi acquiruntur, ſed & tyrannides. 692. Regnorum hæreditariorum interitus cauſa quæ. 692. regna in tyrannides verſa facile pereunt. 693. huius conſeruandi cauſa ſpecialis quæ. 694. Ratio, approbatio & exempla quæ. 692
Regula generalis de rerumpublicarum mutationibus quæ. 602. Ratio eius. ibid.
Religionis poteſtas ac vis in frenãdis ciuibus quæ. 726
Reprehenſio Ariſtotelis de Platonis Republ. generalis quæ. 204
Ruſticarum rerum ſcriptores quinam. 122

Rebus

Rebus diſtinctis eadem ratio inſtitui poteſt. 182
Res in quibus facultas politica verſatur, quænam ſunt. 3
Res maximæ viris ſummis permittendæ. 359
Rerumpublicarum origo quænam. 22
Reipubl. vnius ex multis ciuitatibus conſtantis commodum quod. 952. *Exempla huius qualia.* 952.
Rerumpub. & legum origo quæ. 1
Rerumpublicarum origo quæ. 395
Reſpublica quæ eſt. 290
Reſpubl. equeſtris pedeſtri antiquior. 490. *ratio & approbatio quæ. ibid. rerumpubl. partitio & ratio eius quæ.* 491. *& ſeq.*
Reſpub. non eſt eadem ſtatu mutato, hominibus vero iiſdem permanentibus. 305. *Ratio à genere quæ.* 306 *hæc dicitur ſocietas.* 307
Rerumpublicarum mixtio quæ. 795
Reipublicæ Sicyoniæ forma quæ. 740. *Et quæ Corinthiorum.* 741
Reſp. quomodo firma reddãtur. 818
Reipublicæ vtile eſt inter principes eſſe concordiam & amicitiam. 164
Rerumpublicarum ſummæ partes quæ. 761. *Coniunctio diuerſarum rerumpubl. quæ.* 863. *Exemplum huius quale.* 763. *harum conſtituendarum præcepta quæ.* 766
Rerumpubl. genus quodnam eſt optimum ſimpliciter & quod obtineri poſſit. 864. *prænotio ad cognitionẽ optimæ reip. cur neceſſaria & quæ ratio.* 865. *Caſus fortuiti, quib. felicitas rerump. interturbatur, quinam.* 166
Reſpub. contrariæ ſunt aut ipſo ſtatu, aut æmulatione. 682. *Exemplum quodnam. ibid.*
Reſpublicæ ſæpe & leuibus de cauſis perturbari ſolent 557. *& ſeq.*
Reſpub. mutantur aut aperta vi, aut ſubdole. 565. *Exemplum huius rei quale.* 566
Reipub. vſus eſt longior, periculoſior & cõtractior. 6 *ratio ſeu doctrina breuior, ſecurior, certior, & diffuſior. ibid.*
Reſpub. eſt optima vel ſimpliciter, vel comparate. 147. *& quomodo. ibid.*
Reipub. Socraticæ genera quot & quæ ſecundum Platonem. 191
Reſp. non ratione, ſed vſu à veteribus fuit adminiſtrata teſte Ariſtot. 6
Reſp. aliæ ſunt priuatorum, aliæ politicorum. 209. *diſcrimen inter Platonis & aliorum reſpubl.* 210
Reſp. ex plurib. cõcreta melior eſt. 203
Reſp. rei præſenti accommodari debẽt. 896 *rebuſpubl. diuerſis conuenire debent leges diuerſæ.* 896
Romanũ imperium vnde ſuum habet ortum. 384
Romæ ambitus quot paſſuũ erat. 305
Romanæ reipubl vitiũ quod fuit. 261
Ruſtici inſtrumenta quæ. 51
Rerũ omniũ vis & natura ex primis & minimis partib. cognoſcitur 40
Res an ſuo, vel externo milite ſint gerendæ. 586
Rerũ venaliũ maximeq; poſſeſſionũ caritas repentinas haſce diuitias comitatur. 591. *Ratio quæ.* 591. *Exemplum quale.* 591 *& ſeq.*
Rei domeſticæ cura eſt vxorum, & agricultura virorum. 187
Res familiaris ex domino & ſeruo conſtat.

conſtat. 110

Rei familiaris mẽbra patrimonium ſeu rem familiarẽ conſtituunt. 49

Res familiaris ac vſus vitæ humanæ eſt neceſſaria. 44

Rei familiaris membra ſunt rei domeſticæ organa. 46

Rei familiaris mẽbra quæ dicũtur. 46

Res familiaris eſt pars domus. 44

Rerũ[illegible] generũ interſe mutatio quæ. 523

Reſpublica quæq; qualis ſit, vnde æſtimandum. 419. Harum aliæ ſunt rectæ, aliæ prauæ. ibid. Rectæ quæ dicuntur. 419. & ſeq.

Reip. genus rariſſimum quodnam eſt 473. cauſa quæ cur rariſſima dicatur. 474. opinio Theopõpi quæ. 475

Reip genus ex democratia & Ariſtocratia mixtũ quodnã. 625. huius rationis obtinẽdæ modus qui. 626

Rerump. diuiſio quæ. 331 Ratio & approbatio huius quæ. 331. Recta & praua Reſp quæ ſunt. 332. harum Platonis partitio quæ. 33. & ſeq. Et quæ Polybij ac Ciceronis diuiſio. 333

Reſp tot ſunt, quot ciuiũ genera. 322

Rerump genera multa & varia eſſe propter varias ciuitatis partes. 430. & ſeq. Ciuitatis partes quæ dicuntur. 431. & ſeq. Platonis partitio hoc in loco reprehenditur, & quidem variè. 432. & ſeq. Ratio 433. Obiectio huius partitionis. 433. Solutio huius quæ. 433. & ſeq.

Reſpublica eſt ordo ciuitatis. 327

Reſpublica optima quæ dicitur. 347

Reip. intereſt, eam priuatim eſſe diuitem, publicè pauperem. 262

Reſp alia recta, alia vitioſa. 451 hac eſt oligarchia & Democratia coniunctio & permixtio quædam 452. Ratio quæ, cur hoc genus Reipubl. interdum dicitur reſpubl. interdũ Ariſtocratia. 452. Ratio quæ 453

Reſpublica mutata, an ſtandum ſit veteribus pactis. 301

Reſp. ſpecialis quæ, & quænam eius genera. 487 & ſeq. huius antiquitas quæ, & eius ratio. 490

S.

Sacerdot. nõ dicũtur magiſtratus. 550

Scientiæ hominum ſpectari ex fine conſueuerunt. 3

Scientia herilis eſt ars vtẽdi ſeruis. 80

Sciẽtia ciuilis initium eſt ſingulare ad cõſeruationẽ Reip. & quæ ratio. 639

Scopus matrimonij & poteſtatis herilis qui. 18

Scribæ qui dicuntur 858. horum officia quæ. 859. Atheniẽſium de hiſcæ cõſuetudo quæ 859. vtilitas horum apud Romanos quæ & vnde. 860

Scriptores politicæ qui & quotuplic. 7

Scriptorum politiæ diſcrimen quodnam. 229

Scriptura ſacra iniuſtos vocat Gigãtes. 2. Poſteritas tyrannos. ibid.

Seditiones ex contumelia exiſtere ſolent & quomodo. 542.

Sedititonum & motuum omnium caput & fons quis dicatur. 526

Senatus reſp. quæ. 493. cur reip. pars ſumma. 493. quibusnam de rebus delibérat. 493. Eius varietas & vſus qui. 493. & ſeq.

Senatus aut conſilij conſtituẽdi ratio propriè eſt Democratica. 512

Seni an Reſpublica ſit gerenda. 7

Sentẽtia authorum de bello alijs inferendo diuerſa & quæ. 197

Senten-

Sententia Platonis in æquatione bonorum inter ciues. 200. *Ariſtotelis reprehenſio.* ibid.

Senum imperium dicitur oligarchia. 203.

Sermo præ reliquis animantibus proprius eſt hominibus. 29 *& ſeq.*

Seruus eſt pars quadā rei familiaris. 84.

Serui alij ſecundum Iuriſconſultum ordinarij dicuntur, alij vicarij, alij honeſtiores & quinam: alij viliores ſunt: horum opera græce dicuntur Encyclia. 81

Seruus eſt organum agens ſeu practicum, & non efficiens. 48. *Hic alieni iuris eſt, non ſui.* 49. *Ratio quæ.* ibid.

Seruis an præter corporis alia quoque virtutes cum dominis communes. 133.

Serui à tyrannis in auxilium vocantur & cur. 734. *Exempla & teſtimonia quæ.* 734

Serui non tam ſunt partes domus, quam organa. 132

Seruus eſt membrum rei familiaris. 49.

Serui cur olim Romæ ad præturam obrepſerunt. 928

Serui quot, tot hoſtes. 75

Seruus eſt pars quædam domini, vt animatum quiddam corporis. 74

Seruus eſt organum animatum, agēs & ſeparatum nō ſui ſed alieni iuris. 50

Seruus dicitur vitæ ſocius. 142. *Seruorum & opificum non ſunt eædem virtutes.* 142. *& ſeq. Ratio quæ.* 143. *ſerui opera ſunt in agendo, opificis in efficiendo.* 143. *ſeruus eſt natura, opifex arte.* 143

Seruus eſt organum rei familiaris præſtantiſſimum. 46

Serui dicuntur eſſe alicuius & eſſe prorſus alicuius, & cur. 50. *Hi ſunt organa agentia & ſeparata.* 450. *ſerui definitio quæ.* 50. *Eius explicatio quæ.* ibid.

Seruire & ſeruus bifariam accipitur. 66.

Seruitia Cretenſium cur non moueant ſeditiones vt Lacedæmoniorum & Theſſalorum, quænam eſt cauſa. 242.

Seruitutis definitio ſecundum Iuriſconſultum quænam. 49

Seruitus inter Chriſtianos tempore Friderici ſecundi in vſu fuit, poſtea vero abolita. 76. *hodie ſerui ſunt in Hiſpania Turcæ & Aphri* 76. *apud nos coloni.* ibid.

Seruitus qualibet eſt contra naturam 51. *Hæc an natura ſit & iuſta.* 52

Seruitus ex bello quando dicatur iuſta vel iniuſta. 70. 71

Seruitus moderata cur euangelio, aut pietati chriſtianæ non repugnet, quænam ſunt cauſæ. 76. *argumenti contrarij ſolutio.* 77

Seruitus eſt animi fracti affectio arbitrio carentis ſuo ſecundum Ciceronem in paradox. 49

Seruitus ſingulis etiam hominibus eſt vtilis. 78

Seruitus alia natura, alia ciuilis, hæc libertati cæleſti non repugnat, eſtque genus pœnæ. 77. *Seruitus Reipubl. vtilis eſt & cur.* 77 *hæc aut eſt grauis & dura, aut lenis.* 7.

Ser-

Seruitutis bello captorum aſſertio quæ. 68
Seruitus naturæ repugnat. 75
Seruitus an apud Chriſtianos ſit permittenda. 75
Silentium mulieri decus affert, viro non item. 140
Similitudo ſeruorum & beluarum in vſu conſiſtit, horum vero diſſimilitudo in ratione & ſenſu. 62
Similitudo parentum & liberorũ bifariam cognoſci poteſt & quomodo. 161
Simulationis tyrannorum præceptum quod. 716. Ratio eius, cautio & exemplum quale. 716. & ſeq.
Societas ciuilis eſt domus & vicinitatis finis & perfectio. 27
Societatis politicæ ortus primus quibus debetur. 1
Societatis ciuilis cauſæ quæ ſunt. 327. & ſeq.
Societates ciuiles ex domeſticis ſunt ortæ. 23
Societatis ciuilis finis eſt αὐτάρκεια. 852.
Societas, & amicitia inter quos coëantur. 468
Societatis ſalus eſt ciuium opus 306
Socrates dicebat oportere communes eſſe liberos, vxores & bona. 148
Socratis erratum quodnam. 189. & ſeq.
Solicitudo & vigilantia eſt cautio conſeruandæ Reipublic. 613. Ratio quæ. 614. Stratagema Ariſtotelis quale hic. 614
Solonis laudes quæ. 281. eius inſtitutum Oligarchicum, Ariſtocraticum & Democraticum quod. 281.
Cauſa laudantium quæ. 281. & quæ vituperantium ratio. 272
Sophiſtarum politicorum quodnam erratum. 691. horum præceptum de regum poteſtate quale 891
Sors eſt minima patrimonij pars. 202
Spartæ nullum fuit ærarium publicum. 162
Spartæ leges viris dominantur, & non viri legibus. 238
Spartanæ Reipublic. vitium quod. 888.
Spartani venerem armatam coluerunt. 246
Species tyrannidis variæ & quæ. 752. & ſeq.
Spectati ciuis virtus eſt poſſe bene imperare & parere. 314
Sportulæ & magiſtratuũ & judicum græcorum quæ fuerunt. 443
Status Reipublic. optimus quinam. 463. & quotuplex. 463. & ſeq. Quinam pleriſque ciuitatibus ſit optimus ſtatus. 463
Status rerumpublicarum optimus qui. 881. & ſeq.
Stentorea vox quæ apud Homerum dicitur. 926
Stirpes animantium cauſa ſunt. 93. ratio quæ ibid.
Stoicorum ſententia de bonis animi, corporis & fortunæ quæ. 868. hæc 3. genera bonorum ad beatitudinem neceſſaria cur ſunt. 868
Stratagemata quæſtuaria Reipublic. vtilia ſunt, & ab hominibus notanda. 727
Subditus cur imperare & parere noſſe debet. 318
In ſuffragijs ferendis & ſententiis dicen-

cenda quanam ratio ſeruari debet 786. & ſeq.
Summa librorum de legibus Platonis qua. 193
Summa regni ariſtocratici qua. 409
Summa imperij an penes leges optimas, an virum optimum vel optimos eſſe debet. 406
Summa regni democratici qua. 408
Summa diſputationis qua de legum mutatione. 235 & ſeq.
Sumptus in munera Reipubli. neceſſaria qui. 628. Ratio. 629
Suum & carum faciunt, vt homines curam gerant & ament. 164
Syncriſis Democratia generum inter ſe qua. 475. & quaoligarchia generum inter ſe eſt. ibid.

T

Tabu noua[ ]tionũ olim fuerunt cauſa. 544
Talio ciuitatibus an neceſſaria. 153. huius diſſimilitudo qua. 854
Tarentina reipub. inſtitutio qua. 174
Techna diuitum & pauperum qua. 484. Ariſtotelis de hiſce iudicium quod. 484. ratio ordinis & numeri qua ibid. quorundam machina alia quanam. 485. quomodo his recte vti poſſumus. 486
Temeretas litigantium & calumniatorum audacia ſeu imprudẽtia per grauis ac multas pœnas frænari debent. 820
Tempus magiſtratuum quale eſſe debet. 612. ſententia Ariſtotelis qua 612. Eius ratio qua. 613. Exemplum quale. 613
Teſtamenta olim non fuerunt in vſu 630. ſed delatio erat ſimpliciter ad liberos & ſanguine iunctos. 630. mos priſcorum Germanorum & & Athenienſium qui. ibid. Ratio huius inſtituti qua. ibid. Teſtamenta quando introducta. 630 Ratio qua ibid. Exemplum ibid. huius inſtituti incommodũ quod 631. cur vni plures hæreditates deferenda ſint. 631
Thaletis conſilium de pecunia conficienda callidum quodnam. 124
Theopompi & Alexandri Seueri optimi Imp. apophthegmata qua. 697
Totum naturã partium ſequitur. 22 totum partibus ſuis eſt prius. 33.
Toto ſublato partes quoque eſſe nequeunt. 33. & ſeq.
Tribunal ſummum quodnam. 227
Tribunalium partitio qua melior cenſetur. 521. Ariſtotelis explicatio de horum ciuilium modis qua. 521. Ratio qua. ibid.
Tribuum & curiarum multitudo inſtitutum quoddam Cliſthenis. 813. ratio qua. 814. Commutatio ſacrorum priuatorum in publica eſt aliud eiusdem inſtitutum 814. ratio eius & exemplũ quodnã. 814
Turba nautica cur non ſit nimium multa, nec in ciuium numero habenda. 945. modus comparandorum nautarum qui. 945. Exempla qua. 945. milites claſſiarij qui. 945 & ſeq.
Tyrannorum familiares cur plerique ſunt improbi. 711. Ratio, cur hi improbis gaudent. 711. nota ſimulationis & ſophiſmatũ tyrannicorũ qua. 715. tyranni non debent magnos pecunia theſauros colligere, &

& cur. 717. & ſeq.

Tyrannicidarum præmia quæ & quænam eorum exempla. 679

Tyrannicæ ſimulationis præceptum eſt libido & contumelia. 722 Teſtimonium, exempla & error vulgi qui. 722. item voluptates corporis, eius ratio, malum, cauſa, vtilitas, Exemplum & teſtimonium quodnam. 723. & ſeq.

Tyrannis eſt vnius imperium. 334

Tyrannis omnium Rerumpublicarum deterrima. 421

Tyrannidis origo quæ. 396

Tyrannidis genera quæ. 462. Ariſtoteles cur de tyrannide omnium vltimo agit. 451. huius nota quæ. 462.

Tyrannidis ſtabiliendæ præcepta quænam. 701. & ſeq. hoc quoque alijs rebuspublicis vtile eſt. 701. Ratio quæ. 702. & ſeq. huius vtilitas quæ. 704. Exempla quæ. ibid. & ſeq. Huius vituperium quod. 712. huius conſeruãdæ modus ſpecialis qui. Diſcrimen, Ratio & exemplum eius quale. 713. & ſeq.

Tyrannis omnium rerumpublicarum eſt imbecillima. 739. Collatio tyrannidum quæ. 740. Thaletis philoſophi apophthegma quod hoc loco. 740. Æliani de illo teſtimonium quale. 740. Exemplum quale. 740. Cauſa infirmitatis huius tyrannidis quæ. 740. tyrannides pleraque breui tempore durant & cur. 744

Tyrannidis interitus cauſæ fere eædem ſunt, quæ oligarchiæ & Democratiæ, & quæ huius ratio. 688. hæc ex deterrimis oligarchia & Democratia eſt mixta. ibid.

Tyrannis omnium grauiſſima eſt ex rebuspublicis. 650. diſcrimen tyrannidis & regni ab origine vtriusque quod. 650. & ſeq. hi ex popularibus hominibus & Demagogis exiſtunt 652. modi comparandæ tyrannidis qui, & huius cautio quænam. 653. Exemplum eius. 653. horum modorum diuiſio quæ. 654. Exempla eorum quæ. 654. & ſeq.

Tyrtæus fuit ciuis Athenienſis & dux Lacedæmoniorum in bello Meſſenico. 597

V.

Vbi luxuria eſt, ibi diuitiarum ſtudium quoque viget. 245

Vectigalia noua aut nimia ſunt cauſa perditionis. 543

Vectigalia pauperibus quomodo diſtribui debent. 828. vſus ditiorum hoc loco qui. 828

Venandi vocabulum generale eſt. 90.

Veri ciuis nota quæ. 294

Vermium formatio & ortus qui. 98

Veteres quoddam ſimpliciter eſſe nobile & liberale, quoddam vero non ſimplicter. 72

Veteres more cyclopum habitarunt & vixerunt teſte Lucretio. 24

Veteres non ſine cauſa Martem Veneri coniunxerunt. 243

Veteres res omnes auſpicato aggreſſi ſunt. 560. & ſeq.

Vici vnde originem habent. 1

Vicinitas eſt ſocietas iuncta. 22. eius definitio quæ. ibid.

Vicinitas & communio eſt occaſio litium. 894
In victoribus eſt virtus & ius. 70
Victus quærendi ratio an ſit pars artis domeſticæ. 87. *victus genera varia ibid. abſque victu viuere nefas eſt.* 87
Vicus domorum eſt quaſi colonia & collectio. 11
Viri boni virtus quæ. 307. *huius virtus eſt vna & perfecta.* 309. *Ratio quæ. ibid.*
Viro bono lex ſcripta non eſt. 376. *Approbatio. ibid. genus quod.* 376
Viri militares plerique in Venerem ſunt procliues & proni. 246.
Viri & mulieris alia eſt temperantia & fortitudo. 315. *& alia œconomia. ibid. viri eſt quærere: uxoris conſeruare.* 315
Vir bonus cur imperare & parere noſſe debet. 318
Viri & mulieris virtus quæ. 109
Vir bonus quatenus idem ſit cum bono ciue. 311
Virtuoſi nequaquam debent omnium ſeditioſi. 526.
Virtus politica quæ dicitur. 721
Virtus alia dicitur abſolute, alia ex parte. 71
Virtuti imperium debetur. 68. *huius controuerſiæ verus ſtatus qui. ibid.*
Virtutes operibus reſpondere debent. 139.
Virtus bellica ad viuendum vtilis. 260.
Virtus non corrumpit præditum ea. 348.
Virtutes omnes in optima Republica florere debent. 244
Virtuti tribuitur libertas & nobilitas. 73
Virtutis ſtudium in vita opificum & mercatorum non valet. 325
Virtus abſque ratione conſiſtere nequit. 134
Virtute præditi de imperio contendentes quo iure nitantur. 368
Virtus viri boni & ciuis non eſt eadem. 310. *Ratio quæ. ibid.* 312. *& ſeq.*
Virtutes ciuiles quæ ſunt, & quot. 367.
Virtutes virorum bonorum ſunt propria. 319
Virtus ſola nobilitat. 123
Virtus cum natura cognationem quandam habet. 243
Virtus à ſeruo comparatur non doctrina ſeu vſu. 143
Virtute an quis abuti poſſit. 37. *Ratio eius quæ. ibid.*
Vis ſine virtute eſſe non videtur. 67
Vitia Reipublicæ Spartanæ quæ. 241. *& ſeq.*
Vita hominum alia ciuilis, alia philoſophica. 197
Vita militaris multas partes virtutis habet. 244
Vitæ cupiditas eſt infinita. 110
Vita eſt actio, non effectio. 48
Vita Deorum antiquiſſima ſecundum Barbaros. 24. *Dij hominibus ſimiles quo ad figuram. ibid.*
Vitæ hominum & animantium ſunt variæ. 87. *vitæ ſtudia & genera pro victus diſſimilitudine variant* 87. *vita ſine cibo, victu & amictu eſt nulla.* 87

Vitæ genus naturale eſt vel ſimplex vel mixtum. 90. Simplicis partes ſunt quinque & quænam. 90. Ratio huius diuiſionis quæ. 90. & ſeqq.
Vrbis initium quodnam eſt. 22. & quænam hoc ſequuntur. 22
Vita eſt aut ocioſa, aut negotioſa, aut philoſophica. 882
Vita beata eſt ſummus politicæ finis. 14.
Vitæ beatæ finis qui, quem politicus bonus ſibi in deſcribenda & gubernanda Republica propoſitum habere debet. 895
Vita luxurioſa & intemperans optimæ Reipublicæ eſt inimica. 244
Vitæ practicæ & contemplatiuæ vſus qui, & quæ magnitudo controuerſiæ de huius excellentia. 883. Vitæ practicæ patroni qui ibid. & quinam contemplatiuæ. Correctio & Ariſtotelis ſententia quæ. ibid. Vita abſque propoſito aliquo eſt vaga. 883. Huius ſectæ quænam 884. ratio, qua homines primæ ſectæ nituntur. 885. & quæ ratio, qua nituntur homines vitæ actuoſæ. 885. Exempla 3. ſectæ. 887
Vocabulum, omnis bifariam ſumitur. 157
Vocula, multitudo, quomodo hic accipitur. 351
Voluptates veræ ſunt finitæ. 111
Voluptas quæ percipitur ex facultate politica. 5
Voluptates quærentium diuitias ſunt interminatæ. 111
Vox eſt argumentum moleſti & jucundi, alijsque animantibus communis. 30
Vrbium finis optimus qui. 935. controuerſia quæ. ibid. Hæ cur aliqua ex parte continentem terram contingant, & quæ ratio. 935
Vſus permutationis qui. 120
Vſus mercaturæ quatenus naturæ congruit & diſſentit. 99
Vſus artis medendi eſt effectio ſanitatis. 112
Vſuræ ſunt tumultus cauſa. 544
Vterque, dictio ſumitur vel vniuerſe vel ſigillatim. 157. & ſeq.
Vtile eſt imperium eſſe penes multos quam paucos. 351. Ratio quæ. 352. Similitudo hic quæ. ibid.
Vtilitas eſt mater iuſti & iniuſti teſte Horatio. 32
Vtilitas eſt cauſa motuũ & quãdo. 551
Vtilitas ſeu vſus conſtitutionis ciuitatum qui. 36
Vxoria conditio quæ & qualis. 5,6

FINIS.

C
3

Digitized by Google

Google

Digitized by Google

Digitized by Google